This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES MORALES ALPHONSIANAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES MORALES

ALPHONSIANAE

SEU

DOCTORIS ECCLESIAE

S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

DOCTRINA MORALIS

AD USUM SCHOLARUM ACCOMMODATA

CURA ET STUDIO

P. CLEMENTIS MARC

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

EDITIO DECIMA QUINTA

PLANE RECOGNITA MULTISQUE NOVIS ADAUCTA QUAESTIONIBUS

ACCEDIT SUPPLEMENTUM
JUXTA NOVUM CODICEM JURIS CANONICI

TOMUS PRIMUS



ROMAE

TYPIS CUGGIANI

1917

Digitized by Google

APPROBATIO.

Opus hoc, cui titulus « Institutiones Morales Alphonsianae », a Sodali nostro Clemente Marc olim concinnatum, nunc vero in hac editione XV novis curis subjectum atque ad recentiora Sedis Apostolicae Decreta accommodatum, cum duo e nostris theologis diligenter recognoverint et probarint, probamus et Nos, libenter concessa venia hujus novae editionis, si iis ad quos pertinet ita videbitur.

Romae, ad S. Alphonsi, die 15ª Julii 1917.

(L. S.) PATRITIUS MURRAY, C. SS. R.
Sup. Gen. et Rect. Maj.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed.
S. P. A. Magister.

—

IMPRIMATUR
Josephus Palica, Archiep. Philipp.
Vicesgerens.

Quae jura a lege sunt, auctor sibi reservat.

Digitized by Google

PRAEFATIO

AD HANC NOVAM EDITIONEM

Institutiones morales Alphonsianas, quas triginta abhinc annis prima vice publici juris fecit *P. Clemens Marc,* opus esse praestantissimum, tum doctrinae soliditate, tum materiae ubertate, tum methodi et sermonis perspicuitate, liquet ex multorum virorum doctorum atque ephemeridum elogiis, liquet etiam ex eo, quod plurimi Ecclesiae Praesules et Ordinum religiosorum Superiores easdem in suis seminariis et institutis religiosis adhibendas esse voluerunt. Inde factum est, ut jam quatuordecim copiosae editiones inter clerum totius orbis catholici distractae fuerint.

Mortuo auctore, cum tertiam pararet editionem, alii editores hoc opus ad normam Decretorum recentium S. Sedis ulterius recognoverunt et perfecerunt. Quibus cum ego succederem, visum mihi fuit *hanc editionem decimam quintam,* adhibita opera periti sodalis (cui debitas hic persolvo gratias), novis iterum subjicere curis, quo opus jam adeo egregium vel magis ad nostra tempora accommodarem.

Quapropter, primum quidem varias novas quaestiones morales, praecipue quae ex hodiernae societatis conditione exortae sunt, aut addendas aut paulo fusius tractandas esse duxi. Alias quaestiones, etsi ab auctore pro suo tempore satis expositas, aliquatenus reformavi, juxta modum quo illae hodie ab AA. ponuntur, ut ita etiam progressus scientiae moralis ratio habeatur. — Deinde, cum auctor forte nimis parcus fuerit in adducendis recentiorum auctoritatibus, ego, quo nostri temporis desiderio morem gererem, in quavis materia plures congessi theologos, tum antiquos tum recentes, sive ut lectori pro uberiori studio viam monstrarem,

Digitized by Google

sive ut aliorum, praesertim recentiorum, opiniones eidem indicarem, addito saepe meo de iis judicio.

Ad formam quod spectat, pauca mutavi quae ad methodum magis didacticam conferrent; alia resecui, quae superflua aut parum utilia esse videbantur, ita ut, pluribus licet additis novis, moles operis tamen non excreverit. Numeros eosdem conservandos esse duxi, ne ob nimiam discrepantiam confusio oriatur, cum antecedentes editiones adhibentur vel allegantur. — *Theologiam moralem S. Alphonsi* semper adduxi juxta editionem typicam P. Leonardi Gaudé, quae communi plausu a viris doctis accepta et magnis laudibus ornata fuit. — Omnia denique ad novissima Apostolicae Sedis Decreta exacta et accurata fuisse, vix opus est ut animadvertam.

Itaque praeclarum opus cl. Marc *substantialiter* quidem idem mansit; est tamen haec editio *plane recognita, multisque novis quaestionibus adaucta.*

Vota, quae in prima editione auctor expressit, in hac quoque editione decima quinta sint eadem; quam ob rem ejus praefationem fere integram hic adducendam esse censui.

Romae, die 1 Maii 1915.

Digitized by Google

PRAEFATIO AD PRIMAM EDITIONEM

Ubi primum S. Alphonsus Ecclesiae Doctor declaratus est, adhortantibus nostrae Congregationis Praepositis, consilium has scribendi *Institutiones* inivi, tum ut nostrorum Studentium et Missionariorum utilitati consulerem, tum ut propagandae B. Patris Doctrinae morali, pro meis viribus, allaborarem. Nec consideratio diutini laboris me deterruit; animo enim alte imbiberam hanc ipsam opinionem, quam Emus Cardinalis Gulielmus Sanfelice nuperrime in suis Synodalibus Statutis sic enuntiavit: « Experientia teste, ille confessarius uberiores fructus colliget, qui in confessionario sententiis et praxi Ligorianae propius accesserit » (Synod. dioec. Neapol., Jun. 1882, c. V, § IX).

Prodierunt quidem ex eo tempore plura Theologiae moralis compendia, quae, late jam diffusa, multum Alphonsi nominis celebritatem amplificarunt. Nec tamen idcirco prosequendo meo labore supersedendum esse censui. Nam licet praedicta compendia sint commendatione dignissima, visum est nihilominus hoc meum Opus non omni utilitate destitutum iri, propter peculiarem finem, quem in eo componendo assequendum mihi praestitui. — Sicut enim ex operis titulo apparet, TRIPLICEM meo labori propositum habui SCOPUM: primus fuit, ut universam B. Patris de re morali doctrinam fideliter exponerem; alter, ut eam redigerem in formam vere methodicam; tertius denique, ut eamdem omnibus illis complerem additamentis, quae hodiernorum temporum necessitatibus magis respondere viderentur.

Et primo quidem loco, quod a S. Alphonsi filio tractante de re morali prae omnibus exspectatur, illud est, ut sui Patris doctrinam lectoribus cum maxima fidelitate proponat. Atque *is fuit finis meus principalis*. Hunc autem ut assequerer, instructum me reperi pluribus hisque peropportunis subsidiis. Concreditae sunt mihi omnes variorum operum moralium editiones, quas S. Doctor propria manu accuravit; atque ex his inter se collatis deprehendi, quasnam explanationes et modificationes ipse, lapsu temporis, doctrinae suae inserendas esse judicaverit: quae res multum conferre solet ad assequendam veram qualiscumque scriptoris mentem. Ad manum etiam habui plurimas ab eo scriptas adnotationes, multasque de re morali tractantes epistolas quae, posteaquam per integrum quasi saeculum in oblivione jacuerant, ultimis his tandem temporibus feliciter repertae sunt.....

Multus fui in investigandis illis omnibus, quae ad Probabilismum spectant. Et quoniam, ad interpretandum genuinum auctorum sensum, critices regulae id praescribunt, *ut priora eorum opera ex posterioribus*

Digitized by Google

dijudicentur, maxime mihi attendendum esse censui *ad illam dissertationem, quae in sexta editione inserta est, sicut et ad cetera opera, quae ab anno 1762 fuerunt a S. Doctore publicata.* Et ad hanc quidem normam eo securius me conformavi, quod ipse, ante hoc tempus, semper in sua *Theologia morali,* in hujusque compendio *(Homo Apost.)* expresse declaraverit: « se praescindere ab illa quaestione: an liceat sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori » .....

Secundus meus scopus fuit ordinata ac methodica moralis doctrinae expositio. — Ad ordinem quod attinet, placuit generaliter retinere illum, quem S. Alphonsus in suis compendiis tenuit. Dum autem hunc ordinem seligerem, rem utilem me facturum esse putavi, si distincte demonstrarem quo logico nexu varii tractatus ita dispositi inter se cohaererent. — Ad hoc demonstrandum, in primis me juvit adducere verba D. Thomae et Catechismi Romani, quorum quanta sit auctoritas, nullus ignorat .....

Tertius tandem mihi scopus fuit, ditare praesentes *Institutiones* omnibus illis additamentis, quae hodiernae necessitates magis sibi expostulant. Hinc omnem, quam potui, curam posui in solvendis, juxta mentem S. Alphonsi, plurimis, qui ex rerum praesentium statu oriri solent, casibus. Hinc plerosque auctores modernos, qui de re morali scripserunt, non solum sollicite adivi, sed etiam frequenter citavi, illos praesertim qui Alphonsianam doctrinam fidelius sectantur. Hinc diligentissimus fui in conquirendis ac verificandis variis Decisionibus, quae a Romanis Congregationibus jugiter in vulgus eduntur, habens pro certo me hac quoque in re incedere vestigiis B. nostri Patris, qui omnia sacrarum Congregationum Decreta tamquam oracula venerabundus excipiebat.....

In citandis antiquioribus auctoribus (extra D. Thomam et nonnullos alios, qui erant S. Alphonso apprime cari) volui esse parcissimus, his duabus de causis: primum, ut distincte innotesceret me potissimum in exponenda S. Alphonsi doctrina versari; deinde ut lectores, in qualibet occurrente difficultate, certius ad B. Doctorem remitterentur, apud quem indicatos invenient varios auctores, qui melius, ipso judice, de re tractarunt.

En igitur qua ego mente has *Institutiones* conscripsi.....

Faxit autem amantissimus noster Redemptor, ut hic meus qualiscumque labor, in sui gloriam cedat, utque per illum multae animae, S. Alphonso duce atque auspice, in Dei sinum complexumque perducantur.

Romae, die 19 Martii, festo S. Josephi, anno 1885.

Digitized by Google

LITTERAE S. P. LEONIS DECIMI TERTII

QUIBUS HONESTATA FUIT EDITIO DECIMA INSTITUTIONUM MORALIUM P. MARC

DILECTO FILIO JOANNI PETRO KANNENGIESSER

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. — Clementis Marc, Alphonsianae Congregationis Sodalis, haud exigua laus apud posteros manebit ob *Morales Institutiones* ab ipso editas jamque nonum, ad hunc diem, recusas. Ejus enim, in perutili opere adornando, praecipuae fuerunt curae, ut ab Alphonsi Patris Legiferi doctrina nequaquam abscederet, cui tantum a Sede Apostolica delatum est, ut tuto tenendam edixerit. Quamobrem Episcopi, ex plerisque gentibus, magno numero *Marcianas Institutiones* in Seminariorum scholis publice praelegendas decreverunt, idemque aliquot religiosarum familiarum Praepositi pro alumnis suis sanxerunt. Pretium igitur operae tu quidem, Dilecte Fili, facturus es, decimam egregii voluminis editionem adparando; cui, ex industriis tuis, hoc utilitatis accedet quod Pontificia Decreta, quae interim lata sunt et rem moralem spectant, suis apte locis commemorentur. Ut autem benevolentiae Nostrae testimonium in coepto consilio exsequendo alacritatem addat, Apostolicam benedictionem, munerum divinorum auspicem, tibi amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die XV Novembris MDCCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

LEO PP. XIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAECIPUA
S. SEDIS TESTIMONIA ATQUE JUDICIA
DE MORALI DOCTRINA S. ALPHONSI

BENEDICTUS XIV.

Epistola scripta die 15 Julii 1755 ad S. Alphonsum. — « Accepimus tuas litteras, simul cum *secundo volumine Theologiae* tuae *Moralis,* et cun aliis pluribus libris, qui, licet minoris molis sint, saluti tamen animarum maximae erunt utilitati. Pro hoc dono gratias agimus, potissimum quod *Nobis* tuum Opus morale *dedicaveris;* hoc cum cursim pervolvissemus, exquisitissimum esse *atque integrae hominum societati certe approbatissimum utilissimumque fore* judicavimus ».

CLEMENS XIII.

Litterae in forma Brevis datae die 4 Aug. 1767 ad S. Alphonsum. — « Librum tuum adversus errores, qui nunc temporis omnem propemodum infecerunt Europam, libentissime excepimus; tum quod tuus est, *cujus probe novimus ex pluribus aliis scriptis tuis et ingenium et doctrinam, et Dei zelum magnopere flagrantem*... Ceterum, Venerabilis Frater, te summopere amamus, quod minime contentus uni Ecclesiae tuae prodesse, *quidquid temporis tibi superest* ex episcopali tua procuratione, id perire non pateris, sed *omne consumis in ejusmodi laboribus, quorum utilitas* non circumscribitur finibus tuae Dioecesis, sed *ad Ecclesiam porrigitur universam* ».

PIUS VII.

1. **Decretum super revisione et approbatione Operum Ven. Alphonsi.** — « ... Facta... plena relatione tam praefatorum Operum impressorum, quam aliorum Mss. omnium..., NIHIL *in iis* CENSURA DIGNUM *repertum fuit*... Quibus SSmo D. N. relatis, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 18 Maii 1803 ».

2. **Decretum super dubio, an tuto procedi possit ad Beatificationem.** — « Omnipotens Dei sermo, qui vocat stellas, ut in militantis Ecclesiae firmamento splendeant, Ven. servum suum Alphonsum vocavit, ut apostolicarum virtutum luce coruscaret. Divinae ille voci respondit, et apostolo dignas virtutum luce coruscaret. Divinae ille voci respondit, et apostolo dignas virtutes quasi jubar emisit..., cum *et voce, et scripto in media saeculi nocte errantibus viam ostendit, qua eruti de potestate tenebrarum, transire possent in Dei lumen et regnum... Sed et intelligent profecto pastores animarum, et divini verbi praecones, pii quoque et docti viri, quantum sibi in Alphonso Maria imitando ornamenti ac praesidii constitutum sit.* Cum hujus igitur lucidissimae militantis Ecclesiae stellae virtutes heroicas habendas esse, SS. D. N. Pius Papa VII.... edixerit.... rite pronuntiavit: Tuto procedi posse.... Atque hoc Decretum in vulgus edi.... jussit, 12 Calend. Jan. 1815 ».

Digitized by Google

3. Certo etiam constat, Pium VII Episcopis Ditionis Pontificae, in suis Seminariis *Theologiam moralem* B. Alphonsi tradendam suasisse (*Coppola*, Mor. sistem. del B. Alfonso, p. 144).

LEO XII.

Litterae ad Typogr. Hyacinth. Marietti, datae die 19 Febr. 1825. — « Ut minus noceat malorum colluvies librorum, qua... regiones omnes redundant, non exiguus facit scriptorum pietate ac doctrina praestantium numerus, quos Deus *ad Religionis morumque tutelam*.... nunquam perditorum non opponit audaciae. In quibus, cum *praesertim* Vir sanctissimus idemque doctissimus B. Alphonsus de Ligorio jure optimo numeretur..., (cujus scripta) *firmissima sunt adversus omnem pravitatem praesidia:* optime sane de Religione meritus es, et.... de universa hominum societate, qui in Scriptoris hujusmodi Operibus colligendis et in lucem edendis operam tuam industriamque collocaveris.... ».

PIUS VIII.

Decretum super dubio, an constet de miraculis, editum die 3 Dec. 1829. — « Beato Alphonso Mariae de Ligorio dedit *scientiam Sanctorum* Deus, et honestavit illum in laboribus, qui *usque ad extremam senectam.... studuit.... saluberrimis elucubratis libris, fidelium animos ad fallacis saeculi contemptum, atque aeternae gloriae amorem accendere. Hujus Beati viri nomen,* tum praeclaris gestis, tum *voluminibus ipsius pietate et doctrina refertis, ubique gentium diffusum,* et in adversis invocatum (est) ».

GREGORIUS XVI.

1. **Bulla Canonizationis, publicata die 26 Maii 1839.** — « Sanctitas et doctrina.... ornare Episcopum quemque debent.... *Ad eximium hoc egregii Antistitis exemplum instaurandum, datus divinitus Ecclesiae superiori saeculo visus est Alphonsus Maria de Ligorio,* qui, cum.... *sacris praesertim doctrinis mirifice polleret,* ad Episcopatus munus longe impeditissimum vocatus est.... *Plurimos sane conscripsit libros, sive ad morum doctrinam tuendam, sive ad plenam sacri Ordinis institutionem,* sive ad confirmandam Catholicae Religionis veritatem, sive ad asserenda hujus S. Sedis Apostolicae jura, sive ad pietatis sensum in christianorum animis excitandum. *In iis porro inusitatam vim, copiam, varietatemque doctrinae, singularia ecclesiasticae sollicitudinis documenta, exquisitum Religionis studium demirari licet. Illud vero imprimis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen opera* INOFFENSO PRORSUS PEDE *percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit* ».

2. **Decretum publicatum die 10 Jan. 1840.** — « *Maxima inter Catholicae Ecclesiae lumina atque ornamenta, Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio refulget,* qui, *doctrina et sanctitate insignis,..... plurimis doctissimis ac pientissimis operibus, Dei gloriae ac spirituali hominum saluti unice serviens,....* jam coronatus possidet palmam ».

3. **Responsum S. Poenitentiariae, datum die 5 Julii 1831.**

Consultatio. « Eminentissime. Ludovicus Franciscus Augustus, Cardinalis de Rohan-Chabot, Archiepiscopus Vesontionensis, doctrinae sapientiam et unitatem fovere nititur apud omnes dioecesis suae qui curam gerunt animarum; quorum nonnullis impugnantibus Theologiam Moralem Beati Alphonsi Mariae

Digitized by Google

a Ligorio, tamquam laxam nimis, periculosam saluti, et sanae morali contrariam, Sacrae Poenitentiariae oraculum requirit, ac ipsi unius Theologiae professoris sequentia dubia proponit solvenda:

» 1° *Utrum sacrae Theologiae Professor opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur Beatus Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri?*

» 2° *An sit inquietandus Confessarius, qui omnes Beati Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri Poenitentiae tribunalis,* hac sola ratione quod a Sancta Sede Apostolica « nihil in operibus censura dignum repertum fuerit? ». — Confessarius, de quo in dubio, non legit opera Beati Doctoris, *nisi ad cognoscendum accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variae nituntur opiniones;* sed existimat se *tuto* agere, eo ipso quod doctrinam, quae « nihil censura dignum » continet, prudenter judicare queat *sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicae contrariam* ».

Decisio. S. Poenitentiaria, perpensis expositis, Reverendissimo in Christo Patri S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Vesontionensi, respondendum censuit:

» *Ad 1um quaesitum:* AFFIRMATIVE, *quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.*

» *Ad 2um quaesitum:* NEGATIVE, *habita ratione mentis Sanctae Sedis circa approbationem Scriptorum Servorum Dei ad effectum Canonizationis.*

» Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 5 Julii 1851.

» *A. F. De Retz,* S. P. Regens. — *F. Tricca,* S. P. Secretarius »[1].

PIUS IX.

1. **Litterae datae die 7 Apr. 1847 ad D. Scavini.** — « Tibi vehementer gratulamur, quod in hisce *Theologicis Institutionibus* conficiendis *nihil antiquius* habueris, quam *salutares* sanctissimi ac doctissimi Viri Alphonsi Mariae de Ligorio *doctrinas magis magisque propagare, iisque ecclesiasticae praesertim juventutis animos imbuere....* » (Theol. mor., in princ.).

2. **Responsum S. Poenitentiariae, editum die 19 Dec. 1855.**

Postulatum. « Eme et Rme Domine. Supplex infrascriptus, ... ob propriam erga S. Alphonsum a Ligorio devotionem ac reverentiam, *valde optat ejusdem tanti Sancti doctrinam in omnibus tenere, tradere et tueri,* idque in proximo edendo Dioecesano Calendario (sicut etiam praelaudato suo Episcopo, erga S. Alphonsum admodum propenso, placet) palam facere; inhaerendo et servando Decisionem hac super re editam sub die 5 Julii 1831 ab hac S. Poenitentiaria. *Verum quoad id aliquali religione detinetur, eo quod, cum Gradus academicos jampridem obtinuit, juramentum ut infra praestitit, ejusdem se Universitatis (quae Probabiliorismum et Probabilioristarum sententias sequitur) doctrinam retenturum.* — Quum haec ita sint, et quum insuper clariss. Scavini, qui idem juramentum emisit, in sua *Theologia morali* SS. D. N. Pio PP. IX dicata, eumdem S. Alphonsum praecipue Ducem habuerit; hinc, pro suae conscientiae quiete, humillime ad Eminentiam Vestram recurrit, et instanter supplicat:

» 1. *Ut doceatur, an praefato juramento obstet S. Alphonsi a Ligorio doctrinam in omnibus sequi et publice tradere,* ut supra exponitur? *Vel 2, ut ab eodem servando juramento dispensetur....* ».

[1] Hoc S. Poenitentiariae Responsum a S. M. Gregorio XVI approbatum confirmatumque fuit die 22 Julii, uti constat ex epistola Emi Card. de Rohan-Chabot ad D. Gousset, ejus Vic. gen., qui praefata dubia proponi curaverat: « In audientia 22 Julii (1831) Sanctitas Sua Responsum S. POENIT., Sibi a me submissum, confirmavit, approbans tum ipsum Responsum, tum consilium quod ceperam idipsum publicandi ac hisce Litteris pastoralibus fulciendi... » (cfr. *Gousset,* Justification de la Théol. mor. du B. Alphonse, Besançon, 1832, p. 251).

Digitized by Google

Responsio. « Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, dilecto in Christo oratori ad proposita dubia respondendum censuit, prout respondet: *Ad primum, Negative. Ad secundum, Provisum in primo.*

» Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 19 Dec. 1855 ». — Cfr. *Scavini*, vol. 3, n. 492.

3. **Decretum Urbis et Orbis, publicatum die 23 Martii 1871, super concessione tituli Doctoris.** — « Inter eos qui fecerunt et docuerunt... merito recensendus est S. Alphonsus Maria de Ligorio.... Quod autem sancta operatione complevit, verbis etiam et scriptis docuit. Siquidem *ipse errorum tenebras ab incredulis et Jansenianis late diffusas, doctis operibus, maximeque Theologiae moralis tractationibus, dispulit atque dimovit, obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum* INTER IMPLEXAS THEOLOGORUM SIVE LAXIORES, SIVE RIGIDIORES SENTENTIAS, TUTAM STRAVERIT VIAM, *per quam christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent....* ».

4. **Litterae Apostolicae in forma Brevis, promulgatae die 7 Julii 1871, super confirmatione tituli Doctoris.** — « Qui Ecclesiae suae nunquam se defuturum spopondit Christus Dominus... insignes excitat pietate et doctrina Viros, qui.... tamquam imbres mittant eloquia sapientiae suae. *Neque enim sine providentissimo Omnipotentis Dei consilio factum est,* ut, quum *Jansenistarum* doctrina Novatorum oculos in se converteret, errorisque specie multos alliceret, ageretque transversos, *tunc potissimum exstaret Alphonsus Maria de Ligorio...*, qui... os aperiret suum in medio Ecclesiae; *scriptisque doctis et laboriosis istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam et ab agro Dominico exterminandam curaret.* — Neque vero has solum sibi partes depoposcit Alphonsus; sed.... *plurimos libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive, inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam muniendam viam, per quam christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent....* Quae cum ita sint...., Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum DOCTORIS in honorem *S. Alphonsi Mariae de Ligorio...* confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo Ei tribuimus, impertimus; ita quidem, *ut in Universali Catholica Ecclesia semper is Doctor habeatur... Praeterea hujus Doctoris libros, commentaria, opuscula, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis, christianisque exhortationibus, citari, proferri, atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus...* ».

LEO XIII.

1. **Litterae ad PP. Leopoldum Dujardin et Julium Jacques, C. SS. R., datae die 28 Aug. 1879.** — « Licet universum jam orbem pervaserint, non sine amplissimo christianae rei emolumento, scripta Sancti Doctoris Alphonsi Mariae de Ligorio, Dilecti Filii, ea tamen magis adhuc magisque vulgari desiderandum est et ad manus omnium traduci. Scitissime nam ille catholicas veritates omnium captui accommodavit, omnium morali regimini prospexit, mirifice pietatem omnium excitavit, et, « in media saeculi nocte errantibus viam ostendit », qua, eruti de potestate tenebrarum, transire possent in Dei lumen et regnum ». — Et sane firmissimis argumentis divinam revelationem munivit contra Deistas; veritatem fidei nostrae strenue defendit; efficacissime asseruit immaculatum Deiparae conceptum; nervosissime propugnavit Romani Pontificis primatum et infallibile magisterium; divinae Providentiae consilia in comparanda

Digitized by Google

per Jesum Christum hominum salute docte pieque illustravit; psalmos et cantica aptissimis ad fovendam Clericorum pietatem commentariis exposuit; Ecclesiae gloriam ostendit in triumphis martyrum; editis historia haeresum et opere dogmatico acriter perstrinxit haereses omnes, sed praesertim jansenianos et febronianos profligavit errores tunc maxime gliscentes, et monstruosarum illa opinionum segete graves, qua nunc religiosae civilisque societatis fundamenta quatiuntur, et quam ipse jam tunc ea perspicacia fuit insectatus, ut pleraeque e *propositionibus* post saeculum in *Syllabo* damnatae ab ejus scriptis nominatim refutatae conspiciantur: imo « praedicari verissime possit, nullum esse nostrorum temporum errorem, qui maxima saltem ex parte, non sit ab Alphonso refutatus ». — Et ne quid dicamus de MORALI THEOLOGIA ubique terrarum celebratissima *tutamque plane praebente normam* quam conscientiae moderatores sequantur; frigescentem Ipse caritatem per crebras doctasque lucubrationes asceticas, veluti subditis igniculis, fovit, aluit, provexit ac praesertim erga Dominum Nostrum Jesum Christum ejusque dulcissimam Matrem, quorum amore, miro cum fidelium profectu, rigentia quoque corda succendit. Et in hisce omnibus « illud in primis notatu dignum est, quod licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen, perspectum fuerit.... ».

2. **Encyclica diei 8 Dec. 1902 ad Episcopos Italiae.** — Vocat idem Pontifex S. Alphonsum « maxime insignem et mitem moralistarum » (*A. S. S.*, 35, p. 261).

PIUS X.

1. **Litterae ad P. Joannem Herrmann, C. SS. R., diei 25 Jul. 1904.** — Ibi S. Alphonsus appellatur « tam sanctus, tamque praecellens doctor, scriptor disciplinae uberrimae, tutissimus sententiarum fons » (Tract. de Gratia, princ.).

2. **Litterae ad P. Leonardum Gaudé, diei 12 Junii 1905.** — « S. Doctoris Alphonsi de Ligorio ea est in Ecclesia Dei existimatio atque laus, ut vel id unum sufficeret, cur novam Nos editionem Theologiae moralis Alphonsianae Nostro Nomini dicandam libentissime permitteremus.... Gratias tibi omnes habere oportet, qui S. Doctoris, quem tuto omnes in morum doctrinis sequi possunt, mentem apertius ostenderis, sententiasque, securius quam numquam alias, determinaveris » (Op. moral. S. Alph., vol. I, p. XI).

Digitized by Google

Explicatio modi

quo S. Alphonsi testimonia indicantur

S. Alphonsum varia scripsisse opera moralia, nemo est qui non novit. Conferantur ea, quae in fine II voluminis indicamus. — In nostra editione, duo praesertim opera moralia S. Doctoris citare placet, et quidem *Theologiam moralem* et aureum librum, cui titulus: *Homo Apostolicus*. Theologiae moralis testimonia afferuntur sine indicatione operis ipsius; notantur solum *numeri operis*, additis quandoque volumine et pagina editionis P. Gaudé. — Ad librum: *Homo apostolicus*, quod attinet, ipse indicatur breviter litteris initialibus: *H. Ap.*, adjecto tractatu cum numero. Indicatio ergo: I, 24; V, 4; H. Ap., III, 33. sic erit legenda: S. Alphonsi Theol. mor., l. I, n. 24; l. V, n. 4; H. Ap., tr. III, n. 33. — Si occurrunt tibi sequentia: I, 81; ed. G., I, p. 60, lege: S. Alphonsi Theol. mor., l. I, n. 81; editio Gaudé, vol. I, p. 60. — Cetera opera moralia S. Alphonsi sufficienter indicantur; v. gr.: *Exam. ordin.* (Examen ordinandorum); *Conf. dir.* (Il Confessore diretto); *Praxis* (Praxis confessarii).

Digitized by Google

INTRODUCTIO
AD THEOLOGIAM MORALEM

S. Alphonsus, Theol. mor., ed. G., praef. ed.; *Vind. Alph.* (ed. 2), Diss. prooem. et App., 2; *Zacharia*, Diss. histor., did., apolog. (ed. Theol. mor. S. Alph., III ad VII); *Muller*, Theol. mor. (ed. 9), Introd.; *Bouquillon*, Introd. ad Theol. fund.; *Mausbach*, die kath. Moral; Christent. u. Weltmoral.

1. — *Theologia moralis est pars doctrinae sacrae.* Sacra doctrina, ex *D. Thomae* sententia (P. I, q. 1, a. 7), pertractat omnia sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia ordinem habent ad Deum. Hinc vocatur *Theologia,* a duobus vocabulis graecis Θεός et λόγος, quae idem sonant ac sermo de Deo. — Complectitur omnia quae religio (in latiori sua acceptione) de Deo deque rebus divinis docet, proponendo tum quae credenda sint, tum quae sint agenda. De credendis disserit Theologia dogmatica, *de agendis* vero *Theologia moralis.*

Haec posterior pars est, quam nos hic tractandam suscipimus, duce imprimis ac magistro S. Doctore Alphonso Maria de Ligorio, cujus « moralis Theologia ubique terrarum est celebratissima, tutamque plane praebet normam, quam conscientiae moderatores sequantur »[1]. — Sed antequam susceptum opus aggrediamur, nonnulla praemittenda esse censemus, tum de ipsius Theologiae moralis *natura, praestantia* et *necessitate,* tum de ejus *methodo, historia, fontibus* ac *partitione.*

§ 1. De Theologiae moralis natura.

2. — Definitio. Theologia moralis definiri potest: Scientia dirigens actiones humanas juxta legem Dei, ut homo suum finem, id est vitam aeternam, consequatur.

Dicitur 1° *scientia:* est enim cognitio certa et firma ex certis atque immutabilibus principiis per discursum deducta.

2° *dirigens actiones humanas:* his verbis exprimitur ejus objectum materiale, nempe omnes actus, qui ab hominis voluntate deliberate procedunt.

3° *juxta legem Dei:* quibus verbis designatur ejus objectum formale, nempe conformitas imprimenda humanis actionibus cum lege divina; hoc autem nomine veniunt leges omnes, quatenus a lege divina vim obligandi habent.

4° *ut homo finem suum consequatur:* ostendunt haec verba supremum finem, ad quem tota Theologia refertur.

[1] Ex litteris cit. Leonis PP. XIII ad Leopoldum Dujardin et Julium Jacques.

Digitized by Google

3. — Ex praedicta definitione statim colligi potest, quomodo Theologia moralis ab omnibus aliis disciplinis, quae aliquo modo circa hominum mores versantur, secundum naturam suam distinguatur.

Distinguitur 1° a Theologia *dogmatica*, quae de fide disserit et de rebus divinis universim, ut *regulas credendi* proponat, aptisque argumentis comprobet; dum ipsa de virtutibus disputat ac vitiis et peccatis, ut *regulas agendi*, praesertim in foro interno, statuat et confirmet.

2° a Theologia *ascetica*, *mystica* et *pastorali*. Theologiae moralis est, omnia homini necessario implenda officia metiri ac definire, *ipsique terminum indicare, quem praeterire nequit, quin peccati reatum incurrat*. Atque hinc est, quod haec sacra scientia magis circa peccata, quam circa virtutes versetur. — Jam vero, alius est finis *Theologiae*, tum *asceticae*, tum *mysticae*: utraque enim multo minus de peccatis vitandis, quam de exercendis virtutibus disserit; utraque ipsius christianae perfectionis exercitium, motiva et media edocet, cum hoc tamen discrimine, quod Theologia ascetica condocet viam perfectionis ordinariam, Theologia vero mystica extraordinariam. — Sed et *Theologiae pastoralis* finis diversus est. Haec quippe agit de regimine animarum, edocendo pastorem quomodo commissas sibi oves a noxiis abstrahat, ad salutaria dirigat, et semper in virtutis tramite retineat, sive hae oves per viam salutis ordinariam ac necessariam lento gradu incedant, sive grandiori passu in via perfectionis progrediantur.

3° *a scientia juris canonici et civilis*: quae scientia regulas tradit, juxta quas Ecclesia et civilis societas regendae sunt; dum ipsa generalius inquirit, an et quantum hae regulae in conscientia obligent.

4° ab *Ethica*, et quidem tum ratione principii cognitionis, tum ratione objecti. — Etenim: Ethica nonnisi unum habet cognitionis principium, hocque subobscurum ac debilitatum, lumen nempe rationis. Theologia vero moralis, praeter hoc exile rationis lumen, habet et aliud principium, splendidissimum nempe lumen revelationis divinae, cui insuper accedit, tamquam perfectum complementum, infallibile Ecclesiae magisterium. — Distinguitur etiam ratione objecti: hoc enim in Theologia morali sese extendit ad multo plura quam in Ethica, ad hominis nempe finem supernaturalem, et ad media quibus hic finis obtinetur.

§ 2. De Theologiae moralis praestantia et necessitate.

4. — *Praestantia*. « Practicarum scientiarum, scribit *D. Thomas* (P. I, q. 1, a. 5), illa dignior est, quae ad ulteriorem finem ordinatur. Finis autem hujus doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam, sicut ad ultimum finem, ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum ». Atque hinc manifestum est, sicut Theologia dogmatica dignitate omnes speculativas scientias praecellit, ita Theologiam moralem *omnes scientias practicas dignitate antecellere*.

Necessitas. Neque hoc solum; sed et *necessitate* eas omnes antecellit. Et re quidem vera, quaenam scientia aeque necessaria est ac illa quae docet, quomodo summum malum averti et summum bonum acquiri possit? Hoc autem praestat, ut visum est, Theologia moralis.

Digitized by Google

Quae cum ita sint, liquet sacram hanc scientiam, prae omnibus aliis scientiis, atque adeo prae ipsa Theologia dogmatica a clericis esse addiscendam. « Sane opus est, inquiebat *S. Alphonsus*, Theologia dogmatica, sed magis opus est Theologia morali. Hac enim scientia deficiente, nec boni erunt confessarii, nec habiles parochi »[1]. — Nec vero hanc scientiam semel didicisse satis est. Nam sicut est omnium scientiarum maxime necessaria, ita est omnium *difficillima*. Apposite ad rem S. Doctor (Prax. conf., n. 17): « Dicebat, inquit, S. Franciscus Salesius, officium audiendi confessiones esse omnium maximum et difficillimum. Revera ita est. — Est omnium *maximum:* quia est omnium scientiarum finis, qui nihil aliud esse debet, quam salus aeterna. — Estque omnium *difficillimum:* dum *primo,* confessarii munus requirit omnium scientiarum, omnium officiorum atque artium notitiam; *secundo,* quia scientia Theologiae moralis complectitur tot materias inter se diversas; *tertio,* quia in magna parte constat ex tot legibus positivis et sacris Canonibus, quorum intelligentia debet accipi secundum veram significationem. Praeterea, quaelibet harum legum redditur difficilis, cum, ratione circumstantiarum quae casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandae sint. — Quidam..... dicunt sufficere, ut confessiones rite excipi possint, *principia generalia moralis* callere: illis enim posse resolvi (aiunt) omnes casus particulares. — Quis negare potest, omnes casus particulares esse his principiis resolvendos? Sed totum opus et totus labor est in adaptando ad casus particulares, tantis diversis circumstantiis irretitos, principia hujusmodi, utque discernatur, quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat; neque id fieri potest sine magna discussione rationum, quae pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud, quod moralistae effecerunt, dum elaborarunt in explicando a quibus principiis multi casus particulares resolvi deberent. Praeterea, hac nostra tempestate, ut dictum est, adsunt tot leges positivae, tot Bullae, tot decreta, quae nequeunt sciri, nisi casuistae legantur, qui ea collegerunt, et prout materiarum varietas postulat, ibi opportune illa inveniuntur; ideoque, quo recentiores hi moralistae sunt, eo antiquis utiliores ».

Ex quo infert S. Doctor, nunquam confessario deserendum esse Theologiae moralis studium.

§ 3. De Theologiae moralis methodo.

5. — Per methodum hic intelligitur forma, quam induit Theologiae moralis tractatio, seu modus, quem theologus in re morali tractanda sectatur.

Jam vero *triplex datur methodus:* prima appellatur positiva, secunda speculativa seu scholastica, tertia casuistica.

Dicitur *positiva,* cum morum dogmata ex fontibus Theologiae propriis probantur et confirmantur, rectoque ordine exponuntur. — Dicitur *speculativa,* seu *scholastica,* quando morum dogmata ex Theologia positiva ceu jam probata desumuntur, ut principiis philosophiae illustrentur, intimi eorum nexus internaeque rationes declarentur. — Dicitur denique *casuistica,* quando generalia morum principia ad casus particulares in vita occurrere solitos applicantur, et quaestiones practicae, juxta principia generalia, rite discutiuntur et resolvuntur. Cfr. *Müller,* Theol. mor., Introd., ¾ 7.

[1] Vita S. Alph. in Op. *Surii,* cap. 3, ¾ 9 (ed. Taurin., 1877).

Digitized by Google

Quod cuilibet methodo propria ac specialis insit praecellentia, sufficienter ex praemissis definitionibus innotescit. Ex quo sequitur, Theologiae moralis tractationem eo excellentiorem esse judicandam, quo perfectior atque universalior in ea reperiatur triplicis illius methodi permixtio. Hujusmodi enim permixtae methodi usus efficit, ut « morum dogmata (ceu cl. *Ernestus Müller* l. c. loquitur) rite exponantur, convenienter probentur atque illustrentur, solide contra impugnatores muniantur, et particulariter etiam in usus practicos evolvantur et explanentur ». Atque hinc est, cur hodierni Theologiae moralis scriptores, generaliter hanc triplici genere permixtam methodum sectentur. Hanc eamdem et nos sectari conabimur in totius quidem operis nostri tractatione, sed praesertim in parte prima, quam inscribemus: *de primis Theologiae moralis principiis*. Sic enim solidum totius rei moralis fundamentum ponetur. — In ceteris dein partibus, casuistica potissimum methodo, positiva tamen ac speculativa methodo minime neglecta, nobis utendum esse censemus.

§ 4. De Theologiae moralis historia et fontibus.

6. — Historia. Theologiae moralis historia (teste cl. *Ernesto Müller*, Introd., § 11) convenienter in tres periodos dividi potest. Hujus *prima* periodus procurrit ab initio Ecclesiae usque ad tempus, quo Theologia scholastica florere coepit; *secunda* ab initio introductae scholasticae usque ad tempus Reformationis; *tertia* denique a tempore Reformationis usque ad nostram aetatem.

I. Prima periodus. Doctrina moralis, tametsi in nullum scientificum systema digesta, in omnibus tamen suis punctis, prout necessitas id postulabat, a Patribus Ecclesiae et ab ecclesiasticis auctoribus, priscis jam illis temporibus explanata, imo discussa reperitur; et hoc quidem: — 1° In scriptis *contra Gentiles* christianam Ethicam impugnantes (*S. Justinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus* et *S. Cyprianus*). — 2° In operibus conscriptis *pro ipsis christianis* in quibus admonebantur ad vitae sanctimoniam, imprimis ad fidem fortiter tuendam et confitendam, ad inimicos et persecutores sincere diligendos, ad obedientiam potestati ecclesiasticae et civili exacte exhibendam, etc. Cfr. *Hermas*, in opere: Pastor inscripto; tria opera *Clementis Alexandrini*: Paedagogus, Stromata et de recto divitiarum usu; item plurima opera *Tertulliani*; opuscula *S. Cypriani*: de lapsis, de oratione dominica, de habitu virginum, de opere et eleemosynis, etc.; item nonnulla opera *S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Gregorii Nysseni*; item libri *S. Augustini*: de mendacio, de agone Christi, de moribus Ecclesiae, etc. — 3° *In publicis sermonibus*, in quibus praecepta moralia populo fideli tradebantur. Consulantur *S. Joannes Chrysostomus, S. Basilius, S. Gregorius Magnus*. — 4° Denique in instructionibus specialibus *ad sacerdotes* ut sunt v. gr. instructiones *S. Chrysostomi, S. Ephraem Syri, S. Gregorii Nazianzeni*: de sacerdotio; *S. Ambrosii* libri tres: de officiis; *S. Hieronymi* epistola ad Nepotianum; *S. Gregorii Magni* Moralia in Job et de cura pastorali, etc. — Inter eos, qui inde a saeculo VII usque ad initium Scholasticae de rebus moralibus tractarunt, imprimis nominari merentur *S. Isidorus Hispalensis* (saec. VII), *S. Joannes Damascenus* et *Venerabilis Beda* (saec. VIII), *S. Petrus Damiani* (saec. XI).

Digitized by Google

II. SECUNDA PERIODUS maximi nominis doctoribus praefulget. Horum laus in hoc praecipue ponenda est, quod non solum veritates dogmaticas, sed etiam veritates morales *in scientificum systema* digesserunt, utendo potissimum methodo *scholastica* seu speculativa. — Etenim doctissimi illi viri id assecuti sunt, ut omnes doctrinas morales in S. Scriptura sive in Traditione contentas, omnesque ab Ecclesia vel diserte propositas, vel saltem universaliter in Ecclesia receptas, ope philosophiae illustrarent, solidisque rationibus contra quoslibet impugnatores obfirmarent, et exinde legitimas conclusiones educerent. — In quo grandi labore prae ceteris eminuerunt *Petrus Lombardus* († 1164), *Alexander de Hales* († 1245), *Albertus Magnus* († 1280), *S. Bonaventura* († 1274), appellatus *Doctor Seraphicus;* deinde qui omnibus tanquam princeps praeeminet *D. Thomas Aquinas* († 1274), *Doctor Angelicus*, et postremo *Duns Scotus* († 1308), *Doctor subtilis*.

Sed nec minus methodus casuistica exculta fuit. Ad hanc quippe pertinent et Summa de casibus poenitentialibus, auctore *S. Raymundo de Pennafort*, et Speculum morale, quod adscribitur *Vincentio Bellovacensi*, et Summa theologica et Summa confessionalis, auctore *S. Antonino* Archiepiscopo Florentino, et multa alia opera. — Vide plura in praeclara dissertatione *P. Zachariae*, de casuisticae Theologiae originibus, etc. [1].

III. TERTIA PERIODUS. « Haeresiarchae saeculi XVI, inquit *Ern. Müller*, fundamenta doctrinae moralis labefactare ac disjicere conati sunt; ad quae proinde fortiter tuenda, praesertim ex S. Scriptura et ex Traditione arma desumere necesse erat; quam ob rem ab illo tempore magis positive Theologia moralis, ut et dogmatica, tradebatur, quin tamen speculativa ejusdem tractatio neglecta jaceret; plerique siquidem scholastici hac adhuc aetate florentes (ut Suarez, Vasquez, Lessius, Lugo, Gregorius de Valentia, Becanus) et positive et speculative sacram morum disciplinam exposuere.

» *Casuistica* saeculo XVI et XVII plurimum exculta est. Quo minus namque novatores bona opera ut necessaria ad salutem admittebant, eo plus theologi catholici cum S. Matre Ecclesia eadem urgebant, eoque studiosius regulas bene operandi explanare satagebant. — Permultis hujusmodi theologis silentio praetermissis, jure meritoque magnis laudibus celebrantur sequentes: *Franciscus Toletus* († 1596), encomiis ab ipsis RR. Pontificibus cumulatus, *Reginaldus* († 1623), a S. Alphonso auctoribus classicis adnumeratus, quorum opera S. Franciscus Salesius (Reginaldi etiam S. Carolus Borromaeus) clero suo commendavit; *Emmanuel Sa* († 1596) a S. Pio V magni habitus, *Joannes Azor* († 1603) ingenio et scientia inter theologos maxime commendatus, *Franciscus Suarez* († 1617), quem Benedictus XIV Theologiae luminare appellavit, *Leonardus Lessius* († 1623) a Paulo V, Sixto V et Urbano VIII magni aestimatus, et a S. Francisco Salesio, ob « utilissimum opus » *de Justitia et Jure*, laudibus donatus; *Thomas Sanchez* († 1610), a Clemente VIII maximi habitus et a S. Alphonso *vir piissimus* vocatus; *Laymann* († 1635) doctrina et ingenio insignis, tanquam oraculum ex remotissimis locis consultus; *Martinus Bonacina* († 1631), qui a S. Alphonso inter auctores classicos merito refertur; *Cardinalis De Lugo* († 1660), quem, post S. Thomam, inter theologos morales facile principem esse S. Alphonsus dicit; *Salmanticenses* (theologi collegii Salmanticae in

[1] Exstabat haec dissertatio praemissa Theologiae morali *S. Alphonsi*. In ultimis editionibus, jubente S. Doctore, expuncta fuit. Ipse rationem addit: « Antea prodesse poterant (haec folia), utpote consentanea systemati Jesuitarum quod partim sequebar; nunc vero illud non sequor, atque in *Monito* illud perfeci, adeo ut opiner, illud a nullo homine sanae mentis rejici posse ». Cfr. *Wouters*, de Minusprobab. (ed. 2), p. 68.

Digitized by Google

Hispania), qui pariter a S. Alphonso inter doctores classicos numerantur. — *Compendium Theologiae moralis*, quod ab anno 1650 ad annum 1770, plus quam ducenties repetita editione, ubique divulgatum erat, confecit *Hermannus Busenbaum* († 1668), apiculas, ut ipse ait, imitatus, quae ex optimis floribus utilissima colligunt et in alveari disponunt in ordinem ».

Cum, saeculo XVII, Jansenistae assertiones sanae Christi doctrinae repugnantes effutirent, scientia moralis fata valde tristia experta est. Etenim haeretici illi, magnam pietatem et singularem tuendae scientiae moralis fervorem dolose simulantes, illud consecuti sunt ut in Gallia, Italia, aliisque provinciis, in suas partes adducerent multos viros doctos : inter quos etiam *Petrus Collet* (celeber Honorati Tournely continuator), *Ludovicus Habert* et *Natalis Alexander* fuerunt, qui, licet alios Jansenistarum errores rejecerint, *immoderato tamen eorum rigori* in multis se accommodarunt. Non defuerunt quidem, qui benigniores propugnarent sententias, uti Ludovicus Abelly, Eusebius Amort, Castropalaus, Gobat, Roncaglia, Cardenas, Viva, Lacroix, Sporer, Reiffenstuel, Reuter, Voit, Holzmann, Elbel, Mazzotta, etc., quin tamen intumescentem doctrinae rigorem penitus reprimere valuerint.

Quae cum agerentur, *S. Alphonsus Maria de Ligorio*, non sine providentissimo Dei consilio, Theologiam moralem exarare aggressus est, ut morum doctrinam vere catholicam, medium tenentem inter nimiam severitatem et nimiam benignitatem, accurate et solide propugnaret. — Primo quidem (anno 1748) *Medullam* Hermanni Busenbaum notis casibusque adjectis edidit ; cum vero hoc Opus fini suo non penitus satisfaceret, aliud valde prolixum elucubrare incepit (anno 1753), in quo, singulari perspicacitate, eruditione profundissima, rara disserendi facilitate et claritate, tractat de cunctis rebus moralibus, « quae magis ad praxim deserviunt ». — Qua ratione in hoc Opere concinnando sapientissimus vir versatus sit, ipse his memoratu dignis verbis profatur (Apolog. 1ª) : « Protestor coram Deo, quod Theologiam moralem certo non ideo typis mandavi, ut nomen docti ab hominibus reciperem ; sed finis hujus operis non alius fuit, quam gloria Dei et salus animarum. Ego spatio triginta fere annorum innumeros auctores tam rigidos quam benignos legi, et hoc tempore continuo Deum precatus sum, ut me illuminare dignetur. Tandem systema morale non meae rationi superstruxi, sed doctrinis theologorum, et imprimis principis theologorum S. Thomae Aquinatis ; si igitur erro, cum hoc S. Doctore erro. Textus ex jure canonico depromptos cum summo studio in fontibus perlustravi et adnotavi. Si textum cujusdam Patris spectantem ad materiam, de qua est controversia, citatum inveni, notavi illum cum propriis verbis, et cum omni studio, quod debetur tali auctoritati, sensum investigavi. Insuper etiam in controversiis intricatioribus, ubi dubia ex auctoribus resolvere non potui, diversos viros doctos consului ; multa vero experientia triginta annorum confessionum et missionum didici ». — Quod ad methodum in hoc Opere observatam attinet, S. Alphonsus eumdem sequitur ordinem, quem H. Busenbaum in sua *Medulla Theologiae moralis* tenuit, imo praemittit totum illius auctoris textum, cui deinde ea adjungere solet, quibus ex *Medulla* allegatae sententiae accurate discutiuntur, aut confirmantur, aut repudiantur, aut modificantur, adjectis etiam permultis rebus, quae in *Medulla* desiderantur, et quas ipse fuse pertractat. In singulis dein controversiis solet omnes doctorum sententias cum ipsorum rationibus adducere, suumque de iis judicium, adjectis rationibus, interponere. — Porro hoc Opus, quod, vivente adhuc S. Alphonso, novem editiones in Italia obtinuit, redactum est (anno

Digitized by Google

1757) ab eodem S. Doctore in Compendium, quod primum *Istruzione e pratica*, dein, in latinum versum, *Homo Apostolicus* inscriptum fuit. — His autem adjecit opusculum, cui titulus *Praxis confessarii*, quod jam anno 1755 in italico idiomate editum fuerat (cfr. praef. ed.) et anno 1764 aliud breve Compendium, quod inscripsit *Confessore diretto*. Quod quidem Compendium eo commendabilius est, quod scriptum fuit, postquam B. Doctor jam definitivo modo suum systema morale stabiliverat, et quod sententias, quas in praxi tenet, apertius enuntiat (cfr. *Vind. Alph.*, Diss. prooem.).

Postremo, quod attinet ad auctores, qui hoc saeculo de re morali scripserunt, restat ut dicamus plerosque, pro singulari existimatione qua S. Sedes doctrinam S. Alphonsi prosecuta est, ad hoc praecipue attendisse, ut eum tamquam magistrum ac ducem sequerentur (cfr. *Concess. tit. Doctoris*, Resp. ad animadv., c. 4, n. 196).

7. — **Fontes.** Fontes Theologiae moralis, in sensu strictiore, sunt loci theologici, seu documenta in quibus veritates morales cognitae continentur et e quibus depromuntur.

Citantur communiter octo sequentes: 1. *Sacra Scriptura* tum veteris tum novi testamenti. — 2. *Concilia* tum generalia tum particularia. — 3. *Decreta Summorum Pontificum* sive per Constitutiones (Encyclicas) sive per responsa S. Congregationum edita. — 4. *Opera SS. Patrum*, qui sunt et testes Traditionis et doctores veritatum ad mores pertinentium. — 5. *Opera Theologorum*, praesertim eorum quos magni facit Ecclesia, quae singularem auctoritatem tribuit *S. Thomae* et *S. Alphonso*. — 6. *Jus ecclesiasticum* et *civile*. — 7. *Usus et praxis Ecclesiae*. — 8. *Philosophia moralis* (*Zacharia*, Diss. jam cit.).

Notandum est quod, cum Theologia moralis sit doctrina sacra, alii ex hisce fontibus *constitutivi*, alii *auxiliarii* exstant, nec omnes in omni materia pari auctoritate gaudere nati sunt.

§ 5. De Theologiae moralis partitione.

8. — In omni scientia, ex principiis generalibus et universalibus ad proprium et speciale objectum procedi solet; unde cujuslibet scientiae tractatio duas partes complectitur, alteram generalem, alteram specialem.

Sic Theologia dogmatica generalis complectitur, velut fundamenta, demonstrationem verae Religionis, i. e. Religionis christianae, et demonstrationem verae Ecclesiae Christi, i. e. Ecclesiae Catholicae. Dogmatica vero specialis versatur in exponendis et vindicandis singulis dogmatibus.

Ita pariter Theologia moralis, quae *scientia divinae legis* est, in duas partes vere distinctas dividitur.

In prima parte, quae GENERALIS est seu FUNDAMENTALIS, agitur de primariis scientiae moralis principiis, videlicet de regula morali in genere (sive haec subjective in conscientia, sive objective in se ipsa consideretur), et de actuum humanorum relationibus ad duplicem hanc legem, seu regulam.

Praesupponit tamen haec prior pars claram notionem de FINE, ad quem dirigenda est vita humana, notionem nimirum de Deo, quem nostrum principium ac finem ultimum Theologia dogmatica esse demonstrat (1. 2, q. 1 seqq.).

Digitized by Google

In altera parte, quae SPECIALIS est, et quae circa objectum proprium scientiae moralis versatur, tractatur de variis obligationibus seu legibus in specie, quibus necessario satisfaciendum est, ut aeternae vitae adeptio sperari possit.

Hae obligationes sunt vel omnibus christianis *communes,* vel quibusdam sunt *propriae,* ratione status particularis.

a) *Obligationes communes* exhibet duplex sectio. In prima tractatur de exercitio virtutum, de actibus nempe quibus rectus ordo inter homines ipsos atque inter homines et Deum servatur. Complectitur *praecepta legis naturalis,* quae continentur in Decalogo, sed accuratius determinantur legibus positivis sive divinis, sive humanis tum ecclesiasticis tum civilibus. — In altera sectione agitur de mediis quibus, ex divina institutione, homo gratiam assequi possit, qua vita supernaturalis infunditur, fovetur et perficitur, sc. *de Sacramentis.* Complectitur obligationes omnes quae ad Sacramentorum administrationem et receptionem spectant.

b) *Obligationes quibusdam propriae* explanabuntur in tertia sectione. In hac tractatur *de Praeceptis particularibus,* i. e. de obligationibus, quae, vel ex lege naturali, vel ex Ecclesiae praescripto, certis tantum personis, quibusdam vitae statibus inhaerent, quibus proinde homo se libere subjicit, cum tale vitae genus amplectitur.

Ordo operis. In exponendis legis naturalis praeceptis seu obligationibus, non omnes eumdem ordinem servant. Alii, praeeunte Doctore Angelico, sequuntur ordinem virtutum, secundum connexionem quam inter se habent, hique scholasticam imprimis methodum sectantur. Alii, inter quos S. Alphonsus, ordinant praefatas obligationes juxta dignitatem, qua aliae aliis praestant, ut in ipso Decalogo factum est. — Nos posteriorem hunc ordinem tenebimus, tum ut nostri Patris ac Magistri Alphonsi vestigiis inhaereamus, tum ut eorum, qui nostrum opus lecturi sunt, utilitati magis consulamus, cum in excipiendis confessionibus hunc ordinem servari praestet. Attamen, ne ab altero ordine, qui magis scientificus est, omnino recedere videamur, lubet priori operis parti brevem *de Virtutibus* tractatum adnectere.

Ultimum locum assignamus illi sectioni, quae tractat *de Praeceptis particularibus.*

Universam igitur Theologiam moralem distribuemus in quatuor principales partes, quae de ampla materia in sequenti ordine tractabunt:

PARS I. — DE PRIMIS PRINCIPIIS THEOLOGIAE MORALIS.
» II. — DE PRAECEPTIS DECALOGI ET ECCLESIAE.
» III. — DE SACRAMENTIS ECCLESIAE.
» IV. — DE PRAECEPTIS PARTICULARIBUS.

Digitized by Google

PARS PRIMA

DE PRIMIS PRINCIPIIS THEOLOGIAE MORALIS

PROLOGUS

9. — I. De fine ultimo hominis. Ad Theologiam dogmaticam pertinet de fine ultimo hominis quaestionem instituere; et revera apud AA. in hac scientia versatos, splendida simul ac profunda invenire est hujus rei argumenta. Sequentia pro memoria notare volumus.

1° *Finis Dei Creatoris est sua gloria intrinseca, i. e. sua perfectio.* Universa enim propter semetipsum operatus est Dominus (*Prov.*, 16, 4). Aliis verbis, universa creavit Deus, non ut ex hoc assequeretur utilitatem, sed manifestaret suam perfectionem, suam bonitatem, per bona creaturis communicata. Ita *Vaticanum* (Sess. 3, c. 1).

2° *Finis ultimus hominis primario est gloria Dei extrinseca; secundario, vero perfecta in Deo beatitudo.* Ratio patet: ille enim primarius debet esse finis ultimus hominis, quem Deus, eum et caetera omnia creando, ipse intendit. Atqui, ob suam gloriam extrinsecam (i. e. ut cognoscatur, laudetur, ametur), Deus omnia operatus est, ut saepe testatur S. Scriptura. — In procuranda autem hac gloria extrinseca, invenit homo *perfectam beatitudinem.* Inania enim sunt hominis tentamina, quando beatitudinem quaerit apud res creatas, quae non sunt per se appetilibes, nec stabiles, nec omnibus patent. Veram beatitudinem consequitur homo, quando inprimis perficiuntur eae facultates quae ipsi sunt propriae, intellectus nempe et voluntas. Cum autem intellectus et voluntas sint capaces veri et boni universalis, sequitur quod homo tantummodo in cognitione et amore Dei perfectam beatitudinem assequetur. Ita omnes Theologi. Cfr. *Palmieri, Mazzella, Satolli, Van Noort, Herrmann,* in Tract. de Deo Creatore, art. finis creationis. Hic est finis ultimus hominis. Nobile munus Theologiae moralis est indicare et media apta ad finem, et pericula et insidias, quibus homo circumdatur, quaeque eum a consequendo fine avertere conantur.

II. Media ad finem; ordo dicendorum. Media ad finem sunt actus humani, quibus exercentur, vel praeparantur cognitio et amor Dei, in quibus consistit beatitudo. De his in contextu operis.

Digitized by Google

Prima principia Theologiae moralis spectant *ad moralitatem horum actuum humanorum in genere*. Quae moralitas, cum sit habitudo actus humani ad suam regulam, expedit, ut in parte hac generali uterque relationis terminus seorsim perpendantur: *regula* scilicet, et *res regulata*.

Et primum, quod spectat ad REGULAM, ipsa necessario duplex est, proxima nempe et remota. — Regula *proxima* est lex Dei *subjective* sumpta, i. e. conscientia, quae immediate et universaliter cujuslibet hominis actus dirigit. — Regula autem *remota* est lex divina *objective*, seu in se ipsa, considerata; atque haec est, quae ipsam conscientiam dirigere debet. Conscientia enim, ut actuum humanorum recta sit ac perfecta regula, debet et ipsa dirigi ad normam variarum legum, quas Deus, sive directe sive indirecte voluntati humanae praescribit.

Ad REM dein REGULATAM quod attinet, i. e. ad *actus humanos*, hos sub duplici aspectu considerabimus: 1° quatenus sunt humani, i. e. quatenus ab hominis voluntate deliberate procedunt, et sunt ei imputabiles; 2° quatenus sunt boni aut mali, i. e. regulae conformes vel ab ea discrepantes.

10. — Primum locum cum S. Alphonso et plerisque antiquis theologis assignabimus tractatui *de Conscientia*, quae est agendi norma subjectiva; sequetur tractatus *de Legibus* seu de norma objectiva, quae ipsam conscientiam informare debet. Tertio loco dicemus de materia regulanda seu *de Actibus humanis*, cui tractatui subjiciemus tractatum *de Peccatis*; quia alter cum altero intime connectitur, priorque veluti introductio est ad posteriorem.

Ultimum demum locum quasi appendici assignabimus tractatui *de Virtutibus in genere*, qui quidem tractatus utilis, imo quodammodo necessarius est, ut materia actuum humanorum et legum Decalogi penitius cognoscatur.

Sane logicus ordo illud sibi postulare videtur, ut tractatus *de Virtutibus* tractatui *de Vitiis et Peccatis* praemittatur, cum logice bonum sit malo anterius; sed cum theologo morali illa praecipue consideranda sint, quae ultimo fini adversantur, scilicet peccata, sufficiens est ratio, cur praedictus ordo invertatur. Praeterea conveniens est, ut duo tractatus *de Actibus humanis* et *de Peccatis* non disjungantur, utque genericae notiones de virtutibus immediate praecedant tractationem *de Decalogo*, qui totus in virtutibus et virtutum officiis a lege Dei praescriptis versatur.

Tractatus itaque generales hoc ordine sequentur:

TRACTATUS I. — *De Conscientia.*
» II. — *De Legibus.*
» III. — *De Actibus humanis.*
» IV. — *De Peccatis.*
» V. — *De Virtutibus in genere.*

Digitized by Google

TRACTATUS I.

De conscientia

PROOEMIUM.

De conscientia in genere.

S. Thomas, Eth., VI, l. 2; 3. D. 33, q. 1; 1. 2, q. 19, a. 5; q. 57, a. 5; *S. Alphonsus*, Theol. mor., I; H. Ap., I; *Joannes a S. Thoma* (ed. Vives), VI, q. 31, disp. 22; *Sylv.-Maurus*, in Eth., VI; *Suarez*, in 1. 2, tr. 3, disp. 12, sect. 1, 2, 4; opera moralia recentiorum: *Lehmkuhl, Aertnys, Noldin, Tanquerey, Göpfert*, etc.; *Beaudouin-Gardeil*, de Conse.; *Bouquillon*, Theol. mor. fund. (ed. 3).

11. — DEFINITIO. Conscientia est judicium seu dictamen practicum rationis, quo judicamus, quid hic et nunc agendum sit ut bonum, aut vitandum ut malum (I, 2).

Dicitur: *Judicium practicum*, quod nempe operantem in agendo dirigit; *quo judicamus*, id est quo absque ulla mentis fluctuatione affirmamus; *quid hic et nunc*, i. e. in individuo, et consideratis omnibus circumstantiis; *agendum sit*, i. e. agi debeat aut possit; *ut bonum, aut vitandum ut malum*, quibus verbis exprimitur respectus formalis, sub quo agens exercet suum de ponendis actibus judicium. Non enim judicat de utilitate aut facilitate actionis vel omissionis, sed de illius relatione ad legem moralem, nimirum an sit *juxta, contra*, vel *praeter* illam (1. 2, q. 19, a. 5).

12. — DIVISIO. 1° Conscientia, ratione actuum ad quos refertur, est vel antecedens vel consequens. — Conscientia *antecedens* ea est, quae praecedit actus humanos, ut eos ad normam recti componat. — Conscientia *consequens* est judicium de actibus praeteritis; approbat vel improbat, laudat vel remorsu condemnat; non est proprie dicta conscientia.

A fortiori, non est proprie dicta conscientia ille *habitus*, quo qui donatur, conscientiae dictamini prompte obtemperat, et homo *conscientiosus* nominatur.

Conscientia antecedens obtinet, pro vario suo munere, varia nomina. Cum judicat quid vitandum sit ut malum, dicitur conscientia *prohibens;* cum judicat quid agendum sit ut bonum de praecepto, dicitur conscientia *praecipiens;* cum tandem judicat aliquid liberae electioni relictum, dicitur conscientia *permittens;* quae et *consulens* nominatur, cum declarat rem esse meliorem et de consilio.

2° Ratione objecti, est *vera* vel *erronea;* ratione subjecti, est *certa* vel *dubia*. Haec mox fusius explanabuntur. — Conscientia sive vera sive certa, est *prohibens*, vel *praecipiens*, vel *permittens* seu *consulens*, ut supra dictum est.

Digitized by Google

13. — Quo melius conscientiae natura innotescat, sequentia notare lubet.

I. *Conscientia est actus intellectus practici.*

1° Est *actus,* non autem potentia vel habitus; dicitur enim conscientia quasi *cum alio scientia,* eo quod sit applicatio scientiae vel notitiae ad actionem particularem: applicatio autem scientiae ad aliquid fit per aliquem actum. Insuper, conscientia potest deponi et facile mutatur, quod de potentia dici nequit (*S. Thom.,* P. I, q. 79, a. 13).

2° Est actus *intellectus,* non autem voluntatis; praeit enim voluntati, ipsique significat quid in casu particulari bonum aut malum sit, quod evidenter ad facultatem cognoscitivam pertinet.

3° Est actus intellectus *practici.* Pro duplici enim respectu, sub quo consideratur intellectus, aut speculativus dicitur, aut practicus. Intellectus speculativus sive theoreticus est, qui conquiescit in objecti sui contemplatione, sive de *facto* (i. e. de rei existentia, natura, proprietatibus, vel effectibus), sive de *jure* (i. e. de lege, ejusve dispositione, extensione, vel interpretatione) agatur. Intellectus practicus est, qui cognitionem ad opus extendit sive applicat (ib., a. 11). Cfr. *Cajet.,* 1. 2, q. 57, a. 5; *Beaudouin,* op. cit.; *Joann. a S. Th.,* Logica, P. II, q. 1, a. IV.

Ex his intelligitur, quodnam sit in *operabilibus* judicium speculativum et practicum. Judicium *speculativum,* cum de operationibus agitur, est illud, quo intellectus rem sibi objectam, in se, objective bonam aut malam esse enuntiat, v. gr. bellum istud est justum, vel injustum. *Practicum* est illud, quo intellectus eamdem rem, consideratis praesentibus circumstantiis, hic et nunc, subjective reapse eligi aut rejici posse vel debere decernit, v. gr. licet mihi in hoc bello pugnare.

II. *Quamvis synderesis, scientia moralis et prudentia ad formandam conscientiam concurrant, conscientia tamen ab iis differt.*

Differt a *synderesi.* Synderesis non est actus sed habitus naturaliter inditus, quo prima agendorum principia cognoscimus, v. gr. bonum est faciendum, malum fugiendum; Deus est colendus; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris (*S. Thom.,* l. c., a. 12).

Differt a *scientia morali.* Haec etiam est habitus intellectus speculativi sed acquisitus, et versatur circa conclusiones generales deductas ex primis principiis in hunc vel similem modum: synderesis profert primum principium: malum est fugiendum; scientia subsumit: furtum est malum, et concludit: ergo furari non licet. — Scientia igitur moralis versatur circa moralitatem objectivam et materialem actus: conscientia autem circa ejusdem moralitatem subjectivam et formalem.

Differt etiam a *prudentia.* Prudentia est habitus intellectus practici, et habet ampliorem quam conscientia ambitum. Prudentia enim, praeter eas partes, quas in formando conscientiae dictamine obtinet, praesertim in ponderandis peculiaribus facti circumstantiis, inquirit etiam media ad finem assequendum idonea. Sic, v. gr., quando Superior reum aliquem corrigere debet, conscientia quidem declarat corrigendi obligationem; prudentia vero suggerit, quomodo procedendum sit, ut finis, scilicet emendatio, obtineatur (*Billuart,* de act. hum. Diss., 5, a. 1).

III. *Conscientia est judicium concludens ex duabus praemissis,* sive implicite, sive explicite fiat syllogismus. *Majorem,* quae legis dispositionem enuntiat, praebet synderesis vel scientia; *minorem* suppeditat factum particulare, ad quod legis applicatio fieri debet; prudentia invigilat ne alterutrum

Digitized by Google

temere asseratur; *conclusio* est judicium practicum quod *conscientia* dicitur. V. gr.: Superiori legitime imperanti obediendum est. — Atqui hic Superior legitime imperat. — Ergo ipsi obediendum est (*S. Thom.*, de Verit., q. 17, a. 2).

14. — *Ordo dicendorum.* Conscientia, ut supra innuimus, debet, ex parte objecti, conformis esse veritati; ex parte vero subjecti, niti certitudine morali. — Unde tractandum est: 1° de conscientia *vera*, deque ei opposita conscientia *erronea*; 2° de conscientia *certa*, deque ei opposita conscientia *dubia*. Cum autem peculiaris momenti sit quaestio de solvendis dubiis ex occursu opinionum probabilium provenientibus, de ea speciatim erit agendum. Hinc: 3° de conscientia *probabili*.

CAPUT I.

De conscientia vera et erronea.

15. — DEFINITIO. Conscientia vera est ea, quae dictat rei veritatem. Ipsa ex veris principiis recte concludit, aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera tale est. — Conscientia erronea est ea, quae falsum tanquam verum dictat, sive falsum sibi principium assumat, sive falsas deducat ex vero principio conclusiones (I, 3).

Conscientia *vera*, stricte loquendo, non eadem est ac conscientia *recta*, etsi nonnunquam promiscue usurpatur; nam verum dicitur juxta quod est, rectum autem juxta quod apprehenditur. Nempe VERUM est illud, quod revera in se tale est; RECTUM est illud, quod fit juxta prudentiae regulas, aliis verbis, quod vere et realiter est conforme *appetui recto*, ut dicit *D. Thomas* (Eth., VI, l. 2). Unde conscientia recta praedicari, licet per accidens, potest etiam de eo, qui laborat conscientia invincibiliter erronea, ut infra dicetur. Cfr. *Beaudouin*, q. 1, § 1.

16. — DIVISIO. Conscientia erronea est, vel invincibiliter, vel vincibiliter erronea.

1° Conscientia *invincibiliter* erronea est ea, cujus error *moraliter vinci* seu deponi nequit; quia, *a*) vel erroris cogitatio aut dubium nullo modo, ne in confuso quidem, venit in mentem operantis, dum actionem ejusve causam ponit; vel quia, *b*) licet erroris dubitatio in mentem venerit, adhibita tamen ad veritatem assequendam morali diligentia, error depelli non potest.

2° Conscientia *vincibiliter* erronea dicitur ea, cujus errorem homo *ex incuria* non deponit. Ille igitur cum conscientia vincibiliter erronea operatur, qui *a*) vel errorem jam aliquo modo advertit, vel *b*) saltem

Digitized by Google

dubitat de errore, *advertitque simul* ad obligationem illum vincendi, nec tamen veritatem inquirit.

Diligentia autem in inquirenda veritate non requiritur maxima; sufficit *ordinaria* et *communis*, qualem nimirum, in pari circumstantia, prudentes ejusdem conditionis adhibere solent.

Nota. Quae postea in variis tractatibus, *de Legibus, de Peccatis, de Censuris*, etc. dicenda venient de ignorantia, praesentem materiam perfectius explanabunt. Vide n. 22.

17. — Principia. I. Conscientiae verae, sive praecipienti, sive prohibenti, semper obsequi tenemur. Constat ex verbis Apostoli (*Rom.*, 14, 23): *Omne autem, quod non est ex fide* (i. e. ex dictamine conscientiae), *peccatum est.* Et Innocentii III (c. *Litteras*, de restit. spol.): « Quidquid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam ». Ratio est, quia conscientia vera est recta legis applicatio, et manifestatio divinae voluntatis, cui resistere semper nefas est.

Hoc conscientiae munus perbelle exprimit *S. Bonaventura*, inquiens: « Conscientia est sicut praeco Dei et nuntius; et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo, sicut praeco cum divulgat edictum regis » (L. 2 Sentent., dist. 39, a. 1, q. 3).

18. — II. Conscientiae verae, permittenti aut consulenti, obtemperare possumus, sed non tenemur. Etenim 1° *permittentis* conscientiae est vere et absolute dictare aliquam actionem, nec praecipi nec prohiberi, ergo; 2° *consulentis* vero conscientiae est declarare aliquid melius esse, et de consilio. Ea autem est consilii natura, ut mercedis quidem meritum inducat in exsequentem, nullum vero reatum culpae et poenae in omittentem. — Unde istud effatum: « Qui consilium praeterit, non peccat, dummodo absit contemptus » (*S. Thom.*, de Verit., q. 17, a. 3 et 4).

19. — Advertendum tamen est id, quod lex *in genere* solum consulit aut permittit, posse *in particulari* a conscientia praecipi vel prohiberi, quando nempe adsunt peculiares circumstantiae, quae in casu speciali et pro determinata persona, voluntatem Dei obligantem clare manifestant; ut patebit ex dicendis de vocatione ad statum clericalem vel religiosum (cfr. n. 1916, q. 3 et n. 2141).

20. — *Praecipua media*, quibus verae ac rectae conscientiae thesaurus acquiritur, haec sunt: 1° *Scientia legis Domini*, in qua quisque continuo studio progredi potest, bonos libros legendo, doctores Ecclesiae consulendo, et praesertim ipsam Ecclesiam, quae suprema est conscientiarum magistra, interrogando atque humiliter auscultando. — 2° *Vitiorum mortificatio.* Haec mortificatio absolute necessaria est, eo quod practicum rationis judicium, ob malam voluntatis inclinationem, saepe a veritate deflectit. — 3° *Oratio*, seu assidua cum Divino Doctore conversatio, qui intus loquitur sine strepitu verborum, docilemque sibi mentem in puncto sic elevat, ut plures aeternae veritatis capiat rationes, quam si decem annis studuisset in scholis (Imit. Chr., l. 3, c. 43).

Digitized by Google

21. — III. Conscientiam invincibiliter erroneam permittentem sequi fas est; praecipientem vel prohibentem sequi oportet. Ratio utriusque est, quia « actus humanus judicatur virtuosus vel vitiosus secundum bonum apprehensum, in quod per se voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus » (*S. Thom.*, quodl. 3, a. 27; *S. Alph.*, I, 5).

Primum etiam constat: 1° Ex verbis Domini (*Joann.*, 15, 22): *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* — 2° Ex dicto *S. Augustini* (de Lib. arb., l. 3, c. 19, n. 53): « Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras ». — 3° Ex propositione 2ª damnata ab Alexandro VIII: « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec operantem ex ipsa non excusat a peccato formali ». Ita Bajus et Jansenius (cfr. *Viva*, in h. prop.).

Secundum probatur: 1° Ex doctrina Apostoli (*Rom.*, 14, 22) dicentis manducantem carnes, quas, utpote idolis sacrificatas, manducare nefas ducit, revera peccare, eo quod contra fidem, i. e. conscientiam agat. — 2° Ex ratione: Voluntas fertur in objectum non secundum quod est in se, sed secundum quod a ratione proponitur. Unde ait *D. Thomas* (1. 2, q. 19, a. 5): « Quando ratio errans proponit aliquid ut praeceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis et Dei praeceptum » [1]. Unde qui contra conscientiam invincibiliter erroneam agit (si obligat), peccatum ejusdem speciei committit, ac si contra conscientiam veram ageret.

Notare juvat, operantem cum conscientia invincibiliter erronea, non solum non peccare, sed et *probabilius sibi acquirere meritum*. « Ratio, quia ad dicendum aliquem actum bonum, saltem inadaequatum, sufficit, ut ille dirigatur per rationis et prudentiae dictamen. Cum ergo operans prudenter agit, procul dubio mereri debet propter bonum finem, quo ductus operatur, nempe finem gloriae Dei aut caritatis erga proximum, etc.; sicut contra demeretur, qui bonum opus facit, sed apprehensum ut malum, propter malum finem, quo opus illud exsequitur » (I, 6). Ita communissime DD. cum *S. Bernardo*, « qui docet subditum praelato obedientem ex recta intentione meritorie agere, quamvis materialiter erret contra legem » (de Praec. et disp., c. 14, n. 21). Cfr. 1, 7 et 173, 174.

22. — IV. Conscientiam vincibiliter erroneam nemo potest sequi permittentem, nec contemnere praecipientem vel prohibentem, sed illam quisque deponere tenetur. Etenim 1° Operando *juxta* istiusmodi conscientiam *permittentem*, homo peccat, quia operatur quod reipsa in se malum est; nec eum a culpa excusat ignorantia, quae utpote vincibilis, actum suum facit in causa voluntarium (cfr. n. 288). Sic judex qui jam advertit se causam in foro agitatam non

[1] Quid autem, si quis scit actionem esse in genere malam, sed non attendit ad speciem malitiae? Vide n. 337. — Quid denique, si dubitat de gravitate actus? Cfr. infra, n. 36.

Digitized by Google

sufficienter cognoscere, in neutram partem suffragium ferre potest; sed tenetur perfectiorem sibi rei notitiam comparare, ut ita justam sententiam ferre possit; secus errandi periculo se temere committeret, ac proin peccato se conquinaret. — 2° Operando *contra* istiusmodi conscientiam *obligantem*, similiter peccat, quia eligit, quod malum esse judicat. Sic, qui sibi mentiendum aut furandum esse erronee judicat, ut proximo succurrat, et simul ad obligationem veritatem ulterius inquirendi advertit, non potest talem conscientiam sequi, nec contra eam agere (I, 4).

Ut tamen contra conscientiam erroneam agendo quis peccet, debet actio ipsius esse libera. Hinc non peccat ignarus, etiamsi peccare se credat, dum impotens omittit audire Sacrum in die festo; dum involuntarias patitur distractiones in oratione, vel nocturnas pollutiones in somno.

Nota. Confessarius, ut facilius judicare possit, an poenitentis conscientia fuerit vincibiliter aut invincibiliter erronea, ab ipso quaerat: *a*) num vere dubitaverit de actus liceitate, *b*) num attenderit ad obligationem rem ulterius perscrutandi? — Si respondeat: *affirmative*, habemus laborantem conscientia vincibiliter erronea. Responsa tamen scrupulosi secundum mox dicenda perpendi debent. Cfr. n. 319, 337.

Scholium.

De conscientia laxa, scrupulosa et perplexa.

23. — Ad conscientiam vincibiliter erroneam reduci possunt: 1° conscientia *laxa*, quae obligationes nimium solvit; 2° conscientia *scrupulosa*, quae eas nimium adauget; 3° conscientia *perplexa*, quae in utroque contradictionis termino peccatum apprehendit.

De singulis nonnisi breviter hic agemus, quia regulae practicae infra in tractatu *de Poenitentia* fuse exponentur.

1. *De conscientia laxa.*

24. — Notio. Conscientia *laxa* ea est, quae ex levibus ac spernendis rationibus non malum esse judicat, quod revera malum est, aut grave malum leve esse censet, cum tamen utrumque facile deprehendi possit (H. Ap., tr. ult. 31). Quantum periculum ex istiusmodi conscientia immineat, ipse Salvator declarat, exclamans: *Lata via est, quae ducit ad perditionem* (*Matth.*, 7, 23).

Conscientia laxa tripliciter distingui potest:

1° Conscientia *laxa simpliciter*, quae tendit ad libertatem plus aequo extendendam, v. gr. si opinioni tenuiter probabili aut improbabili innitatur.

2° Conscientia *cauteriata*, cum, ex diuturno peccandi habitu, peccata gravia aut etiam gravissima nihil pendit, *dicens malum bonum, et bonum malum* (*Isai.*, 5, 20), *et bibens quasi aquam iniquitatem* (*Job*, 15, 16).

3° *Pharisaica*, quando magna parva et vicissim parva magni facit; cujusmodi erant Pharisaei *excolantes culicem, camelum autem glutientes* (*Matth.*, 23, 24).

Digitized by Google

25. — PRINCIPIA, *ad conscientiam laxam accommodanda,* haec sunt:

I. Graviter ille peccat, qui *scienter* laxae conscientiae obsequens legem aliquam *in re gravi* transgreditur [1]. Ratio est, quia posset hujusmodi ignorantiam, utpote voluntariam, facile superare, et proinde nequit sub ignorantiae praetextu, a peccato lethali excusari.

II. Imo graviter *in re levi* peccare potest, si sua illum temeritas, quovis dictamine praetermisso et contempto, ad agendum impellat.

III. Qui conscientia laxa laborat, longe strictius quam ceteri, conatum adhibere debet ad eam deponendam, si dubium de honestate actionis exoritur.

26. — *Causae* conscientiae laxae sunt: 1° vita mollis quae enervat; 2° neglectus orationis, qui nos omnino dejicit; 3° nimia temporalium sollicitudo, quae nos terrenos facit; 4° peccandi consuetudo, quae tollit peccati horrorem; 5° familiaritas cum hominibus vitiosis, quibus assuescimus; 6° luxuria, quae impedit quominus christianus ad spiritualia inclinetur et tendat.

Effectus sunt: 1° caeca animi tranquillitas post peccatum; 2° insensibilitas ad pia monita; 3° irrisio piarum exercitationum; 4° *impoenitens cor thesaurizans sibi iram in die irae* (*Rom.*, 2, 5).

Remedia talis conscientiae sunt: 1° secessus spiritualis per aliquot dies; 2° frequens et humilis oratio cum novissimorum meditatione; 3° quotidiana conscientiae discussio; 4° frequens piorum librorum lectio; 5° diligens confessio; 6° fuga improborum et conversatio cum bonis (*Haine*, Elem. Theol. mor., n. 44).

2. *De conscientia scrupulosa.*

27. — NOTIO. Conscientia *scrupulosa* seu scrupulis agitata ea est, quae ex levi motivo dubitat de alicujus actionis honestate, ideoque saepe formidat esse peccatum, ubi nullum est (H. Ap., I, 8).

Scrupulus dicitur a *scrupo,* qui est lapillus asper subintrans calceum incedentis, unde pes laeditur gressusque impeditur. Scrupulus igitur vana est apprehensio, sive spectrum inane peccati, quo oculi mentis feriuntur, ut infantes lemuribus terrentur. — Est autem maligni spiritus, majorem, quam par est, peccandi anxietatem injicere, ut anima in desperationis barathrum proruens, nullum amplius peccatum vere timeat.

Ad scrupulum tria concurrunt: 1° futilis ratio, cujus solutio non apparet; 2° vana peccandi formido inde exorta; 3° inquietudo animi (*Billuart,* de act. hum. Diss., 5, a. 5).

Inferes: 1° Conscientia scrupulosa, qua talis, *non est conscientia,* sed solum conscientiae umbra et similitudo; non enim est rationis dictamen, sed phantasiae. Si quis tamen firmiter judicaret adesse peccatum ubi non est, haberet conscientiam scrupulis formatam ideoque erroneam, sed proprie dictam. —

[1] Nota: *scienter;* a peccato enim immunis erit, qui nescit se esse laxae conscientiae. Imo, qui sui status ordinarie est conscius, actualiter tamen, ne in confuso quidem, ad obligationem accuratius investigandi advertit, quandoque a peccato gravi liber esse potest, ratione nempe praecipitantiae involuntariae in agendo. Vide quae (n. 319) de voluntario virtuali dicentur (*Lehmk.*, I, 138).

Digitized by Google

2° Differt omnino a conscientia *tenera* ac *timorata*, quae sollicite quidem, sed sapienter, juxta prudentiae christianae regulas, omne, etiam levissimum, peccatum devitat.

28. — Cum praesens materia alibi (n. 1835 seqq.) in ordine ad praxim tractanda sit, duo hic notare sufficit:

I. *Contra scrupulos operari semper est licitum, et saepe obligatorium.* — 1° *Licitum*, quia scrupulus non est rationis dictamen, sed inanis timor utpote prudenti et rationabili fundamento carens. Is igitur timor non impedit quin agens sibi conscientiam practice certam efformet ex principiis extrinsecis, maxime ex confessarii auctoritate. Proinde, agere contra scrupulum non est agere contra conscientiam. — 2° *Obligatorium*, quia nimia anxietas spirituali profectui multum nocet, et corpori simul ac animae grave detrimentum infert (I, 19).

II. *Praecipuum ac fere unicum contra scrupulos remedium est, superioris vel confessarii judicio acquiescere.* — Ita communissime DD., et ratio patet. Cum enim scrupulosi, dum scrupulis agitantur, verum sibi conscientiae dictamen formare non possint, nihil aliud superest, nisi ut aliorum consilio se moderandos tradant, et rationibus potius extrinsecis quam intrinsecis utantur (I, 12).

3. *De conscientia perplexa.*

29. — Notio. Conscientia *perplexa* ea est, qua quis inter duo praecepta constitutus peccare se credit, quamlibet partem eligat. — Hac conscientia laborat, qui, v. gr., assistens aegrotanti, aeque se peccaturum putat, sive, die festo, Sacrum omittat, sive ab infirmo discedat.

Regulae a perplexis servandae (I, 10; H. Ap., I, 7):

I. Si perplexus, sine gravi damno, actionem differre possit, *tenetur* differre, donec sapientes (v. gr. confessarium) consuluerit; quia unusquisque illud, quo Deum offendi putat, vitare debet.

II. Si (quod plerumque accidit) actionem differre nequeat, illud eligere tenetur, *quod sibi videtur minus malum*, vitando potius transgressionem juris naturalis, quam humani aut positivi divini; debet enim lex inferioris ordinis legi ordinis superioris cedere.

III. Si minus malum discernere non possit, *quamcumque eligat partem*, non peccat; quia deest in eo libertas ad peccatum formale necessaria, et quia ipse in ignorantia invincibili versatur (cfr. n. 216).

Digitized by Google

CAPUT II.

De conscientia certa et dubia.

S. Thomas, de Verit., q. XIV; 2. 2, q. 1, a. 4; q. 2, a. 1; q. 70, a. 2; *S. Alphonsus*, I, 20-39; ed. G., I, p. 11 seqq.; *Mazzotta*, tr. I, disp. 1, q. 3, c. 1-5; *Bardi*, Discept. de consc., discept. 1, c. 9; disc. V et VI; *Reuter*, P. I, tr. 2, c. 2, n. 75; *Panzuti*, Theol. mor., I, tr. 1, 3 et 4; *Vind. Alph.* (ed. 2), n. 125; *Lehmkuhl*, I. n. 119.

Dicemus: 1° de conscientiae certae ad recte agendum necessitate; 2° de modo quo conscientia dubia deponitur.

ARTICULUS I.

De conscientiae certae necessitate.

Claritatis causa juvat praemittere doctrinam D. Thomae de triplici statu, in quo, respectu veritatis propositae, mens nostra versari potest, *de statu nempe certitudinis, dubii et opinionis.*

30. — « Intellectus noster, inquit Doctor Angelicus, respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem aequalitatem eorum quae movent ad utramque partem: et ista est *dubitantis* dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. — Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum, sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum ad unam partium totaliter; unde accipit quidem partem unam, tamen semper dubitat de opposita: et haec est dispositio *opinantis*, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius. — Quandoque vero intellectus determinatur ad hoc quod totaliter adhaereat uni parti:... et haec est dispositio *intelligentis* principia... *scientis*... et *credentis* » (de Verit., q. 14, a. 1).

Alibi (3. D. 23, q. 2, a. 2, sol. 1) haec habet: « Quando ratio quae movet ad alteram partem, neque sufficit ad intellectum terminandum, quia non resolvit conclusiones in principia per se nota, neque sufficit ad voluntatem terminandum, ut bonum ei videatur illi parti adhaerere, tunc homo *opinatur* illud cui adhaeret et non terminatur intellectus ad unum, quia semper remanet motus ad contrarium: accipit enim unam partem cum formidine alterius; et ideo opinans non assentit. — Quando homo vero non habet rationem ad alteram partem magis quam ad alteram, vel quia ad neutram habet, quod *nescientis* est, vel quia ad utramque habet, sed aequalem, quod *dubitantis* est: tunc nullo modo assentit, cum nullo modo determinetur ejus judicium, sed aequaliter se habet ad diversas ». — Quo sensu opinans non assentiat, ibidem statim post explicat: « Opinans habet cogitationem sine assensu *perfecto*, sed habet *aliquid assensus*, in quantum adhaeret uni magis quam alii ». — Item in *Summa Theol.* (2. 2, q. 2, a. 1): « Actuum ad intellectum pertinentium quidam habent firmam assensionem absque tali cogitatione;... quidam vero actus intellectus habent quidem cogitationem informem absque firma assen-

Digitized by Google

sione, sive in neutram partem declinent, sicut accidit *dubitanti,* sive in unam partem magis declinent, sed tenentur aliquo levi signo, sicut accidit *suspicanti,* sive uni parti adhaereant, tamen cum formidine alterius, quod accidit *opinanti* ».

Hisce praenotatis, sine negotio statuuntur diversae notiones de statu certitudinis, dubii et opinionis.

31. — De statu certitudinis.

NOTIO. CERTITUDO definiri potest: firma mentis adhaesio alicui propositioni, sine formidine errandi, vel etiam cum *S. Thoma:* « Determinatio intellectus ad unum » (3. D. 23, q. 2, a. 2, sol. 3); et aliis verbis: « Firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae ad suum cognoscibile » (ib., D. 26, q. 2, a. 47).

DIVISIO. 1° Ratione acquisitionis, certitudo dividitur in certitudinem directam vel indirectam.

Certitudo *directa* ea est, quae oritur ex principiis propriis et *intrinsecis,* rem ipsam afficientibus. Sic directe et perfecte certum est filios debere parentibus amorem; nam hujus rei certitudo petitur ex ipsa relatione causae, quam parentes habent ad filios.

Certitudo *indirecta* seu *reflexa* est ea, quae ex principiis *rei extrinsecis* obtinetur. Sic, v. gr., filius invincibiliter dubitans an res a patre praecepta sit in se licita, necne, ad dictamen certum respectu liceitatem devenire potest, si recurrit (seu reflectit) ad generale principium: *In dubio, standum pro superiore.* Vide n. 38, ubi plura.

2° Ratione firmitatis assensus, dividitur in absolutam et in moralem [1].

Certitudo *absoluta* est mentis assensus ob motivum infallibile. Ob hujusmodi motivum tanta inest menti firmitas, ut non solum omnem errandi formidinem excludat, sed etiam deliberate formidandi potentiam. Hanc certitudinem ingerunt sequentes ipsisque similes propositiones: totum est majus sua parte; corpora sunt gravia; exstitit olim Imperium Romanum.

Certitudo *moralis* (qualis hic intelligitur) est mentis assensus ob auctoritatem rationesve graves; ita ut non subsit ratio fundata dubitandi aut formidandi de veritate objecti. Talis certitudo exsurgit, v. gr., ex duorum, qui fide digni sunt, virorum testimonio. Non tollit quidem dubitandi possibilitatem, sed *actu excludit prudentem erroris formidinem.*

Certitudo moralis lata. Ab hac certitudine moralis *perfecta,* seu *proprie et stricte* dicta, plane differt certitudo moralis *imperfecta* seu

[1] Datur certitudo ordinis supernaturalis et certitudo ordinis naturalis. Haec a philosophis dividitur in *metaphysicam, physicam* et *moralem,* prout assensus mentis in rerum essentia, vel in constantia legum naturae, vel in legibus mores hominum temperantibus, fundatur. — Certitudinem moralem latiori, quam praefata, significatione usurpari apud Moralistas, quisque videt (cfr. *Vol.,* de Consc., n. 75).

Digitized by Google

improprie et late sumpta, qua quis adhaeret quidem uni parti, sed cum prudenti quadam erroris formidine. In hoc igitur statu adest quidem mentis assensus, et ita differt a statu dubii stricti (n. 32); ast assensus ille non est firmus sed formidolosus; et sic essentialiter discrepat a certitudine morali proprie dicta, et *convenit cum statu opinantis* (n. 33). Aliis verbis: *certitudo moralis lata excludit prudentem et stricte dictam dubitationem, admittit vero prudentem formidinem seu haesitationem.*

Haec notio certitudinis moralis *imperfectae* seu *late dictae* — quae maximi est in hac re momenti — plane concordat cum doctrina D. Thomae aliorumque praecipuorum doctorum.

A Doctore Angelico hujusmodi certitudo vocatur « *probabilis certitudo,* quae, inquit, in pluribus veritatem attingit, etsi in paucioribus a veritate deficiat »[1] (2. 2, q. 70, a. 2); item « *certitudo prudentiae* » (2. 2, q. 47, a. 9), vel « *certitudo opinionis* » (3. D. 23, q. 2, a. 2, sol. 3, ad 1^m). — Concordat *B. Albertus Magnus* (In Topic., l. 1, tr. I, c. 2). — Concordat *S. Antoninus,* qui eamdem vocat « *certitudinem probabilis conjecturae* », eamque exsurgere dicit « ex probabilibus conjecturis grossis et figurabilibus magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus » (Summa Theol., P. I, tit. 3, c. 10, § 10).— Item *Gerson,* qui haec habet: « In moralibus, dicit Aristoteles sumendam esse certitudinem grosse et figuraliter; quae certitudo non removet omnem probabilitatem vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad istam vel ad aliam, quod sufficit » (de Contr., P. 2, prop. 13).

Recte etiam *Lugo* (de Fide, I, n. 316): « Possumus duos gradus certitudinis moralis distinguere. Primus est certitudinis, quam descripsimus, nempe quae excludit omnem prudentem formidinem errandi, et *haec est propria* certitudo moralis. — Secundus est certitudinis minus propriae, quae *non excludit formidinem prudentem,* sed solam dubitationem prudentem de illo objecto, vel judicium prudens de objecto contrario ».

Denique *S. Alphonsus* docet: « Ad formandam certitudinem moralem alicujus sententiae, non requiritur ut AA. oppositam tenentes omni ratione adhuc levi careant; sed sufficit, si sententia illa, omnibus perpensis, ita vera appareat, ut contrariae vix supersit apparentia veritatis, vel *ut contraria non videatur satis probabilis* » (Diss. 1755, n. 52). In Opere Morali (I, 81; ed. G., I, p. 60) legere est: « Opinio probabilissima, quae etiam *moraliter certa, large* tamen loquendo, vocatur, omnem prudentem formidinem non excludit ne sit falsa; ad differentiam opinionis sive sententiae *stricte certae,* quae omnem prudentem formidinem excludit » (I, 81; ed. G., I, p. 60). Hanc etiam certitudinem moralem *imperfectam* seu *late dictam* intelligit S. Alphonsus, quoties opinionem certe aut notabiliter probabiliorem dicit « moraliter aut quasi moraliter certam », vel « sufficienter certam ». — Falluntur igitur plures auctores qui docent, certitudinem latam excludere etiam prudentem et rationabilem erroris formidinem, ac proinde firmum assensum progenerare.

32. — De statu dubii.

Notio. Dubium in genere, prout certitudinis *strictae* opponitur, est suspensio judicii seu assensus firmi.

[1] « Nota, scribit *Mayr,* S. J. (Theol. schol., tr. IV, n. 373), S. Thomas tantum exigit ut sit verum in *pluribus,* quamvis non in paucioribus; — non dicit in *plurimis* aut *paucissimis* ».

Digitized by Google

Divisio. Dubium multipliciter distinguitur:

1° Ratione assensus seu adhaesionis, dividitur in dubium strictum et dubium latum. — Dubium *strictum* est suspensio omnis assensus seu fluctuatio mentis propter *aequalia* pro utraque parte contradictionis motiva. Hoc solum est dubium verum, genuinum, proprie dictum et prudenter formatum, juxta doctrinam D. Thomae (cfr. supra n. 31) et omnium philosophorum [1]. — Dubium *latum* ac improprie dictum consistit in quadam prudenti formidine intellectus imperfecte assentientis uni parti contradictionis. Haec formido, quae a S. Thoma etiam « dubitatio », scil. lato sensu, vel « aliqua dubitatio » vocatur (quodl. VIII, a. 13), oritur, vel ex eo quod motivum, pro una tantum parte existens, non est plane firmum sed solum probabile, vel ex eo quod motiva pro una parte sunt certe aut notabiliter graviora, etsi pro parte opposita adsunt etiam motiva in se gravia. Hoc igitur dubium latum concomitatur statum certitudinis latae ac imperfectae (n. 31), vel statum opinantis (n. 33).

Nota. Ad dubium strictum reducitur *suspicio*, quae media stat inter dubitationem et opinionem, in quantum mens, ducta *signo levi*, in unam partem tantum inclinat, sed ei minime assentitur. Ita *S. Thomas* (supra n. 31), cum quo omnino concordat *S. Alphonsus* (H. Ap., I, 77).

2° Ratione motivi seu fundamenti, quo nititur, dubium est negativum vel positivum. — *Negativum* est, quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed aut nullae aut tantum leves. — *Positivum* est, quando pro utraque parte (dubium utrinque positivum), vel saltem pro una (dubium una parte positivum) adest grave motivum, sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito [2].

3° Ratione objecti, datur dubium facti et juris. — Dubium *facti* versatur circa rei essentiam vel existentiam. Quaerit enim quid sit: utrum, v. gr., contractui tale pactum appositum fuerit necne; num tale decretum sit rite promulgatum; num abrogatum; utrum res praesens sit objectum seu materia legis necne: v. gr., utrum hic cibus mihi appositus sit caro necne; an legi, voto, poenitentiae, obligationi contractus satisfecerim; etc. — Dubium *juris* versatur, immediate et per se, circa legem vel legis obligationem, et consequenter circa actionis honestatem; quaerit enim (etsi theoretice tantum et in genere): quid sit agendum; an liceat conferre

[1] *Génicot* (I, 51), et alii, dubium strictum aliter definiunt. In hoc tamen recedunt a communi usu loquendi, et a notionibus a S. Thoma traditis (de Verit., q. 14, a. 1; 2. 2, q. 2, a. 1; 3. D. 23, q. 2, a. 2, sol. 1). Cum S. Thoma plane concordat *S. Alphonsus:* « Cum opinio, quae stat pro libertate, est *aequalis* momenti, tunc adest dubium *strictum* » (I, 62; ed. G., I, p. 32). — [2] I, 20; cfr. Instruz. XVI, 30, exempla. — Dubium *negativum* est mera ignorantia vel nescientia, dubium praecise physicum (v. gr. scrupulosorum). Dubium *positivum* est dubium morale, rationabile et proprie dictum. *Salmant.*, tr. 24, disp. 8, n. 176.

Digitized by Google

sacramentum cum tali materia, inire contractum cum tali pacto, etc. (I, 41, 53; H. Ap., XVI, 142; XVIII, 35; XIX, 79; cfr. VII, 67, ubi exempla).

Notandum hic est, dubium *juris* oriri ex aliquo dubio facti; jus enim enascitur vel ex rei essentia (v. gr. ex ipsa hominis natura), vel ex aliquo actu positivo, v. gr. ex contractu, ex decreto legislatoris, etc.; et similiter per factum tollitur, v. gr. solutione debiti, dispensatione a lege, etc. Dubia autem *facti* communius versantur circa materiam cadentem sub lege, cum in illis plerumque quaeratur: an homo in talibus circumstantiis versetur, quae legis applicationem expostulent.

4° Ratione modi quo objectum consideratur, dubium est speculativum vel practicum. — *Speculativum* est, quando dubitatur de rei seu propositionis veritate, de *objectiva* actionis honestate: v. gr., an illud bellum sit justum, necne; an pingere sit opus servile: an valeat Baptismus cum aqua distillata collatus, et similia. — *Practicum* est, quando de *subjectiva* ponendae actionis honestate dubitatur, i. e. quando quis dubitat, an in praxi, et perpensis omnibus, in quibus hic et nunc versatur, circumstantiis, agere possit, aut debeat; v. gr., an liceat *mihi* in *tali* bello dubie justo militare; an *hoc* die festivo pingere; an *hunc* puerum cum aqua distillata baptizare (I, 21, 25; Istr. I, 13; Conf. dir., I, 9).

Ut videre est, dubium *speculativum* est dubium *scientiae*, quod, proxime et per se, circa *verum* versatur, etsi consequenter et remote, ubi de re morali agitur, etiam licitum respiciat. Dubium *practicum* est dubium *conscientiae*, quo directe et immediate respicit *licitum*. Oritur autem a dubio speculativo, sive juris, sive facti, illudque supponit semper: nullus enim, nisi sit scrupulosus, dubitare potest utrum sibi, v. gr. die festo pingere liceat, nisi jam dubitaverit, utrum pingere sit opus servile a Deo prohibitum. Dubium ergo speculativum est de praemissis, dubium practicum de conclusione (Diss. 1757, n. 54).

33. — De statu opinionis.

Notio. Opinio est assensus infirmus quo intellectus fertur in unam contradictionis partem, veram aestimatam, cum formidine de opposita.

Dicitur: 1° *est assensus*, et ita differt a dubio stricto et suspicione.

2° *infirmus*, et sic discrepat a certitudine stricta.

3° *veram aestimatam*; nam « opinans, inquit *S. Thomas* (in VI, Eth., l. 8), dicit *verum* esse quod opinatur », utique cum formidine hoc dicit. Proinde opinio etiam cognitionem positivam, licet imperfectam, involvit.

4° *cum formidine*, i. e. prudenti et rationabili; nam imprudens et irrationalis formido neque a certitudine fidei semper exsulat.

Itaque *status opinantis* in quem aliquis post maturam considerationem devenit, includit dubium latum (n. 32), et coincidit cum certitudine morali lata et imperfecta (n. 31).

Digitized by Google

34. — *Nota.* Vox *opinionis,* uti patet, hic sumitur pro subjectivo statu mentis, non autem pro aliqua sententia seu propositione objectiva, quo sensu loquimur de opinione, i. e. sententia seu propositione vera, falsa, probabili, laxa, tuta, etc.

Hisce praenotatis, argumentum praesentis articuli adeamus.

35. — DEFINITIONES. *Conscientia certa* ea est, qua quis firmiter et absque errandi formidine judicat, aliquid sibi esse licitum aut illicitum.

Differt a conscientia *vera,* sicut certitudo a veritate. Veritas respicit objectum, quod apprehenditur ut est in se; excludit ergo errorem. Certitudo respicit subjectum reputans aliquid verum esse absque falsitatis formidine; excludit ergo formidinem erroris, qui tamen per accidens subjecto invincibiliter inesse potest. Hinc patet conscientiam posse esse certam, quin sit vera. Per se tamen conscientia certa est semper conscientia *recta;* unde semper quaestio fit tantum de conscientia certa (*Beaudouin,* q. 2, a. 1).

Conscientia dubia ea est, quae suspendit assensum pro utraque parte dubii, remanetque anceps et haesitans (I, 20).

Patet, hujusmodi conscientiam, ob defectum judicii, non esse veri nominis conscientiam, sed improprie, et solum ex usu scholarum, hoc nomine vocari.

36. — PRINCIPIA. I. **Ad licite operandum requiritur certitudo moralis de honestate actionis.** Aliis verbis, *sola conscientia certa est regula morum, nec unquam licet cum conscientia practice dubia operari* (I, 55; H. Ap., I, 31). — Probatur 1° Ex verbis S. Pauli (*Rom.,* 14, 23): *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* « Dicitur *ex fide,* nempe ex certo dictamine conscientiae, ita ut homo in sua conscientia persuasum sibi habeat quod agendo recte agat, prout explicant illud EX FIDE S. Chrysostomus, S. Ambrosius et alii cum D. Thoma ». — 2° Ex ratione: qui operans cum conscientia non certa, voluntarie periculo peccandi se exponit, atque hoc ipso peccat. Et sane, qui de actionis honestate incertus, nihilominus operatur, implicite et interpretative dicit: hoc facere volo, sive licitum sit, sive illicitum: quod est virtualis contemptus divinae legis, et proin peccatum (cfr. *S. Thom.,* de Verit., q. 17, a. 3).

Quod si quaeratur, *quodnam peccatum sic dubitans atque operans committat,* respondet *S. Alphonsus* (I, 22): « Peccat, et quidem peccato ejusdem speciei et gravitatis, de quo dubitat; quia, qui se exponit periculo peccandi, jam peccat, juxta illud: *Qui amat periculum, in illo peribit* (*Eccli.,* 3, 27). Quare si dubitat an illud sit mortale, mortaliter peccat ». — Cfr. tamen n. 337, q. 2, ubi alia utilia.

37. — II. **Ad licite operandum, ordinarie non requiritur certitudo moralis stricta, sed sufficit certitudo moralis lata.** Est sententia communissima inter AA. — Cfr. Diss. de Usu moder., 1757, n. 31.

Digitized by Google

Dicimus *ordinarie*, nam aliquando prudentia ne levissimum quidem erroris periculum subire permittit: v. gr. cum agitur de vita hominis, de conferendi baptismi validitate, etc.; in quibus casibus certitudo omnino stricta requiritur, uti accuratius suo loco dicemus (cfr. n. 81 seqq.).

Ratio est, quia cum Deus impossibilia non jubeat, ea dictamina in materia morum sufficere debent, quae practice efformare possumus. Atqui, licet strictam certitudinem habeamus quoad prima principia eorumque conclusiones proximas, solius tamen certitudinis moralis latae dictamina ordinarie nobis praesto sunt relate ad conclusiones remotas[1]. — Unde *S. Thomas* (2. 2, q. 47, a. 9, ad 2): Certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum. Quia vero materia prudentiae sunt singularia contingentia... non potest *certitudo prudentiae* tanta esse, quod omnis sollicitudo tollatur. — Et in alio loco: Materia moralis talis est, quod non est conveniens *perfecta* certitudo (1. 2, q. 91, a. 3, ad 3). — Ad rem etiam *S. Antoninus* (Summa, P. I, tit. 3, c. 10): Est disciplinati, in unaquaque re certitudinem quaerere juxta exigentiam materiae. Recole quae supra (n. 31) diximus. — Cfr. *Suarez*, de Lege, l. 8, c. 3, n. 19; de Relig., tr. 6, l. 4, c. 5, n. 5; *Valensise* (super syst. Theol. mor. disquisitio), ubi de mente S. Thomae quoad sufficientiam probabilis certitudinis in judiciis moralibus.

Nota. Hujusmodi argumenta quae certitudinis moralis latae sufficientiam adstruunt, vocari possunt *principia concomitantia*. Concomitantur enim, saltem implicite atque exercite, argumenta directa, ex quibus haberi nequit firma securitas, ut eam plane firmam et perfectam reddant.

Neque obstat quod in certitudine morali lata adest adhuc prudens quaedam et fundata erroris formido (n. 31), nam haec remanet tantum in ordine speculativo; practice vero peccandi formido excluditur per eadem illa principia concomitantia, quae idcirco ab aliis etiam principia indirecta ac reflexa vocantur. Cfr. *Vind. Alph.*, Diss. apolog., n. 125; *Beaudouin*, p. 44).

38. — III. Ad licite operandum, quandoque sufficit certitudo reflexa.

Dicitur: *quandoque*, si nempe, permanente dubio speculativo invincibili, certitudo *directa* haberi nequit. Ante omnia enim certitudo directa est quaerenda; id est, prae omnibus requiritur diligens veritatis inquisitio, quia, ut aiunt DD.: « Lex agendi legem sciendi importat ». Quod si post sufficientem inquisitionem certitudo directa obtineri non possit, sufficit indirecta seu reflexa (I, 25).

[1] Aliis verbis, prudentia, ex qua procedit dictamen conscientiae, postulat ut ejus dictamen non sit defectuosum, sed moraliter totum et firmum. Versatur autem prudentia circa operationes fallibiles, individuales, contingentes, de quibus ordinarie certitudo moralis lata tantum haberi potest (cfr. *Beaudouin*, de Consc., p. 39, ubi praeclara verba Cajetani).

Digitized by Google

Probatur 1° *Ex auctoritate.* « Certum et exploratum cummuniter est inter omnes DD., ait *S. Alphonsus* (I, 64), quod certitudo moralis alicujus sententiae, si non probatur ex aliquo certo principio *directo,* probetur tamen ex alio principio *reflexo,* pariter certo, ut probatur ex can. 4: *Quid culpatur,* caus. 23, q. 1, ubi S. Augustinus scribit: Vir justus si forte sub rege etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si, civicae pacis ordinem servans, quod sibi jubetur vel non esse contra Dei praeceptum certus est, vel utrum sit, certus non est ». Quamvis igitur subditus sit dubius de belli justitia, potest tamen licite militare ex jussu sui principis, — et qua ratione? innixus principio reflexo quod princeps habet jus certum, ut semper ac de injustitia non constet, ei obtemperetur [1].

2° *Ex ratione.* Quia qui sic operatur, prudenter judicat, se in his circumstantiis licite et honeste operari: siquidem judicium de honestate sui actus, non jam infirmis probabilitatis rationibus, sed firmissimo supervenienti, i. e. reflexo principio innititur. Cfr. n. 44 et 57 seqq.

39. — Ut optime explicat *Beaudouin,* O. P. (de Consc., p. 42 seq.): Stante dubio in principiis, intellectus determinatur per voluntatem, quae eligit assentire uni parti determinate, propter motivum quod est sufficiens ad movendam voluntatem non autem intellectum, utpote quod videtur bonum et conveniens huic parti assentire. — Ex fine ergo virtutis rectificatur voluntas, per principium reflexum ratio certificatur.

Quoad certitudinem obtinendam, utique principium reflexum non potest plus quam principium directum, si sermo sit de veritate opinionis; potest vero, si sermo sit de ejusdem usu. Oportet enim semper veritatem opinionis ab ejus usu, i. e. verum a licito distinguere. Nam aliud est quaerere, utrum haec opinio vera sit objective; aliud est quaerere, utrum liceat hac opinione uti in praxi, uti patet in allegato militis exemplo (I, 21).

Neque ex his sequitur absurdum, quod nempe de eodem objecto haberi possit dubium simul et certitudo; nam in hoc casu dubium et certitudo non sunt de eodem objecto. — Dubium respicit *veritatem opinionis in se,* seu moralitatem objectivam; certitudo respicit *moralitatem subjectivam,* i. e. honestatem actionis in illo, qui tali utitur opinione. Sic, v. gr., dubitans utrum contractus sit usurarius, dubitat quidem de veritate opinionis affirmantis; sed cum hoc dubio bene consistit certitudo contractum posse honeste iniri, quae nempe certitudo hauritur ex hoc principio reflexo: « Lex dubia non obligat » (cfr. n. 46).

« Hinc apparet principia reflexa quaestionem particularem non solvere, sed incertam relinquere; sola praxis certa est, eo quod principia reflexa praxi in eo dubio dirigendae certam regulam figant ». — Igitur cum S. Doctore nostro concludimus: « Nos ad licite operandum debemus habere certitudinem moralem de honestate actionis, vel *directam,* si utamur opinione moraliter certa, vel *reflexam,* si opinio sit tantum probabilis » (I, 23, 64; cfr. Diss. 1757, n. 34, 53, 54).

[1] Cfr. Diss. 1757, n. 54. — Affirmat card. *Gousset* (Theol. mor., I, n. 78, adn.) se ultra 400 AA. numerasse, qui ex principiis reflexis conscientiam certam formari posse demonstrant.

Digitized by Google

40. — Ex dictis sponte fluunt pro praxi sequentes regulae:

Regula 1ª Qui practice dubius est, tenetur, quamdiu in tali statu permanet, sequi partem tutiorem juxta axioma: *In dubio tutius eligendum* (1, 77).

Pars *tutior* ea dicitur quae stat pro lege; par *minus tuta*, quae stat pro libertate. — Qui ergo partem tutiorem amplectitur, omittendo nempe opus dubie prohibitum, vel faciendo dubie imperatum, certe legem implet, et ne materialiter quidem peccat. Ad id vero tenetur, eo ipso quod habet et conservat conscientiam practice dubiam, ut constat ex dictis (princip. I, n. 36).

Regula 2ª Qui in dubio practico partem tutiorem sequi non vult (aut non potest, v. gr. quia non sibi, sed aliis legem Dei intimare debet), *inquirat veritatem* cum morali diligentia, ac dein juxta inventam veritatem agat. — Prudentia id dictat, et justitia postulat, ut suum cuique reddatur. In praesenti enim casu lex et libertas quodammodo inter se litigant. Unde ratio, quae in homine est sicut judex in civitate, debet utriusque litigantium, si possibile est, argumenta audire, ponderare, ac dein illi, cui jus revera favet, adjudicare causam (1. 2, q. 104, a. 1).

Haec porro inquisitio facienda est *cum diligentia morali*, i. e. cum diligentia quae quaestionis gravitati, ponderi rationum, personae conditioni, aliisque rerum adjunctis vere respondeat. Sic, v. gr., homini rudi, qui ad formandam sibi conscientiam inhabilis est, satis erit parochum aut confessarium, vel alium pium ac doctum consulere; ac dein juxta acceptum consilium agere. Theologo autem et confessario, quibus ex officio competit aliis justa onera imponere, major, ut patet, adhibenda est diligentia (1, 24; V, 4; H. Ap., III, 33).

Regula 3ª Si dubium, omnibus perpensis, advertatur esse *inane*, illud pro nihilo habendum est. Ratio est, quia mores componendi sunt ex prudenti judicio; prudenti autem judicio minime adversatur dubium, quod, omnibus ponderatis, remanet mere negativum, neque aliud est ac inanis timor aut suspicio. Potest igitur sine alia reflexione deponi; et sic, vel libertas vel obligatio quae ante dubium existebat, esse perseverat, et in praxi, pro veritate habetur (I, 11, 24, 37; VI, 908).

Regula 4ª Si dubium sit *fundatum* et, re diligenter perpensa, agnoscatur strictum atque invincibile, debet dictamen practice certum efformari *juxta principia reflexa*, prout dictum est supra (n. 38).

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De modo deponendi conscientiam dubiam per principia reflexa.

41. — Conscientia dubia, pro diversa rerum conditione, diverse deponitur. In praesenti materia duplex considerari debet conditio: vel agitur *de sola actionis honestate*, ut si dubitem an jejunium hodie praecipiatur, quo in casu intervenit solius legis violandae periculum; vel agitur *de aliquo necessarie obtinendo fine*, v. gr. de validitate sacramenti, ut fit si quis dubitet an possit materiam incertam in conferendo baptismo adhibere, quo in casu duplex periculum incurritur: periculum nempe transgrediendi legem et frustrandi sacramentum.

42. — REGULAE SERVANDAE. I. Quoties *de fine absolute consequendo*, aut de malo a conscientia non pendente, at certe vitando, agitur, *sequenda est in quovis dubio pars tutior*. Ratio est, quia necessitas finis non sinit eum committi frustrationis periculo, cum finis adeptio non a persuasione conscientiae, sed a mediis revera adhibitis pendeat.

II. Quoties, stante dubio speculativo invincibili, *de sola actionis honestate agitur*, potest conscientia practice certa efformari ex sequentibus principiis, quae modo legis obligationem urgent, modo hominis libertati favent, prout nempe possessio vel legi vel libertati suffragatur. Ratio patebit ex ipsa principiorum explicatione.

Atque haec est summa Alphonsiani systematis quod in capite sequenti fusius exponetur. Ut autem ordinatim procedatur, primum exponenda sunt ipsa, quibus conscientia efformatur, principia reflexa quoad genuinum eorum sensum.

43. — DISTINCTIO PRINCIPIORUM REFLEXORUM. Inter principia reflexa, alia sunt extensione vel usu magis *universalia:* haec in omni dubio speculativo, ad formandum judicium practicum immediate inserviunt. — Alia sunt magis *specialia et velut subsidiaria:* ad ista recurritur in dubiis facti, ut dignoscatur cui faveat principium illud universale quod *principium possessionis* appellatur.

I. — Principia reflexa generalia quibus in dubio judicium practicum immediate innititur.

44. — I. MELIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS. Hoc principium est, in jure tum canonico, tum civili, notissimum [1]. In jure quidem

[1] I, 26; vide H. Ap., I, 14, ubi hoc solum principium pro conscientia dubia adducitur, et Conf. dir., I, 11, ubi dicitur: « Fra gli altri in *primo* luogo è principio certo quello: *melior est* ... etc. ».

Digitized by Google

canonico habetur axioma: *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis* [1]; et in jure civili: *In pari causa possessor potior haberi debet* [2].

Magni interest, ut principium possessionis rite intelligatur.

1° Norunt omnes, illud a jure civili originem ducere, et ibi, in dubiis, juridicum valorem obtinere. Vim suam haurit ex *praesumptione*. Praesumptio definitur: Persuasio de re aliqua tanquam vera et certa donec probatur contrarium (*Polman*, 2. 2, n. 681). Vel, ut alii volunt: Anticipata rei dubiae probatio ex validis argumentis et indiciis desumpta. Praesumptio ergo aliquid pro vero sumit *ante directas probationes*. Ex hoc concluditur, quod, quoties aliquid praeexistere scitur, illud in sua conditione perseverare censetur, donec per sufficientem probationem partis adversae tollatur. In materia autem justitiae, conditio praeexistens nihil aliud est quam possessio alicujus rei. Unde ex principio praesumptionis exortum est principium possessionis. *In materia ergo juris stricti,* praefatum principium hoc significat: In pari causa, seu in dubio, jura favent illi, qui praeter dubium titulum, ipsi et adversario communem, habet insuper titulum possessionis. Possessio enim fundat certam veri dominii praesumptionem, donec contrarium probetur; v. gr. qui cum justo titulo praedium possidet, quod alius, cum dubio jure, sibi vindicat, in possessione manet, nec spoliari debet, usquedum competitor meliori se jure gaudere legitime probaverit (cfr. n. 850).

2° *In materia justitiae legalis, aliorumque virtutum,* principium possessionis sumitur *analogice* tantum, in quantum quodcumque jus exorta dubia praecedens, ex analogia evidenti cum possessione rei temporalis, pari modo tuendum est ac ipsa possessio. In materia ergo, quae extra justitiam strictam vagatur, possessionis principium (ipsa ratio hoc dictat) hunc habet sensum: *omnis res, quae ex natura stabiliter perseverat, donec aliquo facto superveniente tollatur, tamdiu in sua conditione permanere censetur, quamdiu de contrario non constat.*

Sic consideratum, possessionis principium favere potest vel libertati vel legi. Aequitas postulat, ut jura praeexistentia, quaecumque sint, tueantur. Optime *Lugo* (de Just., disp. 23, n. 110): Non potest melior regula, et magis universalis tradi, quam quae ex foro externo desumitur. — Utrumque forum convenire oportet, quantum fieri potest, ait *D'Annibale* (I, n. 264). Ita DD. communiter [3].

Ad rem sic *S. Alphonsus* (I, 26; Diss. 1757, n. 19): « Hoc autem principium, licet aliqui illud infirmare conentur, dicentes quod valet pro foro tantum, vel tantum in materia justitiae; ego tamen nescio quomodo in omni-

[1] Regula 65 in VI. — [2] Reg. juris, ff. n. 128. — [3] Cfr. *Suarez*, in 1. 2, tr. 3, disp. 12, sect. 3, n. 8; *Lugo*, de Just. et Jure, disp. 23, n. 110; *Lacroix*, lib. I, n. 502 seqq.; *Reuter*, P. I, n. 82, etc. — Recte notat *Schmitt*, S. J. (Gesch. des Probab., p. 171), principium: obligatio certa non tollitur per solutionem incertam, usque Laymann († 1635), ab omnibus sine exceptione admissum fuisse. Hoc autem principium a principio possessionis, analogice sumpto, suum accipit robur.

Digitized by Google

bus negari possit. Quaestio tantum esse potest, *an in quolibet dubio morali possideat lex aut libertas*. Antiprobabilistae dicunt semper legem possidere; nos vero dicimus aliquando possidere legem, aliquando libertatem, nempe cum lex non est adhuc promulgata. Haec, dico, quaestio est; sed nemo negare potest principium, *meliorem semper esse possidentis conditionem*. — Casu igitur quo possidet lex, pro ea standum est; si vero possidet libertas, standum pro libertate ».

45. — Gratis ergo asserunt quidam, principium possessionis tantum valere in *solo dubio negativo*, vel *cum eo semper legem possidere*, vel esse meram *fictionem juris* vel *aequivocationem*.

Hic tamen advertere juvat principium possessionis, in materia justitiae, *strictioris esse applicationis*, quam in materia aliarum virtutum. — Ratio: 1° Quia justitia ceteris virtutibus rigidior est (cfr. n. 383). Unde fit, ut lites de justitia strictiores exposcant probationes; dum lis quae moraliter inter libertatem et legem movetur, morali, ut par est, comprobatione dirimitur. — 2° Quia in materia justitiae, saltem in bonis fortunae, possessio parit praesumptionem, tam pro possessore quam contra actorem; *pro possessore:* is enim, quamdiu contrarium non certo probatur, vi sui juris possidere praesumitur; *contra actorem* vero, quia actor praesumitur possessione jure destitutus, donec contrarium probetur [1].

46. — II. Lex dubia non obligat, seu: *Lex dubia non potest certam inducere obligationem* [2]. — Hoc principium est principium universale, quod in omni lege tum divina, tum humana applicatur, quotiescumque de dubio meri juris agitur, ut probabimus n. 91. Si enim de probabilitatibus vel dubiis facti periculosi agatur, lex quaedam certa antecedens omnem dubietatis vel probabilitatis usum vetat, ut infra ostenditur (n. 80).

Jam vero praefatum principium, juxta S. Alphonsum, intelligendum est: 1° de lege *stricte* dubia; 2° de lege *invincibiliter* dubia, i. e. de lege, quae, post diligentem inquisitionem, certe dubia manet; 3° de lege *simpliciliter* dubia, i. e. de lege *dubie existente*. « Si enim lex est certe condita et certe promulgata et inde oritur dubium, an sit abrogata vel dispensata, est observanda, *quia tunc ipsa possidet* » [3]. In dubio ergo de cessatione legis vel obligationis, principium ita convertendum est, ut dicatur: « Dubia liberatio non liberat » [4]. — Quod autem axioma « Lex dubia, etc. » in hoc sensu a plerisque theologis fuerit revera adhibitum testatur *Muzzarelli* [5], inquiens: « Similiter, si agatur de legis cessatione aut abrogatione, dubium in eo casu nihil libertati suffragari dicendum est, sed standum pro lege, quae in possessione est contra libertatem. In hoc conveniunt doctores omnes ». Ita etiam *D'Annibale*, I, n. 266.

[1] I, 36; VI, 905; Diss. apolog. *(Vind. Alph.)*, n. 104-124. — [2] I, 27, 28, 64 seqq., 97-99; H. Ap., I, 15, et alibi passim. — [3] I, 27, 76; Diss. dell'Uso moder., 1765, c. IV, 6-15. — [4] *Kon.*, n. 66, 2°. — [5] De regula opin. moralium, ap. *Migne*, Curs. theol., tom. XI, col. 1302. — Cfr. Diss. apolog. *(Vind. Alph.)*, n. 108-113.

Digitized by Google

II. — Principia reflexa subsidiaria quorum ope in dubio dignoscitur possessio.

47. — Ex modo dictis patet principia reflexa ad unum posse revocari principium, nempe ad principium possessionis. — Non semper autem primo intuitu apparet, cui possessio faveat, utrum nempe *legi* an *libertati*. — Regula generalis haec est: « Ad dignoscendum pro qua parte in dubio stet possessio, videndum pro qua parte stet praesumptio. Praesumptio vero stat pro ea parte, quae non tenetur ipsa factum probare, sed onus probandi illud transfert in alteram » (I, 26). Ratio est, quia jura (v. gr. libertas aut obligatio) natura sua sunt stabilia, et perseverare censentur, donec mutatio probetur. Affirmanti igitur mutationem incumbit afferre probationem, demonstrando scilicet *existentiam* aut *vim* facti certi, quo jus praecedens mutetur, seu possessor evincatur (cfr. n. 97).

Hic porro valent notissima quaedam juris principia, quae vel facti substantiam, vel facti conditiones respiciunt [1].

A. — *Principia quae respiciunt facti substantiam.*

48. — I. *In dubio factum non praesumitur, sed probatur;* id est factum, circa quod versatur dubium, reputatur non existere, donec afferatur probatio sufficiens, quae hominem prudentem persuadeat. Deficiente hac probatione, omnia in eodem statu, quo ante subortum dubium reperta sunt, remanere censentur.

Factum autem, de quo inquiritur, potest vel *legem fundare* (v. gr. promulgatio legis, voto emissio), — vel *legem supponere* (v. gr. abrogatio legis, impletio voti). In dubio facti legem fundantis, possidet libertas; in dubio facti legem supponentis, possidet lex. — Unde praedictum principium favet modo libertati, modo legi (cfr. n. 55).

Nota. Ad idem principium revocantur tria ista adagia: 1° *Nemo praesumitur malus nisi probetur:* unusquisque enim natura sua bonus est. — 2° *Delicta non praesumuntur:* unde judex debet nullum damnare nisi comprobatum. — 3° *In dubium delicti favendum est reo.* Consonat reg. 11 in VI.

49. — II. *In dubio actori incumbit probatio* [2]. Dubium morale generat, ut diximus, quamdam litem inter legem et libertatem. Una pars defendit statum priorem, quem altera pars, ob factum a se allegatum, mutare contendit. Haec pars dicitur *actor*, et ipsi incumbit *onus probandi factum*.

Ex hoc principio sequitur: 1° Si lex quasdam qualitates *requirit*, aut speciales conditiones *praecipit* (v. gr. scientiam, aetatem) ad hoc ut beneficium vel officium, status aut dignitas, privilegium aut exemptio obtineatur, etc., petitor quasi actoris partem assumit, et allegatum a se factum probare tenetur.

[1] Vide, pro ampliori cognitione Regularum juris, clarissimum opus *Card. Sanfelice*, Fundamenta Juris can., P. I, vel alium doctum canonistam. — [2] Leg. 2, ff. de probationibus, et lib. 2, et 23, C. eod. tit.

Digitized by Google

2° Contra, si lex, ob aliquod factum, me a jure communi *prohibeat*, ipsius legis est facti veritatem probare, ut constet, me propterea jure communi spoliari. Sic, v. gr., in dubio an sim jejunus, an post mediam noctem aliquid deglutiverim, possum communicare. Etenim lex est prohibitiva, et vetat ne quis communicet post sumptum cibum. Unde probandum est factum jejunii fracti, ut quis a communione prohibeatur (I, 38; VI, 282; H. Ap., XV, 34).

50. — III. *In dubiis judicandum est ex ordinarie contingentibus.* Si directa probatio facti haberi nequeat, indirecta saepe haberi potest ex legitima praesumptione, quae quidem moralem sed sufficientem certitudinem suppeditat. — Tunc igitur valet citata regula, seu: *Ex communiter contingentibus prudens fit praesumptio.* Recipiuntur haec axiomata ab omnibus et consonant cum regula 45* in VI: *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

Hinc, in dubio an puer ad usum rationis pervenerit et ecclesiasticis teneatur legibus, pervenisse praesumitur, si septennium compleverit; secus non. — In dubio an partem Horae recitaveris, prudenter te recitasse praesumis, si in recitatione regulariter nihil praetermittere soles. — In dubio an quis pravis cogitationibus assenserit, assensisse praesumitur, si laxae sit conscientiae; secus, si sit conscientiae timoratae (III, 270, 1012; IV, 150; VI, 476).

B. — *Principia quae respiciunt facti conditiones.*

51. — I. *In dubio standum est pro valore actus,* seu: *In dubio omne factum praesumitur rite factum.* Valent haec principia, quando de actu quidem principali constat, et solum de adjuncto, v. gr. de requisita conditione, de debito modo, dubitatur. His in casibus, quamdiu de opposito non constat, illud factum fuisse praesumitur, quod erat ad actus validitatem faciendum, et quod fieri consuevit (III, 196, 201, q. 3; VI, 450, 505). — Idem sonant sequentia effata: *In dubio praesumitur factum, quod de jure faciendum erat. — Defectus non praesumitur, sed demonstrari debet. — Quod regulariter, quod ordinarie fit, censetur esse factum.*

Ex hac regula (quae in praecedenti nititur) concludes: Dato quod *certo fuerint posita,* valida supponuntur contractus, votum, dispensatio, superioris electio, recitatio breviarii, baptismus, confessio peccati, sacramentalis satisfactio, absolutio, consecratio, matrimonium, et similia. — Excipe, nisi positiva ratio in contrarium habeatur, vel nisi ejusmodi lex obstet, quae omnimodam certitudinem expostulet.

52. — II. *In dubio praesumptio stat pro superiore;* id est: in dubio an aliquod mandatum, a superiore impositum, sit sapiens aut justum, *regulariter* obediendum est.

Diximus, *regulariter* obediendum est; excipitur enim casus, quo lex aut praeceptum certo nimii foret laboris aut difficultatis, aut grave

Digitized by Google

damnum inferret. Admittitur autem haec exceptio vi alterius principii certi, i. e. vi epikeiae (cfr. n. 173), vel etiam vi insequentis regulae.

Hoc principium est quaedam peculiaris applicatio principii praecedentis. Etenim, cum de facto principali, i. e. de mandato constat, mandatum supponitur rite factum. Ratio est, quia Superior, consiliis inferiori incognitis duci, et de ipsis cognitis consiliis prudentius, quam inferior, judicare censetur. — Adde, quod potestas imperandi est jus certum, quo legitimus Superior in dubio spoliari nequit (I, 31; IV, 47).

53. — III. *In dubio favores sunt ampliandi, odia restringenda.* Per *favorem* hic intelligitur, quidquid libertati indulget, aut concedit gratiam, sine juris detrimento; per *odium* autem, quidquid poenam, obligationem vel onus imponit. Cfr. tractatum *de Legibus*.

Concordant cum praefato principio sequentes regulae: *Odia restringi et favores convenit ampliari. — In obscuris, quod minimum est tenendum;* intellige: quod minus gravat. — *In poenis, benignior est interpretatio facienda.* Horum omnium ratio est benevolentia, vel prudentia Superioris, quae legitime praesumuntur (Reg. 15, 30, 49 in VI; cfr. Diss. 1757, n. 7).

54. — QUAERITUR: *Quandonam applicanda sit regula:* IN DUBIO TUTIOR PARS EST ELIGENDA?

Resp. Haec juris regula applicanda est:

1° In dubiis *practicis*. Hinc, si quis dubium practicum per aliquod principium, sive directum, sive reflexum, deponere non vult aut non potest, tenetur eligere partem tutiorem (cfr. n. 42).

2° In dubiis *facti periculosi*, quando nempe remanet periculum inferendi, sibi vel aliis, malum temporale aut spirituale, quod certo impediendum est, ut infra explicabitur (n. 81). — Praeter hos casus, in quibus lex certo possidet, praefata regula per se est *de consilio*, minime autem de praecepto (I, 77).

55. — Ex hucusque allatis principiis fluunt haec generalia *consectaria* (I, 97 seqq.):

I. Possidet LIBERTAS, proinde *lex non obligat:*

1° In dubio an *lex* sit condita, aut debito modo promulgata; an tale opus imponat; an talem habeat sensum; an revera praecipiat, vel solummodo suadeat; an extendatur ad talem casum, ad illud territorium aut subjectum; an Superior (qui nondum in pacifica possessione est) legitima auctoritate potiatur.

2° In dubio an *votum* fuerit emissum; an se ad hoc vel ad illud extendat; an pactio aut promissio facta fuerit; an contractum fuerit aliquod debitum.

3° In dubio an inchoata sit *legis obligatio:* v. gr. si dubites feria 5ª, versus mediam noctem, an sit jam incepta dies abstinentiae; item, si dubites an aetatem ad subeundam legem Ecclesiae attigeris.

In his omnibus hisque similibus casibus, versatur revera dubium *circa legis existentiam* aut ejus *inceptionem;* et proinde lex est dubia, remanetque integra libertas (I, 27, 34, 195; VI, 468, 473 seqq.).

Digitized by Google

II. Possidet vero LEX, et ideo *libertas manet ligata:*

1° Si dubites an *lex,* certe promulgata, fuerit postea abrogata, revocata, dispensata, aut per contrariam consuetudinem abolita. — Item, si dubites an lex sit justa, vel fuerit recepta; an superior recta et justa praeceperit.

2° Si dubites an *legis obligatio* cessaverit, v. gr. an sis sexagenarius ideoque a jejunii lege solutus; an dies abstinentiae aut jejunii jam tota praeterierit, v. gr. sabbato versus mediam noctem.

3° Si dubites an legem *impleveris,* v. gr. an recitaveris Officium divinum, an satisfeceris praecepto confessionis, poenitentiae sacramentalis, voto, obligationi contractus, solutioni debiti certi, etc.

In his et similibus casibus (nisi dubium sit tantum de valore actus legem implentis, ut dictum est supra) principium possessionis favet legi, ac proinde tua libertas ligatur, donec moraliter certum sit te legi satisfecisse, vel legis vinculum esse jam solutum (I, 26 seqq.; VI, 475).

56. — *Nota.* Quae de formatione conscientiae practice certae per principia reflexa modo diximus, non omnibus aeque probantur. Quando agitur de dubio *positivo,* alii alias sententias sequuntur. — Hinc orta est celebris illa DE PROBABILISMO controversia. Quae quaestio, cum maximi sit momenti, opportunum esse duximus grande argumentum accuratius pertractare: non quod novae tradendae sint regulae, sed quod jam expositae diligentius sint perpendendae, aptisque confirmandae rationibus, cum totum S. Alphonsi MORALE SYSTEMA illis innitatur.

CAPUT III.

De conscientia probabili.

S. Alphonsus, I, 40; ed. G., I, p. 21; H. Ap., tr. I, n. 21; *Beaudouin,* de Consc., q. IV, 1°; *Gaudé,* de system. S. Alph., c. II; *Ter Haar,* de system. mor. antiq. Probab.; *Valensise,* super system. Theol. mor.... disquisitio, p. 35; *Lehmkuhl,* I, n. 156; *Noldin,* I, n. 222; *Génicot,* I, n. 63.

57. — NOTIO. Conscientia probabilis definitur a *S. Alphonso* (I, 40): « Conscientia qua quis, innixus aliqua opinione probabili, format sibi practicum dictamen rationis, ex certis principiis reflexis sive concomitantibus, ad licite operandum ».

Sic definita, conscientia probabilis est recta morum regula, cum practicum, hocque certum, de actionis honestate dictamen suppeditet.

Ordo dicendorum. In conscientia probabili duo distinguuntur: ipsa scilicet *opinio probabilis,* qua innitimur, et practici dictaminis formatio quae fit *per principia reflexa,* quibus opinionis *usus* determinatur. — Quare agendum est: 1° de natura probabilitatis; 2° de usu probabilitatis.

ARTICULUS I.

De natura probabilitatis.

58. — DEFINITIO. Opinio est assensus mentis in unam partem contradictionis cum formidine alterius (*S. Thomas,* I, q. 79, a. 9, ad 4). — Quatenus est assensus, opinio differt a *dubio,* quod est su-

Digitized by Google

spensio judicii neutri parti assentientis. — Quatenus est cum formidine partis oppositae, non dicit recessum a parte cui assentitur, sed defectum firmitatis scientiae, et sic differt a *scientia* stricte dicta, et a *certitudine*, quae est assensus excludens fundatam formidinem. Vide dicta n. 33.

Probabile, vi etymologiae, idem significat ac quod rationibus probari potest. *Probabilitas* autem est veri apparentia, quae variis ex causis oriri potest, variosque gradus admittit.

Opinio probabilis potest tum subjective, tum objective considerari. — Considerata *subjective*, est mentis assensus uni parti datus ob motivum idoneum suadens ejus veritatem, fallibile tamen, et ideo cum formidine partis oppositae. — Considerata *objective*, est sententia, quae gravi fundamento nititur, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi. — Quae DD. communiter de opinione probabili disputant, spectant ad opinionem objective sumptam.

59. — Divisio. 1° Ratione objecti, probabilitas est *facti* vel *juris*, prout versatur circa rei veritatem, vel circa honestatem actionis, ut supra (n. 32, 2°) explicatum est.

2° Ratione fundamenti, distinguitur probabilitas intrinseca vel extrinseca. — *Intrinseca* est quae nititur rationum momentis ex ipsa rei natura desumptis; *extrinseca* quae nititur testimonio et auctoritate doctorum.

3° Ratione usus, dividitur in speculativam et practicam (III, 700, nota). — Probabilitas *speculativa* (seu remota) est verisimilitudo opinionis in se consideratae, quatenus est objectum cognitionis, sine ulla applicatione ad opus. — Probabilitas *practica* (seu proxima) est verisimilitudo opinionis consideratae respectu ad opus, quatenus nempe, omnibus perpensis, inservire potest ad *certum et practicum conscientiae dictamen* (cfr. n. 80, 2°).

60. — His de notione probabilitatis praemissis, sedulo notandum est, posse opiniones probabiles, tum *in se ipsis*, tum relative seu *comparative ad oppositas*, considerari. — Cum vero haec res magni momenti sit, paulo fusius exponenda est.

§ 1. De opinionibus in se spectatis.

61. — I. Probabilitas *intrinseca, absoluta* est veri apparentia, quam prae se fert opinio in se, in suis motivis considerata, ac independenter a quavis opinione opposita. Ex hoc patet, quod opinio, in se spectata, plus minusve probabilis est, prout majus aut minus est rationum, quibus ipsa innititur, pondus. — Hinc distinguuntur varii probabilitatis gradus, qui tamen omnes ad tres in praxi revocari possunt, nempe,

Digitized by Google

ad opinionem *solide* probabilem, ad opinionem *probabilissimam*, et demum ad opinionem *tenuiter* probabilem.

1° Opinio VERE ET SOLIDE PROBABILIS est ea, quae fallibili quidem fundamento nititur, sed fundamento ita firmo, ut viri prudentis assensum ad se trahere valeat, etsi cum formidine erroris.

Ut autem talis insit opinioni probabilitas, requiritur: *a*) ut ipsa motivo non qualicumque, sed gravi relate ad rem decernendam, nitatur; *b*) ut nec sacrae Scripturae, nec traditioni, nec Ecclesiae definitioni adversetur, secus de ejus falsitate jam constaret; *c*) ut ipsi non opponatur ratio convincens, cui nulla adaequata responsio suppetere videtur (I, 79 et 82).

Ad genus opinionum vere et solide probabilium pertinet opinio *satis probabilis*. Quamvis enim motivum, quo innititur, non sit ejusdem firmitatis ac in opinione quae vere probabilis dicitur, est sufficiens tamen ad movendam mentem prudentis.

2° Opinio PROBABILISSIMA (in se et absolute sumpta) ea est, « quae nititur fundamento gravissimo, quapropter opposita censetur tenuiter vel dubie probabilis » (I, 40, 81). Vide dicenda n. 71.

3° Opinio TENUITER PROBABILIS est illa, quae aliquo fundamento nititur, sed non tali ut valeat assensum viri prudentis ad se trahere.

Ab ea vix differt opinio *dubie*, vel etiam *probabiliter probabilis*, quae etsi non careat omnino prudenti motivo, quod sit vera; non tamen habet fundamentum, aut certum, aut sufficienter grave, quale requiritur ad constituendam veram probabilitatem (I, 81; *Vind. Alph.*, I, p. 8).

Ratio, cur opinio probabiliter probabilis non sit dicenda absolute probabilis, sic a *Viva* exponitur: Sicut enim certitudo aut evidentia de probabilitate opinionis non transfundit certitudinem aut evidentiam in ipsam opinionem; ita probabilitas de opinionis probabilitate nec transfundit probabilitatem in ipsam opinionem (Thes. de opin. probab.).

Extra limites probabilitatis, est opinio IMPROBABILIS quae, utpote sententiae moraliter certae opposita, judicatur omni probabilitatis elemento destituta, ideoque orbata omni spe veritatis (I, 40). Frequenter tamen dicitur aliqua opinio improbabilis, scilicet *practice*, quamvis in se non sit omni probabilitate destituta (cfr. n. 73).

62. — *Nota.* 1° De intrinseca opinionum probabilitate valent *soli viri docti* et in re morali versati judicare, cum soli scire possint, nihil certi ipsis opponi. Pluries enim viris ingeniosis, sed parum in scientia morali eruditis, videtur evidens quod periti falsum existimant. — Quoad casus particulares non discussos a theologis, illa opinio est viro docto ac timorato sufficienter probabilis, quam post seriam rationum perpensationem et doctorum consultationem, absque inordinato affectu, talem esse judicaverit [1].

2° Illitterati possunt tuta conscientia sequi sententiam seu consilium pastoris vel confessarii, aut alterius viri prudentis et docti.

[1] Diss. 1757; de Usu moder., n. LXXXIV, in Op. mor., 3, 4 et 5 ed.; ed. Bassan., an. 1763, n. LXXXV; ed. Taurin., an. 1829, ibid.; Monza, 1832.

Digitized by Google

63. — II. Ad probabilitatem EXTRINSECAM quod attinet, sequentes tenendae sunt regulae:

1° Probabilis habenda est opinio quae, tolerante Ecclesia, inter theologos communis est.

Communis autem theologorum sententia est minime cum unanimi theologorum sententia confundenda. *Unanimis* eorum *sententia* non jam opinio est, sed veritas moraliter certa. Etenim, cum omnes concionatores, catechistae et confessarii illud tradant quod unanimiter docetur, si isti errarent, Ecclesia, communem errorem dissimulando, falsum tacite approbaret, induceretque christifideles in errorem, ideoque ipsa erraret. Contra, *sententia communis* non est veritas certa, sed est solum opinio, quam auctores probati generatim tenent, et cui idcirco maxima inest auctoritas [1]. — *Communior* dicitur opinio, quando stant pro ea notabiliter plures auctores quam pro opposita (per se igitur non aequivalet sententiae communi); *communissima,* quando auctorum consensus est fere unanimis. Cfr. *Beaudouin,* q. IV, dub. IV.

2° Probabilis etiam plerumque censenda est sententia, quam plures (saltem quinque aut sex) theologi, probitate et judicio insignes, tradunt.

Diximus *plerumque:* solus enim Summus Pontifex docens ex Cathedra, infallibilitatis praerogativa gaudet. Et ideo, cum apparet pro aliqua sententia quaedam ratio, vel auctoritas convincens, cui nulla adaequata responsio suppetere videtur, tunc opinio contraria non potest haberi tanquam probabilis [2].

3° Unus auctor non sufficit, ut aliqua opinio dicatur vere et sufficienter probabilis, si nempe de auctore *qualiscumque notae* agatur, cum ab Alexandro VII damnata sit, sub n. 27, haec propositio: « Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem » [3].

Si tamen agatur de auctore gravi et magni nominis in Ecclesia, *omnique exceptione majore,* possumus, modo nihil doceat contra Scripturam vel communem Ecclesiae sensum, illius opinionem tanquam probabilem sequi.

4° Potest etiam aliquando, licet *raro,* unius doctoris auctoritas constituere opinionem probabilem, et adhuc probabiliorem *contra communem aliorum;* si nempe auctor ille sit valde doctus, probus et prudens, nec novitatum amans, et validam rationem adducat, quae ab aliis non fuerit sufficienter soluta [4].

5° Postremo, probabilis censenda est sententia, quam aliquis magnus theologus *testatur esse probabilem,* quamvis ipse contrariam

[1] Apud antiquiores theologos, subinde etiam apud S. Alphonsum, sententia aliqua vocatur *communis,* etiamsi multi graves AA. ipsi adversentur. Cfr. *Gobat* (t. III, tr. 1, clyp. n. 22); *Navarrus* (Manuale, c. 27, n. 289). — [2] Diss. 1757, n. LXXXV (in quibusdam editionibus, n. LXXXVII, et sic deinceps alii numeri hic cit.); cfr. *Croix,* l. I, n. 369. — [3] Ita docuerunt Verricelli, Acacius de Velasco, Episc. Oriolensis, et alii. Cfr. Diss. 1757, n. LXXXV. — [4] Diss. 1757, n. LXXXV; dell'Uso moder. (1765), c. 4, n. 21.

Digitized by Google

tanquam probabiliorem tradat [1]. — Magnus autem theologus aestimatur qui magna pollet auctoritate apud theologos propter egregiam suam *doctrinam, prudentiam* et *probitatem*.

Tales, secundum *S. Alphonsum*, sunt : Suarez, Soto, Azor, Canus, Sylvius, Cajetanus, Bannez, Navarrus, Paludanus, Toletus, Sylvester, Lessius, Molina, Sanchez, Angelus, Vasquez, Armilla, Valentia, Laymann, de Lugo, Castropalaus, Bonacina, Emmanuel Sa, Pontius, Cabassutius, Collet, Roncaglia, Salmanticenses, Petrocorensis, Abelly, Cardenas, Coninck, Gamachaeus, Isambert, etc., praeter D. Thomam, D. Bonaventuram, D. Antoninum et Scotum, quorum auctoritas aliis utique praeponi debet [2]. — Doctissimis tandem his viris adnumerandus venit S. Alphonsus, cujus quanta sit auctoritas, jam scimus (cfr. praef.).

64. — QUAERITUR. *An probabilitas extrinseca constituat veram probabilitatem.*

Resp. 1° Sunt qui probabilitatem extrinsecam omnino rejiciunt, sunt qui eam nimis extollunt. — Quod auctoritas extrinseca aliquando, *servatis servandis*, veram probabilitatem constituat, constat ex Scriptura (*Prov.*, 22, 17), ubi dicitur: *Inclina aurem tuam, et audi verba sapientum;* et alibi (*Prov.*, 3, 5): *Ne innitaris prudentiae tuae.* Ille autem suae prudentiae inniti negatur, qui sapientium auctoritati ita obsequitur, ut ob illam, relicta aliquando sua propria sententia, ad opus sese accingat (Diss. cit., n. 80).

Constat etiam ex responsione S. Poenitentiariae, anno 1831 edita, et a Gregorio XVI confirmata « non esse, scilicet, inquietandum confessarium qui in poenitentiae tribunali sequatur doctrinam S. ALPHONSI DE LIGORIO, etiamsi non perpendat momenta et rationes, quibus innituntur variae ipsius opiniones, sed *ob hanc solam rationem quod in ejus operibus nihil censura dignum repertum fuerit* ». Nisi enim probabilitas extrinseca aliquando gravem, veram et firmam probabilitatem constitueret, certum est nunquam futurum fuisse, ut haec solemnis declaratio ederetur.

Diximus: *servatis servandis;* quia pro usu practico probabilitatis extrinsecae servandae sunt regulae systematis moralis.

2° De cetero, si res bene perpendatur, patet extrinsecam probabilitatem *resolvi in probabilitatem intrinsecam*. Ex eo enim quod insignes doctores aliquam opinionem tradunt, oritur valida praesumptio opinionem illam gravibus rationibus fulciri.

Unde *S. Thomas* (2. 2, q. 4, a. 8, ad 2): « Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur ». — « Et revera, subdit *S. Alphonsus* (l. c., n. 83), si ego minus doctus sententiam sequerer D. Thomae contra rationem, quae probabilior mihi videtur, quis neget quod prudentius agerem si, mea opinione suspensa, tantae auctoritati deferrem? ».

[1] Cfr. Diss. 1757, n. LXXXV. — [2] Diss. 1757, n. LXXXVII.

Digitized by Google

65. — Circa auctoritatem scriptorum (ne ea nimis extollatur) haec notanda sunt:

1° Aestimanda est scriptorum auctoritas, *non ex eorum multitudine,* sed ex eorum *gravitate,* et ex rationibus quibus innituntur. — Porro, inter ipsos graves auctores praeferendi sunt illi: *a*) qui rem ex professo pertractaverunt [1]; — *b*) qui, quam tradunt doctrinam, experientia comprobarunt, v. gr. excipiendo multorum confessiones: experientia enim est optima magistra; — *c*) illi demum qui solius veritatis amore ducti (quales sunt Sancti) ad scribendum incubuerunt (Diss. cit., n. 87). Cfr. *Ami du Cl.,* 1900, p. 613.

2° Ad *Casuistas* quod attinet, antiquioribus anteponendi sunt recentiores, qui post damnatas sententias scripserunt, de illis nempe quaestionibus, quae ad damnatas propositiones spectant, vel quae sunt cum illis affines. — Recole dicta n. 4.

66. — Quoad *ipsius S. Alphonsi opiniones,* verissime affirmari potest: gaudent generatim summa auctoritate, seu extrinseca probabilitate. — Etenim: 1° Beato Doctori plene omnia illa insunt, quae summam auctoritatem conciliant, nempe: sanctitas vitae, singularis veritatis amor, studium et indefessa per plurimos annos investigatio, diuturna experientia, insignis scientia et summum erga S. Sedem obsequium. — 2° Ipsius opiniones, etiam illae quae a communi antiquorum theologorum sententia recedunt, hodie jam factae sunt, saltem pleraeque, communes aut communiores. — 3° Hae opiniones universim docentur, non solum tolerante, sed vere approbante Ecclesia: approbante scilicet non quidem in sensu definitivo, sed in sensu tum permissivo, tum etiam electivo; ita ut pluries ab ipsa S. Sede professoribus et confessariis tanquam sanae, tutae ac saluberrimae commendatae fuerint (*Vind. Alph.*, Prooem. Diss., § 2).

§ 2. De opinionibus comparative sumptis.

67. — Probabilitas *comparativa* est veri apparentia, quam retinet opinio post comparationem factam cum opposita (cfr. n. 58, 60, 61).

Multae sunt opiniones, quae, si in se solis et seorsim a motivis oppositis considerentur, intellectum viri etiam prudentis ad assensum vehementer inclinant. Quod tamen non fit, si cum oppositae quoque opinionis rationibus conferantur. Cfr. IV, 72. — Sic, v. gr., testimonium viri gravis, in se solum consideratum, ejusmodi probabilitatem praebet, qua vir prudens niti possit. Sed si huic testimonio testimonia duorum virorum aeque gravium opponantur, jam evidens est primum assertum non amplius retinere eamdem, quam habebat, veri similitudinem, nec solidum amplius in eo inveniri fundamentum. — Hinc *Viva* recte dicit: Ex dictis constat opinionem esse tenuis probabilitatis, si, v. gr., fundamentum sit de se grave absolute, non tamen grave comparative ad momenta partis oppositae (Thes. damn. in prop. 3ª Alex. VIII, n. 10).

Quamobrem, exsurgente notitia aut prudenti dubio alicujus oppositae probabilitatis, *obligatio* etiam exsurgit *examinandi* hanc oppositam probabilitatem;

[1] Sic prae ceteris praedicantur: *Lugo, Lessius,* de Justitia; *Suarez,* de Legibus; continuator *Tournely,* de Obligationibus; *Berti* et *Billuart,* de Sacramentis; *Tournely,* de Baptismo; *Lugo, Salmant.* et *Lacroix,* de Poenitentia; *Sanchez* et *Pontius,* de Matrimonio; *Bonacina,* de Censuris; etc.

Digitized by Google

eamque cum priore comparandi (V, 4): secus enim errori voluntarie ansa daretur (n. 40, 2ª). — Quin imo generali principio prudentia dictat, quod sit *inquirendum, comparandum,* ita ut, *omnibus perpensis,* recta via inveniatur.

68. — Facta autem opinionum comparatione, definiendum venit modo generali: 1° quibus notis inter se distinguantur; 2° quale dubium ex illarum oppositione exoriatur.

1. *Quibus notis inter se distinguantur opiniones comparative sumptae.*

69. — Instituitur comparatio opinionum sub duplici respectu: sub respectu nimirum *securitatis,* et sub respectu *probabilitatis* in ordine ad certitudinem.

I. *Ratione securitatis,* opinio dicitur tuta, tutior, vel minus tuta.

Tuta simpliciter illa est, quae removet periculum peccandi formaliter, sive legi, sive libertati faveat. Talis est sententia moraliter certa, vel ea cui favent principia reflexa. *Tutior* (respectu minus tutae) illa est, quae favet legi; nam qui in opinionum conflictu legis partes amplectitur, vel ipsum materialiter peccandi periculum devitat, ideoque tutius agit. — Postremo, *minus tuta* illa est, quae favet libertati, et aliquod saltem materialis transgressionis periculum secum affert (I, 40).

Atque hinc patet opinionem probabiliorem non semper esse opinionem tutiorem, siquidem major probabilitas potest esse in favorem libertatis. Sic, v. gr., pro illo qui in peccatum mortale lapsus est, tutius est *statim* confiteri (opinio S. Bonaventurae); ad hoc tamen non tenetur, secundum opinionem S. Thomae, quae est minus tuta sed probabilior (*Billuart,* de Consc., Diss. VI, a. 1). Cfr. n. 1647.

70. — II. *Ratione probabilitatis,* opiniones sunt vel aequiprobabiles, vel una est altera probabilior.

1° Opiniones dicuntur AEQUIPROBABILES, quando rationes pro utraque parte sunt aeque vel fere aeque graves. — Dicimus *fere aeque graves;* « quia (sicut omnes probabilistae et antiprobabilistae conveniunt), cum inter utramque opinionem modica est praeponderantia, ita ut valde tenuis et dubius sit excessus, tunc ambae opiniones *aeque probabiles* existimantur, juxta commune illud axioma: *Parum pro nihilo reputatur* ». Ita, I, 55 (ed. 6 et 7); H. Ap., I, 77.

2° Opinio PROBABILIOR illa dicitur, pro qua stant rationes graviores. — Haec autem est vel *parum* seu *dubie* probabilior (cui nempe opponi solet opinio solide vel satis probabilis, ut passim in Opere S. Alphonsi), et tunc reducitur ad opinionem fere aequiprobabilem [1]; vel est *certe* probabilior, et tunc exit e finibus aequiprobabilitatis.

Opinio igitur *certe probabilior* illa est quae, post institutam rationum ponderationem pro utraque opinione militantium, ab ipso agente judicatur absque ulla haesitatione certe praeponderans (*Ind. Alph.,* P. I, c. 1, § 1, a. 1). Talis

[1] Hoc bene notent qui putant S. Alphonsum esse in suo quidem systemate aequiprobabilistam, sed in solvendis particularibus quaestionibus esse probabilistam.

Digitized by Google

est, v. gr., opinio, quam amplectuntur multo plures auctores graves, aut quam ipsi uno ore dicunt probabiliorem [1]. — Cum autem aliqua opinio « est *certe* et sine ulla haesitatione probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi *notabiliter* probabilior ». Talis enim est rerum moralium natura, ut ordinarie parvus excessus modo certo percipi nequeat, et parum pro nihilo reputatur (I, 55, X, in ed. 6 et 7).

71. — Opinioni certe probabiliori aequiparatur *pro praxi* opinio *probabilissima*, quae fundamento nititur gravissimo, ita ut contraria tantum dubie probabilis censeatur (cfr. n. 31; n. 61, 2°; n. 77).

Ad rem *Gaudé* (Diss. de moral. syst. S. Alph., p. 82): Ad summum, certe probabilior potest aequiparari probabilissimae; sed neque semper, neque necessario ad hunc gradum ascendit. Inter dubie probabiliorem et certo probabiliorem nullus reperitur gradus intermedius; multi autem inter dubie probabiliorem et probabilissimam excogitari possunt et debent.

Nota. Vox *probabilissima* (qua ceteroquin rarissime utitur S. Alphonsus) potest duplici sensu accipi. Potest enim significare: 1° probabilissimam *omnium* opinionum, quae examini subjiciuntur; 2° probabilissimam *in se*, seu obsolute sumptam, i. e. *admodum* seu *valde probabilem*. S. Doctor in hoc posteriori potius sensu vocem accipere videtur, sicut patet ex variis exemplis [2].

72. — Occurrit nonnunquam opinio quae vocatur UNICE vel SOLITARIE PROBABILIS, i. e. opinio, quae revera probabilis est, absque cognita probabilitate in contrarium: unde vim etiam habet certe probabilioris. *Definiri potest:* Opinio, quae gravibus nititur rationibus, nec ex adverso, ab aliis rationibus aut conjecturis concutitur vel infirmatur. V. gr., si vir probus aliquid serio promittit, ejus promissio est grave motivum, quod sibi viri prudentis fiduciam exposcit, donec ex certo argumento, v. gr. ex praeterita fidei violatione, infidelitatis probabilitas appareat [3].

73. — His ita definitis, juvat proponere SCHEMA, ex quo clare uno contuitu videri possit quomodo opiniones sibi invicem opponantur:

1.	Sententia vera, Sententia moraliter certa *(proprie dicta)*,	Opinio improbabilis *(absolute et specul.)*.
2.	Opinio verior, » probabilissima *(gravissima)*, » probabilior *(notabiliter, certe, vere, absolute)*,	Tenuiter, dubie, *non solide* probabilis, improbabilis *(practice)*.
3.	Opinio probabilior *(parum, dubie)*, » probabilis *(certe, graviter, solide)*,	Probabilis *(aeque, fere aeque, satis)*.

[1] Errant cl. *Bucceroni, Arendt,* quando contendunt, certo probabiliorem ad mentem S. Alphonsi illam esse quae *omnibus* apparet notabiliter probabilior, quae *publica aestimatione* est notabiliter probabilior. In Diss. enim ex anno 1765 haec leguntur: « Etiam ille qui juxta lumen rationis judicat, opinionem stantem pro lege esse notabiliter aut certo probabiliorem, tenetur ad eam observandam, etiamsidetur disceptatio inter AA. ». Cfr. *Wouters*, de Minusprobab., p. 50 et 60. — [2] I, 35; II, 23, fin.; III, 234, fin.; III, 520, quaer. 4; VI, 222, vers. fin. — [3] I, 68, 74; III, 148, 562; VI, 7 *a*, Excip. 4; cfr. Apolog. 1764, § 5 (Torino, 1829, p. 18; Monza, 1831, p. 326-330); et Conf. dir., c. V, n. 9, ubi exempla.

Digitized by Google

Nota. Praeter tres supradictos comparationis gradus, alii *intermedii* gradus non sunt attendendi, quia modo certo discerni nequeunt. — Varia igitur vocabula quae eumdem gradum in proposito *schemate* enuntiant, aut idem omnino exprimunt, aut aliquid solum propensionis ad gradum, sive superiorem, sive inferiorem, innuunt. — Atque hinc est cur *S. Alphonsus* doceat [1], opinionem, *etiam ob unius gradus praeponderantiam,* collocari extra aequiprobabilitatis limites, si nempe gradus sit *notabilis.* «Sufficit, ait, ut opinio sit unico gradu probabilior; sed rite id intelligatur: iste gradus talis sit oportet, ut *certum* me reddat opinionem esse probabiliorem». Hujusmodi erit, v. gr., ratio gravis cui adaequatam responsionem suppetere non aspicimus, vel etiam auctoritas alicujus magni doctoris.

In comparativa igitur opinionum probabilitate dijudicanda, securior methodus est inquirere, utrum excessus, quo altera alteram vincit, sit *certus* necne. Sufficit si habeatur certus, cum hoc signum sit illum esse notabilem. — En Beati Doctoris verba: «Quando opinio est certe probabilior etiam unico gradu, tunc etiam est notabiliter probabilior, quia haec certitudo majoris probabilitatis probat hanc probabilitatem adeo praeponderantem esse, ut sufficiat ad inflectendam lancem (scil. mentis); et ideo assero sententiam certe probabiliorem eamdem esse ac notabiliter probabiliorem». — Dein difficultati, quae facile opponi posset, occurrens sic pergit: «Dicet aliquis quod pondus 10 unciarum certe majus est pondere 9 unciarum, quamquam excessus non sit notabilis. — Respondeo quod hoc valet in materia physica; sed in materia metaphysica, quatenus agitur de judiciis intellectus, dico quod, *quando excessus* est *certus,* est *quoque notabilis;* quia, si non esset notabilis, neque certus esset, sed ambiguus et dubius». Ita ad *P. Blasucci* (Lettere, III, 219). Ita praesertim in citato Monito, 1773. Cfr. Epistolas, III, n. 185, 188, 217. Vide Diss. dell'Uso moder., 1765 et 1767.

2. *Quale dubium, qualisve certitudo habeatur ex opinionibus sibi invicem oppositis?*

74. — Ex oppositione opinionum aliquod necessario dubium exoritur. Permagni autem scire interest, utrum illud dubium sit *strictum* an *latum.*

I. Si opiniones sunt AEQUIPROBABILES, ipsae se invicem elidunt in ordine ad prudentem mentis assensum obtinendum, et in hoc casu habetur *dubium strictum.*

En S. Alphonsi verba, quae sunt quasi cardo sui systematis: «Cum adest ex alia parte, inquit, opinio aequiprobabilis pro libertate, tunc ex neutra parte aliqua potest superesse probabilitas, seu probabilis ratio apta ad prudentem hominis assensum sibi trahendum; nam, ex his aequalibus probabilitatibus aliud quam merum dubium non resultat, an existat vel non existat lex... Id clare docet *S. Thomas* (de Verit., q. 14, a. 1)... Etenim, sicut statera tam in aequilibrio est, cum ei nullum pondus imponitur, quam cum aequalia imponuntur onera; eodem modo, cum duae probabilitates seu probabiles opiniones occurrunt, ipsae adeo judicium suspendunt, ac si nulla ex utraque parte

[1] Auctoris Monitum, in fine t. III, ed. 7 (1773); cfr. *Vind. Alph.*, t. I, p. 81, n. 2.

Digitized by Google

probabilitas existeret. — Idem dicunt communiter omnes probabilistae et probabilioristae »[1].

Nota. Elisio est vel ablatio probabilitatis, vel impeditio solius effectus ejus, i. e. virtutis permovendi intellectum ad prudentem assensum (*Aertnys*, l. 1, n. 70). Contradictio inter opiniones potest existere vel in rationibus simul atque conclusionibus, vel in solis conclusionibus. — His positis, opinio ab opinione aequiprobabili duplici modo ELIDI potest: 1° *absolute* et *speculative*, quando motiva utriusque opinionis sunt *aequalia* et simul *contradictoria*, v. gr. quando duo graves testes affirmant aliquod factum, et duo alii aequalis fidei illud negant; tunc enim horum negatione illorum affirmatio prorsus destruitur (hic casus raro occurrit in controversiis moralibus); 2° *relative* et *practice*, quando motiva *aequalia* sunt ac *disparata*, et opiniones ipsae, seu potius conclusiones, sibi invicem contradicunt (dum, v. gr., una dicit: *Licet pingere die festo*, et altera: *Non licet*); tnnc enim motiva aequalia, etsi dissimilia, intellectum aequaliter movent pro utraque parte contradictionis, et ideo *impediunt* quominus uni potius quam alteri prudenter adhaereat.

Equidem, potest intellectus uni prae altero adhaerere; non tamen adhaerebit *prudenter* et motus ab objecto, sed tantum motus a voluntate. « Alio modo, inquit *D. Thomas* (2. 2, q. 1, a. 4), intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam *electionem*, voluntarie declinans in unam partem, magis quam in aliam ». Ast, electio, quae ratione non ducitur, ab imprudentia et temeritate vacare non potest.

Exinde facile intelligitur, qua ratione S. Alphonsus, loquens de opinionibus aeque probabilibus, dicere potuerit: « Utraque est probabilis » (passim in *Opere morali*), et « neutra est probabilis sed tantum dubia remanet » (lib. I, 76, *Sed instat*). — Sensus verborum est: utraque opinio est probabilis, spectava vi propriarum rationum, quibus gignitur spes veritatis. Neutra vero remanet probabilis (expedite scilicet), sed utraque fit dubia, spectata vi rationum oppositarum, quibus injicitur formido erroris (*Vind. Alph.*, Diss. apolog., n. 88).

75. — II. Si una opinio est CERTE PROBABILIOR, opposita minus probabilis, saltem pratice, *eliditur;* i. e. mens ei ut verae ne leviter quidem *prudenter* assentiri potest; nec ad rem facit, utrum motiva, quibus innititur minus probabilis, sint contradictoria vel disparata. Ratio est, quanto magis aliquis opinatur propter fortia motiva, tanto magis accedit ad perfectionem scientiae et veritatis, tantoque magis recedit ab ignorantiae et erroris imperfectione (*Beaudouin*, l. c., p. 127). In opinionum inaequalium ergo concursu, solus excessus ponderis vim habet attrahendi mentis assensum; unde fit, ut opinio certe probabilior sola retineat firmum fundamentum, seu remaneat expedite probabilis; ideoque, in hoc casu, habetur solummodo *dubium latum*.

« Cum opinio tutior est certe probabilior, ait B. Doctor[2], eo casu, quamvis lex omnino certa non sit, attamen propter illam majorem probabilitatem, opinio pro lege videtur *moraliter verior*, et consequenter (lex) apparet moraliter ac sufficienter promulgata, et ideo nequit dici tunc omnino dubia dubio stricto: remanet tantum eo casu aliquod dubium latum, quod ab opinione

[1] I, 68 (a 6ª ed. tantum); dell'Uso moderato, op. Clem. XIII dicatum, 1765, c. 3, n. 26-29; cfr. *Vind. Alph.*, Diss. apolog., n. 78 seqq. — [2] I, 62, 88; H. Ap., I, 77.

Digitized by Google

tutiore discedere non permittit ». — Inde « fit quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remanet aut tenuiter, aut saltem dubie probabilis, respectu tutioris »[1]. Et alibi pro praxi: « Opinio *vere probabilis* est illa sola, quae habet fundamenta intrinseca et extrinseca aeque aut quasi aeque valida ac opposita pro lege, ita ut lex *stricte dubia* appareat »[2].

76. — Si opinio est UNICE PROBABILIS seu non impugnata, versamur similiter *in dubio lato*. Etenim, cum nihil apparet in contrarium, hujusmodi opinio habet jam fundamentum certo sensu moraliter certum se esse veram.

Unde *S. Alphonsus* aequiparat talem opinionem, in ordine practico, sententiae moraliter certae, inquiens[3]: « Casu quo notitia adesset probabilis tantum pro lege, tunc legi *quaedam* moralis certitudo assisteret ». Et alibi[4]: « Homo manet lege ligatus, quando cognoscit legem, non vero quando dubitat de lege. Nonne autem sufficit notitia probabilis? Neutiquam. Sufficeret, si adesset probabilitas pro parte legis tantum ». Et in alio loco[5]: « Verbum *probabiliter*, si sit ex una parte, significat persuasionem moraliter certam », scilicet lato sensu.

Idem pro praxi valet, si quis gravi motivo innixus, ad momenta partis oppositae *invincibiliter non advertat*. — Ad rem sic *Viva*[6]: « Propterea, si quis solum advertat ad fundamentum hujusmodi de se grave, et invincibiliter non advertat ad momenta partis oppositae, ratione quorum fundamentum illud est simpliciter leve, et opinio illa est tenuis probabilitatis, non peccabit deducendo in praxim hujusmodi opinionem, idque per accidens, non per se ».

77. — *Nota*. Non est confundenda opinio certe probabilior (vel etiam probabilissima) cum *sententia moraliter certa* proprie dicta: nam probabilitas, qua talis, includit semper erroris formidinem, ideoque certitudinem moralem, stricte dictam, excludit[7]. — Attamen, si opinio, post institutam comparationem, appareat praeponderans et certe probabilior, praebet sufficiens fundamentum ad conscientiam efformandam; cum opposita evadat dubie probabilis, i. e. dubium ingerat, an in his circumstantiis talis sit, cui vir prudens assentiri valeat. Et ideo quamvis opinio certe probabilior, speculative loquendo, moraliter certa non sit, neque excludat prudentem erroris formidinem, *practice* tamen instar moraliter certae habenda est, seu est moraliter certa, large loquendo[8]. — Et similiter, opinio certe minus probabilis, quamvis, in se et speculative, gravi forsan non careat fundamento, in praxi tamen tenuiter probabili aequiparanda est[9] (cfr. n. 103).

78. — Ex hucusque dictis, duplex haec *regula* ad determinandum cujuslibet controversiae statum, est statuenda:

1° Quoties opiniones occurrunt, quibus aut aequalis inest probabilitas, aut fere aequalis (quia scilicet una est solide probabilis, altera dubie vel parum probabilior), toties *in dubio stricto* versamur.

2° Quoties vero ex alterutra parte opinio occurrit certe probabilior (vel probabilissima, aut unice probabilis), toties habetur *certitudo*

[1] H. Ap., I, 31; l. 1, 54, ex ed. 6 et 7. — [2] Dell'Uso moder., c. 5, n. 25. Cfr. *Vind. Alph.*, Diss. apolog., n. 91. — [3] I, 68, 74, v. *Ceterum*. — [4] Apolog., 1764, § 5. — [5] III, 562; cfr. et 148. — [6] Thes. damn., prop. 3ª Alex. VIII, n. 10. — [7] I, 40; H. Ap., I, 20, 65. — [8] I, 40, 56 (ed. 6 et 7); H. Ap., l. c. — [9] Cfr. dell'Uso moder., c. I, n. 1, 2.

Digitized by Google

moralis late sumpta, cum dubio lato. — Quod si demum aliqua opinio demonstretur absolute improbabilis, omne dubium ita evincitur, ut jam adsit pro sententia, huic opinioni contradictoria, *certitudo moralis proprie dicta* (*Vind. Alph.*, Diss. apolog., n. 96). — Vid. Schema sub n. 73.

Cognita probabilitatis *natura*, de ejus nunc *usu* disserendun est.

ARTICULUS II.

De usu probabilitatis.

79. — Argumentum magni momenti, cujus tractationem aggredimur, his verbis enuntiari potest:

Quomodo efformari possit certum conscientiae dictamen, quando ob diversas opiniones, quarum altera pro lege stat, et altera pro libertate, haberi nequit certitudo directa. — Hic non solutio circa casum particularem quaeritur, sed *norma certa et universalis*, qua tuto discernatur, et quando liceat sequi opinionem faventem libertati, et quando opinionem faventem legi sequi teneamur.

Ad solvendam hanc quaestionem distinguendus est duplex casus: prout nempe movetur quaestio *de sola actionis honestate*, vel intervenit *periculum alicujus mali absolute vitandi*, quod a dictamine conscientiae non pendet. — In posteriori casu, usus probabilitatis est omnino illicitus; in priori autem casu, potest esse licitus.

§ 1. De illicito usu probabilitatis, ubi intervenit periculum alicujus mali absolute vitandi.

80. — Omnes theologi, saltem recentiores, docent usum probabilitatis non esse licitum in qualibet materia; dantur enim circumstantiae in quibus, *antecedenter* ad omne dubium, possidet lex tutiora eligendi (cfr. n. 42 et 54).

Ad faciliorem quaestionis intelligentiam, triplex distinguere oportet periculum in usu opinionis probabilis, periculum scilicet erroris, peccati, et effectus mali (*Vind. Alph.*, P. I, c. 1, § 1, a. 1, n. 3).

1° Periculum seu formido *erroris*, quocum necessario legis materialiter violandae periculum connectitur, semper adest in usu opinionis probabilis, ut ex ipsius probabilitatis notione patet. — Tale autem periculum, quando moralis diligentia ad inveniendam veritatem facta est, vitare nec possumus nec tenemur, quia error, si adest, est invincibilis (cfr. n. 95).

2° Periculum *peccandi formaliter* omnino removetur in dubio meri juris per principia reflexa. His enim principiis innixa, conscientia pellit formidinem practicam, et format sibi dictamen certum ac prudens de honestate suae actionis, ut supra ostensum est (n. 38-39) et infra confirmabitur.

3° Aliud periculum, a formali legis transgressione diversum, in dubiis facti intervenire potest, periculum scilicet alicujus damni seu *mali temporalis* aut *spiritualis*, a parte rei. Sic, v. gr., homicidium complectitur tum malum mo-

Digitized by Google

rale, seu peccatum, tum malum physicum, seu grave damnum, quod proximo ob privationem vitae infertur. Hic de ultimo periculo agitur.

81. — PRINCIPIUM. **Quoties in dubiis facti intervenit periculum damni seu mali, quod a conscientia non pendet et certo vitare tenemur, illicitus est usus cujusvis probabilitatis, et sequenda est pars tutior.** Ita communiter, contra quosdam laxistas.

Prob. Finem *absolute* prosequendum (qualis est ille de quo hic agitur) frustrationis periculo exponere non licet. — Jamvero, relicta parte tutiori, istiusmodi periculum (in casu) non vitatur; nam, quidquid sit de probabilitate opinionis, illud perseverat *ipsi rei* inesse; nec per principia reflexa tolli potest, cum non ab agentis conscientia aut persuasione, sed ab ipso facto pendeat.

Sic opinio quantumvis probabilis, non potest efficere ut, quod non est sacramentum, sit sacramentum, vel ut sit medicina, quod potius venenum est [1]. Scilicet, in hujusmodi casibus, non agitur de lege dubia, sed de lege *certa*, quae vetat ne periculum incurramus alterum ex certa sui juris possessione deturbandi. — Quare *S. Alphonsus:* « Si vibretur, ait, sagitta in probabili dubio an objectum illud sit homo aut fera, non agitur contra legem dubiam, sed contra certam: tali enim casu certa lex est, ne in probabile conjiciatur periculum vita proximi, qui certum jus habet ne laedatur » (H. Ap., I, 68).

Diximus: *Periculum mali, quod vitare tenemur;* quandoque enim dantur justae causae permittendi malum, imo creandi ipsum periculum ex quo malum enascatur: sive quia inter duo mala minus est eligendum, sive quia pars tutior censetur moraliter impossibilis, sive quia proximus non est in certa sui juris possessione. In hujusmodi casibus, licet, tutiore opinione relicta, minus tutam eligere (cfr. n. 315).

82. — Potest autem *finis absolute prosequendi necessitas* oriri ex lege, tum religionis, tum justitiae, tum caritatis, sive erga seipsum, sive erga proximum. — Unde sequentia profluunt

Corollaria. I. *In collatione sacramentorum* nequit minister, circa eorum valorem, uti opinione aut probabili, aut etiam probabiliori; sed tenetur sequi sententiam tutam, qualis est illa quae vel est tutior, vel moraliter certa. — Constat ex propositione 1ª ab Innocentio XI proscripta: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiori » [2]. Ratio damnationis est, quia conferre sacramentum cum sola opinione probabili, non tantum repugnat caritati, ob periculum gravis damni, sed etiam religioni et reverentiae Auctori sacramentorum debitae.

Excipe 1° *Nisi urgeat necessitas,* et per usum opinionis vel tenuiter probabilis de valore sacramenti, proximi saluti melius consulatur. Cum enim non

[1] Dell'Uso moder. (1765), c. I, n. 4 seqq., et c. IV, n. 32; et *Suarez*, ad 1. 2, tract. 3, disp. 12, sect. 6, n. 10. — [2] I, 48; H. Ap., I, 25. — Hanc propositionem docuerunt plurimi antiqui probabilistae. Cfr. *Ter Haar*, de syst. mor. ant. Probab., p. 91; *Viva* in h. prop.; *Schmitt*, Gesch. des Prob., p. 65, 114.

Digitized by Google

homines sint propter sacramenta, sed sacramenta propter homines, licet haec frustrationis periculo exponere, ut ita certe periclitanti hominis saluti, meliori quo fieri potest modo, succurratur. Hinc, deficiente materia certa, baptizandus est cum materia dubia infans, qui in mortis periculo versatur. Sub conditione tamen baptizandus est, ne sacramento irrogetur injuria, si forte invalide conficiatur [1].

2° *Nisi Ecclesia possit et rationabiliter praesumatur supplere:* quod quidem fieri potest, sive in sacramento poenitentiae, si ex justa causa administretur cum jurisdictione probabili probabilitate juris; sive in sacramento matrimonii, si adsit impedimentum ecclesiastica disciplina introductum, etiam probabile probabilitate juris [2]. — Supplente autem Ecclesia, habetur practice certitudo moralis, et ideo sacramentum non est sub conditione, sed absolute, conferendum. Vide plura in Tract. *de Poenitentia* et *de Matrimonio*.

Nota. Quaestio est, utrum *in susceptione sacramentorum* liceat uti opinione probabili. Aliqui affirmant; sed alii non immerito negant, tum quia est contra reverentiam sacramentis debitam ea exponere periculo frustrationis, tum quia opposita sententia fere numquam in praxim deduci potest sine propriae animae detrimento (I, 51).

83. — II. Non licet uti opinione probabili *in periculo proprii damni, sive spiritualis, sive temporalis,* necessario vitandi.

Hinc: 1° In necessariis ad salutem *necessitate medii,* v. gr. in materia fidei, sequenda est religio tutior, qualis, procul dubio, est nostra catholica. Ratio est, quia in absolute necessariis ad salutem, persuasio conscientiae non tollit periculum damnationis. In hisce igitur valet axioma: *Nulla nimia securitas, ubi periclitatur aeternitas.* Et merito damnata fuit ab Innocentio XI sequens propositio 4ª: « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili » [3].

2° In occasione *proxima* peccati, et generatim *in omni probabili periculo peccandi formaliter,* tutius similiter est eligendum, ut fusius suo loco explicabitur (n. 373 seqq.). — Hinc nefas est sequi plures opiniones speculative quidem probabiles, sed quae, attenta communi vel speciali operantis fragilitate, in praxi, certo conjunctae sunt cum probabili periculo lapsus in peccatum formale. — Opiniones hujusmodi versantur circa lectionem librorum prohibitorum, circa oscula, tactus, choreas, comoedias, circa materiam simoniae, etc.

3° In periculo *vitae* non licet, absque necessitate, sese exponere morti probabili, v. gr. sumendo cibum probabiliter innocuum et probabiliter venenosum [4].

84. — III. Non licet sequi opinionem probabilem *in periculo damni spiritualis vel temporalis proximi,* quoties proximus est in certa sui juris possessione.

Quare: 1° ob proximi scandalum, tenemur quandoque servare legem, quae probabiliter aut etiam certo non existit [5]. Hinc S. Paulus (I. *Cor.*, 8, 13): « Qua-

[1] I, 49. — [2] I, 45, 50; VI, 572, 573, 901; H. Ap., I. 27. — [3] Cfr. I, 43, et H. Ap., I, 22. — Sententiae damnatae favet *Thom. Sanchez* (Sum. l. 2, c. 1, n. 6). — [4] Dell'Uso moder., c. I, n. 9, et c. IV, n. 32. — [5] I, 97.

Digitized by Google

propter, inquit, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem ».

2° In medendo, tenetur medicus adhibere remedia tutiora. — Si tamen *casus esset desperatus,* satis probabiliter licet uti remedio dubio, i. e. probabiliter profuturo et probabiliter nocituro; quia, in hujusmodi casu, aliqua spes vitae praeferenda est periculo accelerandi mortem. — Solius autem *experimenti gratia* non licet incerta prorsus atque inexplorata remedia applicare infirmis, etiam desperatis, cum periculo graviter nocendi (I, 44 seqq.).

3° In directione et cura animarum, tenetur confessarius, regulariter, sequi *opiniones benignas,* quae communiter magis removent poenitentes a periculo peccati formalis. — « Ubi vero opiniones benignae proximum reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullae auctorum opiniones, v. gr. quoad vitandas occasiones proximas, et aliae id genus; tunc semper expedit, ut confessarius utatur, imo dico quod ipse, ut medicus animarum, tenetur uti *opinionibus tutioribus,* quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt ». I, 83; VI, 456.

4° In judicio civili, si neutra pars possideat, tenetur judex ferre sententiam in favorem illius partis, *pro qua stat opinio probabilior.* Ratio est, quia judex debet, ex divino atque humano praecepto, jus suum cuique tribuere, pro majori pondere rationum quae cuique favent. Hinc damnata fuit ab Innocentio XI prop. 2ª: « Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem » [1]. — Quodsi utriusque litigantis causa *aeque probabilis* videatur, debet rem controversam, aut ejus pretium, aequaliter dividere. Ratio, quia ipse non est rerum dominus, sed distributor juxta partium jura. — Unde damnata fuit ab Alexandro VII prop. 26ª: « Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere, pro ferenda sententia in favorem unius prae alio » [2] (I, 47).

Nota. Dictum est: *a) In judicio civili;* quia in causis criminalibus, ubi agitur de infligenda poena, praesertim capitali, semper sequenda est, inter oppositas sententias probabiles, sententia favens reo, tametsi minus sit probabilis; alias judex se exponeret periculo damnandi innocentem, quod est intrinsece malum. — *b) Si neutra pars possideat,* quia si unus litigantium rem bona fide possideat, et habeat pro se rationem probabilem, non potest exspoliari, etiamsi alter probabiliores rationes pro se adducat. Legitima enim possessio dat possessori jus certum rei retinendae, donec constet de jure alterius (I, l. c.; IV, 210). Cfr. supra n. 45.

5° In venando, venator dubitans an id quod videt in silva sit fera vel homo, non potest illud ferire, etiamsi probabilius existimet illud esse feram. — Idem dicendum in similibus casibus (I, 52).

§ 2. De licito usu probabilitatis ubi agitur de sola honestate actionis.

Theologi, quibus moraliter unus et idem est sensus de probabilitatis usu, ubi de periculo mali absolute vitandi agitur, in praesentis quaestionis tractatione neutiquam in eamdem sententiam concurrunt;

[1] Pro hac propositione *Diana* (t. VIII, tr. 1, Resol. 20-22, 25) plus quam quadraginta theologos citat. *Salas* eam communem theologorum vocat (*Ter Haar,* l. c.). — [2] Haec docuisse videntur Lessius, Ledesma et alii (cfr. *Viva,* Thes. damn. in h. prop.).

Digitized by Google

sed alii alia excogitant systemata, quae plus minusve sive legi, sive libertati suffragantur. — Exponenda sunt nunc breviter haec systemata, quo melius dein S. Alphonsi systema intelligatur, et ipsius systematis veritas simul et securitas clarius innotescant.

Varia systemata pro delectu opinionum.

85. — Status quaestionis. 1° Per *systema morale* intelligitur complexus regularum, quibus controversiae morales, ex probabilibus opinionibus ortae, in praxi dirimuntur.

2° *Finis* systematis moralis est indicare quomodo in praxi devenitur ad conscientiam moraliter certam, ita ut quisque tuto agere possit.

3° *Materia* systematis moralis sunt *illa sola dubia* in quibus agitur de actionis honestate, ut supra diximus.

4° *Quinque* praecipue numerantur systemata moralia, ab AA. excogitata, videlicet: 1° rigorismus (seu tutiorismus), — 2° probabiliorismus, — 3° aequiprobabilismus, — 4° probabilismus, — 5° laxismus. His accessit nostris temporibus systema compensationis [1].

86. — 1° **Rigoristae** vocantur, qui principia reflexa nullo modo, aut modo duntaxat secundario admittunt. Vocantur etiam *antiprobabilistae*, quia omnem proprie dictae probabilitatis usum in re morali rejiciunt; et *tutioristae*, quia docent in dubio semper sequendam esse partem tutiorem [2]. — Dividuntur autem, pro gradibus certitudinis directae quos ad licite operandum exigunt, in rigoristas strictos et in rigoristas mites.

a) *Rigoristae strictiores* requirunt ad licite operandum certitudinem directam absolutam. Eorum effatum est: *tutior vel certa.*

Ita Sinnichius, Wendrochius, etc. — *Damnatum est hoc systema* per hanc ab Alexandro VII proscriptam propositionem (3am): « Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam ». Ergo, probabilissima saltem opinio in favorem libertatis est licita, etsi, natura sua, e finibus probabilitatis non exeat. Ratio est, quia opposita opinio levi tantum nititur momento, ob quod jus naturale libertatem suo jure spoliari vetat (cfr. n. 40, reg. 3a).

Adde quod rigorismus est: 1° a spiritu evangelico alienus: quomodo enim *jugum Christi* dici posset *suave*, et *onus ejus leve*, si semper tutiora sequi teneremur? 2° contrarius doctrinae SS. Patrum, ut patet ex eorum testimoniis, quae refert S. Alphonsus; 3° valde perniciosus in praxi: imponit enim onus intolerabile, auget peccata, conscientias illaqueat, generat desperationem, aedificat ad gehennam (I, 60, 66, 82 seqq.).

b) *Rigoristae mitiores* docent requiri, ad licite operandum, certitudinem *directam*, non quidem absolutam, sed latam seu moralem. Usum opinionis probabilissimae hi quidem permittunt, non quia opi-

[1] Cfr. *Müller*, l. 1, § 77; *Tanquerey*, I, n. 415; *D'Annibale*, Summula (ed. 5), n. 8, 258. — [2] Diss. 1757, n. I-II (Op. mor., ed. 3, 4 et 5, n. 44).

Digitized by Google

nione probabili uti liceat, sed quia, in moralibus, opinio probabilissima aliquam certitudinem latam praebet (H. Ap., I, 33). Eorum effatum est: *tutior vel probabilissima.*

Ita Fagnanus, Habert, etc. *Non damnatum est* quidem hoc systema, sed illud non admittimus. Cfr. infra Thesim primam (n. 91).

2° **Probabilioristae** docent tenendam esse opinionem tutiorem, nisi opinio pro libertate sit manifeste et solide probabilior. Horum effatum est: *Tutior vel probabilior.*

Ita Billuart, Wigandt, et, ex recentioribus, Pègues aliique ex Ordine S. Dominici. Et ratio est, quia non licet, inquiunt, incurrere periculum grave et fundatum transgrediendi legem; quod periculum semper imminere aiunt, nisi opinio quae stat pro libertate sit saltem altera probabilior. Si autem opinio quae stat pro libertate est vere probabilior, nonnisi leve contra legem agendi periculum subesse contendunt, quod periculum prudenter contemni possit (*Billuart,* de act. hum. Diss. VI). — Contra eos pariter statuetur *Thesis I.*

3° **Aequiprobabilistae** docent in concursu duarum opinionum aeque vel fere aeque probabilium (quarum una favet libertati, altera legi) licere, stante dubio circa legis existentiam, sequi opinionem libertati faventem; stante autem dubio circa cessationem legis, sequendam esse opinionem faventem legi. Extra limites hujusce latae aequiprobabilitatis, vincit opinio unice probabilis vel certe probabilior, sive haec opinio legi suffragetur, sive libertati. Horum effatum est: *Opinio, pro qua stat possessio, dummodo sit aeque vel fere aeque probabilis.*

Ita, post plures antiquiores, *S. Alphonsus* ejusque discipuli, *Aertnys, Konings,* aliique ex diversis scholis, ut *Gousset, Scavini, Del Vecchio, Müller, Martin, Pruner, Simar, Berardi, Sweens, Farges, Beaudouin, Beijsens, Valensise, Koch,* etc. — Ratio eorum est, quia in concursu opinionum aequiprobabilium versamur in dubio stricto; lex autem stricte dubia non obligat, et in pari causa melior est conditio possidentis. — De hoc systemate plura n. 88 seqq.

4° **Probabilistae** (in genere) docent in concursu opinionis probabilis vel probabilioris quae stat pro lege, fas esse sequi opinionem probabilem faventem libertati, dummodo haec opinio sit vere probabilis. — Probabilistarum effatum est: *Benignior, dummodo vere probabilis.* Ratio eorum est, quia non licet obligationem imponere de qua non certo constat; jamvero, de lege non certo constat, ubi opinio pro libertate est vere probabilis; ergo.

Bartholomaeus Medina, O. P. (1. 2, q. 19, a. 6, Comm. in S. Th.) primus fuit, qui, anno 1577, hanc edidit sententiam: « Si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabilior sit »[1].

[1] *Medinam* primum fuisse qui docuerit thesim de opinione minus probabili, concedunt ipsi antiquiores probabilistae. *Lopez*, ex. gr., qui fuit Medinae coaevus, ait: « Scio *communem* esse sententiam Soti, Cordubae, Cajetani, Conradi, Navarri, tenentium non sat esse probabilem opinionem sequi, sed *probabiliorem* opinionem esse sectandam; contra Medinam » (Instruct. consc., P. I, c. 120, concl. 2). Cfr. *Ter Haar*, p. 18.

Digitized by Google

Hoc systema non sufficienter definitur, nec certis circumscribitur limitibus. Etenim, uti communiter circumfertur: 1° non definit, utrum opinio favens libertati debeat esse relative probabilis, an sufficiat absolute probabilis; 2° dum concedit usum opinionis minus probabilis, relicta tutiore etiam probabiliori, non definit utrum id valeat de paulo probabiliori, an de notabiliter probabiliori. — Et haec quidem obscuritas in causa est, cur probabilistae diversam inierint viam.

Alii, docentes licere sequi opinionem solide probabilem quae favet libertati, intelligunt solide probabilem *relative*, ideoque relicta solummodo probabili, vel paulo probabiliori, quae stat pro lege. Hi concordant in substantialibus cum aequiprobabilistis, et possunt appellari *probabilistae moderati*. Tales sunt Suarez [1], Vasquez, Lugo, Lessius, Laymann, Sylvius, Palaus, Viva, Abelly, Reuter, Voit, etc. Contra hos non agemus, probabilismum impugnaturi. — Advertimus tamen moderatum hunc probabilismum, cum aliquam ambiguitatem prae se ferat, non satis determinando opinionem minus probabilem, non praecavere sufficienter abusus, prout jam conquestus est S. Alphonsus [2].

Ast, alii sunt probabilistae, qui ceu satis probabilem habent omnem opinionem absolute et in se probabilem, quin de probabilitate relativa quidquam curent; negant quoque usum opinionis probabilis esse inter aequiprobabilismi limites coarctandum, ideoque illicitam evadere opinionem, cui opponatur altera *certe* aut *evidenter* probabilior. Ita expresse Lacroix [3], Illsung [4], etc., quorum doctrina sub nomine venit *probabilismi absoluti* vel *communis* vel *puri, lati*.

Inter probabilistas, aliqui demum possessionis principium rejiciunt, vel non admittunt in iisdem circumstantiis ac S. Alphonsus [5].

Porro, sicut probabiliorismus plus aequo rigidus est, ita probabilismus absolutus videtur esse justo benignior. Incommoda quibus laborat, infra indicabuntur, ubi de ejus refutatione (Theses II et III).

Nota. De variis antiquorum probabilistarum generibus fuse agit *Ter Haar* (op. cit., p. 20-85). — Si mentem recentiorum probabilistarum consideramus, aliqui (v. gr. *Lehmkuhl*) probabilistis *moderatis*, alii (v. gr. *Raphael a S. Joseph, Meffert, Ballerini*) potius probabilistis latis sunt annumerandi. — Maxime est dolendum, plures AA. recentes quandoque verbis generalioribus imo subobscuris uti, quibus mox ad probabilismum absolutum accedere, mox ab eo recedere videntur. Vide exempla ap. *Vind. Alph.*, I, p. 480 seqq.

5° **Laxistae** docuerunt fas esse sequi opiniones quascumque, etiam tenuiter probabiles. — Eorum effatum est: *Benignior, dummodo aliqualiter probabilis*. Ita Caramuel, laxistarum princeps, Diana, aliique [6].

Hoc alterum extremum damnatum est ab Innocentio XI in 3ª propositione, quae dicebat: « Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus ». — Haec propositio excerpta est ad litteram ex *Tamburinio* (Dec., I, c. 3, § 3, n. 3). Merito autem damnata fuit: tenuis enim

[1] In 1. 2, tr. 3, disp. 12, sect. 6. — [2] Apolog. 4ª, ed. Monza, 1831, p. 151-152; Torino, 1831, p. 172. — [3] I, de Consc., n. 301. — [4] De Consc., disp. I. — [5] Cfr. *Vind. Alph.* (ed. 2), Diss. apolog., n. 114-124. — [6] Cfr. *S. Alph.*, ed. G., I, p. 286; *Müller*, Theol. mor., I, § 78. — Auctor ibi adducit sequentia verba Dianae: « Quanta ego haberem et dicerem, quae novitatum amatoribus nimis plausibilia essent, si calamo et ingenio liberam vagandi facultatem praeberem! Sed, ut sapientissimo Caramuelo respondi, Romanus incolatus et aliena pericula cautum me in scribendo fecerunt ». P. 10, tr. 14, res. 56.

Digitized by Google

probabilitas nequit dici vera probabilitas, sicut tenuis fortitudo aut tenuis peritia nequit dici vera fortitudo et vera peritia, sed potius dicenda est imbecillitas et imperitia (H. Ap., I, 30).

His accedit quod « laxus iste opinandi modus alienus est ab Evangelica simplicitate sanctorumque Patrum doctrina; quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitae christianae corruptela ». Ita Alexander Papa VII, in decreto 24 Sept. 1665 emisso.

6° **Systema compensationis,** quod defendunt quidam recentiores (Manier, Lehu, Potton, Boisdron), principium generale enuntiat: Omnis lex semper aliquatenus obligat; ejus vero vis obligandi crescit vel decrescit, secundum gradum cognitionis quam de ea habemus. — Lex perfecte cognita, plene obligat; penitus ignorata, non ligat; imperfecte vero nota, imperfecte ligat. — Ut autem, stante lege imperfecte cognita, libertate frui possimus, requiritur, ex parte nostra, velut ratio excusans, incommodum relative grave, quo *compensatur* vulnus, quod nos, utendo nostra libertate, probabiliter legi et ordini morali inferimus. — Ratio hujus systematis est, quod sola materialis legis transgressio jam malum quoddam est; per hanc enim legi seu ordini morali vulnus infligimus, quia lex fine suo, a Legislatore intento, frustratur.

Non placet hoc systema. Rationes sunt: *a*) quia, ut dicemus infra (n. 91), supponit legem antecedenter ad promulgationem obligare: quod probabiliorismum, imo et tutiorismum olet. — *b*) Praeterea, regula ab illis theologis tradita videtur valde difficilis et in praxi vix huic erit locus. Nam incommodum, legis observantiae adnexum, pro singulis saepe personis, imo pro singulis etiam casibus diversum erit. Sic, v. gr., gravitas incommodi in confitendo peccatum dubium erit diversa, tum pro diversa indole uniuscujusque poenitentis, tum pro natura peccati accusandi, tum saepe etiam pro diversa indole confessarii, apud quem accusatio fieri debet. Unde regula ista, ex una parte, multis anxietatibus ansam praebet; ex altera vero, hallucinationibus amoris proprii frequenter exponit; ac proinde prudens norma practica in solvendis dubiis esse nequit. — *c*) Fundamentum denique hujus systematis etiam in nostro systemate *Aequiprobabilismi* servatur, quatenus numerus legum, quae pro praxi observandae praescribuntur, quam proxime adaequatur numero legum materialiter existentium, ideoque finis omnium legum in universum, meliori quo fieri potest modo, attingitur.

Nota. Card. D'Annibale (Summ., I, 270) regulam pro dubiorum solutione unice *ex possessione* desumendam esse censuit. — Si hoc systema bene intelligitur et ad praxim accommodatur, ipsum potius ad systema S. Alphonsi accedit. S. Doctor enim (cfr. Diss. *Gaudé*, de mor. syst. S. Alph., n. 26) principium possessionis vocat supremum, universalissimum.

87. — Possunt igitur, exceptis rigorismo strictiori et laxismo, reliqua systemata, citra Ecclesiae damnationem, sustineri. — Inter ea mediam viam tenet aequiprobabilismus, cujus S. Alphonsus est insignis propugnator (*Vind. Alph.*, P. I, c. 3, Diss. apolog., 143).

Digitized by Google

Quaestio historica. Aequiprobabilismum esse genuinum S. Alphonsi systema, quod ipse saltem ab anno 1762 definitive amplexus est, luculenter probant *Vindiciae Alphonsianae* (I, p. 1-150), *Gaudé* (de mor. syst. S. Alph.), *Wouters* (de Minusprobab., ed. 2, p. 49), aliique plures.

1° *Ante annum 1762,* in duabus dissertationibus, quas PRO USU MODERATO OPINIONIS PROBABILIS IN CONCURSU PROBABILIORIS inscripsit, et quarum alteram evulgavit anno 1749, alteram autem 1755, suffragatus est simplici probabilismo. At vero, sicut ex variis ejus scriptis constat, hae dissertationes, sine nomine S. Auctoris evulgatae, non fuerunt nisi quaedam tentamina, quaedam prolusiones, seu praecertationes de gravissima quaestione. Nam ante annum 1762 (hoc bene notetur), in *omnibus et singulis* suae *Theologiae moralis* editionibus, imo et in aliis minoris momenti, quae proprio nomine in lucem edidit, opusculis, constanter asseruit se *praescindere* ab illa thesi: *An liceat sequi minus probabilem, relicta probabiliori.* Quin imo, in variis hujus temporis operibus ita apparet S. Doctoris constans viae tutae disquisitio, ut non difficile sit (ita *Collat. Brugenses*), in ipsis, pro vario systemate, invenire fulcimentum.

2° *Post annum 1762,* evulgata, in lingua italica, *brevi Dissertatione: de usu moderato opin. probab.,* priorem haesitationem abjicit S. Alphonsus, et constanter eas tenet sententias, quas infra exponemus. Multam affert eruditionem et utilitatem, relate ad hanc quaestionem, comparatio propositionum uniuscujusque editionis Operis moralis. Cfr., hac super re, praefationem P. Gaudé (I, p. XIX), et praesertim ejusdem auctoris opusc. citatum.

3° Licet systema, a S. Doctore statutum, magna cum laude ubique fuerit receptum (cfr. *Berthe,* Vita di S. Alfonso, II, p. 165), ipse tamen Sanctus numquam finem habuit *suum opus perficiendi,* ita ut semper magis recederet a probabilismo absoluto, et mediam viam inveniret inter probabilismum et probabiliorismum. Exinde factum est, ut publici juris fecerit suum celebre *Monitum* (1773) et opusc. aureum: *Dichiarazione del sistema* (1774). Quae cum editioni octavae Operis moralis adjuncta fuerint, expuncta quoque dissertatione probabilistica P. Zachariae, S. J. (cfr. n. 6), S. Alphonsus exclamare potuit: « Laetus nunc moriar, quia ultima haec editio, opus omnibus numeris absolutum, in lucem prodiit (cfr. *Gaudé,* de mor. syst., p. 38).

Haec omnia, post editas epistolas S. Doctoris et egregia opera P. Gaudé, adeo clare patescunt ut theologi (etiamsi ob controversiam ortam occasione dissertationis *P. Ballerini,* de morali systemate S. Alphonsi, in Collegio Romano 1863 habitae, aliquamdiu ancipites remanserint) jam nunc « fatendum esse putent, negari non posse S. Doctorem, saltem ab anno 1762, fuisse aequiprobabilistam et rejecisse communem probabilismum ». — « In aperto est, inquiunt ipsi scriptores *Coll. Brug.* (1906, p. 400), *S. Alphonsum* seniorem docuisse aequiprobabilismum... unde sententia genuina et definitiva S. Doctoris non est quaerenda in scriptis anno 1762 anterioribus, uti nonnulli probabilistae fecerunt et faciunt. Sic ab hoc errore non est immunis Lehmkuhl in opusculo: *Probabilismus vindicatus* ». — His dictis consentiunt, praeter alumnos Congr. SS. Redemptoris, plerique egregii theologi, ut *Bellesheim* (Katholik, 1891, II, p. 245), qui sic loquitur: « Textus sunt ita luce meridiana clariores, ita graves, ut silere debeat contradictor: *S. Alphonsus* revera aequiprobabilismum docuit ». Idem testantur *Schneider* (Liter. Rundschau, 1895, col. 202), *Koch* (Tübing. Quart. Schr., 1897, s. 70-126), *Mausbach* (Die kath. Moral, s. 181), *Berardi* (Theol. fund., 1905, I, n. 55), *Tanquerey* (I, n. 405), *Sweens* (Theol. mor., 688).

Digitized by Google

Audiatur denique *Génicot-Salsmans*, qui in Theol. mor. ultima editione (1912) haec habet: « *Reapse videtur S. Alphonsus in ultimis operibus suis aequiprobabilismum aperte docuisse, saltem si verbis quae adhibet nativum suum sensum tribuimus* » (de Consc., n. 81-72). Cfr. *Wouters*, de Minusprobab., p. 56.

Quae cum ita sint, cum *Coll. Brug.* advertimus, non semper critice agere plures probabilistas, quando ad dissertationes probabilisticas anni 1749 et 1755 continuo recurrunt. Etenim in epistolis suis S. Doctor clare fatetur se retractationem fecisse circa probabilismum communem, quem antea profitebatur, et hoc quidem, ut dicit, *non vitandae difficultatis seu persecutionis causa sed convictionis et conscientiae gratia*. Corresp. gen., n. 818 et Corresp. spec., n. 315.

Hinc, S. Alphonsi defensor pro *Concessione tituli Doctoris* indubitanter asserit: « Sanctus Auctor, ab anno 1762, systema AEQUIPROBABILISMI adeo aperte, dilucide, constanterque propugnavit, ut *omne rationabile dubium* hac de re excludatur: quod et amplissimus Censor (i. e. Promotor fidei) concedit » (Act. Doct. animad., § 25, Resp. n. 239).

Sed non locus est quaestioni *facti* longius insistere. Praestat quaestionem *juris* aggredi, regulasque de ratione solvendi dubium practicum, a *S. Alphonso* traditas, veras esse demonstrare.

SYSTEMA MORALE S. DOCTORIS ALPHONSI.

S. Thomas, quodl. VIII, q. 6, a. 13; *S. Alphonsus*, I, n. 54; ed. G., I, p. 25; *Monitum* ex ed. 7; opusc. Dichiaraz. etc.; *Vind. Alph.* (ed. 2); *Gaudé*, de mor. system. S. Alph.; *De Caigny*, Diss. apolog.; *Wouters*, de Minusprobab. (ed. 2); *Ter Haar*, de syst. mor. antiq. Probab.; Innocentii XI de Probab. decr. historia; *Ballerini*, op. mor., ed. 2; *Arendt*, Crisis; *Bouquillon*, Theol. mor. fund., ed. 3; *Sweens*, Theol. mor. fund.; *Beaudouin*, de Consc.; *Lehmkuhl*, Probab. vindicatus. Praeterea AA. Theol. mor., tr. de Conscientia.

Quo melius systema intelligatur, tria explanabuntur:

1° Systematis expositio;

2° Systematis demonstratio;

3° Systematis praecellens meritum.

I. — SYSTEMATIS EXPOSITIO.

Duo huic systemati sunt essentialia: methodus et principia quae adhibet (*Vind. Alph.*, Diss. apolog., n. 68).

88. — *A.* METHODUS sequentibus exprimitur regulis:

1° Inquirenda est veritas cum diligentia morali, quae sit rei ac dubii gravitati proportionata (n. 40, reg. 2ª).

2° Ubi veritas inveniri nequit, necessario instituenda est opinionum comparatio, harumque valor aestimandus est, non tantum absolute, sed etiam relative (n. 67).

Digitized by Google

3° Ex opinionum comparatione et oppositione videndum est quale oriatur dubium, strictumne, an latum. — Quando opiniones occurrunt aeque vel fere aeque probabiles, versamur in dubio *stricto* (n. 74). — Quando altera opinio est certe probabilior, vel probabilissima, vel unice probabilis, versamur in dubio *lato,* cum certitudine morali large sumpta (n. 75, 77).

4° Definita natura dubii, statim applicantur *principia.*

89. — *B.* PRINCIPIA quibus S. Alphonsi systema innititur, duplicis sunt generis, pro duplici genere dubii, stricti vel lati.

I. In dubio STRICTO, haec duo valent principia: *Lex dubia non obligat,* et *In dubio melior est conditio possidentis.* — Ex his autem principiis profluit DUPLEX haec REGULA: 1° In dubio *circa existentiam (vel extensionem)* legis aut juris, concurrentibus duabus opinionibus aeque vel fere aeque probabilibus, quarum una stat pro lege, altera pro libertate, licet sequi opinionem libertati faventem; quia in dubio stricto circa existentiam legis, certo possidet libertas (n. 44, 55). — 2° In dubio *circa cessationem* legis aut juris certe prius existentis, concurrentibus duabus opinionibus vel facti assertionibus aequiprobabilibus, tenenda est opinio vel assertio quae favet legi, quia in dubio stricto circa cessationem legis, possidet lex prius certa (ib.).

II. In dubio LATO, sequens venit principium: *In obscuris verisimilius est eligendum.* « Ubi veritas clare inveniri nequit, ait *S. Alphonsus* (I, 54, 88), tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit ». — Ex quo generali principio profluunt duo COROLLARIA: 1° *Lex* late tantum dubia, regulariter loquendo, obligat, quia moraliter, ideoque sufficienter, de ea constat. — 2° *Libertas* seu libèratio late tantum dubia, regulariter loquendo, vere deobligat; quia de ea moraliter, ideoque sufficienter, constat.

90. — Notare etiam hic juvat, illicitum esse duabus opinionibus probabilibus, vel utraque parte dubii, *simul uti in eodem actu,* si una lex inde certo violetur: v. gr. in testamento quod, forma legali destitutum, probabiliter est validum. — Non licet igitur, sequendo priorem sententiam, adire haereditatem; ac simul, sequendo posteriorem, non solvere legata in eadem contenta. Tali enim agendi ratione, unius vel alterius legis observantia necessario eluderetur, et agens sibi in eodem actu seu negotio contradiceret, quod foret contra rectam rationem (*Reuter,* n. 110).

II. — SYSTEMATIS DEMONSTRATIO.

De Rigorismo et Laxismo, utpote ab Ecclesia damnatis, futile foret hic disputare. — Probandum ergo restat S. Alphonsi systema contra probabilioristas simul et probabilistas absolutos. In statuendis thesibus quibus constituitur systema Alphonsianum, omnia indicabimus ad normam eorum quae in Actibus Doctoratus referuntur.

Digitized by Google

Thesis I.

In dubio de legis existentia, concurrentibus opinionibus aeque vel fere aeque probabilibus, licet sequi opinionem faventem libertati.

Sensus propositionis evidens est. Cfr. quae diximus n. 70 seqq.

Thesis est contra *tutioristas* et *probabilioristas*. Sic etiam enuntiari potest: *Licet sequi opinionem aeque vel fere aeque probabilem pro libertate, relicta opposita pro lege. In dubio stricto de legis existentia licet sequi opinionem faventem libertati. — Licet sequi opinionem pro libertate, relicta paulo vel dubie probabiliori pro lege.*

91. — I. Probatur thesis ex auctoritate DD. et Ecclesiae.

1° Quamvis *SS. Patres* hanc quaestionem ex proposito non pertractaverint, non obscure tamen docent, non esse semper in dubiis partem tutiorem sequendam.

En, v. gr., quibus verbis *S. Gregorius Nazianzenus* (Or. 39, n. 18, 19) haereticum, qui secundas nuptias damnabat, alloquitur: « Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si nequis, ne condemnes. Quod si lex dubia est, vincat humanitas et facilitas ». Et *S. Augustinus* (Ep. 54, c. 2, n. 2): « Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter esse habendum ». Similiter *S. Bernardus* (Ep. 77, c. 5, n. 18): « Sane, ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certae rationi, aut non contemnendae auctoritati, quod sentitur non obviat ». — — Aliorum Patrum testimonia legi possunt apud *S. Alphonsum* (I, 60, 66; ed. G., I, p. 30, 36).

2° Disputationes de probabilismo fieri ceperunt versus finem saeculi XVI; et ex hoc tempore pene innumerabiles fuerunt *auctores, hique praestantissimi,* qui hujus doctrinae causam, saltem in genere, contra antiprobabilistas et probabilioristas egerunt.

Inter hos auctores, tanquam principes recensendi sunt Suarez, Vasquez, Lugo, Lessius, Sanchez, Palaus, Toletus, Laymann, Salmanticenses, Amort, Bonacina, Sylvius, Croix, Roncaglia, Elbel (Diss. 1757, n. III).

3° Idem constat tum ex *praxi SS. Pontificum,* v. gr. circa quaedam dubia matrimonii impedimenta (cfr. I, n. 78; Diss. 1755, n. II); tum ex diversis responsis S. Officii et S. Poenitentiariae, a Pio VIII et a Gregorio XVI approbatis, circa mutuum.

Dum enim inter theologos acriter disputaretur, utrum auctarium, vi tituli legis civilis licite accipi posset, Ecclesia, stante hoc invincibili dubio, tradidit hanc *practice tutam* regulam, scilicet: « non esse inquietandos poenitentes lucrum juxta taxam legalem ex mutuo percipientes, modo sint parati obedire S. Sedi, cum decretorie definierit ».

4° Accedit *approbatio operum S. Alphonsi* a S. Sede emanata, qua speciatim constat, professorem sacrae Theologiae posse, in omnibus, Beati Doctoris doctrinam licite sequi et publice tradere, non obstante

Digitized by Google

juramento, quod emisisset retinendi doctrinam Universitatis, quae *probabiliorismum* et *probabilioristarum sententias* sequeretur (vide textum, in fine Praefationis).

92. — II. PROBATUR THESIS EX RATIONE, videlicet: 1° ex natura legis, 2° ex natura libertatis.

PROB. 1° Ex natura LEGIS, quia ex recta legis notione eruitur primum hoc fundamentale principium: *Lex dubia non obligat.*

ARGUMENTATIO. Lex insufficienter promulgata non obligat. — Atqui lex dubia est insufficienter promulgata. — Ergo non obligat.

MAJOR constat, tum ex unanimi theologorum consensu, tum ex ratione, quia lex *mensura* est juxta quam vita nostra temperari debet, et est *ligamen* nostrae libertatis, ex quo sequitur quod libertati per sufficientem cognitionem applicari debet.

1° *Lex est mensura*, quod theologorum princeps *D. Thomas* sic docet: « Lex quaedam regula est et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur (1. 2, q. 90, a. 1). Regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his, quae regulantur et mensurantur. Unde, ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat (quod est proprium legis), oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem » (I, 57). Lex igitur ante promulgationem vim obligandi non habet. — Et idem dicendum est, si agatur de lege naturali: hanc enim Deus promulgat per lumen rationis unicuique homini inditum, ut asserit *S. Thomas* (1. 2, q. 90, a. 4, ad 1).

2° *Lex est ligamen.* « Dicitur enim lex a *ligando*, quia obligat ad agendum » (1. 2, q. 90, a. 1). Jamvero, lex hominem nonnisi per scientiam attingit et ligat. « Sicut enim ad rem aliquam ligandam opus est ut actualiter funis applicetur; ita ad ligandam hominis voluntatem, ut actionem aliquam exerceat, vel omittere teneatur, necesse est ut ipse praecepti scientiam habeat; alioquin homo ille in sua libertate remanet » (I, 59). Idem docet *D. Thomas* (de Verit., q. 17, a. 3), dicens: « Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti »[1]. — Luculenter ergo constat *major:* Lex insufficienter promulgata non obligat (I, 57-59).

PROB. MINOR. *Atqui lex dubia est insufficienter promulgata.* Lex stricte dubia (de qua sola hic agitur) invincibiliter ignoratur. — Ergo est insufficienter promulgata.

Prob. antecedens. Illa invincibiliter ignorantur, de quibus non habetur sufficiens fundamentum, ut potius affirmari possint quam negari. — Atqui hoc obtinet in casu, ubi agitur de lege stricte dubia, siquidem solum scitur agitari quaestionem circa legis existentiam; circa ipsius

[1] Ut ex contextu liquet, per verba: *scientiae*, Doctor Angelicus non intelligit cognitionem certam et evidentem. Agitur ibi de mera *notitia* legis, de legis promulgatione, quae sufficit ad directionem voluntatis, v. gr. quando habetur de lege cognitio opinativa (vide ejusd. quaest. a. 2, ad 2). — Ipse *Bouquillon* (Theol. mor. fund., p. 560, nota) fatetur: « Certum nobis videtur, ea verba non posse intelligi, nec ab Angelico intellecta fuisse *sensu probabilistico* ».

Digitized by Google

vero quaestionis solutionem, non est major ratio affirmandi quam negandi. Ergo. — Hinc omnes ad asserendum conveniunt, legem, ut obliget, debere esse certam et manifestam, debereque ceu certam manifestari sive innotescere homini, cui promulgatur (I, 58, 63, 71, 72, 76). « Lex (igitur) ut obliget, sive humana sive divina sit, semper debet esse sufficienter promulgata sive cognita, sive proposita, sive indita (dic ut mavis), tanquam certa » (Diss. 1757, n. 26). — Recole dicta n. 46.

Eamdem probationem, paucis, alio in loco, sic absolvit *S. Alphonsus:* « Lex non sufficienter promulgata non obligat. Lex dubia non est sufficienter promulgata (quia dum lex est dubia, promulgatur sufficienter dubium sive quaestio, sed non promulgatur lex); ergo lex dubia non obligat. Qui argumentum hoc inficiari vellet, probare deberet, vel quod lex etiam non promulgata obligat, vel quod lex dubia est vere promulgata, contra id quod expresse docet S. Thomas, et alii communiter, ut vidimus; sed nunquam harum propositionum ullam probabit in aeternum » (I, 58).

93. — PROB. 2° Ex natura LIBERTATIS. Est fundamentale principium: *In dubio melior est conditio possidentis,* seu: *In dubio vincit possessor.* — Atqui hic versamur in dubio, et libertas possidet. — Ergo vincit libertas.

Prob. major. Ipsa enuntiat universale aequitatis principium, quod sic exprimit doctissimus *Suarez* (Vot., l. 4, c. 5, n. 8): « *Propter solum dubium res non sunt immutandae ab antiquo statu, in quo bona fide existebant; quia cum in dubio sit quaedam aequalitas utrinque, non est cur potius in unam partem obliget, quam in aliam* ». Donec igitur rationes certae id suadeant, nemo jure certo, quo fruebatur, exspoliandus est.

Hoc possessionis principium (ut diximus n. 44) semper admissum fuit, in materia justitiae, apud cuncta tribunalia, tum civilia, tum ecclesiastica. — Impugnata quidem fuit a quibusdam ejus *extensio* ad materiam ceterarum virtutum (cfr. *Vind. Alph.*, Diss. apolog., n. 114 seq.); sed « communissima est sententia, ait S. Doctor noster, quod non solum in materia justitiae, sed etiam in omni alia materia, praevalet jus possessionis. Ratio est: 1° Quia idem motivum rationis quod currit pro materia justitiae, etiam currit pro aliis virtutibus; nam sicut in materia justitiae melior est conditio possidentis, quia conditio haec possessionis praebet possidenti speciale jus ad rem retinendam, donec ei constet ipsam esse alienam; ita dicendum in aliis materiis. Cum enim quis, post adhibitam diligentiam, veritatem non potuerit invenire, jam perseverat in possessione suae libertatis, et propterea habet jus certum ad illam, quo per nullum jus dubium privatus censetur. — 2° Quia, ut ait Sanchez, possessio est titulus universalis omnibus virtutibus. Etenim, cum essentia justitiae sit unicuique jus suum tribuere, hoc omni virtuti competit, prout religio tribuit suum jus Deo, caritas proximo, temperantia sibi ipsi, et sic de aliis; et ideo merito dicitur, quod ratio justitiae sit omnium virtutum pars potentialis sive generica, in qua ceterae virtutes inter se conveniunt » (Diss. 1757, in ed. 3 et 4 Theol. mor., n. 19, 20).

Digitized by Google

Prob. minor. Hic versamur in dubio, et libertas possidet. — Prima pars, *hic versamur in dubio,* constat ex dictis n. 74. — Prob. altera pars: *libertas possidet.* Id patet ex ipsius legis conceptu, quae, cum vinculum sit libertatis, ne logice quidem concipi potest, nisi *prius ponatur libertas.* « Sane homo nascitur Deo subiectus, et ab ejus voluntate universaliter dependens; atvero, quemadmodum servus heri sui voluntates non tenetur exsequi, nisi quando sibi notificantur; ita homo non tenetur exsequi voluntates Dei particulares, nisi quando praecepto vel prohibitione sibi manifestantur » (Dichiar., 1774, n. 42)... « Hinc ait Scriptura (*Eccli.,* 15, 14): *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te.* Prius itaque Dominus hominem liberum creavit, ei donando ex suo beneplacito libertatem, juxta id quod scribit Apostolus (I. *Cor.,* 7, 37): *Potestatem habens suae voluntatis,* et postea mandata, quae tenebatur servare, adiecit ac imposuit; et ideo hominis libertas, cum certa sit, possideatque ante legis obligationem, ipsa nonnisi a lege certa ligatur » (I, 75) [1]. — Confirmatur a *S. Thoma,* qui ait cum communi: *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur* (in 4. D. 15, q. 2, a. 4, ad 2).

Universalem hanc thesim his *S. Alphonsi* verbis concludamus (I, 68): « 1° Spectato pondere aequali utriusque opinionis, homo dubius remaneret, neque operari posset; 2° spectata autem vi legis, cum ipsa eo casu non sit sufficienter promulgata, non obligat nec ligat: et ideo 3° homo, utpote ab hujusmodi lege dubia non ligatus, redditur certus de sua libertate (morali), et sic operari potest ».

Solvuntur objectiones.

94. — Obj. 1° In dubiis melior est conditio possidentis. Atqui juxta probabilioristas, lex aeterna possidet ante libertatem. Ergo in concursu duarum opinionum, quae generant dubium, opinio quae stat pro lege, semper praeferenda est.

Resp. Dist. min. Lex aeterna praecedit libertatem prioritate temporis seu durationis, *concedo;* prioritate ordinis sive ontologici, sive logici, *nego.* Ordine ontologico, datur simultaneitas, ut inter duo correlativa; ordine logico, libertas est prior, « *prioritate rationis seu naturae,* ut ait S. Alphonsus. Quomodo enim posset ligari homo, antequam existat, vel legis vinculum cognoscat? Ergo lex aeterna, quamvis in se vim obligandi in *actu primo* semper habuerit et habeat, actualiter tamen et in *actu secundo* non ligat hominem, nisi quando ipsi promulgatur actu per lumen rationis (I, n. 70, 75; ed. G., I, p. 50).

[1] Notet prudens lector, ex eadem universali dispositione supremi Legislatoris oriri et jus libertatis et efficaciam legis particularis. Ambo sunt ad bonum, et lex, qua lex, nobis non est contraria. — Textibus praefatis S. Scripturae (ex quibus affirmatur libertatem legi particulari praeexistere) ille certe vim infert, qui ex his concludit tam firma, tam ampla jura libertati inesse, ut ipsa nonnisi *coram lege evidenti* loco cedere debeat. — Melius omnia componit, qui, cum S. Alphonso mediam viam incedens, libertati praeexistenti eam jurium firmitatem tribuit, quam possidet lex praeexistens. Sicut lex praeexistens impleri debet donec moraliter perdurat, ita etiam libertatis ratio est habenda, quamdiu lex ei non sufficienter innotuerit.

Digitized by Google

INST. Regula est prior regulato. Atqui lex est veluti regula, et libertas veluti regulatum. Ergo lex est prior libertate.

Resp. Dist. maj. Si agatur de regula, prout est causa exemplaris relate ad effectum, *concedo;* si de regula agatur, prout est norma adhibenda in usu alicujus rei, *nego.* Rei usus secundum regulam moderandus ne concipi quidem potest, quin res ipsa praesupponatur.

OBJ. 2° Nulla lex est dubia: omnes enim leges, sive divinae, sive humanae, sunt certe existentes, certe promulgatae; dubitatur tantum, an talis casus particularis comprehendatur in lege generali, v. gr. in Decalogo; ergo lex semper possidet contra libertatem.

Resp. S. Alphonsus: « In casu duarum opinionum aequalis ponderis, quamvis lex generalis sit certa quoad existentiam, et sit sufficienter promulgata, respectu tamen ad illum casum est dubia tam quoad existentiam, quam quoad promulgationem; ac propterea tunc, quia dubitatur an lex ad casum illum extendatur, certum est non extendi quoad obligationem. — Id quidem agnovit D. Thomas, cum dixit legem esse instar ligaminis, quod donec per contactum applicetur alicui, hic habet potestatem divertendi quo vult » (I, 62, 72; H. Ap., I, 67, 68).

OBJ. 3° In jure canonico traditur haec regula: « In dubio via tutior eligenda est ». Ergo partem minus tutam amplecti non licet.

Resp. 1° Praefata regula valet in dubio practico (cfr. n. 54) quod quis deponere non vult aut non potest; valet speciatim in dubiis facti, ubi est periculum mali absolute vitandi. — Et clare probat S. Doctor noster, hujusmodi fuisse dubia, quibus SS. Pontifices praefatam regulam applicuerunt (I, 77, 78).

2° Si ex regulis juris dijudicanda res est, neque hoc suffragium nostrae sententiae deest, siquidem in jure haec habentur: « In dubio favores ampliandi, odia restringenda... In obscuris minimum est sequendum ». Et: « Nisi de mandato certus exstiteris, exsequi non cogeris quod mandatur ».

OBJ. 4° Qui se exponit periculo peccandi, peccat, testante S. Scriptura: *Qui amat periculum, in illo peribit (Eccli.,* 3, 27). Atqui probabilistae, vel aequiprobabilistae, sequendo opinionem probabilem minus tutam, tali periculo se exponunt. Ergo.

Resp. 1° *Retorq. arg.* Si, ob qualecumque peccandi periculum, nefas esset uti sententia probabili, nefas etiam foret uti probabiliori, quin etiam probabilissima; nam, cum neutra opinio a finibus probabilitatis exeat, neutra errandi formidinem excludit. Ergo tutiorismus absolutus, ab Ecclesia damnatus, esset necessario amplectendus (Dich. del sist., 1774, n. 51).

2° *Dist. maj.* Peccat qui se exponit periculo peccandi formaliter, *concedo,* peccat qui se exponit periculo peccandi materialiter tantum, *nego.*

Ad minorem: Probabilistae se exponunt periculo peccandi materialiter tantum, *transeat;* periculo peccandi formaliter, *nego.* Periculum peccandi formaliter non potest oriri nisi ex lege certa: *Ubi enim lex non est, neque est praevaricatio (Rom.,* 4, 15). Atqui opinio probabilis, cui altera etiam probabilis adversatur, non constituit legem certam. Ergo periculum peccandi formaliter existit duntaxat in mente eorum qui, contra rationis dictamen, dubiam legem legi certae aequivalere affirmant.

OBJ. 5° Thesis admittit periculum transgrediendi, saltem materialiter, legem divinam, cum istud periculum a probabili legis existentia sejungi nequeat. Atqui tale periculum subire nefas est; quia in discrimen adducit conformitatem voluntatis humanae cum voluntate divina, et finem a Deo supremo

Digitized by Google

legislatore intentum ; quod utrumque est absolute procurandum. Ergo rejicienda est thesis.

Resp. Conc. maj., Dist. min. Periculum transgressionis materialis admitti nequit, quando periculum oritur ex temeritate operantis, qui dubium practicum contemnit, nec debitam seu proportionatam diligentiam adhibet ad veritatem adipiscendam, *concedo ;* quando periculum oritur ex ignorantia invincibili, ex eo nempe quod, post adhibitam diligentiam, veritas inveniri non potuerit, *nego.* In hujusmodi rerum adjunctis. Deus tale periculum incurrere permittit, ob rationes *universales,* uti mox videbitur. Unde « certum est quod peccatum materiale invincibiliter ignoratum non imputatur ad culpam » (Diss. 1757, n. 37).

Ad rationem allegatam, dist. In discrimen adducitur conformitas humanae voluntatis cum voluntate divina, quoad ea in quibus homo non tenetur conformari divinae voluntati, *concedo ;* quoad ea in quibus tenetur, *nego* (I, 76 ; Istr. e Prat., I, n. 46). Homo enim non semper tenetur velle quod vult Deus, prout docet *D. Thomas,* inquiens (1. 2, q. 19, a. 10, ad 1) : « In particulari, nescimus quid Deus velit, et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati ». Ergo, nisi divina praecepta sint manifesta, homo non tenetur conformari voluntati divinae. Quod et *Gonet* his verbis declarat : « Homo non tenetur conformari voluntati divinae in volito materiali, nisi quando voluntas divina nobis praecepto vel prohibitione manifestatur » (Clyp., disp. 6, a. 2, n. 37).

Nec frustratur finis a Deo supremo legislatore intentus. Finis ille, qui est gloria Dei et salus animarum, habetur in perfecto obsequio, quod homines Deo praestant. Sed periculum materialis transgressionis minime perfectum hoc obsequium tollit. Sic homo, neque in hoc casu (ut modo diximus) velle praetermittit id, quod Deus vult eum velle ; qua in re, plenum ipsius erga Deum obsequium continetur.

Ceterum, quis prudens negare potest *nimis onerosum* esse legibus etiam dubiis ligari, et istiusmodi obligationem esse humanis viribus imparem, eamque idcirco in ipsius Dei gloriae detrimentum redundare ? « Ego pro certo habeo, ait *S. Alphonsus* (dell'Uso moder., 1765, c. 4, n. 35), in tanta varietate innumerorum, quae in mente humana exsurgere possunt, dubiorum, ob tenebras quibus natura ex peccato originali obvoluta est, *Deum noluisse hominem obligare* ad servandas etiam leges incertas, quarum tot existerent, quot sunt dubia quae circa leges occurrere possunt ».

95. — *Nota.* Haec ultima ratio, per modum universalis epikeiae, ideoque *per se,* et *modo uniformi,* excusat hominem a transgressione legum dubiarum, tollitque a priori earumdem obligationem, quamdiu de legislatoris voluntate non constiterit. Nec proinde, in casu particulari, specialem excusationem quaerere tenemur. — Hoc autem maxime valet respectu legum, quae communi DD. sensu dubiae reputantur. Observat enim *S. Alphonsus,* dicens (Diss. 1757, n. 24) : « Lex quae inter sapientes controvertitur, ne communitati quidem potest dici intimata, cum ipsa communitas, in diversas partes scissa, adhuc quaerit, nec invenit legem esse latam ». De lege hujusmodi communiter et quasi juridice ignorata valet utique axioma : *Lex dubia, lex nulla* (saltem in actu secundo), ideoque ejus transgressio potest vix nomen peccati materialis retinere. — Secus omnino dicendum, si lex communitati hominum intimata ignoretur, vel dubia reputetur, ab aliquo in particulari ; id enim est per accidens, et agens tunc non excusatur nisi individualiter, ob suam conscientiam invincibiliter erroneam (cfr. I, 173).

Digitized by Google

Thesis II.

In dubio de legis certae cessatione, concurrentibus argumentis aeque vel fere aeque probabilibus, sequenda est quae legi favet opinio.

Thesis est contra quosdam *probabilistas*, qui contendunt, in omni dubio vel negativo vel utrinque positivo, licere sequi partes libertatis, sive agatur de legis inchoatione, sive de legis cessatione.

Thesis etiam sic enuntiari potest: *In dubio stricto de cessatione vel impletione legis, servanda est lex. — Lex obligare pergit, quoties aeque vel fere aeque probabile est, eam cessasse, aut adimpletam fuisse*[1].

96. — *Probatur thesis* 1° Ex parte LEGIS. Libertatis et legis jura debent, cum par est earum causa, haberi aequalia. Sicut ergo libertas possidet, quando lex non est certa; ita contra lex possidere debet, donec de revocatione (cessatione) constat. Cfr. n. 44 et 91; *D'Annibale*, I, n. 264, 266.

Prob. 2° Ex parte LIBERTATIS. Ad sequendas partes libertatis non datur, in casu, certitudo sufficiens de honestate actionis. Ergo. — Unicum enim fundamentum, cui conscientia posset inniti, foret principium: *Lex dubia non obligat*, etiam legi dubie cessanti applicatum. Jamvero, ut *Berardi* (I, 56) et Ratisbonensis Compendii Guryani editor (n. 80) bene advertunt, « praedictum principium vel ipsis probabilistis, *quoad hunc sensum*, i. e. in tali acceptatione universali, valde dubium est, nec tanquam moraliter certum habetur » (recole dicta supra n. 46).

97. — *Confirmatur* ex aliis receptissimis PRINCIPIIS JURIS: 1° *In dubio factum non praesumitur, sed demonstrari debet* (cfr. n. 48). Atqui, legis revocatio, desuetudo, dispensatio, causa excusans vel eximens, praecepti adimpletio, etc. sunt facta, quae neutiquam per rationes tantum aequiprobabiles probantur (IV, 174). Ergo. — 2° *Actori incumbit probatio*, vel: *Ei incumbit probatio qui dicit, non qui negat* (cfr. n. 49). Jam vero ubi lex, per promulgationem certam, in sui juris possessione invenitur, si postea, mutatis circumstantiis, dubium exsurgat, et libertas hac lege solvi postulet, ipsa utique actoris et asserentis vices assumit. Ergo ipsi probare incumbit, per rationes satis convincentes, intervenisse revera illam, quam contendit, legis cessationem et juris mutationem. — 3° *In dubiis pro ea parte standum est, pro qua stat praesumptio* (n. 47). Jam vero, in dubio an lex certe condita ac certe promulgata cessaverit, praesumptio stat pro lege, non pro libertate. Nam praesumptio stat pro ea parte, quae non tenetur probare. Atqui, in praefato dubio probatio certe incumbit non legi, quae probata fuit, sed libertati, quae liberationem a vinculo legis sibi expostulat. Ergo (cfr. n. 129, 173).

[1] Hanc thesim S. Doctor, seipsum reformans, expressis verbis adstruit, et ad principaliores casus practicos applicat (I, 26 seq.). — Aliqui ergo pauci textus, qui adhuc in opere reperiuntur (v. gr. I, 99 in fin.), sunt indubitanter corrigendi. — Alii, qui explicatione indigent (III, 112, q. 3; III, 290), instituta comparatione cum normis reformatis, facile intelligentur. Cfr. *Gaudé*, de mor. syst. S. Alph., p. 100 seq., ubi plura.

Digitized by Google

Nec dicatur haec juris axiomata valere quidem in dubio, *non vero in opinione probabili*. Haec enim distinctio admitti posset, si opinio probabilis, vel probabilitas facti, esset unica et expedita, ut pluries cum S. Alphonso diximus. — Secus vero, si in utramque partem, prout fert thesis, concurrant opiniones aut probabilitates aequales; non enim licet uni opinioni vel probabilitati adhaerere, spreta vel non considerata altera; ideoque tunc *non versamur in opinione* aut probabilitate, sed in dubio stricto et vero, in quo praefata axiomata totam vim habent (cfr. n. 74).

Nota. Principium possessionis, nedum procedat in solis dubiis negativis, uti docent multi probabilistae, cumprimis valet pro positivis, ut ex propriis ejus terminis constat: *In pari causa,* etc. Paritas causae denotat aequalem probabilitatem, potiusquam aequalem defectum motivorum. Sed primarium probabilistarum principium: *qui probabiliter agit, prudenter agit,* obstabat quominus principium possessionis applicarent ad dubia positiva, ut passim videre est apud ipsos.

98. — Ceterum, circa praesentis thesis *extensionem* sequentia notanda sunt:

1° In dubio, sive in aequiprobabilitate, *libertas multo frequentius quam lex possidet,* ita ut principium possessionis multo magis libertati, quam legi, suffragetur.

Et re quidem vera, ut omnibus compertum est: 1° nec leges naturales semel cognitae (quod probe notandum est), nec leges divinae positivae, post Evangelii promulgationem, sive abrogatione, sive derogatione, sive dispensatione proprie dicta, unquam cessabunt. 2° Ad leges humanas quod attinet, quae praefatis modis ex voluntate legislatoris cessare possunt, neque ipsae dubiae permanent multo tempore. Ex jure enim cautum est, ut post certi temporis intervallum, legis cessatio, seu desuetudo tanquam praescripta habeatur (cfr. n. 265). — Possessionis igitur principium, in praxi, raro dubitantem ligat, si excipiantur casus particulares: v. gr. an legi quis satisfecerit; an sufficiens sit causa, ut quis a lege, qua certe ligatus fuit, eximatur. Hi vero casus, quantumvis frequentes, manifeste rarescunt, si illis, in quibus libertas possidet, comparentur.

2° Si agatur de probabili satisfactione legis, dantur *plura* principia, quibus indirecte solvitur dubium facti et libertas saepe juvari potest (*Linz. Q. Schr.,* 1883, p. 573).

Primum est: *Quod regulariter, quod ordinarie fit, censetur esse factum* (vide dicta n. 50). — Alterum: *In dubio standum pro valore actus* (n. 51). — Tertium: *Praeceptum positivum non obligat cum gravi incommodo.* Ubi notari juvat: si aliquando vi hujus principii, ab ipso praecepto adimplendo liberaris, a fortiori liberari poteris ab iteranda actione, quam ad legem implendam jam probabiliter posuisti; secus enim via scrupulis aperiretur. — Quartum: *In legum conflictu, lex superior est inferiori praeferenda.* Unde, in dubio invincibili, an recitatio Officii, vel auditio Sacri sit sanitati obfutura, ad nihil teneris, quia praevalet lex vel jus servandi sanitatem (III, 335, 1036; IV, 154).

Digitized by Google

Solvuntur objectiones.

99. — Obj. 1° Ex illo principio: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet,* duplex conclusio deducitur: 1° Quoties lex suam existentiam non probaverit, ipsa pro voluntate humana nulla est, et sic omnis lex dubia est lex nulla. — 2° Quoties lex suam existentiam probare cessat, cessat quoque ipsa pro voluntate humana, et sic omnis lex, quae, aliquando certa, lapsu temporis facta est dubia, vim obligandi amittit, atque ut nulla habenda est. Ita *Gury,* I, n. 79 (ed. 16).

Resp. 1° *Retorq. concl.* Ergo similiter libertas, quoties probare cessat suam existentiam, existere cessat; ergo Superior, quoties suum jus probare cessat, suum jus possidere cessat; ergo quoties innocentiam suam quis probare cessat, ipsius innocentia existere cessat. — Falsa sunt utique haec consectaria; ergo falsum est et antecedens.

2° *Nego* paritatem. Nam, lex positiva (de qua sola hic agitur), semel promulgata et cognita, obligat, et pergit obligare quamdiu non probata fuerit ejus cessatio: est enim de legis natura, ut *permaneat* (H. Ap., app. 3, n. 74; IV, 174). — Unde sic argumentandum est. Quoties non probatur existentia legis, nulla est pro conscientia. Ergo a pari, quoties non probatur cessatio legis certae, nulla cessatio pro conscientia. Sicut enim obligatio pendet a certa legis notitia, ita deobligatio pendet a certa notitia deobligationis.

Inst. Nemo ligatur aliquo praecepto, nisi mediante scientia illius praecepti. Atqui de lege dubie cessante non habetur scientia. Ergo.

Resp. Dist. maj. Id est, nemo ligatur aliquo praecepto, nisi sciat se teneri, sive directe, sive indirecte, *concedo;* nisi constet de obligatione directa, *nego.* Admittendam esse obligationem indirectam docent omnes theologi. At vero, in casu, optime constat de obligatione *indirecta,* ut patet ex thesis probatione. Ergo adest scientia requisita ad legis obligationem.

Obj. 2° Obligatio, cui probabiliter satisfactum est, non est amplius obligatio certa; ergo dubia; ergo nulla.

Resp. Dist. maj. Si legi ita probabiliter satisfactum est, ut sit quasi moraliter certum (vel quia omnes conjecturae sunt in favorem libertatis, et nullae in oppositum, vel quia rationes pro libertate sunt notabiliter probabiliores), *concedo;* si conjecturae in utramque partem habentur ita ut probabile sit te satisfecisse, atque aeque probabile te non satisfecisse, *subdist.:* non est amplius obligatio certa, directe, *concedo;* indirecte, *nego.*

Hinc *S. Alphonsus* (2 El. qq. ref., n. 1): « Si quis probabiliter judicet se implevisse votum, Horas canonicas, sive poenitentiam, an teneatur jam satisfacere, *si adhuc probabile sit* vel dubium non implevisse? Negant plures auctores; sed oppositum est tenendum, quia *possidet* obligatio jam contracta, donec certe non fuerit impleta ». Cfr. Conf. dir., I, 12; V, 9; XV, 17.

N. B. S. Alphonsus interdum distinguit *dubium* a *probabilitate;* et dicit in dubio de legis cessatione legem servandam esse; secus vero, si adsit opinio probabilis. L. III, 112, q. 3, *Secunda sent.;* ibid., 290, verb. *Notandum.*

Haec ambiguitas evanescit, si attendatur S. Doctorem intelligere in priori casu dubium strictum, quando nempe duae sunt opiniones fere aeque probabiles; in posteriori vero casu opinionem unice probabilem, ut palam fit ex contextu, et ex l. I, 67, in fine, et 71, item, l. III, 562.

Digitized by Google

Obj. 3° Non parum difficultatis oritur ex applicatione principii, quod vulgo *principium possessionis* nuncupatur. In multis enim quaestionibus, non statim apparet, utrum lex possideat, an libertas.

Resp. Haec difficultas minime efficere potest, ut ipsum principium non sit legitimum. Id enim rei morali proprium est, ut multas obscuritates ac difficultates involvat. — Verumtamen, in praesenti casu, non tanta est difficultas, quanta praedicatur. S. Alphonsus statuit hac super re sequentem, hancque generalem, regulam : « Praesumptio seu possessio stat pro ea parte, quae non tenetur ipsa factum probare, sed onus probandi illud transfert in alteram » (cfr. n. 47). — Jam vero, hujus regulae applicatio, in plerisque casibus, facilis est, cum satis sit percontari, *utrum mea libertas, quoad hunc casum, jam ligata fuerit necne.* Si nondum fuerit certe ligata, ipsa possidet, et legis (i. e. rationis, legis partes agentis) est, suam probare existentiam, seu promulgationem. Quod si libertas certe ligata fuerit, possidet lex (seu legislator), quo in casu, incumbit onus meam comprobandi liberationem. — Quod si demum res, omnibus perpensis, obscura maneat, *vincat benignitas et caritas ;* ubi enim dubie possidet lex, certe possidet libertas.

Thesis III.

In concursu opinionis certe probabilioris pro lege, non licet sequi minus probabilem pro libertate.

Thesis est contra eos *probabilistas*, qui nimis patrocinantur libertati. — Etiam sic enuntiari potest : *Non licet sequi opinionem pro libertate, si opposita pro lege est certo aut notabiliter probabilior. — In statu opinantis circa legis existentiam, servanda est lex. — Non licet sequi opinionem minus probabilem certo cognitam.*

Sensus theseos, post ea quae diximus (n. 70; 73, nota; 75) satis patet. Itaque opinio certo probabilior ea est, quam *sine ulla haesitatione* tanquam probabiliorem agnoscimus. Ad id requiritur excessus *notabilis*, i. e. *gravis*, sed non requiritur excessus *gravissimus*. Denique, ut opinio sit certo probabilior, non necesse est ut ita *communiter* a DD. habeatur, sed sufficit ut quis, post proportionatam argumentorum perpensionem, eam, *subjectivo judicio*, habeat certe probabiliorem [1]. Errant Ballerini, Arendt, Bucceroni et alii, qui verba S. Doctoris in alium sensum detorquent.

[1] Quo melius constet, quid *S. Alphonsus* intenderit, sequentia notare juvat testimonia (alia multa vide ap. *Vind. Alph.*, *Wouters*, *Gaudé*) :

1° Anno 1765 haec docet : « Certum est, illicitum esse sequi tenuiter probabilem... Idem dicendum de dubie probabili... Ita nequidem (secundum nostrum systema) possumus sequi multo vel certo minus probabilem. Tota quaestio est, num licitum sit sequi aeque vel fere aeque probabilem ». Et respondet : affirmative. Cfr. *Vind. Alph.*, I, p. 65 seqq. — Cfr. ib., I, p. 55.

2° Eodem anno, scribit : « Non tuemur opinionem probabilem in concursu probabilioris, sed dicimus licitum esse sequi aeque probabilem ». — In eodem opusculo *ter* eadem redeunt verba. *Vind. Alph.*, I, p. 70.

3° Eodem anno (dell'Uso moder., c. 3, n. 81) ait : « Toties dixi quod non solum ille qui habet notitiam evidentem legis, sed etiam ille qui *juxta lumen rationis* judicat, opinionem stantem pro lege esse notabiliter aut certo probabiliorem, tenetur ad eam observandam, *etiamsi detur disceptatio inter doctores* ». Cfr. *Wouters*, p. 50.

4° Ad P. Blasucci (1768) : « Cum cognosco rigidiorem opinionem *probabiliorem* esse, dico eam sequi oportere ; atque in eo Jesuitarum systemati adversus sum... Quum opinio rigida *mihi (presso me)* certo probabilior est, hanc sequi debeo ». Lettere, III, n. 217.

5° Anno 1777 scribit : « Non sum rigorista, nec probabilista. Sententia mea... haec est : Nefas est sequi opinionem libertati faventem, si hujusmodi opinio solo probabilitatis fundamento nititur. Sed necessario sequenda est opinio pro lege, *quotiescumque ipsa est opposita probabilior.* Atque hinc est cur iterum affirmem, nec rigoristam me esse, nec probabilistam ; sed tale mihi esse systema, ut revera probabiliorista appellari merear ». Lettere, III, 315.

Digitized by Google

100. — I. PROBATUR THESIS EX AUCTORITATE.

1° Documentis indubiis constat *S. Sedem,* inde a saeculo decimo septimo, *opinioni magis probabili* pro lege, suae auctoritatis favorem praestitisse.

a) *Alexander VII* hortatu suo effecit, ut Ordo Dominicanorum, anno 1656, opinioni minus probabili bellum indixerit.

b) *Innocentius XI,* ut praefectus S. Off., decreto 26 Jun. 1680, Reverendissimo P. Thyrso Gonzalez, S. J., « mandavit, ut ipse libere et intrepide praedicet, doceat et calamo defendat opinionem magis probabilem, necnon viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quod in concursu minus probabilis opinionis *cum probabiliori sic cognita et judicata,* licitum sit sequi minus probabilem ».

c) *Clemens XI,* anno 1702, Praeposito Generali Soc. Jes. significavit « rem gratissimam Sanctitati suae facturos Superiores Societatis, si praestent, ut Jesuitae abstineant a docenda et defendenda sententia quae asserit, *licitum esse usum opinionis minus probabilis et minus tutae* ». Cfr. quoad haec et alia perutilia documenta: *Ter Haar,* Innocentii XI de Probabilismi decreti Historia et Vindiciae; *Wouters,* de Minusprobabilismo (ed. alt., p. 21 seqq.); *Mandonnet,* Revue Thomiste, 1902; *Jansen,* Geschichte u. Kritik in Dienste der Minusprobab.; *Patuzzi,* Lett., VI, p. 21.

d) Denique S. Sedes magnis encomiis semper laudavit doctrinam moralem *S. Alphonsi.* Cfr. supra, init. — Quis non videt illa encomia toti morali systemati S. Doctoris suffragari?

2° Thesis nostra concordat cum regula *in Jure canonico* receptissima: *Inspicimus in obscuris quod verisimilius est* (Reg. 45, in 6°). Jamvero verisimilius est idem ac probabilius. Utrumque forum convenire oportet, quoad fieri potest, ait *D'Annibale* (I, 264), post De Lugo et alios. — Hac regula ut *P. Schmitt* (Gesch. des Probab.) concedit, utebantur communiter ante Medinam.

3° Thesi nostrae favet *D. Thomas.* Ex eo enim quod haec duo affirmat: *a*) *certitudinem probabilem* dirigere rectum in actibus humanis (cfr. 37); *b*) dubium tunc evenire quando ex utraque parte dantur rationes aequales, ut etiam supra notavimus (n. 74), — Doctor Angelicus fundamenta nostrae sententiae posuit.

Vide supra, n. 92, quonam sensu intelligenda sint verba S. Thomae: « Nullus ligatur per praeceptum aliquod *nisi mediante scientia illius praecepti* ».

4° Thesi nostrae suffragantur *multi theologi* ex sex ultimis saeculis. Unde ipsi, sicut et primae (n. 91), non deest ea praecellentia quae alicui sententiae ex pondere et multitudine testimoniorum provenit.

a) Neminem fugit, a saeculo XIII usque ad finem saeculi XVI, AA. quasi communiter docuisse: *opinionem probabiliorem practice esse sectandam.* Testis est *Corduba* (Quaest. mor., l. 2, q. 3), qui paulo ante Medinam scripsit; testes sunt etiam prisci probabilistae.

Digitized by Google

Exorta dein controversia de probabilismo, non defuerunt DD., iique gravissimi, imo et theologi integrarum Universitatum (v. gr. Parisiensis et Lovaniensis), qui *usum opinionis minus probabilis sic cognitae* proscripserunt.

Erraverunt utique, rejiciendo usum opinionis etiam aequiprobabilis; sed non erraverunt ex toto. Cfr. *Ter Haar,* Innocentii XI de Probab. decr. Hist., p. 35.

b) Inter theologos, qui probabiliorismo refragati sunt, plurimi docent, in conflictu opinionum, *certe* vel *notabiliter* probabiliorem sequendam esse. — Prae ceteris audiatur *Suarez* (de Leg., l. 8, c. 3, n. 19): « Major probabilitas est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis *certus* sit ». — Idem dicit *Muzzarelli* (Reg. mor. op., ap. *Migne,* Curs. theol., XI, 1309), quem, utpote a studio partium maxime alienum, citare placet: « Aliquis excessus rationum pro una parte contra aliam, nisi sit notabilis, non aufert dubium. Cum autem fuit notabilis, jam praeponderat gravitas pro una parte, jam determinatur ad unum, et in eo sistimus ». — Idem docent *Ferdinandus Rebellus,* S. J., *Antonius Perez,* O. S. B., *Martinus a Prado,* O. P., *Franciscus de Arauxo,* O. P., *Antonius Cotonius,* O. M., *Passerini de Sextula,* O. P., *Esparza,* S. J., *Terillus,* S. J., *Gabr. Daniel,* S. J., *Christ. Rassler,* S. J., *Bened. Schmier,* O. S. B., *Ant. Mayr,* S. J., *Eusebius Amort, Jos. Biner,* S. J., aliique plures. Cfr. *Ter Haar,* de syst. mor. antiq. Probab., ubi plura.

c) Hisce demum accessit *S. Alphonsus,* qui saeculo XIX pro suo systemate non paucos attraxit theologos. Cfr. n. 86, 3. Anno 1878, cl. *Ernestus Müller* scribebat: « Aequiprobabilismus hodiedum in scholis fere ubique docetur » (Theol. mor., I, § 78, 3).

101. — II. PROBATUR EX RATIONE.

1° *Ex parte* LEGIS *quae est sufficienter promulgata.*

Etenim: lex est sufficienter promulgata, cum de ea habetur illa moralis certitudo, quae vocatur certitudo lata. Atqui lex, cui favet opinio cèrte probabilior, est certa certitudine morali lata. Ergo.

Prob. maj. 1° Ea certitudo, quae sufficit, ut homini partes libertatis sequi liceat (vide n. 37), certe etiam sufficit, ut ipse teneatur sequi partes legis: contrariorum enim eadem est ratio; et tum naturalis aequitas, tum ipse sensus communis expostulant, ut legis ac libertatis jura, in aequali causa, aequalia habeantur: utraque enim jura per se aeque sancta sunt, utpote a lege aeterna sapientissime ordinata et volita. Cfr. *Ami du Cl.,* 1900, p. 484. — 2° Hujusmodi certitudo respondet naturae rei moralis, cum in multis casibus major haberi nequeat. Quod si ad imponendam obligationem non esset sufficiens, permultae leges forent, respectu plurimorum, inefficaces, morumque disciplina nimium laxaretur (*Müller,* P. I, § 81, n. 10; cfr. *Bonacina,* de Leg., D. I, q. 1, p. 7, n. 11).

Prob. min. « Lex cui favet opinio certe probabilior » etc. Haec certitudo quidem habetur, quando rationes uni opinioni faventes intellectus assensum ita sibi attrahunt, ut rationes alteri opinioni faventes non jam strictam dubitationem, sed aliqualem duntaxat prudentem

Digitized by Google

haesitationem, seu dubium latum injicere valeant. Atqui id obtinet pro opinione certe probabiliori. Ergo.

Vis enim et efficacia rationum, quibus opinio minus probabilis innititur, certe superatur et in ordine ad prudentem assensum eliditur a validioribus rationibus oppositae opinionis, quae sola idcirco pro praxi *expedite probabilis* esse perseverat, et, remanente licet quadam alterius partis formidine, intellectus nequit jam ei assensum negare, quin prudentiae simul et logicae regulas missas faciat (I, 67, 88). — Ad rem sic *Laymann* (Consc., c. 5, n. 5): « Dum, inquam, una pars contradictionis *verisimilior* apparet, quam pars opposita, non potest intellectus illi dissentire et huic assentiri; quia id fieret sine ratione, imo contra rationem ». Eadem docent *Esparza, Vasquez, Suarez, Lessius* (ap. *Ter Haar,* de syst. mor. antiq. Probab., p. 89), *Beaudouin* (p. 97, 127), *Farges, Storchenau,* et alii. Vide etiam dicta n. 75. In hac controversia de probabilismo, quidquid doceat *Noldin* (I, n. 244, 2°), non solum ad regulas Logicae est attendendum sed etiam, et in primis ad normas quas tradit Ethica. Cfr. *Koch,* Moralth., § 36, 4, 5.

Ea quae diximus (n. 30 et 31) satis superque ostendunt, nostrum argumentum mentem S. Thomae referre. In materia enim morali (I Eth., l. 3) nostra norma est *certituda grossa* (i. e. rudis et imperfecta), illa nempe quae exsurgit ex verisimilitudine, ex iis quae frequentius occurrunt.

Praeterea, legem esse sufficienter promulgatam et certam, si pro ea stat probabilitas *unica*, tradunt passim theologi gravissimi cum S. Alphonso (cfr. n. 76) et Suarezio, qui docet: « Quando homo probabiliter judicat *unam* partem et de alia non habet judicium probabile,... tunc non est dubium, quin homo possit vel debeat sequi tale judicium » (de Poenit., disp. 22, s. 9, n. 5; item de Voto, l. 4, c. 5, n. 5; de Legibus, l. 5, c. 18, n. 19). — Atqui idem est status mentis, si opinio est *unice probabilis,* ac si est *certe probabilior;* nam propter hunc certum et notabilem excessum supra rationes utrinque aequales adest pro lege motivum *simpliciter grave,* quod valet attrahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine oppositi; unde mens jam non versatur in statu dubii stricti aut suspicionis, sed in statu opinantis seu certitudinis late dictae.

2° *Ex parte* LIBERTATIS, *quae certo minus probabilem prudenter eligere nequit.*

Ad prudenter operandum requiritur certitudo moralis, saltem lata, de honestate actionis (cfr. n. 36, 37, 40). Atqui talis certitudo, pro libertate, nequit haberi cum opinione certe minus probabili. Ergo.

Prob. min. « Nequit haberi » nec directa nec indirecta certitudo.

a) *Non directa.* Opinio enim *certo minus probabilis* non potest, qua certo minus probabilis, mentem ad assensum prudentem movere. Est enim contra rectam rationem, supposita rectitudine in voluntate, adhaerere opinioni, quae ad errorem propius quam ad veritatem accedere judicatur.

Digitized by Google

b) *Non indirecta.* Certitudo indirecta comparatur ex principiis reflexis indubiis. Atqui, in praesenti casu, talia desunt. — Principia enim, quae communiter in favorem libertatis invocantur: *Lex dubia non obligat; in dubio melior est conditio possidentis,* in solo dubio stricto (cfr. n. 32) valorem certum et firmum obtinent, ut constat ex argumento praecedenti. Ergo.

Super his sequentia notanda sunt:

1° Secundum *D. Thomam,* « tota materia moralium virtutum sub una ratione prudentiae cadit » (2. 2, q. 65, a. 1, ad 3). — Actus essentialis prudentiae est *consilium* (2. 2, q. 47, a. 1; VI Eth.), quo mediante, prudentia dirigit *electionem* voluntatis (I Eth., l. 1). — Materia, circa quam versatur prudentia, est *verum practicum,* est enim « recta ratio agibilium »; unde ejus norma est ea certitudo quae judicat de his quae ut *in pluribus* accidunt; prudentia enim est in *parte opinativa* animae (1. 2, q. 57, a. 4, ad 2; 2. 2, q. 49, a. 1; 2. 2, q. 47, a. 3, ad 2; a. 9, ad 2). Vide superius dicta n. 31.

2° Cum objectum prudentiae sit *veritas practica,* consilium prudentiae necessario supponit et quaerit *conformitatem ad appetitum rectum.* « In his enim quae sunt ad finem, ait *D. Thomas* (1. 2, q. 19, a. 3, ad 2), rectitudo rationis (practicae) consistit in conformitate ad appetitum finis debiti ». Cfr. 1. 2, q. 57, a. 5, ad 3. — Ex quo sequitur, quod ille *imprudenter agit* qui, data opinione certo minus probabili contra legem, illam nihilominus eligit, quia in suo consilio et in sua electione non egit conformiter ad appetitum finis debiti. Voluntas, libertate exercitii et specificationis, potest quidem eligere minus probabile. In casu autem, haec electio non potest dici viri prudentis. Cfr. *Beaudouin,* p. 128; *Ami du Cl.,* 1900, p. 483, ubi multa utilia et erudita.

S. Alphonsus nostra argumenta his verbis exponit:

« Cum opinio pro lege est certe et sine ulla haesitatione probabilior, tum opinio illa non potest esse nisi notabiliter probabilior. Et eo casu, opinio tutior non erit jam dubia (intellige de dubio stricte sumpto...), sed est moraliter vel quasi moraliter certa, *saltem nequit dici amplius stricte dubia,* cum pro se certum habeat fundamentum quod ipsa sit vera. Unde tunc fit quod opinio minus tuta quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris; ideoque non est prudentia, sed imprudentia (gravis imprudentia, ut legitur in Diss. 1762) velle eam sequi. Quoties enim intellectui diserte apparet veritatem multo magis stare pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa parti minus tutae adhaerere; siquidem, eo casu, homo non proprio judicio seu propriae credulitati innixus operaretur, sed potius per quemdam conatum quem sua voluntate in intellectum inferret, ut a parte, quae valde verisimilior sibi apparet, removeatur, et ad partem quae sibi vera non apparet, imo quae videtur nec certum fundamentum habere quod possit esse vera, inflecteretur ». Haec S. Doctor in editione 6 et 7. Ibi clarius, fusius evolvit quod jam anno 1762, in brevi Dissertatione, scripserat (cfr. *Vind. Alph.,* I, p. 51).

In opusculo: Dichiaraz. del sist., n. 2 (1774) brevius argumentatur:

« Ego iterum in hoc opusculo declaro me non esse probabilistam, nec sequi probabilismum; quin imo eum reprobo... Dico, quod si opinio pro lege apparet certo probabilior, hanc sequi tenemur, plures ob rationes, quarum princeps haec est: In rebus dubiis debemus veritatem inquirere et sequi. At ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur saltem amplecti opinionem illam, quae

Digitized by Google

propius ad veritatem accedit; itaque ipsa veritas, quae nos obligat ad eam sequendam, nos quoque obligat ad sequendam illam opinionem, quae stat pro lege, quando propius accedit ad eamdem illam veritatem ». Ita etiam in *Monito* (1773) septimae editioni adnexo, et in ultimis editionibus Theologiae moralis, n. 54 et 88. Cfr. *Müller*, l. 1, § 81, n. 9; *Farges*, La liberté et le devoir, VIII, p. 215 seqq.

102. — III. PROBATUR EX INCOMMODIS PROBABILISMI ABSOLUTI. Innocentius XI, quamvis authentico actu thesi nostrae favorem praestiterit (cfr. n. 100), numquam tamen censura notare voluit hanc propositionem: « Licitum est sequi opinionem minus probabilem quae sit vere probabilis » (ap. *D'Annibale*, I, n. 263, not. 2). Et sane propositio haec optime sensu aequiprobabilistico explicatur, si de opinione *paulo minus* probabili agitur, et si opinio *vere probabilis* intelligitur, uti a S. Alphonso definitur (cfr. n. 75). Attamen si explicatur sensu probabilismi absoluti, de opinione *certe* ac *notabiliter minus probabili*, hoc systema *per se* ansam praebet laxismo. — Id probari potest tum ex *methodo*, qua in dijudicanda probabilitate utitur, tum ex ipsis, quibus innitur, *principiis*.

1° *Ex methodo*. — Qui probabilismum absolutum sequuntur, ad solam benignae opinionis probabilitatem, hancque absolutam, attendunt, et *suspendunt* judicium circa opinionem tutiorem. Id plurimi probabilistae conceptis verbis docent; et quod docent est ipsius doctrinae, quam propugnant, consectarium. Et re quidem vera, si adversae opinionis vel certa praeponderantia nihili refert, potest jam de ea judicium praetermitti, nec nulla est ratio, cur haec opinio perpendatur. — Sed « talis *voluntaria judicii suspensio* (sunt verba *S. Alphonsi*) annexam sibi habet quamdam vincibilem, imo affectatam ignorantiam » (I, 65). Unde, non ex prudenti opinionum ponderatione, sed ex voluntaria ignorantia opinionis quae legi favet, libertatis probabilitas affirmatur. Cfr. Istr. e prat., I, 53; *Vind. Alph.*, Diss. apolog., n. 105, 106.

2° *Ex principiis*. — Primum probabilistarum principium, quod implicite subjacet diversis principiis reflexis quae afferunt, hoc est: *Qui probabiliter agit, prudenter agit*. Jam vero hoc principium non praebet, per se solum, sufficiens fundamentum ad formandam conscientiam certam, cum sola opinionis probabilitas nos reddat de honestate actionis nullatenus certos (cfr. n. 36, 37). Quinimo, qui nititur probabilitate aequilibrata ne probabiliter quidem agit, sed dubitanter ac temere, cum inter aequalitatem motivorum et argumentorum soli dubitationi sit locus (I, 65, 97).

Alterum principium est: *Lex, cui gravis adversatur probabilitas, non obligat, quia incerta est*. Sed et hoc principium vitio laborat. Nam non omnis probabilitas militans contra legem, tametsi, ex rationibus in se spectatis, gravis videatur, reddit ideo legem dubiam; sed solum opinio aeque vel fere aeque probabilis, prout satis superque demonstratum fuit (cfr. supra n. 67 et 75 fin.). « Opinio illa (inquit *S. Alphonsus*) quae stat pro libertate, *cum aequali potiatur probabilitate* ac opposita quae stat pro lege, grave immittit dubium, an existat lex quae actionem prohibeat » (I, 56).

Quod autem praedicta methodus et praedicta principia per se *laxismo* ansam praebeant, non obscure, rem serio perpendenti, innotescet. — Etenim,

Digitized by Google

cum *methodus* negat probabilitatem adversae opinionis esse necessario perpendendam, facile evenire potest, ut solida probabilitas immerito opinioni, quae libertati favet, adjudicetur; et cum, altera ex parte, systematis *principia,* minus probabilis opinionis usum permittant: quis non videt permultas opiniones, in se aut saltem respectu oppositarum tenuiter solum vel dubie probabiles, a multis tanquam vere probabiles, et in praxi licitas, judicatum iri? Quod eo certius accidere posse censendum est, quod unusquisque facile illis quae placent assentitur. Ergo.

Hinc sollicitudo et questus Alexandri VII, postquam probabilismus ille latus maxime invaluerat; cfr. n. 86, 5°.

Nec minus decretorium est judicium *S. Alphonsi:* « Hanc sententiam (probabilismi absoluti) elapsi saeculi auctores quasi communiter tenuere, sed nos dicimus *eam esse laxam,* et licite amplecti non posse » (H. Ap., I, 31; Apolog., 1769, n. 2).

Alibi S. Doctor haec habet: « Merito multae opiniones aliquot antiquorum casuistarum damnatae sunt; addo, *multas,* meo judicio, *adhuc damnandas restare* » (dell'Uso moderato, c. 6, n. 16).

Nota. Probabilistae moderati (cfr. n. 85, 4°) jamdudum (et quidem non sine proventu) adlaboraverunt, ut his incommodis occurrerent. Remanet tamen adhuc, nostro judicio, latens periculum in eorum modo procedendi, in quantum principia, quibus utuntur, *per se* inducere possunt incautos ad hanc conclusionem: sola lex (vere) certa voluntatem ligat. Cfr. verba cl. *Noldin,* I, n. 236, in fin. — Quam securius agunt, qui ad amussim eas sequuntur regulas quas S. Alphonsus demum statuit! Illae enim (nonobstante decreto super « nihil censura dignum ») anno 1807 novo examini subjectae sunt, quando instituta fuit *Positio super Prudentia* nostri Sancti: cfr. *Wouters,* p. 49. Vide infra, n. 107.

Solvuntur objectiones.

103. — Obj. 1° Nulla est obligatio, nisi de ea certe constet. Atqui non constat de obligatione, contra quam militat vera et solida probabilitas. Ergo.

Resp. Dist. maj. Nulla est obligatio, nisi de ea certo constet, certitudine saltem lata, *concedo;* nisi de ea certo constet certitudine stricta, *nego.* Secus ne probabilissima quidem opinio pro lege militans haberet vim obligandi, et consequenter quoties remaneret aliquod dubium latum de lege, nullitas legis semper esset pronuntianda: quod foret intolerabilis laxismus.

Pariter distinguo *min.* Si non datur opinio certe probabilior pro lege, *concedo;* secus *nego.* Quia ex naturali praecepto eligendi partem, quae evidenter propius ad veritatem accedit, jam obligat lex certe probabilior, ceu sufficienter promulgata.

Obj. 2° Qui sequitur opinionem vere probabilem, agit cum ratione gravi. Ergo non peccat.

Resp. In hypothesi, agit cum ratione gravi, quae *certe* a graviori superatur. Unde agit contra rectam rationem, ut probatum est. Nam, ut ait *D. Thomas:* « Illi mores dicuntur boni, qui rationi congruunt; mali autem, qui a ratione discordant (1. 2, q. 100, a. 1).

Inst. Falsum est minorem probabilitatem a majori elidi, quando scilicet ambae vim suam ex diversis principiis accipiunt. Atqui hoc fere semper accidit in opinionum concursu, ut concedit ipse *S. Alphonsus* (Diss. 1755, n. 13). Ergo.

Digitized by Google

Resp. Dist. maj., si sermo est de elisione speculativa, *transeat;* si de elisione practica, *subdistinguo* cum eodem S. Doctore (ib. nota): Si excessus non sit notabilis, *concedo;* secus *nego.* Nam etsi motiva ac principia utriusque opinionis sint disparata, ac possint, qua talia, vim suam intrinsecam servare; conclusiones tamen, id est ipsae opiniones, non tantum disparatae sunt, *sed plerumque sibi contradictoriae,* cum una *affirmet* id ipsum quod *negat* altera, id est liceitatem vel illicitatem actus. Ergo quando una certe superat alteram, haec posterior eliditur practice, i. e. saltem *in ordine ad formandam conscientiam;* aliis verbis, non praebet amplius sufficiens fundamentum, ut prudenter agamus (cfr. n. 75 et 101).

Obj. 3° Argumenta aequiprobabilismi pro usu opinionis minus tutae eadem sunt ac argumenta probabilismi simplicis, et logice ducunt ad permittendum opinionem vere probabilem, etiamsi est certe minus probabilis; quia nimirum etiam tunc lex est dubia.

Resp. Eadem objectio facta fuit S. Alphonso, qui ita respondet: « Huic oppositioni jam in libro meo praeivi, statuens quod, ubi adest probabilior opinio pro lege, tunc lex est moraliter promulgata, ideoque obligat, non obstante illo dubio lato pro opinione benigniori. Ubi enim veritatem certam non invenimus, illam sequi debemus opinionem quae magis veritati se appropinquat; contra vero, ubi opiniones sunt aeque probabiles, lex est vere dubia dubio stricto, ita ut nullo modo tunc lex dici possit sufficienter promulgata » (I, 88; ed. G., p. 69). Sane in solo dubio *stricto* legis existentia invincibiliter *ignoratur,* non autem in dubio *lato,* seu in statu *opinantis.*

Obj. 4° Qui nimis probat nihil probat. Jamvero ex thesi, essent ut laxistae habendi omnes probabilistae, quorum sane plurimi optimae notae, atque insignes exstitere theologi. Ergo falsa thesis.

Resp. Conc. maj., nego min. Thesis non dirigitur contra omnes probabilistas. Sunt enim qui professi sunt probabilismum haud presse determinatum, et in bono sensu benigne interpretandum. Hi permittebant usum opinionis minus probabilis, subaudientes paulo minus probabilem; quinimo, plures hoc expresse docuerunt, ut constat ex dictis (n. 100). Praeterea multi, etiamsi systema nimis benignum profitentur, tamen in solutione singularum quaestionum et casuum graves sunt theologi, minime laxistae.

Obj. 5° Melius est errare in misericordia, quam in severitate. Ergo probabilismus utpote benignior est praeferendus.

Resp. Cum semper viae nostrae remanebunt incertae, placet principium; sed *nego consequentiam.* Melius potius est, neque in misericordia errare, neque in severitate, sed servare quod justum est ac Dei providentiae consentaneum.

Obj. 6° Inutilis est methodus comparativa. Probabilitas enim opinionis pendet a rationibus, quibus fulcitur. Atqui rationes pro aliqua opinione possunt optime in se cognosci, quin fiat comparatio cum oppositis. Ergo inutilis comparatio.

Resp. Conc. maj., dist. min. Rationes in se possunt cognosci absque comparatione, quoad propriam naturam, *conc.;* quoad efficaciam in ordine ad solidam et expeditam seu practicam probabilitatem, *nego.* Ratione enim patet, et quotidiana experientia constat, saepe evenire ut opinia, quae prius solida et certis fundamentis innixa censebatur, postea, expensis adversae partis rationibus, parum solida, imo tenui probabilitate freta appareat. Et idem evenit in omni re controversa. Ex defectu igitur methodi comparativae, certum periculum incurritur operandi ex opinione quae practice est tantum tenuiter probabilis.

Digitized by Google

Obj. 7° Obligatio sequendi opinionem certe probabiliorem imponeret intolerabile jugum. Ergo non datur. — Prob. *ant.* Ista obligatio fert secum necessitatem cognoscendi opiniones probabiliores. Porro omnes fatentur opiniones probabiliores non facile a minus probabilibus discerni. Ergo.

Resp. Neg. ant. et conseq. Ad probationem *dist. maj.* illa obligatio fert secum necessitatem cognoscendi opiniones probabiliores: necessitatem absolutam, quae summam exigat diligentiam, *nego;* necessitatem ordinariam, quae communem et proportionatam exigat diligentiam in indaganda veritate, *conc.* Hanc enim diligentiam omnes probati auctores admittunt (n. 40, 2°); et quando post moralem adhibitam diligentiam, opinio pro lege non agnoscitur certe probabilior, licet statim opinionem pro libertate amplecti. — Ad *min.* Difficile est discernere opiniones probabiliores a minus probabilibus, si minimus etiam excessus perpendendus sit, *conc.;* si negligi possit excessus parvus et dubius, *nego.* Quod autem hoc ultimum in Alphonsiano systemate obtineatur, jam diximus. — Nihil igitur oneris imponitur, quod moralem possibilitatem ac prudentiae regulas praetergrediatur. Adde, quod ille labor, jam in plerisque casibus, praestitus est, sive a probatis AA., sive imprimis a S. Alphonso.

Nota. Alias objectiones refutatas vide apud *Wouters,* p. 95-132.

III. — Praecellens meritum systematis S. Alphonsi.

104. — S. Alphonsus passim, in moralibus suis operibus, egregium hoc Seraphici Doctoris effatum commemorat: « Cavenda est conscientia nimis larga, et nimis stricta; nam prima generat praesumptionem, secunda desperationem; ita prima saepe dicit malum bonum, secunda e contra bonum malum; item, prima saepe salvat damnandum, secunda contra damnat salvandum » (Compend. theol. ver., l. 2, c. 52).

Quod regula aequiprobabilismi a S. Alphonso tradita, *mediam illam viam* accurate teneat, ex dictis jam liquet (cfr. n. 88 seqq.).

Quod autem ipsa ceteris insuper systematibus *prudentia* antecellat, et *facilitate,* et *auctoritate,* ex nunc dicendis patebit [1].

105. — I. *Regula aequiprobabilismi S. Alphonsi est omnium* prudentissima. Etenim Beatus Doctor talem proponit normam, quae omnem amoris proprii praecavet hallucinationem, et viam scrupulis omnino praecludit.

1° *Praecavet hallucinationem amoris proprii.* Imminet hoc periculum, si quis sola momenta, quae pro libertate militant, perpendat, quin ad alterius partis rationes attendat (cfr. n. 67). Sed aequiprobabilismus (ut vox ipsa indicat) non sectatur talem agendi modum, quin potius eum expresse rejicit.

2° *Viam praecludit scrupulis.* Non enim imponit *strictum* aequiprobabilismum, sed docet *fere aequalem* probabilitatem opinionum sufficere, nec attendendum esse ad probabilitatis excessum, nisi certus et notabilis appareat. Sane diligentia proportionata requiritur; sed quo-

[1] Cfr. *Vind. Alph.*, P. I, c. 1, § 1, art. 4 et Diss. apolog., n. 158-190.

Digitized by Google

tiescumque intellectus, adhibita pro viribus rationabili diligentia, certam tutioris opinionis praeponderantiam non clare percipit, libertas remanet in plena sui juris possessione. Quid vel mediocribus ingeniis accommodatius desiderari potest?

Audiamus theologum, qui *votum pro concessione tituli Doctoris exaravit.* « At nolim quis putet, inquit, id unum duntaxat Alphonsum praestitisse, nimirum dissidentes sententias collegisse et peracute aestimasse; cum praeterea certum sit *solida totius moralis disciplinae fundamenta per eum fuisse constituta.* Omnes enim norunt fundamentalem in Theologia morali esse quaestionem *de natura et usu probabilitatis*.... Jamvero, hujusmodi quaestio ante Alphonsum adeo erat implexa, ut probabilistae et probabilioristae inter se contendentes, vel in laxismi vel in rigorismi scopulum facillime impingerent. Quod autem in hac quaestione nunc *extrema vitentur,* UNI ALPHONSO debetur, qui *aureum illud* AEQUIPROBABILISMI *systema invexit,* quod constanter retinuit, et in morali disciplina explicanda adoptavit ».

106. — II. *Regula aequiprobabilismi S. Alphonsi est omnium* FACILLIMA. Duo namque, in omni controversia circa liceitatem actionum, sufficiunt:

1° Videre utrum possideat lex an libertas, juxta superius exposita (n. 55). — 2° Palmam adjudicare parti quae possidet, nisi opinio, quae alteri favet, sit evidenter probabilior.

OBJICIES. Facilius est de solida et gravi probabilitate judicare, quam de excessu probabilitatis oppositae. Ergo facilior est regula probabilismi, qui docet licite admitti posse opinionem, modo sit vere ac solide probabilis.

Resp. Vana est objectio. Nam priusquam opinionem amplectaris, vel eam solam consideras, vel componis eam cum sua contradictoria. — Si *primum,* peccas agendo imprudenter; proprium enim imprudentiae est, testante *D. Thoma* [1], judicare aut agere, neglecta sufficienti deliberatione. Nonne tunc similis dicendus esses judici, qui audita una tantum litigantium parte, et quidem parte sibi amica, eidem causam adjudicaret? (cfr. n. 40, reg. 2). — Si *secundum,* non est cur de simpliciori regula glorieris; siquidem, ut judices tuam probabilitatem theologice ac relative seu *comparative* gravem, debes eamdem instituere rationum hinc indeque stantium ponderationem. — Ergo sibi fucum faciunt, qui opinantur, simpliciorem esse regulam probabilismi absoluti; haec enim vel non est recta morum regula, vel eamdem ac nostra operam sibi expostulat.

107. — III. *Regula aequiprobabilismi S. Alphonsi est omnium* PROBATISSIMA. Quae ex auctorum ac totius Orbis Antistitum testimoniis, et ex S. Sedis approbatione, in favorem doctrinae moralis S. Alphonsi in genere referuntur (cfr. Acta Doctor.), ea non pari tantum, sed potiori jure de ipsius morali systemate valent. Hoc enim systema totam moralem doctrinam sustinet ac moderatur, cum ad ejus normam cuncta fere dubia resolvantur.

[1] 2. 2., q. 53, a. 4; q. 54, a. 2; cfr. H. Ap., I, 42; V, 4, 4°; demum, de Usu moder. (1765), c. 4, n. 35.

Digitized by Google

Apprime id intellexit S. Rituum Congregatio; atque hinc fuit, cur rigidissimae disquisitioni, non semel, sed iterum, sancti viri systema subjecerit; eo autem successu, ut systema omnium assensum, et in catholico Orbe plausum fere unanimem sibi, ex illo tempore, exceperit [1]. — Quod causae Beatificationis vindex coram Emorum Cardinalium coetu graviter jam testatus est, inquiens: « Quod si *sapiens Ligorii systema* privatis quibusdam scriptoribus non placuit, placuit tamen aliis multitudine infinitis ac doctrina praestantissimis, qui ipsum in hac quaestione omne tulisse punctum existimarunt: propterea per totam Italiam, Hispaniam, Germaniam, aliasque Orbis partes, ejus Theologiam moralem summo plausu excepere » [2].

Non datur autem aliud Theologiae moralis systema, quod aeque authentica testimonia exornent, et quod tam multa et tam splendida suffragia commendent. — Nec verum est, quod quidam auctores perperam affirmant, ad simplicem etiam seu absolutum probabilismum, pertinere praefatam approbationem; siquidem satis superque probatum est, systema S. Alphonsi ab illo benigniore probabilismo, quem ipse sententiam laxam appellat, esse et semper fuisse alienum (n. 102).

Nota. Quoad modum agendi, si poenitens benigniorem sequitur sententiam, vide n. 1789.

Scholium.

De modo quo S. Alphonsus enuntiat suas sententias [3].

108. — Ad perfectiorem S. Alphonsi Theologiae moralis intelligentiam utile videtur nonnullas proponere regulas, quibus sancti viri genuinum de valore sententiarum judicium dignoscatur. — Etenim, quando B. Doctor diversas auctorum opiniones commemorat, non semper, quaenam ex omnibus in praxi tenenda sit, conceptis verbis effatur. Id facili negotio deprehendet tanti magistri discipulus, qui ejus *systema* probe calleat, et simul *modum* cognoscat, quo ipse suas sententias declarare solet. — Qua super re, attendendum est ad sequentes REGULAS:

1° Generatim ea sola opinio, quam S. Alphonsus *probabilem* appellat, ipsi revera probabilis est. — Hinc, quando hac formula utitur: *Probabiliter dicunt auctores,* in hoc casu, eorum sententiam probabilem censet. — Quando vero hac altera formula utitur: *Dicunt auctores probabiliter licere,* exinde non liquet illam sententiam ab ipso ceu probabilem existimari; nam ipsius verba solummodo indicant, se auctorum, quos citat, judicium proferre.

2° Si de aliqua opinione loquens dicit: *non videtur improbabilis;* aut: *non improbabiliter dicitur;* in hoc casu, regulariter, opinionem ut satis probabilem habet, nisi forte opinioni aliquid certe vel notabiliter probabilius opponat.

3° Opinionem, quam *neque probabilem* appellat, *neque improbabilem,* aliorum generatim judicio relinquit. — Videndum tamen est, quid, sive antea, sive postea dicat: nam, si nihil omnino opponat, et gravis sit auctor, quem citat, opinio illa generatim ut satis probabilis habenda est: uti, v. gr., quando sub quaestionis fine adjungit: *Lugo... addit... advertit.*

[1] *Vind. Alph.*, P. I, c. 3, § 2, a. 2; *Wouters*, Minusprobab., p. 43 seqq. — [2] Nova positio super virtut., n. 97. — [3] *Vind. Alph.*, t. II, App. 1, Clav. op. moral., § 2.

Digitized by Google

4° Si de aliqua sententia expresse ait: *non audeo damnare,* vel *non audeo eam improbabilem dicere,* eo ipso, declarat illam, suo judicio, dubie esse probabilem, aut illam a se prudentiorum judicio remitti.

5° Cum aliquam opinionem dicit *veriorem,* vel *multo* aut *absolute probabiliorem* vel *probabiliorem* simulque *communem* aut *communissimam;* in hoc casu oppositam non amplius, respectu alterius, ut solide probabilem judicat, etiamsi eam ceu improbabilem non expresse rejiciat.

6° Idem dicendum est, quando unam ex sententiis *probabiliorem* aut *communiorem* vocat, nec judicium de opposita profert; hoc enim loquendi modo, significare intendit, illam opinionem sibi ita videri probabiliorem, ut oppositam tanquam vere probabilem non agnoscat.

7° Sententia, cui nihil opponitur, et quam simpliciter vocat *probabilem* (qui tamen casus raro contingit), ordinarie fundat pro praxi certitudinem moralem (cfr. n. 72).

8° Sententia, quam simpliciter *communem* dicit, nullo de opposita lato judicio, sua certe dicenda est.

Monitum. Praetermittemus plerumque, in hoc opere, opiniones, quae vi obligandi destituuntur, vel quae ad rem parum faciunt, et illas solas referemus, queis pro praxi suffragatur S. Alphonsus, remittentes lectorem ad ipsius S. Doctoris opus, pro uberiori studio atque intelligentia. — In *taxandis* tamen sententiis eadem ac ipse voce utemur, et in quaestionibus *vere controversis* utramque semper opinionem paucis exponemus.

Digitized by Google

TRACTATUS II.

De legibus

PROOEMIUM.

De notione legis.

S. Thomas, 1. 2, q. 90-108; *S. Alphonsus*, I, n. 90 seq.; ed. G., I, p. 70; *Suarez*, de Legibus, l. I, II, c. 1-4; *Gonet*, Clypeus Theol. Thom., tr. 13, p. 13; *Zigliara*, Ethica, n. 17, II; *D'Annibale*, I, n. 160; *Kuhlmann*, O. P., der Gesetzesbegriff vom hl. Thomas (Bonn, 1912).

109. — DEFINITIO. Lex (a *ligando*), in sensu latiori accepta, est regula, juxta quam aliquid fieri debet.

Lex autem moralis, quae liberas hominis actiones dirigit, pressius definitur ab Angelico: *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata* (1. 2, q. 90, a. 4).

Dicitur 1° *ordinatio*, i. e. praescriptum seu mandatum, quod stricte obligat. Qua in re differt a CONSILIO, cui vis tantum directiva et suasoria inest. — Ad legis igitur essentiam pertinet *obligatio*, seu moralis illa necessitas, qua liberum arbitrium ad aliquid faciendum aut omittendum adstringitur.

2° *rationis*. Ordinatio enim seu praeceptum, quamvis ex Superioris voluntate procedat, essentialiter tamen et intellectus judicium requirit, quo judicio voluntas, in praecipiendo, recte dirigatur. Nulla quippe lex consistere potest, nisi rationi sit consentanea. Hinc, relate ad legislatorem, lex est recta ratio jubendi; relate autem ad subditos est « recta ratio agendorum » (H. Ap., II, 1).

3° *ad bonum commune*. Nam finis legis est bonum, non quidem bonum privatum Superioris aut subditorum, sed bonum commune seu publicum societatis. Rectae enim rationi adversatur, ut universa societas ad unius vel aliquorum duntaxat commodum ordinetur, utque totum referatur ad partem.

Ceterum, dum quisque bonum commune procurat, necessario et bono suo proprio, saltem spirituali, ipse consulit; legislatoris enim (ut docet cum Aristotele *S. Thomas*) intentio est subditos facere bonos (Contr. Gent., 1, 3, c. 115, n. 3).

4° *ab eo qui curam communitatis habet*. Nam facultas condendi leges stat penes eum, ad quem spectat conservatio et gubernatio communitatis. — Porro, nomine *communitatis* intelligimus *communitatem*

Digitized by Google

perfectam, quae nimirum politici regimini capax sit, ut Ecclesia, regnum, vel provincia sui juris. Etenim, ad ferendam legem, non sufficit, ut dicit *Suarez* (l. I, c. 9, n. 4), potestas *domestica* vel *dominativa*, quali fruuntur viri in uxorem, pater in filios, herus in servos (quae potestas solummodo concedit jus imponendi praecepta); sed necessaria est publica illa gubernandi ac cogendi potestas, quae *jurisdictionis* nomine designatur (cfr. n. 138).

5° *promulgata*. Nam promulgatio pertinet ad essentiam cujusvis legis, quae vim habeat obligandi, ut *S. Alphonsus* (l. c.) ex D. Thoma fuse demonstrat. Et ratio praecipua est, quia cum lex regula sit ad quam communitas se conformare debet, ita proponi debet ut majori saltem communitatis parti innotescat (cfr. n. 158).

110. — *Ex his colliges:* 1° Differt LEX a simplici PRAECEPTO, seu mandato: — *a*) ratione *jubentis;* quia legislator est persona publica, praecipiens vero potest esse homo privatus, potestate domestica pollens; — *b*) ratione *subjecti;* quia lex communitati qua tali, et singulis quatenus sunt partes communitatis; praeceptum vero privatis imponitur; — *c*) ratione *finis;* quia lex proxime et primario spectat bonum commune; praeceptum vero, bonum privatum; — *d*) ratione *extensionis;* etenim, cum lex feratur pro communitate qua tali, si communitas certo loco continetur, lex extra hunc locum non obligat. Contrarium habetur in praecepto, quod, quia personam afficit, illam, quocumque perrexerit, comitatur, illiusque, ut aiunt, *ossibus haeret;* — *e*) ratione *stabilitatis;* nam praeceptum transitorium est, et mandantis morte vel amotione exspirat, nisi res non sit amplius integra, vel nisi praeceptum sit ad causas privilegiatas, ut sunt in jure romano causae piae. Lex autem, suapte natura, est perpetua: conditur enim in gratiam communitatis quae, qua talis, morti non subjacet (I, 140; *Reuter*, P. I, n. 127; *D'Annibale*, I, n. 248).

111. — 2° Ut lex (praeceptum) obliget, requiritur: *a*) ex parte MATERIAE: α) ut sit *honesta*, i. e. rectae rationi conformis, nec legi divinae contraria; β) *justa*, i. e. ex legitima potestate procedat, jura subditorum non laedat, neque onera imponat improportionata; γ) *moraliter possibilis*, i. e. ut, pro locorum et temporum adjunctis, non nimis difficilis sit observatu; δ) *utilis*, i. e. ut ad bonum publicum vere et notabiliter conducat; — *b*) ex parte FORMAE, requiritur ut sit: α) *manifesta* seu clara; β) *promulgata*, sicut jam notavimus (n. 109). Haec infra (n. 154) fusius explanabuntur.

Nota. Praeceptum potest imponi tum vi potestatis dominativae, tum vi jurisdictionis (cfr. n. 14). In primo casu, peccat transgressor contra solam obedientiam, quia Superoir, tali potestate utens, mere intendit subjectionem subditi. In secundo casu, peccat ordinarie contra solam virtutem cujus bonum laeditur, quia jurisdictio est medium auctoritativum ad bonum virtutis procurandum.

112. — DIVISIO. Lex distinguitur: 1° Ratione objecti, in *affirmativam*, quae ponere actum praecipit, et *negativam*, quae actum omitti jubet. — Differunt inter se eo quod lex affirmativa obligat quidem *semper, sed non ad semper;* negativa vero obligat *semper, et ad semper*. Et ratio est, quia, quovis tempore, tenemur abstinere ab omni malo, non tamen facere omne bonum.

Digitized by Google

2° Ratione legislatoris, in *naturalem* et *positivam*. — Lex naturalis est illa, quae homini innotescit ex ipso lumine rationis. Huc pertinent, si circumstantiam Sabbati (vel Dominicae) excipias, omnia Decalogi praecepta. — Lex positiva, quae subdividitur in divinam et humanam, est illa, quae ex *libera Dei aut hominum voluntate* procedit, et ab *ea dependet; v. gr. lex de Baptismo, de jejunio quadragesimali, etc.*

Haec quidem non dictatur a natura, sed est legi naturae conformis, et in hoc maxime ab illa discrepat, quod ea quae prohibentur lege naturali, *ideo prohibita sunt, quia sunt mala;* quae vero prohibentur lege mere positiva, *ideo mala sunt, quia prohibita* (I, 101).

Atque hae sunt praecipuae legis divisiones (cfr. n. 113 et 136). — Cum autem formalis legis ratio in primis a legislatore proveniat, hinc est cur, pro diversitate legislatoris, divini nempe aut humani, praesentem Tractatum *in duas Dissertationes* dividendum esse censeamus, in quarum altera agetur DE LEGE DIVINA, in altera vero DE LEGE HUMANA.

DISSERTATIO I.

DE LEGE DIVINA

113. — Lex divina duplex est, *naturalis* scilicet et *positiva*. — Porro lex naturalis solet sub duplici aspectu considerari: 1° quatenus est aeterna, in mente Dei existens; 2° quatenus est promulgata in tempore, et inexistens creaturis. — Lex divina positiva, quamvis lata sit per decretum quod ab aeterno exstitit, stricte tamen loquendo non dicitur aeterna; quia, ut infra videbimus, non eamdem ac lex naturalis necessitatem aut immutabilitatem participat. — Tractabimus igitur: 1° de lege aeterna et naturali; 2° de lege divina positiva.

CAPUT I.

De lege aeterna et naturali.

S. Alphonsus, I, n. 57 et 70; ed. G., I, p. 26 et 41 seqq.; H. Ap., I, 50; *Billuart*, Diss. II, a. 2-4; *Gonet*, Clypeus Theol. Thom., tr. VI, disp. 3; *Leroy*, Religion des Primitifs; *Huby*, Manuel d'histoire des Religions; *D'Annibale*, I, n. 190.

ARTICULUS I.

De lege aeterna.

114. — DEFINITIO. Lex aeterna, lato sensu, definitur ab Angelico (1. 2, q. 91, a. 1): « Ratio ordinis rerum in finem ». Quo vocabulo *ordinis* comprehenditur omnis, qui in mundo habetur ordo, physicus nempe et moralis, naturalis et supernaturalis.

Digitized by Google

Strictiori autem sensu, lex aeterna definitur a *S. Augustino* (Contr. Faust., l. 22, c. 27): « *Ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, et perturbari vetans* ».

115. — PRINCIPIA. I. **Datur in Deo lex aeterna.** Constat 1° Ex SS. Scripturis, praesertim *Prov.*, 8, 23: *Ab aeterno ordinata sum*, etc.; ubi, quae de sapientia dicuntur, ex DD. interpretatione, intelligenda sunt de lege aeterna, quae omnia regit et moderatur. — Probatur 2° Ex ratione; haec enim docet existere in mundo ordinem quemdam naturalem, seu *essentialem*, qui ex ipsis rerum naturis exsurgit, v. gr. inter Deum et hominem intercedere relationem Creatoris ad creaturam, Domini ad servum, etc. Porro, Deus, *qui negare seipsum non potest*, necessario vult, ut hujusmodi a se constitutus ordo non perturbetur, sed servetur. Atqui, haec Dei ordinatissima immutabilisque voluntas LEGIS AETERNAE nomen rectissime accipit (*Suarez*, de Leg., l. 2, c. 3).

116. — II. **Lex aeterna, qua talis, non est lex proprie dicta, sed est ratio et fons omnium legum.**

Dicimus 1° *Non est lex proprie dicta;* utpote non indicta subditis, qui ab aeterno non exstiterunt. — Unde *S. Alphonsus* cum Sylvio (I, n. 71): « Lex aeterna, inquit, fuit ab aeterno lex materialiter, non formaliter, seu sub ratione legis actualiter obligantis ».

Alio loco (I, n. 70; ed. G., I, p. 41) S. Doctor ait: « *Lex aeterna, respectu hominum, non est propria lex* ». Propria enim lex, quoad ipsos, est lex naturalis.

2° *Est ratio et fons omnium legum.* Omnis enim lex, sive divina sive humana, vim obligandi inde accipit, quod ordo, seu lex aeterna postulat, ut subditi Superioribus justa praecipientibus obtemperent.

Nec obstat, quod leges positivae, maxime leges humanae, sint mutabiles; nam ipsa lex aeterna statuit, ut, pro temporum, locorum et personarum mutatis conditionibus, hae leges immutentur.

117. — III. **Legi aeternae omnes res humanae, diverso licet modo, subjiciuntur.** Etenim lex aeterna est ratio divinae gubernationis: quaecumque ergo divinae gubernationi subduntur, subjiciuntur etiam legi aeternae; huic proinde legi omnia subduntur. Haec autem subjectio duplici contingit modo: uno in quantum lex aeterna participatur *per cognitionem*, qua menti quaedam regula, quae est principium agendi, imprimitur; altero in quantum participatur *per naturalem inclinationem* creaturis inditam, qua moventur a divina providendia. Posteriori hoc modo irrationales creaturae subduntur, creaturae autem rationales utroque modo subjacent. His enim inest tum quaedam legis aeternae notio, tum naturalis inclinatio ad id quod consonum est huic legi.

Adest tamen discrimen inter bonos et malos. In malis, inclinatio naturalis ad virtutem depravatur per habitum vitiosum, et ipsa naturalis cognitio

Digitized by Google

boni in eis obtenebratur per passiones et habitus peccatorum. Subjectionis ergo modus in malis est imperfectus. — In bonis autem subjectio invenitur perfectior, quia, et supra cognitionem naturalem boni superadditur eis cognitio fidei et sapientiae, et supra naturalem inclinationem ad bonum superadditur eis in interius motivum gratiae et virtutis. Apud malos tamen, quantum deficit ex parte actionis, suppletur ex parte passionis; prout scilicet in tantum patiuntur quod lex aeterna dictat de eis, in quantum deficiunt facere quod legi aeternae convenit. Quisquis ergo ordinem non tenet, ordine tenetur. Cfr. *D. Thom.*, 1. 2, q. 93, a. 6.

118. — *Nota.* Lex aeterna est regula remota moralitatis sive intellectus nostri, sive voluntatis. Per illam enim, seu per lumen ejus, omnia judicamus; ipsam autem judicare non possumus, quia est infinita et incomprehensibilis, neque ullus creatus intellectus eo attingere valet, ut, quis sit ad Deum rerum ordo, perfecte et omni ex parte contueatur. — Unde, cum *peccatum* ab hoc ordine deflectat, ejus intrinsecam ac totalem malitiam nunquam perfecte inspicere possumus.

ARTICULUS II.

De lege naturali.

Tria hic consideranda veniunt, nempe legis naturalis: 1° existentia et objectum; 2° promulgatio et cognitio; 3° immutabilitas.

§ 1. De legis naturalis existentia et objecto.

119. — Definitio. Lex naturalis (quod et jus naturale dicitur) est ordinatio Dei ordinem naturalem servari jubens et perturbari vetans, cognita per lumen naturale. — Est ipsa lex aeterna, quatenus rationalis creatura illam participat,

Ratio igitur humana non est fons legis, sed est facultas, qua lex cognoscitur (Dichiar. del sistema, n. 19). — Hinc proscripta fuit a Pio IX haec 3ª Syllabi propositio: « Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit ». Insaniam olet effatum: *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas,* si nempe absolute et sine restrictione intelligatur.

Divisio. In lege naturali distinguitur jus primarium et secundarium. *Primarium,* seu absolutum, dicitur illud, cujus materia connexionem habet immediatam cum Dei essentia; ita ut, ne indirecte quidem, per additas circumstantias, mutari possit: v. gr. non pejerabis, non blasphemabis, non dices mendacium. — *Secundarium,* seu hypotheticum, illud est, cujus materia circa res creatas versatur; quod idcirco a rerum dominio, nempe a Deo (vel etiam ab homine, pro indigentia boni communis), indirecte mutari potest: v. gr. non occides, i. e. auctoritate privata; non facies furtum, i. e. quamdiu res aliena fuerit. *Suarez,* de Leg., l. 3, c. 13, n. 5.

120. — Principia. I. **Existit lex naturalis.** Constat ex verbis Apostoli (*Rom.*, 2, 14): *Gentes quae legem non habent* (i. e. Mosaicam),

Digitized by Google

naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt ; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.

121. — II. Objectum legis naturalis est id omne, quod rationali naturae ita convenit vel repugnat, ut ad ordinis conservationem, ab ipso naturae Creatore, necessario praecipiatur vel prohibeatur. Aliis verbis: ad legem naturae pertinent omnia praecepta ad quae, ex rei natura et independenter a quacumque lege positiva, obligamur. — Constat ex ipsa legis naturalis definitione.

« Ordo autem naturae in eo est, ait *Reuter* (P. I, n. 29), ut creatura rationalis debite se habeat erga Deum, erga proximum, erga seipsam et erga alias creaturas. — Jamvero, ordo *erga Deum* requirit, ut divinae sapientiae et veracitati fidem; benignitati, misericordiae, omnipotentiae et fidelitati spem et fiduciam; summae bonitati amorem; . . . . . supremae jurisdictioni subjectionem et obedientiam, ... etc., praestet, et vitia opposita devitet. — Ordo *erga proximum* requirit, ut eum amet, revereatur parentes, obediat Superioribus, cuique suum praestet, ... aliasque virtutes ad ordinatam societatem exerceat, et vitia his opposita fugiat . . . . . — Ordo *erga seipsam* requirit, ut appetitus subjiciatur rationi, ratio autem Deo et Superioribus. — Denique ordo *erga reliquas creaturas* exigit, ut creatura rationalis iis recte utatur, tanquam mediis ad finem, mediisque amorem fini debitum non impendat; nec ea detorqueat a fine, ad quem ex natura sua et Dei intentione ordinantur » (cfr. n. 379 seqq.).

122. — *Ex his infertur*: 1° *Omnes actus virtutum* pertinent ad legem naturae, quatenus in genere sunt virtuosi: dictat enim ratio ut virtuose quisque agat, etiam in re mere licita et indifferenti. — Si vero actus virtutum spectentur secundum se, et in propria specie, non sunt omnes de lege naturali. Haec enim *non praecipit* omnes actiones ordini conformes, sed eas duntaxat quae necessariae sunt ad ordinis conservationem, et quarum omissio est turpis. Sic, v. gr., quaedam virtutes, ut virginitas et paupertas evangelica, sine peccato omitti possunt. Item, multi sunt actus virtutum, qui sunt per se meri consilii, et a lege positiva tantum praecipiuntur, ut abstinentia a carnibus, et similia (*S. Thom.*, 1. 2, q. 94, a. 3).

2° *Omnia peccata* sunt contra legem naturalem, saltem reductive et mediate: quicumque enim positivum Dei aut hominis praeceptum transgreditur, eo ipso rationis ordinem violat, et legem subjectionis, quae a natura requiritur (cfr. n. 316).

§ 2. De legis naturalis promulgatione et cognitione.

123. — Principia. I. **Lex naturalis promulgatur et obligare incipit, statim ac homo usum rationis adipiscitur.** Etenim lex naturalis exsurgit ex rerum essentiis, et ex divinis perfectionibus: ergo, statim ac homo, ratione utens, Deum et essentiales ad eum relationes cognoscit, quod est ratione uti, cognoscit legem naturalem, ipsamque observare tenetur. Donec autem rationis usus adsit, lex naturalis solum

Digitized by Google

in *actu primo* promulgata remanet, per connaturalem habitum primorum principiorum (cfr. H. Ap., I, 53).

124. — *Ex his colliges:* 1° Cum legis naturalis promulgatio per lumen rationis innotescat, eo ipso humanae rationis imperfectioni obnoxia est. — Hinc, ut lex integre, facile, absque dubitatione atque errore, cognosci possit, alia, haecque perfectior, promulgatio moraliter necessaria est; quae fit, tum per supernaturalem Dei revelationem, tum etiam per infallibile Ecclesiae magisterium.

2° « Promulgatio quae obligat (in actu secundo) fit quando creatura cognoscit praeceptum lumine rationis, aut illud audit ab Ecclesia, vel a sapientibus, qui eam docent » (H. Ap., I, 50).

3° *Peccant, qui amentes, vel pueros nondum rationis compotes, inducunt ad aliquid, quod est contra jus naturae* (H. Ap., II, 36). Pueri enim et amentes, quamvis formaliter peccare non possint, in actu tamen primo legibus naturae subjacent. Unde, blasphemia, v. gr., aut actus turpis, est in ipsis peccatum materiale; et hujus reus est formaliter, qui eos ad tale factum cogit, vel adhortatur. Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 226. — Vide infra n. 193.

Quoad peccata *operis,* nulla difficultas. Quoad peccata *oris,* vel hujusmodi, quae requirunt advertentiam, scientiam, dicendum quod, si peccatum deest ex capite delicti ad quod isti inducuntur, adest tamen ex capite pravi habitus qui amentibus ingeritur, vel ex capite scandali. Cfr. *Sweens,* n. 408; *Reuter,* Neo-Conf., p. 100.

125. — II. Semper sufficienter promulgatur lex naturalis, quoad prima principia; ignoratur aliquando quoad propinquiores conclusiones; saepe ignoratur, quoad conclusiones remotas. Ita communiter contra traditionalistas et rigoristas.

Admissa *ignorantia facti,* qua nempe homo generaliter legis conscius, ignorat hoc vel illud sub lege contineri, vel ad hoc non advertit, quaestio fit de ignorantia *juris,* i. e. obligationis. — Ad hoc dividuntur legis naturalis praecepta in triplicem classem (H. Ap., I, 5). *Prima* complectitur universalia morum principia quae ex se sunt nota, et a synderesi dictantur: v. gr. « bonum est faciendum, malum vitandum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris ». Haec principia minime ignorari possunt ab homine rationis compote, et sunt in unoquoque indelebilia, quia sunt innata per synderesim. — *Secunda* comprehendit conclusiones immediatas, cum modica consideratione a primis principiis deductas, qualia sunt pleraque Decalogi praecepta. De his non datur ignorantia invincibilis, nisi in rudibus et ad breve tempus, vel nisi addita circumstantia apparenter cohonestante, v. gr. quoad mendacium officiosum. Ratio est quia talia ipso naturae lumine omnibus innotescunt nec implicatum ratiocinium exposcunt, quod tamen pro casu deficere potest, v. gr. apud incultas gentes. — *Tertia* se extendit ad conclusiones mediatas seu remotas, quae, per subtiliorem discursum, a Decalogi praeceptis deducuntur; ut sunt praecepta de non ineundis contractibus usu-

Digitized by Google

rariis, de vitandis quibusdam scandalis, et similia. Haec utique invincibiliter et inculpabiliter ignorari possunt, et saepe ignorantur etiam a sanctis et doctis viris, ut luculenter probatur ex tot tantisque controversiis, quae inter ipsos doctores in omni re exstiterunt, et etiamnum existunt, ubi Ecclesiae definitiones vel desiderantur, vel non cognoscuntur.

Novit quisque textum *S. Augustini* (de Serm. Dom. in monte, l. I, c. 16, n. 50) ubi dubitat, utrum uxor, consentiente marito, in quibusdam adjunctis, adulterium patrare debeat. — Sic etiam possent multi, saltem ad tempus, credere, divortium civile vincula matrimonii dissolvere, vel in locis ubi permittuntur meretrices publicae, ad hoc devenire ut admittant fornicationem haud esse tam magnum crimen. Cfr. *Génicot*, I, p. 113; *Cathrein*, Philos. mor., n. 178.

126. — Objiciunt rigoristae. Deus est fidelis, promisit exaudire orantem. Si igitur lucem non obtinemus, in culpa sumus.

Resp. Si lucem ad peccatum *formale* vitandum non obtinemus, in culpa sumus, *concedo*, si lucem ad peccatum *materiale* vitandum non obtinemus, in culpa sumus, *nego*. Sicut duplex datur peccatum, alterum materiale, alterum formale, ita duo sunt distinguenda genera lucis. — Altera lux, qua vitatur peccatum materiale, est cognitio singulorum, quae Deus praecipit aut vetat. Hanc lucem Deus oranti minime promisit, utpote ad salutem haud necessariam, cum peccatum materiale Dei offensam non involvat. — Altera lux, qua vitatur peccatum formale, illustratio est divinae gratiae, qua peccati foeditatem, divinae amicitiae pretium cognoscimus, atque ad illud exsequendum inclinamur, quod a Deo praeceptum esse conscientia dictat. Hanc lucem Deus oranti promisit, neque unquam negaturus est (I, n. 174; ed. G., I, p. 156).

§ 3. De legis naturalis immutabilitate.

127. — Principia. I. **Lex naturalis nulli proprie dictae mutationi subjacet.**

Et re quidem vera, legis mutatio fit vel ab intrinseco, vel ab extrinseco: fit *ab intrinseco*, quando lex, antea rationabilis atque ad commune bonum utilis, irrationabilis postea evadit ac noxia; fit autem *ab extrinseco*, quando legitimus Superior vel in ea derogat, vel eam totaliter abrogat, vel demum subditos ab ea dispensat.

Jam vero, nullo ex his modis lex naturalis mutari potest. — 1° Non potest mutari *ab intrinseco;* nam lege naturali praecipiuntur quae ex essentialibus hominis relationibus necessario dimanant, vetantur quae iisdem essentialibus relationibus sunt omnino opposita. Atqui essentiales hominis relationes immutabiles sunt, ut rerum essentiae. Ergo. — 2° Mutari non potest *ab extrinseco*, ne auctoritate quidem Dei Supremi Legislatoris. Deus enim non potest velle rerum naturam, et nolle ea quae inde necessario consequuntur, quia « negare seipsum non potest » (2. *Tim.*, 2, 13). — Ergo lex naturalis, in iis quae praecipit aut vetat, est absolute immutabilis (*Tongiorgi*, Philos. mor., n. 179).

Digitized by Google

128. — II. Lex naturalis subjacet mutationi impropriae dictae.

Haec mutatio fit sive per *additionem,* cum nempe legi nova lex superadditur; sive per *subtractionem* materiae, quando scilicet id, quod erat materia legis, desinit esse ejusdem legis objectum, ob quamdam advenientem circumstantiam, quae illud mutat.

1° Lex naturalis improprie, seu indirecte, mutari potest *per additionem.* Et re vera, multa ipsi addita sunt praecepta per leges positivas, sive divinas, sive humanas.

Sic, jure naturae, valida est mulieris fidejussio, validum item matrimonium sine testibus, etc., et tamen vi legis positivae invalida esse possunt. Ratio est, quia haec negative tantum ad jus naturae pertinent, cum lex naturalis nihil positive de ipsis statuat, sed hoc, vel illo modo, fieri eadem permittat.

2° Mutari etiam potest indirecte *per materiae subtractionem,* vel potius *mutationem,* in iis praeceptis nempe, quorum materia subjicitur Dei vel hominis dominio.

Sic., v. gr., legi naturali materia subtracta fuit, quando Deus Abrahamo praecipit ut filium suum immolaret, vel Hebraeis spolia Aegyptiorum concessit, aut praeceptum dedit omnes Chananaeos exterminandi. — Idem fit, quando Deus, vel Ecclesia, nomine Dei, dispensat in votis aut juramentis. Justa enim accedente causa, Deus homini debitum suum remittere censetur tanquam proprius ejus dominus, et ita votum auferre, voti materiam tollendo (*Billuart,* de Leg., Diss. 2, a. 4; *Theol. Mechlin,* de Leg., n. 38).

129. — *Ex his colliges:* Minus recte dici legem naturalem *cessare,* habere exceptionem, causam excusantem vel interpretationem admittere, quando, *mutatis circumstantiis,* eamdem non amplius parit obligationem (I, 174). Sic, v. gr., fraternae correctionis obligatio non cessat, quamvis non obliget hic et nunc, si nullus emendationis fructus speratur; semper urget obligatio reddendi depositum, servandi secretum, quamvis, si grave inde innocenti vel reipublicae damnum immineat, talis vel talis ab hac obligatione immunis fiat. Cfr. n. 216.

CAPUT II.

De lege divina positiva.

Christ. Pesch, Prael. Dogm., t. 5, n. 455; *Lehmkuhl,* I, n. 291; *Tanquerey,* II, n. 234; *Piscetta,* Theol. mor., n. 287; *Génicot-Salsmans,* I, n. 123.

130. — DEFINITIO. Lex divina positiva est lex a Deo, ut auctore gratiae, *libere et exterius data,* quae hominem dirigit ad finem supernaturalem.

Lex hujusmodi, juxta *D. Thomam* (1. 2, q. 91, a. 4) est NECESSARIA ad directionem vitae nostrae; tum propter insufficientiam legis humanae, et etiam legis naturalis; tum maxime propter destinationem hominis in finem supernaturalem.

Digitized by Google

Atque hinc est, quod lex Dei positiva in omni naturae humanae statu reperiatur: 1° in statu *innocentiae,* matrimonium, hocque unum et indissolubile, a Deo positive institutum est; insuper primis parentibus lex data est de non comedendo fructu arboris scientiae boni et mali; — 2° in statu *naturae lapsae,* ab Adamo usque ad Moysen, fuit tum lex prohibens usum carnis cum sanguine, tum lex imponens familiae Abrahae circumcisionem. Hinc, quando dicitur tunc duntaxat fuisse *legem naturae,* sensus est, quod non fuerint leges illae multae, per Moysen promulgatae, et litteris consignatae; sed paucae, per traditionem acceptae et conservatae. *Reuter* (P. I, n. 138, 2°, fin.).

Divisio. Duplex potissimum distinguitur lex Dei positiva, nimirum: 1° lex vetus Mosaica; 2° lex nova seu Evangelica.

I. De lege Mosaica.

131. — Lex Mosaica est lex supernaturalis, a Deo per Angelos data, et per Moysen promulgata, ut populus Israeliticus, in Christi honorem, peculiariter sanctificaretur et disponeretur ad ipsius adventum, Ejus character fuit *particularis.* — Haec constant ex Sacris Scripturis, praesertim ex Epistola *ad Galatas.*

Sequentia hic notare satis erit: 1° Triplicis generis erant praecepta Mosaica, nempe moralia, caeremonialia et judicialia. — Praecepta MORALIA ordinabant hominem ad Deum, ad semetipsum, et ad alios. Haec, si circumstantiam Sabbati excipias, prorsus eadem sunt ac praecepta legis naturae. — Praecepta CAEREMONIALIA ad externum Dei cultum spectabant. Omnes caeremoniae mysteria novae legis figurabant, et versabantur circa sacrificia, Sacramenta, res sacras et observantias legales. — Praecepta JUDICIALIA relationes hominum inter se dictabant, et definiebant quo modo justitia exercenda esset erga principem, concives, domesticos et alienigenas.

2° Lex vetus, quoad moralia, *manet in aeternum;* quoad cetera vero, quae respiciebant solos Judaeos, post mortem Christi, vel certe post Pentecosten, est *abrogata* et *mortua.* — Primum patet ex eo, quod illa praecepta ad legem naturalem pertinent, et quod a Tridentino (Sess. VI, c. 19) definitum est Christianos decem praeceptis adstringi. — Secundum constat ex tota epistola S. Pauli *ad Galatas,* et ex constanti Ecclesiae doctrina. — *Mortifera* est lex vetus (sub peccato ergo mortali prohibita) solum quoad *caeremonialia,* utpote quum ista Messiam *venturum* significabant.

II. De lege Evangelica.

132. — Lex Evangelica, seu nova, est lex supernaturalis per se justificativa, a Christo condita, ab Apostolis promulgata, obligans omnes homines usque ad finem saeculi. — Ejus character est ergo universalis.

Dicitur 1° *nova,* tum respectu ad legem veterem, tum quia renovat hominem per gratiam; — 2° *a Christo condita,* non scripta, sed oretenus data, et deinde, tum per Scripturam, tum per Traditionem, transmissa; — 3° *ab Apostolis promulgata,* et quidem solemniter, die Pentecostes, et dein successive per

Digitized by Google

totum orbem terrarum divulgata; — 4° *per se justificativa;* nam Sacramenta ex opere operato producunt gratiam, seu justitiam perfectam, et non tantum justitiam legalem; — 5° *obligans omnes homines usque ad finem saeculi;* quia nemo, nisi per ipsam, aeternam salutem consequi potest. Hinc, omnes non baptizati, *statim ac in ipsius sufficientem notitiam deveniunt,* eam amplecti tenentur.

133. — PRINCIPIA. I. **Lex Evangelica est vera lex, continens praecepta, tum sacramentalia, tum moralia** [1]. 1° *Est vera lex,* ut constat ex verbis Christi (*Matth.*, 28): *Euntes, docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quae mandavi vobis.* Et ex Concilio Tridentino, Sess. VI, can. 19, 20 et 21. — 2° Continet *praecepta sacramentalia,* seu ad cultum pertinentia, i. e. Sacrificium N. L. et sacramenta. — 3° Continet *praecepta moralia,* et quidem dupliciter: *a*) Alia pertinent ad *essentiam perfectionis christianae* et spectant ad opera directe ad salutem necessaria. Quaedam enim opera habent necessariam convenientiam vel contrarietatem ad interiorem gratiam, ideoque sunt lege nova praecepta vel prohibita, ut notat *S. Thomas* (1. 2, q. 108, a. 1). Haec omnia Christus, ex lege veteri, renovavit, confirmavit, perfecit atque a variis Judaeorum erroribus vindicavit. Vide opusc. *S. Alphonsi,* Cond. ammir. della div. Provvid., P. II, c. 1, n. 4-12. — *b*) Alia pertinent ad *integram perfectionem,* et respiciunt eos qui arctiori modo Christo conjungi cupiunt.

Ad legem novam ergo pertinent etiam CONSILIA EVANGELICA, non in eo sensu quod sint obligatoria, sed quod ipsa conjunctim cum praeceptis, *jus divinum* constituunt; quod jus a nulla humana potestate impugnari potest, nec tolli, nec immutari. — Haec consilia ad tria praecipue reducuntur, scilicet ad *paupertatem, castitatem* et *obedientiam.* Eorum autem finis est procurare perfectam mandatorum observantiam, perducere christianos ad summam perfectionem et ad altum gloriae gradum, manifestare gentibus splendidam illam notam, qua sola Christi Ecclesia praefulget, id est, notam suae sanctitatis [2]. — Vide tract. *de Statu religioso.*

134. — II. **Lex Evangelica est perfecta, neque alia perfectior in ejus locum successura est.** Ita omnes cum *S. Thoma* (1. 2, q. 106, a. 4). — Constat ex verbis Domini (*Luc.*, 21, 33): *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt;* et ex *Matth.*, 28, 20: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* — Nihil potest esse fini ultimo propinquius quam nova lex, quae immediate in finem ultimum introducit. Hinc, merito damnata est in Syllabo haec 5ª propositio: « Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat ».

[1] Lex nova non directe et expresse continet *praecepta judicialia.* Docet tamen adesse in Ecclesia hierarchiam, cui omnes se subdere debent, et sic indirecte et judicialia in se complectitur. — [2] Cfr. *Bellarm.*, Controv. de monachis, l. 2, c. 7-13; *S. Fr. Sales.*, Theotim., l. 8, c. 6-9. Vide etiam quae habet *Noldin*, I, n. 122 seqq.

Digitized by Google

135. — QUAERITUR. *Utrum S. Pontifex in jure divino positivo dispensare possit?*

Duplex distinguitur jus divinum: aliud quod obligat immediate et per se, independenter ab omni praevio consensu voluntatis hominis, v. gr. leges non pejerandi, servandi materiam et formam sacramentorum. Aliud vero est quod versatur circa pacta et obligationes quae per humanam voluntatem introducuntur, v. gr. lex standi promissis. — Quibus praenotatis, dicimus cum *S. Alphonso*, VI, n. 1119 (cfr. ib., 902, 1101):

1° Certum est Papam dispensare posse in jure divino quod oritur *a voluntate humana*, ut in votis et juramentis; tunc enim, licet ipse non auferat naturalem obligationem fidelitatis erga Deum, ex parte tamen Dei remittit obligationem ipsi factam et declarat Deo esse placitum ut votum, vel juramentum, non servetur.

Est igitur obligationis *condonatio* potius quam dispensatio; usus tamen vocis retineri potest, eo quod S. Pontifex tanquam fidelis *dispensator*, in persona Dei, determinat quid sit Deo acceptum. Ita communiter cum *S. Thoma* (ap. *Sanchez*, de Matrim., l. 8, disp. 6, n. 2; Cfr. H. Ap., II, 56).

2° Communior et probabilior sententia negat Papam posse dispensare in iis quae sunt de *absoluto jure divino*, i. e. quae ex solo divino arbitrio derivantur. — Hoc aperte docet Angelicus (1. 2, q. 97, a. 4, ad 3): « In praeceptis juris divini, quae sunt a Deo, nullus potest dispensare nisi Deus, vel is cui ipse specialiter committeret ». « Haec autem specialis commissio, pergit *S. Alphonsus* (l. c.), non habetur ex verbis: *Quodcumque ligaveris*, etc.; tanto magis quod hujusmodi dispensationes in jure divino essent nocivae unitati et stabilitati Ecclesiae ».

3° « Valde probabiliter dicunt (Doctores), Pontificem posse in aliquo casu particulari non jam dispensare, sed *declarare*, qua Doctorem Ecclesiae, quod jus divinum non obliget. Ratio, quia haec potestas est necessaria propter humanarum rerum varietatem: alias, Deus bono regimini Ecclesiae non satis providisset ». Consentiunt *Suarez*, de Leg., l. 10, c. 6, n. 7, 9 seq.; *Bened. XIV*, de Synodo, l. 7, c. 1, n. 7. Cfr. H. Ap., II, n. 55-56.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE LEGE HUMANA

Notiones praeviae.

136. — DEFINITIO. Lex humana ea est, quae ab hominibus curam communitatis perfectae habentibus, in bonum subditorum fertur.

Necessaria est legum humanarum institutio, pluribus de causis: primum, ut bonum ipsi communitati proprium promoveatur (ad hoc enim leges principaliter et per se ordinantur); deinde, ut lex divina melius cognoscatur; postremo, ut sanctione temporali corroborata perfectius observetur (*S. Thom.*, 1. 2, q. 95, a. 1).

DIVISIO. Lex humana alia est ecclesiastica, alia civilis, alia gentium.

Lex *ecclesiastica* fertur ab Ecclesiae rectoribus, vi illius, quae divinitus concessa est, jurisdictionis: haec spiritualem imprimis ac supernaturalem subditorum felicitatem respicit.

Lex *civilis* statuitur a praesidibus seu proceribus societatis civilis, vi jurisdictionis saecularis ac naturalis, et spectat ad felicitatem subditorum temporalem.

Lex *gentium* ea est, quae consensu omnium gentium condita ac recepta est. Dicitur etiam *jus internationale*. — Hoc porro jus est: vel *primarium*, quo nomine designatur ipsum jus naturae accommodatum gentibus, v. gr. non est agendum bellum injustum; vel *secundarium* et strictiori sensu acceptum, quo nomine illa indicantur quae, usu et consuetudine gentium, ob communes necessitates mutuasve relationes, fuerunt adoptata. — Cfr. *Suarez*, de Leg., l. 2, c. 17-20; *Kenrick*, Theol. mor., tr. V, de Jure gentium; *Liberatore*, Instit. Ethicae, l. 3 per totum; *Cathrein*, Moralphil., I, 8 B, 6 K. — Ita juris gentium censentur esse plura, quae sancita sunt, de bello modoque bellandi; item, receptio atque inviolabilitas legatorum, commercium litterarum, liber mercatus cum alienis nationibus, et similia. — Hodie accedit communiter, prohibitio omnis servitutis stricte dictae; prohibitio laedendi bona privata in bello, nisi forte quaedam excipiantur in bello navali; libera in quovis mari navigatio (cfr. *Lehmkuhl*, I, n. 287).

Praetermissa jam omni disputatione de jure gentium, utpote a nostro scopo aliena, disseremus de ceteris legibus humanis. — Ut vero rerum ordo servetur, agemus: 1° de institutione legum; 2° de earum promulgatione; 3° de interpretatione legum; 4° de obligatione legis; 5° de causis obligationem legis tollentibus; 6° de causis tollentibus ipsam legem.

Digitized by Google

CAPUT I.

De legum institutione.

S. Alphonsus, I, n. 104; ed. G., I, p. 83; *Wernz*, Jus Decret., II, n. 755; *Bargilliat*, Prael. Juris can., tr. IV.

137. — Leges instituuntur *in actu primo*, ita ut possint obligare, quando statuuntur ab ipso legislatore; *in actu secundo* et efficaciter, ita ut obligent, quando promulgantur. — Hic de prima tantum institutione.

Porro, lex humana, ut obligare possit, debet ferri ab habente potestatem, in subditos, de materia possibili et conveniente. — Dicendum igitur venit: 1° de legifera potestate; 2° de legis materia seu objecto. — De subjecto agetur in c. IV, ubi de obligatione legis (cfr. n. 193 seqq.).

ARTICULUS I.

De legifera potestate.

138. — NOTIONES. Potestas legifera *est auctoritas legitima ferendi leges*. — Est species quaedam jurisdictionis, cujus notio igitur est praemittenda.

JURISDICTIO (a jure et dicere) est facultas alicujus habentis publicam auctoritatem et eminentiam super alios, ad eorum regimen et gubernationem. Jurisdictionis igitur est omnis actus quem Superior ex publico munere exercet, ut leges condere, in iis dispensare, judicare, punire, etc. (*Polman*, 1. 2, n. 495).

DIVISIO. Dividitur 1° In *civilem* et *ecclesiasticam*. Prior versatur circa causas saeculares, et temporalem reipublicae gubernationem. Posterior respicit causas pertinentes ad Dei cultum, et bonum spirituale.

Haec, ratione ORIGINIS, est vel juris divini, vel juris mere ecclesiastici. Est juris *divini*, si concessa est immediate a Deo, ut potestas Romani Pontificis, aut saltem, si divinitus instituta est, ut potestas Episcopi; est autem juris *mere ecclesiastici*, si data est ex ordinatione Ecclesiae, v. gr. per legem aut privilegium, ut auctoritas Praelati regularis, Vicarii generalis, etc. — Porro, ratione OBJECTI, est fori interni vel externi. Jurisdictio *fori interni* (seu conscientiae) pro objecto habet causas quae respiciunt relationes hominis ad solum Deum, v. gr. absolvere a peccatis, dispensare in votis, in occultis, etc. Ordinatur primario et directe ad individui commodum et gubernationem, sive in foro poenitentiali, sive extra illud exerceatur. — Jurisdictio *fori externi* pro objecto habet causas quae respiciunt hominis relationes ad externam Ecclesiae communitatem, v. gr. conferre beneficia, dispensare in publica irregularitate. Ordinatur primario et directe ad bonum communitatis.

Digitized by Google

2° In jurisdictionem *contentiosam* seu judicialem et *voluntariam* seu extrajudicialem.

Prior ordinatur ad lites dirimendas, et juxta regulas jure praescriptas exerceri debet. Illius est definire causas civiles et criminales, quae proprium sibi tribunal expostulant, poenas decernere, etc. *Contentiosa* appellatur a contentione partium. — Posterior spectat ad ordinariam gubernationem et pro prudenti arbitrio, juxta aequitatis regulas, exercetur. Hujus est legitimare, adoptare, dispensare, officia et beneficia conferre, etc. Haec etiam extra proprium territorium, valide, imo et (saltem plerumque) licite exerceri potest. Contentiosa autem non potest in alieno territorio exerceri, nisi et hujus loci judicis, et ipsarum partium contendentium, explicitus aut saltem tacitus consensus accedat.

3° In *ordinariam* et *delegatam*.

Ordinaria est, quae alicui competit jure proprio, ratione officii aut dignitatis, cui stabiliter, vi alicujus legis, consuetudinis, aut privilegii, fuit annexa, qualis est jurisdictio S. Pontificis, Episcopi, Praelati regularis, etc. — *Delegata* est, quae non habetur ex jure proprio, sed quae legitime datur ab habente ordinariam.

His de jurisdictione praemissis, loquamur: 1° de auctore legis ecclesiasticae; 2° de auctore legis civilis.

§ 1. De auctore legis ecclesiasticae.

139. — Principia. I. Papa potest ferre leges pro toto orbe christiano. Nam de fide est, Romanum Pontificem habere ex jure divino, in Ecclesia jurisdictionem supremam, universalem et immediatam. « Est enim totius Ecclesiae caput, omnium christianorum Pater et Doctor, et ipsi, in B. Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plena potestas tradita est ». Ita (post Florentinum) Concilium Vaticanum (Sess. 4, c. 3).

140. — Romanus Pontifex ordinarie condit et promulgat sua decreta per *Romanas Congregationes* [1]. « Earum voce, ait *Benedictus XIV* (Instit. 107, n. 6), suas Sedes Apostolica declarat sententias » (cfr. n. 169). — Hoc autem notandum est, R. Congregationum decreta, si excipias legum declarationes *comprehensivas*, non acquirere legis robur, nisi suprema S. Pontificis confirmatio et promulgationis jussio accesserint. Una potest excipi, nempe Congregatio SS. Rituum, quae ex se, etiam non consulto S. Pontifice, jus habet leges statuendi, ut eruitur ex decreto 23 Maii 1846 a Pio IX approbato. — Dicitur: *potest excipi*, quia non desunt qui hoc negant (*Heiner*, Kath. Kirchenr., 1912, p. 275) vel nonnisi cum restrictione admittunt (*Piscetta*, Theol. mor., I, n. 297).

Constitutio *Sapienti consilio* a Pio X die 29 Junii 1908 edita, cujusque Congregationis competentiam luculenter circumscribit (cfr. *A. A. S.*, 1, p. 9 seq.).

[1] Praesertim quoad decisiones *ad doctrinam pertinentes*, potestas legifera SS. CC. adstrui et vindicari debet. Ita Pius IX, die 21 Dec. 1863 (*Denz.*, n. 1537). Cfr. epist. Leonis XIII 1 Jun. 1889 (*A. S. S.*, vol. 21, p. 709).

Digitized by Google

141. — II. Episcopus, modo sit canonice institutus, et realem possessionem suae Sedis ceperit, potest ferre leges pro sua dioecesi. Dissident quidem Doctores de hujus potestatis origine. Alii cum Vasquez contendunt eam a Christo *immediate* ad Episcopum derivari; alii cum S. Thoma et S. Antonino dicunt eam derivari solum *mediate,* et communicari a Summo Pontifice. Et haec quidem controversia magno animorum aestu fuit in Concilio Tridentino agitata. Hodie tamen (*Craisson,* Man. Jur. can., n. 868) multo communior evasit secunda sententia. Ipse Pius VI, in Brevi ad Episc. Motulen. 16 Sept. 1788, asserit: « dignitatem episcopalem quoad ordinem immediate esse a Deo, et quoad jurisdictionem ab Apostolica Sede ».

Notandum: 1° S. Pontifex nequit adimere Episcopis *omnem* legiferam potestatem, bene vero eam limitare, sibi aliqua reservare etc. (cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 213).

2° Episcoporum ordinationes, *praecepta tantum,* non autem leges esse censentur, nisi in Synodo dioecesana latae fuerint. Imo Episcopus extra Synodum (audito tamen Capitulo) leges ferre potest; sed in hoc casu declaret oportet, se legem stabilem pro *omnibus* condere velle (*Noldin, Göpfert, Lehmkuhl*). Nihil refert, si Capitulum dissentiat, dummodo non agatur de rebus, in quibus Capituli consensus, juxta Canones, requiritur ad actus validitatem: v. gr. si in Capituli aut Cleri praejudicium, id est in juris jam acquisiti violationem, cederent (I, 104; H. Ap., II, 33). — Ubi vero nulla adhuc Capitula existunt, vel ubi jus Capituli contraria consuetudine abrogatum est, Episcopus illud audire, ut per se patet, non tenetur (*Konings,* Theol. mor., n. 102, 3°).

3° Archiepiscopi et Patriarchae leges ferre nequeunt in dioecesibus suffraganeis, nisi ex consuetudine id habeant. — Possunt tamen lites ex eis ad se delatas dirimere.

4° Nihil possunt Episcopi contra jus commune; suas vero leges queunt sanctione muniri (S. C. C., 1878).

142. — III. Concilia oecumenica pro tota Ecclesia, nationalia pro natione, provincialia pro provincia, dioecesana pro dioecesi, leges condere possunt. Ratio, quia Concilia quaeque vel statuente jure vel auctoritate pontificia congregantur, eorum vero decreta ex S. Pontificis approbatione robur accipiunt.

Notandum. 1° Concilium oecumenicum sua auctoritate non pollet, nisi Pontifex per se aut per Legatos ipsi praesit, ejusque decreta confirmet. Ecclesia enim, absente suo capite, repraesentari non potest; et Concilium oecumenicum suam vim et infallibilitatem a S. Pontifice repetit (I, n. 121; ed. G., I, p. 107).

2° Ex Constitutione Sixti V, anno 1588, Conciliorum provincialium decreta ad S. Congregationem Concilii mittenda sunt, ut recognoscantur, et, si opus fuerit, emendentur. Anno 1896 declaravit S. Officium, haec Concilia potestate leges ferendi gaudere. Lege Constitutionem *Sapienti consilio* Pii X, cum statuto de *Ordine servando,* c. 7, a. 4, 6°. — CONFIRMATIO Synodorum per Sedem Apostolicam, duobus modis sedulo distinguendis fieri potest: in

Digitized by Google

forma communi, vel in forma specifica: 1° In forma COMMUNI, confirmari dicuntur statuta, si tantum nihil contineri censura dignum dicuntur; et regulariter non fit nisi haec simplex revisio, *quae nihil novi juris aut efficacitatis illis tribuit.* — 2° In forma SPECIFICA fieri dicitur confirmatio, si auctoritate Apostolica cum clausula *motu proprio atque ex certa scientia* confirmantur. — Statuto confirmato in forma specifica, cum induerit naturam legis pontificiae, nulli inferiorum fas est derogare; imo, ab hac confirmatione statutum tales accipit vires, ut praevaleat juri communi, cui foret contrarium. Ita *Bened. XIV* (de Syn., l. 13, c. 5, n. 11).

143. — IV. **Capitulum cathedrale, sede vacante, gaudet potestate legislativa,** cum in locum Episcopi succedat (I, 104). — Verumtamen cum jurisdictio, in plures divisa, difficulter exerceatur, Concilium Tridentinum jussit, ut, intra octo dies a cognita sedis vacatione, Capitulum eligat Vicarium capitularem, in quem omnis jurisdictio, sive ordinaria, sive a jure delegata, irrevocabiliter transferatur. — Sede autem vacante, nec Capitulum, nec Vicarius capitularis possunt statuta dioecesana abolere. — Possunt in eis solummodo dispensare, vel eorum suspendere exsecutionem. « Episcopali sede vacante, ait *Innocentius III* (Decret., l. 3, tit. 9, c. 1), non debet aliquid innovari ».

144. — V. **Gaudent denique potestate legifera personae, quibus a S. Pontifice jurisdictio fori externi communicata est,** ut Praelati qui jurisdictionem *quasi episcopalem* obtinent, v. gr. Abbates ex jure ordinario, et Vicarii Apostolici ex jure delegato. — Item, *Praelati regularium,* intra limites suae jurisdictionis, veras leges, seu statuta perpetua, condere possunt, sive in Comitiis generalibus Ordinis, sive alio modo, juxta proprias, a S. Sede approbatas, constitutiones.

Parochi vero non habent fori externi jurisdictionem, ideoque non possunt, ne ad abusus quidem tollendos, leges ferre, poenasve decernere. — Hinc, si externo et judiciali adjumento ipsis opus est, debent recurrere ad Episcopum. Cfr. Trid., Sess. 24, c. 1, de ref. Matrim.

Nec similiter leges proprie dictas ferre possunt *Abbatissae,* aut *Superiorissae* Monialium. — Possunt tamen, pro recta monasterii gubernatione, dare praecepta; imo ad ea observanda sub gravi obligare (I, 104; IV, 52). Vide *Lugo,* Resp. moral., l. 6, dub. 6, n. 8-9.

Pro monialibus leges condere possunt Papa, Episcopus, Superior generalis ordinum virorum, qui habent mulierum ordinem adnexum.

SCHOLIUM.

De jure ecclesiastico.

145. — JUS ECCLESIAE dividitur in scriptum et non scriptum.

I. JUS SCRIPTUM continet leges ecclesiasticas speciales vel generales. — *Speciales* pro diversis locis referunt Conciliorum provincialium et Synodorum statuta. Ad jus particulare spectant etiam *Concordata.* — *Generales* Ecclesiae leges continentur in triplici collectione, qua jus antiquum, jus novum et jus novissimum constituitur.

Digitized by Google

Jus *antiquum* ab Apostolorum aetate ad saeculum XII extenditur. Priscae illae leges in recentiori jure insertae inveniuntur. — Jus *novum* currit a saeculo XII ad saeculum XIV, et continetur in *Corpore juris canonici.* — Jus *novissimum* constat ex omnibus legibus, quae, post clausum Corpus juris canonici, conditae fuerunt. — De his omnibus fuse Canonistae. Cfr. *Devoti,* Inst. Can., Proleg., c. V, VI, VII.

II. Jus non scriptum complectitur traditionem et consuetudinem. — *Traditio* est legislatoris mandatum, quod viva voce populis nuntiatum, ad nos usque pervenit. *Consuetudo* est jus inductum ipsis hominum moribus. Ambae obligationem secum trahunt.

146. — Corpus juris canonici est complexus legum ecclesiasticarum. — Constat sex partibus, quae sunt: Decretum Gratiani, Decretales, Sextus, Clementinae, Extravagantes Joannis XXII, et Extravagantes communes.

Decretum Gratiani (i. e. collectio Decretorum, publicata anno 1151 sub titulo « Concordantia discordantium canonum », confecta opera Gratiani, monachi ex Ordine S. Benedicti) constat tribus partibus; quarum prima tractat *de personis ecclesiasticis,* et dividitur in 101 distinctiones, quae iterum in capita seu canones distribuuntur. Citatur modo sequenti: *Cap. Jejunium 7, dist. 76;* vel etiam: *Dist. 76, c. 7.* — Secunda pars, quae tractat de actionibus seu *de judiciis,* dividitur in 36 causas; causae autem dividuntur in quaestiones, et quaestiones in capita, seu canones. Citatur: *Cap. Qui viderit 13, quaest. 5, caus. 32;* vel: *Caus. 32, q. 5, c. 13.* — Tertia pars tractat *de rebus sacris,* et constat 5 distinctionibus, quae in varia capita seu canones dividuntur. Citatur: *Cap. Est unitas 49, dist. 4, de consecrat.;* vel: *De consecrat., dist. 4, c. 49.*

Decretales, vel *Libri quinque Decretalium,* a S. Raymundo de Pennafort, O. P., jussu Gregorii IX, collectae et anno 1234 publicatae, habent titulos et capita. Citantur hoc modo: *Cap. Pervenit 28, de appellationibus;* vel *Decretal., lib. 2, tit. 28, c. 28.* — Cfr. *De Angelis,* Prael. Jur. can.

Sextus, vel *Liber sextus Decretalium,* sic appellatur, quia quinque libris Decretalium adjectus est, et Decretales a Gregorio IX usque ad Bonifacium VIII editas habet. Prodiit anno 1298 auctoritate Bonifacii VIII. — Dividitur in quinque libros, quibus etiam tituli sunt et capita. Eodem modo citatur, sed additur: *in 6° (in Sexto).*

Clementinae, sic dictae a Clemente V, qui eas post Concil. Viennense (cui a. 1311 praefuit) colligi jussit. — Constant Constitutionibus editis vel ab ipso Clemente, vel a Concilio Viennensi. Has promulgavit Joannes XXII a. 1317. Citantur: *Clem., Si plures 3, de praebendis;* vel *Lib. 3, tit. 2, c. 3, in Clementinis.*

Extravagantes Joannis XXII sunt Constitutiones, quas ipse prioribus sui Pontificatus annis edidit. Vocantur *extravagantes,* quia extra Corpus juris hucusque collectum vagantur. Citari solent hoc modo: *Extrav. Joann. XXII, tit. 4, c. 1,* vel: *Extrav., tit. 4, c. 1.*

Extravagantes communes, ita vocatae, quia a Joanne XXII et a pluribus aliis Pontificibus editae sunt, et ipsae pariter in quinque libros, et isti in titulos et capita dividuntur. Citantur: *Extrav. comm., lib. 5, tit. 3, c. 2*; vel: *Cap. Vas electionis, de haereticis, Extrav. comm.*

Integrum juris canonici Corpus, diligenter emendatum, Romae edendum curavit Gregorius XIII Bulla *Cum pro munere pastorali.* — At certum est, librum VII Decretalium ac Institutiones Lancellotti, quae in fine Corporis juris appositae leguntur, non habere vim legis, cum nulla Pontificia confirmatione

Digitized by Google

polleant. — Idem dicendum est de *Decreto Gratiani*. Nam, quamvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuerit, et ab auctoribus passim citetur, tamen, testante *Benedicto XIV* (de Syn., l. 7, c. 15, n. 6), « inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret ». — Ceterae autem partes juris canonici universim obligant, nisi contraria lege, vel legitima consuetudine, abrogatae sint (I, n. 105).

§ 2. De auctore legis civilis.

147. — Circa legiferam saecularium principum potestatem, varia fuerunt haereticorum et incredulorum deliramenta. — Alii, inter quos Albigenses, negaverunt obediendum esse principibus, eorumque legibus. — Alii, cum Reformatoribus saeculi XVI, omnem principibus potestatem, etiam circa spiritualia, adscripserunt. — Alii, ut liberalismi moderni sectatores, contendunt summam auctoritatem consistere in summa numeri et virium materialium, etc.

148. — Principia. I. **Principes et legislatores saeculares habent a Deo potestatem imperandi et leges ferendi, circa res temporales et civiles.** Haec propositio, teste Suaresio, est de fide, vel saltem fidei proxima (de Leg., l. 3, c. 5, n. 1).

Probatur 1° Ex epistola S. Pauli ad Romanos (13, 1): *Non est potestas nisi a Deo... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Cfr. l. Prov., 8, 15, ubi dicitur: *Per me reges regnant... per me principes imperant.* Reges ergo sunt *ministri Dei (Rom.,* 13, 14), non ministri aut mandatarii multitudinis.

2° Ratione. Societas civilis emanat ab Auctore naturae, i. e. a Deo. — Jamvero, ut societas quaedam subsistere possit, *necessaria* est in ea aliqua suprema auctoritas, quae sit unitatis politicae fundamentum, seu principium. Ergo potestas legislativa a Deo, ut auctore naturae, repeti debet, nec ipsa dimanat a populo, etsi mediante populo homini tribuatur (I, 104). Cfr. Encyclicam *Diuturnum* Leonis XIII, 29 Junii 1881. Plura vide apud philosophos.

Recte ergo *S. Alphonsus* (H. Ap., XIII, 13): « Falsum est omnino in communitate subditorum quamdam esse auctoritatem *superiorem* et a principe *independentem*, ita ut, casu quo princeps perverse regnum gubernet, tota communitas eum regno et vita spoliare possit ». Hic error damnatus est a Pio IX (Syll., n. 63) et a Pio X, in litteris contra Sillonistas (*A. A. S.*, II, p. 615).

149. — II. **Potestas civilis est a potestate ecclesiastica omnino distincta, eique necessario subordinata.** Propositio certa et communis.

Potestas civilis: 1° Est *distincta;* constat ex verbis Domini (*Matth.*, 22, 21): *Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo.* — Distinctio autem habetur, non solum quoad originem et formam regiminis, ut dictum est (n. 138), sed praesertim quoad finem proximum utrique proprium.

Digitized by Google

2° Est *subordinata*. « Potestas saecularis, ait *S. Thomas* (2. 2, q. 60, a. 6, ad 3), subditur spirituali, sicut corpus animae ». Ratio hujus subordinationis est ipsa subordinatio, quam finis secundarius necessario habet ad finem ultimum, i. e. subordinatio felicitatis terrenae, quam societas civilis proxime intendit, ad felicitatem coelestem, quam proxime intendit Ecclesia, et ad quam reapse perducit. Vide Encyclicam *Immortale Dei* (1 Nov. 1885).

Hinc: 1° Civilis potestatis est assecutionem finis ultimi, ad quem ipsa remote ordinatur, nunquam impedire, religionem tueri, et bonum morale communitatis promovere.

2° Dum ipsa leges condit vel exsequitur, ponit necessario actus morales, in quibus (si de christiano legislatore agatur) Ecclesiae subditur, non secus ac homines privati. — Quare « Summus Pontifex poterit abrogare et corrigere leges civiles aliorum principum, si opponantur aequitati » (I, n. 104), et leges sic correctae et abrogatae non amplius obligant in conscientia (I, n. 106).

150. — Quaesita. QUAER. 1° *Quinam sint homines, quibus de facto potestas legifera inhaereat?*

Resp. Ii sunt qui suprema gaudent auctoritate, nec alterius agunt nomine, quales sunt reges, imperatores, principes in principatu, praesides rei publicae legitime constitutae, etc.; non vero duces militum, nec praefecti provinciarum, quia non sunt nisi delegati, qui proprio nomine non possunt agere. — In regnis autem repraesentativis, legifera potestas non ad solum regem aut praesidem pertinet, sed etiam ad legatos sive ab ipso rege sive a populo electos.

QUAER. 2° *An etiam tyranno obediendum sit?*

Resp. Dist. 1° Si tyrannus est REGIMINE tantum (i. e. si regnum, quo legitime potitur, perverse regit et opprimit), ipsi profecto in licitis obtemperandum est: ut constat ex dictis n. 148. — *At quale superest remedium, si regimen principis esset excessive injustum et tyrannicum, nec auxilium humanum haberi posset?* « Recurrendum est, inquit *S. Thomas* (de Regim. Princ., l. 1, c. 6), ad regem omnium Deum, qui est adjutor in opportunitatibus... Sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem ». Cfr. H. Ap., VIII, 13.

2° Si tyrannus est TITULO (seu usurpator), in ipso *invasionis actu* non est illi obtemperandum, nec licet eum factis agnoscere aut juvare, ut in sua possessione stabiliatur. Factum enim usurpationis, de se, nullum jus tribuit invasori, qui, cum sit in mala fide, nunquam potest praescribendo sanare possessionem suam. « Neque jus solo materiali facto acquiritur » (Syll., error 59). — Ideo subditi, quamprimum sine boni publici detrimento id facere possunt, ad antiquum dominum redire tenentur.

Si vero usurpator publicam auctoritatem *jam pacifice tenet*, ejusque possessio, lapsu temporis, jam tantopere obfirmata est, ut pristinus ordo, sine gravi boni publici detrimento, redintegrari nequeat, ipsi, haud secus ac si legitimus princeps esset, in licitis obediendum est. Etenim communitati conservanda pax id sibi expostulat; nec talis obedientia ullam tyrannidis approbationem includit, quia neutiquam usurpatoris causa praestatur, sed causa subditorum, qui sub ejus imperio vivunt (I, n. 94; ed. G., 1, p. 71). Cfr. *Müller*, l. 1, § 50, n. 8.

Digitized by Google

SCHOLIUM.

De jure civili.

Jus civile, seu collectio legum civilium, est vetus, vel modernum.

151. — I. Leges veteres continentur in *Corpore juris civilis,* quod complexus est legum, quas Justinianus Imperator, saeculo VI, opera praesertim Triboniani, jurisconsulti celeberrimi, in unum collegit et edidit. — Constat tomis duobus. Primus continet *Institutiones,* quae sunt quasi juris elementa, in quatuor libros distributa, et *Digesta* juris enucleati, seu *Pandectas,* quae 50 libris constant et citantur generatim ff. — Secundus tomus continet collectionem decisionum, quas idem Imperator postea edidit, id est *Codicem* in 12 libros distributum. Codici accedunt 68 Constitutiones recentiores, quas vocant *Authenticas* et *Novellas,* quasi de novo editas. — Hae leges constituebant jus romanum, quod cum lege ecclesiastica formabat *jus commune,* ita nuncupatum, quia per plura saecula totus orbis illo communiter usus est.

152. — II. Leges moderni juris reperiuntur in variis codicibus, quos fere omnia regna sibi proprios condiderunt, praesertim a tempore Perturbationis Gallicae, in fine saeculi XVIII.

ARTICULUS II.

De objecto seu materia legis.

Objectum legis est id, quod lex praecipit vel prohibet, et quod a subdito praestandum vel omittendum est.

153. — PRINCIPIA. I. **Legis humanae objectum seu materia sunt omnes actiones, quae ad bonum commune conducere vel eidem adversari possunt.** Ratio est, quia legifera potestas a Deo concessa est tanquam medium, quo societatis bonum promoveatur. *S. Thomas,* 2. 2, q. 105, a. 5.

154. — II. **Legis humanae objectum debet esse honestum, justum, moraliter possibile, et utile.** Id sequitur ex dictis de natura legis (n. 109 seqq.).

Debet esse 1° *Honestum;* quia quaelibet lex debet esse consentanea rectae rationi.

Hinc, nec praecipi possunt, quae sunt contra legem divinam, v. gr. duellum; nec prohiberi, quae lege divina praescribuntur, v. gr. religiosa filiorum educatio. In his valet: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act., 5, 25). Cfr. Encycl. Leonis XIII (ap. *Denz.,* 1850-1857).

2° *Justum,* i. e. tale, quod legislatoris potestatem non excedat. — Unde, si legislator fert legem pro personis, quae suo regimini non subjacent, vel circa res, ad quas sua jurisdictio non se extendit, peccat contra justitiam, saltem legalem, nec talis lex ullam obligationem inducit. Excipe, si ex alio capite, v. gr. vitandi scandali, vitandae perturbationis publicae, obligatio urgeat (*Sweens,* n. 369).

Digitized by Google

Hinc: *a*) Lege civili nihil statui potest, quod sit contra legem ecclesiasticam; nihil lege legislatoris inferioris, quod sit contra legem legislatoris altioris gradus.

b) Sed nec injusta praecipi possunt respectu ad subditos, talia nempe, quae in distributione onerum aequalitatem proportionis laedant: v. gr. si pauperes aeque graventur ac divites (cfr. n. 400, 2).

c) Non autem excederet legislator suam potestatem, si praeciperet vel prohiberet *actus externos occultos*. Legis enim humanae est dirigere quidquid externum est; quod autem actus (v. gr. haeresis externa) remaneat occultus, hoc fit per accidens. Recte ergo tales actus prohibentur.

d) Lex vero, praecise quia inter justos limites coarctari debet, nequit *se extendere ad actus praeteritos*. Hoc fieri nequit, neque ratione culpae, cum non sit praevaricatio, ubi non est lex; neque ratione verae poenae, cum haec tantum lata sit in culpae vindictam; neque ratione rescissionis actuum, nisi in aliquo casu a lege expresso. — Hinc illud vulgare: *Lex non respicit retro* (VI, n. 555; *Suarez*, de Leg., l. 3, c. 14, n. 8).

Si tamen lex quasdam *inhabilitates* constitueret, v. gr. pronuntiando eos, qui hoc vel illud fecerint, esse irregulares, ad matrimonium contrahendum inhabiles, etc., lex juste ad actus praeteritos se extenderet; quia tunc, non poenam pro culpa praeterita, sed conditionem, seu qualitatem pro futuro requisitam, constitueret. — Idem dicendum, si nova lex antiquae legis exsecutionem urgeret, vel legem interpretaretur (*Gousset*, Cod. civ., a. 2).

Utrum autem lex se extendat ad *actus internos*, vide n. 155.

3° *Moraliter possibile;* tum quia lex de re impossibili in communitatis ruinam vergeret, tum quia nemo ad impossibilia tenetur.

Hinc: *a*) non possunt praecipi actus cujuscumque virtutis, sed solum illi, quos bonum publicum exposcit, et qui *ordinariam* communitatis facultatem non excedunt. — *b*) Nec possunt humana lege omnia vitia prohiberi; sed solum graviora, a quibus, ut loquitur *D. Thomas* (1. 2, q. 96, a. 2), possibile est majorem partem multitudinis abstinere, et praecipue quae sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset (cfr. n. 446).

Actus ergo valde ardui atque heroici invitis regulariter praecipi non possunt: hoc enim magis in ruinam esset quam in aedificationem. — Si quis autem libere particulare vitae genus suscepit, huic utique ardua, quae illi vitae generi propria sunt, praecipi possunt: sic praecipitur clausura monialibus, et sacro Ordini initiatis castitas perpetua. — Excipiuntur duo casus, in quibus maxime ardua atque heroica humano praecepto omnibus imponi possunt: 1° Cum bonum commune id exigit. Sic Episcopus tempore pestis praecipere potest presbyteris, etiam non parochis, ut urbem non deserant; similiter dux militiae militi, ut suam stationem non deserat. Et ratio est, quia bonum commune praevalet bono privato. — 2° Cum alicujus actus omissio cessura esset in Dei aut religionis contemptum (cfr. n. 428 et 483); et ratio est, quia in isto casu res omitti non potest, quin ipsa lex naturae violetur (I, n. 175; II, n. 26).

Digitized by Google

Hinc: 1° Si in contemptum vel in laesionem potestatis ecclesiasticae, directe compellaris communicare cum vitando, laborare die festo, cibis vetitis vesci in die jejunii, cum gravi etiam damno tuo renuere debes, nisi possis protestando, contemptum et scandalum avertere. — 2° Si paterfamilias haereticus, vel impius, filiis suis catholicis diceret: Volo ut die Veneris carnes manducetis, idque in contemptum Papae et Ecclesiae; filii deberent respondere: Pater, scias nos manducare, quia alios cibos nobis apponere recusas: hoc enim in casu, licet nobis illas edere.

4° *Utile,* et a fortiori *non nocivum* bono communi. Ratio est, quia legislator non habet jus praecipiendi, nisi ad promovendum bonum commune; nec potest, absque justa causa, aliquid detrimenti inferre subditorum libertati, quod est bonorum naturalium omnium maximum.

155. — Actus interni. Nunc solvenda est celebris quaestio circa *actus internos,* utrum nempe legislator tales praecipere vel prohibere possit. Actus, de quibus sermo est, sunt vel *pure interni,* non ad extra manifestati, vel *mixti,* cum elemento exteriori conjuncti.

Triplici modo actus internus actui externo conjungitur: vel *tanquam forma* constituens actum externum in suo esse morali, v. gr. consensus internus in matrimonio, in contractu ineundo, contritio in confessione annua, etc.; vel *tanquam causa* cum effectu: et sic qui prohibet homicidium, prohibet etiam voluntatem occidendi (I, 100; H. Ap., II, 17); vel *tanquam complementum* actus externi rite perficiendi, v. gr. applicatio Missae, meditationes in secessu instituendae (*Lehmk.,* Cas. Consc., I, n. 85).

Hisce positis, 1° Certum est legislatorem tam civilem quam ecclesiasticum posse praecipere *actus internos mixtos;* v. gr. juramentum etiam interne formatum potest exigi a judice, secessus annuales possunt imponi ab Episcopo (*A. S. S.,* vol. 12, p. 609-612). Ratio: hoc est necessarium ad bonum commune.

2° Quoad *actus mere internos,* certum est *legislatorem civilem* hos regere non posse. Ratio: Socialis vita, externa reipublicae tranquillitas quae sunt Statuum fines, neutiquam hoc exigunt. De internis non iudicat praetor.

Disputatur vero, *utrum legislator ecclesiasticus actus mere internos imponere possit.* — Distinguamus oportet inter potestatem legislatori ecclesiastico obvenientem, inquantum regit *societatem mere humanam,* et inquantum *divino-humanae* praeest. In primo casu, utitur potestate *propria, ordinaria;* in secundo, potestate *vicaria.* Age vero: Legislator ecclesiasticus certo certius actibus mere internis dominari potest: *a*) *in rebus fidei imponendis* (cfr. *Billot,* de Eccl., II, th. XXII), quin imo in rebus non directe fidem tangentibus sed generali modo ad mores instruendos pertinentibus (pontificiae directiones); *b*) *in judicio sacramentali,* ubi etiam intima recognoscere potest; *c*) *in exercitio potestatis dominativae,* quae

Digitized by Google

in ordinibus religiosis multum valet [1]. In his omnibus utitur legislator ecclesiasticus *potestate vicaria* ab alio fonte ad ipsum derivata.

Ad hoc reduci potest apposita conditio actus interni ad lucrandas indulgentias. Ordinarie tamen actus internus non unice petitur.

Legislator autem ecclesiasticus, ut legislator humanus, *propria auctoritate utens*, potestne actus internos regere? Alii (Elbel, Ballerini) affirmant, quia Ecclesia illimitatam potestatem a Christo accepit. Sed alii communius et probabilius negant, cum *D. Thoma* (1. 2, q. 91, a. 4). Cum enim Ecclesia actus mere internos cognoscere non possit, non potest judicialiter illorum exsecutionem urgere, nec punire omissionem; ergo nec potest eos praecipere vel vetare; nam de ratione verae societatis est, ut quos imperat actus, eos ipsa per se, ex natura nempe ipsorum actuum, cognoscere valeat, etsi nonnunquam, per accidens, a tali cognitione, ex causa aliqua extrinseca, impediri possit (I, n. 100; ed. G., I, p. 79). — Cfr. *Suarez*, de Leg., l. 3, c. 13; *Franzelin*, de Trad., Th. XII; *Lehmkuhl*, I, n. 221; *Noldin*, I, n. 137; *Génicot*, I, n. 136.

Nota. Ipse *Suarez*, quamvis sententiam negantem teneat, addit deesse rationem convincentem cur Ecclesia actus internos regere non possit. — Quoad *D. Thomam*, citantur ab adversariis textus, quos in suum sensum explicant; cfr. 1. 2, q. 100, a. 9; 2. 2, q. 105, a. 4.

CAPUT II.

De promulgatione et acceptatione legis.

S. Alphonsus, I, 96 seqq.; ed. G., I, p. 72; H. Ap., II, n. 4; *Bouix*, de princ. Jur. can., p. 2, s. 2, c. 6; *Bouquillon*, Theol. fund., n. 19; *Bérardi*, Theol. mor., I, 28.

156. — Lex, ut suam vim obtineat, debet non solum circa aptam materiam versari, sed etiam denuntiari illis a quibus observanda est; nam quamdiu latet, impleri nequit. — Manifestatur autem per *promulgationem*, cui nonnunquam, tanquam complementum per accidens requisitum, *acceptatio* ex parte subditorum accedat necesse est.

ARTICULUS I.

De promulgatione legis.

157. — DEFINITIO. Promulgatio est publica legis denuntiatio a legitima auctoritate communitati facta.

Dicitur 1° *publica*, i. e. cum aliqua solemnitate; 2° *communitati facta*: quia lex per se non respicit nisi communitatem, et non personas particulares, qua

[1] Ita Suarez (de Leg., l. 4, c. 12, n. 16); *Schmalzgrueber* (in l. 3, tit. 35, n. 67); *Piat* (I, p. 288). Aliter sentiunt utique *D. Thomas* (2. 2, q. 104, a. 5); *Lugo*, Resp. mor., l. 6, c. 7, n. 11). Nihilominus, die 3 Maji 1914 (*A. A. S.*, VI, p. 231), S. C. de Relig. declaravit: Superiores Religiosos posse suis subditis praecipere, *etiam in virtute sanctae obedientiae*, ut ipsi celebrent secundum intentionem a Constitutionibus vel ab ipsis Superioribus statutam.

Digitized by Google

tales, sed solum ut partes communitatis. — Hinc differt a *divulgatione,* qua nempe legis jam promulgatae notitia ad plures, vel omnes subditos, pervenit.

158. — PRINCIPIA. I. **Promulgatio est absolute necessaria, ut lex vim obligandi consequatur.** Constat ex ipso *Corpore juris* (Can. In istis, D. 4), ubi legitur quod « leges instituuntur cum promulgantur ». Lex enim est regula communitati imposita (cfr. n. 109).

Hinc infertur: 1° Si quis sciret aliquam legem esse conditam, non teneretur eam servare, nisi postquam esset promulgata.

2° Non obligat lex dubie promulgata, nisi usu jam recepta fuerit. — Recole dicta n. 46.

3° Qui legis factam promulgationem invincibiliter ignorat, a culpa *coram Deo* excusatur ex defectu cognitionis; non vero ex defectu legis, quae, utpote promulgata, vim obligandi habet. — Secus *in foro externo,* quia notitia legis, saltem post aliquod tempus, per se divulgata praesumitur; ideoque illi, qui excusationem affert ignorantiae invincibilis, onus illam probandi incumbit (H. Ap., II, 22). Et ita intelligenda est regula juris: *Ignorantia facti, non juris, excusat* (V, n. 4).

159. — II. **Modus promulgandi leges in variis regionibus varius est, et a legislatoris arbitrio pendet,** sive per praeconem fiat, vel publica affixione, vel alio quocumque modo. Ratio est, quia jure naturae nullus modus determinatur; et, ex natura rei, is sufficit, quo legis notitia ad majorem saltem communitatis partem deveniat (I, n. 96).

Hinc: 1° Leges *episcopales* (*Bened. XIV,* de Syn., l. 13, c. 4, n. 1) statim a promulgatione obligant, et sufficit promulgatio in urbe episcopali (vel in synodo pro clero), nisi aliter ab episcopo statuatur. — 2° Leges *civiles* obligant post promulgationem factam, juxta provinciarum consuetudinem.

160. — **Leges pontificiae.** QUAERITUR 1° *Quisnam est modus promulgationis legum pontificiarum?*

Resp. Disting. 1° Si agatur de legibus, seu Constitutionibus, *in materia fidei et morum,* certum est illas non indigere publica denuntiatione: statim ac innotescunt, ubique locorum obligant; quia nihil novi continent, sed sunt jam promulgati juris naturalis et divini merae declarationes.

2° Si agatur de legibus *disciplinaribus,* olim distinguebantur leges quae expresse requirebant promulgationem in provinciis, leges quae Romae cum solitis clausulis et affixione in quibusdam locis promulgabantur, et leges quae sine clausulis publicabantur. — *In praesenti vero disciplina,* scilicet ab anno 1909, *unicus admittitur modus ordinarius* (seclusa speciali determinatione) promulgandi quascumque leges pontificias, ex Const. SS. D. N. Pii PP. X *Promulgandi,* die 29 Sept. 1908 data, et hic modus est *insertio legis vel decreti in Commentario officiali,* quod inscribitur *Acta Apostolicae Sedis.*

Digitized by Google

Haec sunt verba Constitutionis: « Volumus autem Constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum Sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Praelati a secretis aut majoris administri ejus Congregationis vel Officii a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, *hac una, eaque unica ratione legitime promulgata* haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta Sede provisum » (*A. A. S.*, I, p. 6).

QUAERITUR 2° *An leges pontificiae obligent statim ac promulgantur?*

Resp. 1° Si tempus a quo earum observatio urget, ab ipso legislatore determinatur, ante terminum statutum minime obligant.

Ita Pius IV pro decretis Tridentinis, Pius X pro obligatione decreti *Ne Temere,* pro introductione novi Psalterii, etc., speciale tempus statuerunt.

Resp. 2° Si tempus non determinatur, secundum S. Alphonsum, leges pontificiae non obligant ante *bimestre,* ad normam juris romani.

Rationes sunt: tum quia tale temporis spatium etiam nunc requiri videtur, ut legis notitia moraliter, ad omnes etiam dissitas regiones, *modo certo,* pervenire possit; tum maxime, quia infra illud spatium, nullum aliud ab auctoribus absolute determinatur (I, n. 96; ed. G., I, p. 75).

Haec S. Doctor. *Benedictus XIV* (de Syn., l. 13, c. 4, n. 2) cum communi, alteram sententiam tuetur: nempe leges pontificias statim post promulgationem obligare. — Quod autem opinio, quae S. Alphonso videbatur probabilior, nunc, post evulgationem Commentarii officialis, probabilis remaneat, jam non auderemus affirmare. Certum est, S. Sedem vota eorum qui post promulgationem decreti *Ecclesia Christi* professi fuerant tanquam invalida rejecisse, nulla mentione facta, utrum professio post bimestre habita fuerit (*A. A. S.*, II (1910), p. 36).

161. — *Nota.* Quamvis cum legis promulgatione proprie dicta confundi nequeant media, ad ejusdem legis DIVULGATIONEM adhibita, cujusmodi sunt insertio in *Bullario,* communicatio ab Episcopis facta, relatio personae fide dignae, et alia similia; admitti tamen debet, solemnem promulgationem aliquando suppleri posse promulgatione *aequivalenti,* quae facto habetur, usu scilicet et relatione auctorum. — Qua super re advertit *S. Alphonsus* (I, n. 106): « Non solum Constitutiones pontificiae, quae solemniter sunt promulgatae, obligationem legis inducunt; sed etiam aliae, quae ex usu et consensu Ecclesiae universalis, jam a pluribus saeculis, habentur pro sufficienter promulgatis et authenticis ».

ARTICULUS II.

De acceptatione legis.

162. — DEFINITIO. Acceptatio legis est populi (saltem quoad ejus partem majorem ac saniorem) formalis vel virtualis consensus in observationem legis debite promulgatae (I, 138).

163. — PRINCIPIA. I. **Acceptatio populi non requiritur ad essentiam et obligationem legis.** Ratio est, quia si necessaria foret populi acceptatio, princeps jam non posset, reluctante populo, sufficienter consulere bono communi. Adde quod veri nominis potestas

Digitized by Google

legislativa dici nequit, cui populus, pro libitu, posset resistere. — Hinc merito damnata fuit propositio: « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam » (Prop. 28ª ex damnatis ab Alexandro VII) [1].

Ergo: 1° In Statibus, ut dicunt, *repraesentativis et democraticis,* populus, per suos deputatos, in legibus instituendis participat quidem, sed legibus rite publicatis obedire debet; secus enim totus ordo societatis subverteretur.

2° *Dubium* subortum, utrum nempe lex sit acceptata, obligationem non tollit (I, n. 97, 6°; III, n. 112). Possidet enim lex, possidet quoque praesumptio obedientiae ex parte subditorum, nec ex hoc dubio infirmatur principium modo enuntiatum.

3° Non requiritur acceptatio *ex parte principum,* ut leges ecclesiasticae obligent. Recte igitur Ecclesia rejecit *placitum regium* (Conc. Vatic., III). Potest tamen fieri, ut Ecclesia suarum legum observantiam urgere nolit, si, ob principum detractationem, earum observantia nimis onerosa evaderet (cfr. n. 201), vel earum promulgatio impedita fuerit (cfr. *Sweens,* Theol. fund., n. 276, de Placito Regio).

164. — II. Defectus acceptationis efficit per accidens, ut lex quandoque non obliget. Ratio est, quia leges, quarum negligitur observantia, in desuetudinem tandem abeunt; vel quia a legislatore expresse aut tacite revocantur.

Lex igitur NON OBLIGAT (I, 139; H. Ap., II, 11 seqq.): 1° Si *per decennium* non fuerit acceptata. Tale enim temporis spatium certe sufficit, stante consensu legali principis, ad praescribendum contra legem nondum introductam, ut communiter docent. — Imo, quamvis acceptata jam fuerit, deinde vero per decennium continuum in desuetudinem abierit, *probabile* est eam non amplius obligare. Quod certum est apud omnes, si consuetudo per 40 annos perduraverit (cfr. n. 265). Vide VI, n. 664, ubi de obligatione medicorum, aegrotos de confessione monendi.

2° Si *major et sanior pars populi* legem non admiserit; quamvis enim desuetudo nondum sit praescripta, et quamvis primi non acceptantes legem peccent, eo ipso quod illam rejiciant (I, 97), ceteri tamen non tenentur ad legem; nam praesumitur princeps nolle hos obligare ad observandum quod non est a majori parte receptum, ideoque evadit vel plane inutile, vel minori parti bonae nimis onerosum.

3° Si lex sit *difficilis observantiae,* aut contraria consuetudini vigenti, et tales insuper sint circumstantiae, ut si a legislatore praecognitae fuissent, legem certe non tulisset: quod judicatur ex prudentum arbitrio. — Item, si populus supplicasset pro revocatione, nec princeps observationem urget, probabiliter praesumitur non velle tunc legem obligare: secus, si urgeret, vel ex prudentia taceret (cfr. n. 264, 1°).

165. — QUAERITUR. *An liceat Episcopis non acceptare leges pontificias?*

Resp. Non licet. Episcopi enim obedire debent Romano Pontifici, non secus ac ceteri fideles; imo magis quam ipsi, propterea quod illis

[1] Ita docuerunt Cajetanus, Valentia, Lessius, Navarrus, ap. Diana (vide *Viva,* in hanc prop.).

Digitized by Google

exemplum praebere debent. — Excipe tamen casum, quo, ob locorum adjuncta, legem suis Ecclesiis minus accommodatam, vel etiam noxiam fore judicaverint: quo in casu, possunt et debent rationem S. Sedi exponere. Interim Pontifex merito censetur nolle obligare, priusquam rescripserit; deinde vero ejus definitioni acquiescere omnes tenentur (*Bened. XIV*, de Syn., l. 9, c. 8).

CAPUT III.

De interpretatione legis.

S. Alphonsus, I, n. 200; ed. G., I, p. 178; *Suarez*, de Leg., l. 6, c. 1; *Reuter*, Theol. mor. Prodrom.; *Sweens*, Theol. mor. fund., n. 394; *Ami du Cl.*, 1903, p. 161 seqq.

166. — Interpretatio legis, late sumpta, est genuina legis explicatio, juxta mentem legislatoris. — Sic definita, comprehendit tum *interpretationem proprie dictam*, tum *epikeiam:* de quibus in duplici articulo disseremus.

ARTICULUS I.

De interpretatione proprie dicta.

167. — DEFINITIO. Interpretatio, stricte sumpta, est clarior expositio eorum verborum, quae obscura sunt aut ambigua.

DIVISIO. Interpretatio legis multipliciter distinguitur:

1° Ratione objecti, alia est *declaratoria*, seu *comprehensiva*, quae obscura legis verba declarat; alia *extensiva*, quae legem ad similes casus extendit; alia demum est *restrictiva*, quae legem ad aliquos casus designatos coarctat, quamvis illa generalis esse videatur, v. gr. si princeps declarat vocem: *clerici*, se extendere ad solos tonsuratos, non vero ad eos qui ad altiora ascenderunt.

Interpretatio *comprehensiva* nominatur *pure talis*. A principio legi inest: v. gr. si sermo est de filiis, etiam illegitimi sub hoc verbo comprehenduntur. — Interpretatio *extensiva* appellatur *non pure talis*, quia sensus non est clare in lege imbibitus, v. gr. quod sub nomine *patris*, etiam *avus;* sub nomine *mortui*, etiam *civiliter* mortui intelligi debeant.

2° Ratione causae, alia est *authentica*, alia *usualis*, alia *doctrinalis*, de quibus speciatim agendum est.

§ 1. DE INTERPRETATIONE AUTHENTICA.

168. — DEFINITIO. Interpretatio authentica, seu juridica, ea est, quae fit ab ipso legislatore, vel ejus successore, aut Superiore. — Dicitur *authentica*, seu cum auctoritate prolata, quia, in ea facienda, Supe-

Digitized by Google

rior jurisdictionis potestate utitur. Vocatur etiam *declaratio* legislatoris (H. Ap., II, n. 73).

Hinc infertur: 1° Interpretatio *non est authentica,* sed doctrinalis, si Superior solummodo *tanquam persona privata* suam mentem declarat.

2° Interpretatio fieri potest a legislatore, tum per se, tum per alios, quibus nempe hoc officium committitur. Tali interpretationis officio, ex SS. Pontificum delegatione et mandato, funguntur *Sacrae Cardinalium Congregationes.*

169. — PRINCIPIUM. **Interpretatio authentica habet vim obligantem, sine nova promulgatione, si sit comprehensiva et restrictiva, — post novam promulgationem, si sit extensiva.**

Ratio primi: Talis interpretatio non est nova lex, sed a principio in lege est imbibita: ut obliget, sufficit ergo ut declaratio divulgetur.

Ratio secundi: Non clare inest anteriori legi; ex argumento poterat quidem ex lege erui, sed non firme eruebatur. Lex ergo remanebat dubia. Unde nova promulgatio necessaria. Vide *S. Alph.,* III, n. 1027; ed. G., II, p. 408; H. Ap., II, 74.

Nota. Authentica tamen *divulgatio,* in casu interpretationis comprehensivae et restrictivae, semper requiritur: ut nempe judices tuto possint, vel exemptos tueri, vel contra renitentes procedere.

Quid ergo sentiendum de variis Romanarum Congregationum decretis, sententiis, vel decisionibus?

Resp. 1° Decreta, *pro universa Ecclesia* edita, et rite promulgata, *vim legis obtinent;* non enim, nisi *mandante Pontifice,* promulgantur. — Decreta autem particularia *saltem norma sunt,* quomodo convenienter agatur, pro tota Ecclesia. Fundant sententiam vere probabilem.

2° Sententiae, cujuscumque sint naturae, *illos adstringunt ad quos diriguntur.* — Sententiae autem judiciales, per se, *ad casus similes non sunt extendendae:* variae enim sunt pro varietate circumstantiarum, nec semper facile est nosse, quaenam circumstantiae ad sententiam impulerint; unde translatio ad casus similes fallax esse posset.

Uniformitas tamen decisionum, in casibus similibus, inducit *stylum et praxim Curiae.* Praxis autem Curiae validissimum in jure habetur argumentum.

3° Declarationes seu decisiones *extensivae,* quae novum jus statuunt, *promulgatione* indigent, ad hoc ut vim legis habeant: sequuntur enim naturam legis. — Quoad declarationes autem *mere comprehensivas* alicujus legis universalis, sententia hodie communis tenet illis declarationibus inesse vim legis, dummodo de earum authenticitate certo constet. Ratio est, quia promulgatione indigent leges novae, non autem declarationes de legibus jam promulgatis. « Hujusmodi declarationes, ait *S. Alphonsus* (2 El. q. reform., n. 2; Istruz. prat., II, 39), quae jam in Ecclesia *universaliter divulgatae,* et facto sic promulgatae fuerint,

Digitized by Google

usu plurium annorum, vel relatione auctorum communiter ipsas referentium, hae satis omnes fideles obstringunt ». Et sic est praxis Curiae Romanae (cfr. *Bouix*, de Cur. Rom., P. III, c. 7; *Palaus*, tr. 3, disp. 5, punct. 3, § 1, n. 2).

Minus recte sentiunt auctores, qui putant declarationes *etiam comprehensivas* alicujus legis universalis, de se indigere promulgatione, ea ducti ratione quod, stante lite inter doctores, lex universalis non sit perspicua, ideoque declarationes R. Congregationum revera novum jus statuant. Cfr. *Génicot*, I, n. 137, et *D'Annibale*, I, n. 184, not. 5. Admittunt utique nostram sententiam, casu quo romanae declarationes jam sint in Ecclesia universaliter divulgatae et usu receptae.

4° Declarationes *restrictivae* promulgatione non indigent: iis enim, nedum jus novum statuatur, derogatur statuto, cujus partialis obligatio tollitur; quaevis autem obligatio cessat, statim ac constat de voluntate legislatoris.

Nota. Specialem vim habent, tum Congregationis S. Officii (seu Universalis Inquisitionis), tum Congregationis SS. Rituum decreta. — Etenim:

1° Praeses *S. Officii* non est certus quidam Cardinalis, ut in aliis Congregationibus, sed ipse Romanus Pontifex. — Unde; quae per Inquisitionem geruntur, possunt facilius, quam quae per alias Congregationes fiunt, Pontificis auctoritatem sibi vindicare. — Infallibilitatis tamen praerogativa non insigniuntur per solam Romani Pontificis, tanquam Inquisitionis Praesidis, praesentiam, vel etiam per ipsam approbationem; sed tunc solum cum in *forma specifica* approbans jusserit decretum aliquod, quod ceteroquin rem infallibiliter decidendam tractat, *suo nomine* ad universam Ecclesiam dirigi, atque illud promulgari curaverit. Infallibilitas enim est Romani Pontificis praerogativa omnino personalis.

2° *Sacrorum Rituum Congregatio*, ut diximus n. 140, probabiliter etiam Romano Pontifice non consulto, neque approbante, potestatem edendi decreta et leges interpretandi habet. Ex hoc tamen ne inferas omnia responsa ejusdem Congregationes esse leges, neve omnia decreta esse universalia (cfr. Collect. Gardell.[3], n. 5465).

Decreta vero particularia, quae Rubricas respiciunt ad universam Ecclesiam spectantes, vim Decreti generalis seu *Urbis et Orbis* obtinent, ita ut ubique obligent, non obstante quacumque consuetudine in contrarium etiam immemoriali (S. R. C., 8 Jan. 1914; *A. S. S.*, vol. 36, p. 428). Vide quae dicuntur infra n. 1638.

3° Pius IV munus leges Tridentinas authentice interpretandi unice ad S. C. Conc. devolverat. Nunc autem illud interpretari potest quaecumque Romana Congr. in materia competenti; imo et S. Rotae Tribunal et Signatura Apostolica, sed istae solum in casu particulare (*A. A. S.*, III, p. 99).

§ 2. De interpretatione usuali.

170. — Interpretatio usualis dicitur, quae *usu et consuetudine recepta est.* — Haec, in variis locis, varia esse potest, licet agatur de lege universali, prout ex dicendis de lege jejunii constabit. Commu-

Digitized by Google

niter autem asserunt DD., leges interpretandas esse *juxta loci consuetudinem,* etsi verba legis minus proprie accipienda sint.

Hujusmodi interpretatio aequivalet *authenticae,* et, si omnes adsunt conditiones, quae ad legitimam consuetudinem constituendam requiruntur, eamdem prorsus obligationem parit. Hinc axioma: *Consuetudo est optima legum interpres* (cfr. 261). — Aequivalet tantum interpretationi *doctrinali,* si consuetudo nondum sit praescripta, vel tacito legislatoris consensu firmata (I, 109; H. Ap., II, 82).

Nota. Ad interpretationem usualem refertur JUDICIALIS, seu *praxis tribunalium,* sive civilium, sive ecclesiasticorum, quando haec constans est et uniformis; nam, etsi sententia judicis inter solos litigantes jus faciat, uniformitas tamen decisionum inducit quamdam consuetudinem, cui tacite suffragatur consensus legislatoris (*Bouix,* de Princip., P. II, sect. 6, c. 1, § 2, 4°).

§ 3. De interpretatione doctrinali.

171. — I. Interpretatio doctrinalis est *simplex et privata declaratio mentis legislatoris* (I, 200).

Haec, per se, vim legis non obtinet, cum non fiat ab eo, qui jurisdictionem habet. — Si tamen universi fere doctores in legis interpretatione consentiant, moralis inde certitudo enascitur; oritur summa probabilitas, si plerique et graves doctores consentiant; si vero doctores, aequali fere numero, in diversas interpretationes abeant, ponderandi sunt potius quam numerandi. — Recole dicta n. 63 seqq.

II. *Cuique docto licet leges doctrinaliter interpretari,* modo non sit prohibitum a legislatore, et modo id fiat juxta regulas magis receptas, et sensum DD. Cum enim saepe dubia occurrant, nec legislator semper commode adiri possit, necesse fuit talem sapientibus tribuere facultatem.

Sic a Pio IV interpretationes super decretis Concilii Tridentini, ut supra notavimus, prohibentur privatis. Dicunt tamen complures DD., vi hujus prohibitionis, non prohiberi interpretationes, quae incidenter in aliquo libro fierent, aut ore vel scripto, modo typis non mandentur; sed illas solum quae fiunt ex professo per glossas, scholia et commentaria typis data. Sic enim usus talem prohibitionem interpretatus est (H. Ap., II, 75).

III. *Regulae interpretationis doctrinalis* sunt potissimum sequentes:

1° Attendatur ad FINEM PROXIMUM legis, seu *ad mentem* legislatoris. Est enim finis ille quasi anima legis, verba autem sunt velut ejus corpus.

Hinc, si de mente legislatoris constat, huic magis standum est quam nudis verbis, ut patet ex Pharisaeorum condemnatione. — Porro finis legis intelligitur tum ex ejus objecto, tum ex circumstantiis temporum, locorum, personarum, et praecipue ex ratione in lege posita, quae scilicet impulit Superiorem ad legem ferendam.

Digitized by Google

2° Attendatur ad FORMAM legis, i e. ad modum quo exprimitur et promulgatur.

In dubio, verba legis accipiantur secundum *proprium* sensum, quotiescumque inde non sequatur aliquid absurdum, aut iniquum. Proprius autem sensus potest esse vel *naturalis,* qualis ex communi usu eruitur, et hic sequendus est in poenalibus et praeceptivis; vel *civilis,* qui per fictionem juris verbis convenit, v. gr. cum nomine filii legitimi accipitur etiam legitimatus, et hic sensus accipi potest in favorabilibus. — In lege generalibus verbis expressa, exceptio facienda non est, sine justa et evidenti causa; nam, *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* — Si vero iniquum quid aut absurdum inde sequeretur, valet alia haec regula: « Absurdum ut vitetur largissima fieri debet interpretatio »; ita ut, si opus est, confugiendum sit ad sensum *improprium* et metaphoricum (cfr. *Porpora,* tr. I, n. 364).

3° Attendatur ad MATERIAM legis. In odiosis enim facienda est interpretatio stricta, in favorabilibus larga. Intellige, servata proprietate verborum, vel naturali vel civili, ut supra explicatum est.

Ad dignoscendum autem, *an lex sit odiosa, an favorabilis,* attendendum est AD PRIMARIUM EJUS MOTIVUM (I, 200). — *Odiosum* est quidquid obligationem poenamve imponit, aut laedit jus tertii, aut juri communi opponitur, licet hoc cedat in favorem alterius. Hinc praecepta positiva, censurae, irregularitates, matrimonii impedimenta, exemptiones, dispensationes, privilegia contra legem, incapacitates in jure civili, sunt strictae interpretationis, nec extendi debent ad casus non expresse determinatos. — *Favorabile* censetur quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit, sine detrimento privatorum, nec communitatis, nec juris ipsius. Hinc privilegia, quae sunt praeter legem, et omnia rescripta gratiae, sunt latae interpretationis (cfr. n. 253, 3°).

Aliquando tamen *lex extendenda est etiam quoad odiosa,* si nempe motivum primarium sit favoris concessio, uti v. gr. in lege lata adversus percutientes clericum (cfr. n. 1329); et similiter *restringenda est quoad favores,* si motivum primarium fuerit oneris impositio (*Salmant.*, de Leg., c. 4, n. 31). Cfr. *S. Alph.*, de Privil., n. 7.

172. — Quaesita. QUAER. 1° *An lex extendi debeat de casu ad casum ob paritatem rationis?*

Resp. 1° Si ratio non est eadem, sed tantum *similis,* docent DD. non esse faciendam extensionem, nisi casus in lege solum exempli causa exprimatur.

Hinc est, quod in lege generatim non licet argumentari *a pari,* imo nec *a fortiori:* non enim ratio legis, sed legislatoris voluntas, subditis manifestata, vim legis habet. Unde illud: *ratio legis non est lex.* Sic suspensio, quae statuto Episcopi infligitur clericis ebrietatis reis, non afficit eos qui castitatem violaverint; licet impuritas majus in se peccatum quam ebrietas involvat.

2° Si ratio non tantum similis est, sed *adaequate eadem,* ita nempe ut legislator arguendus esset imprudentiae aut injustitiae, si lex non extenderetur, extensio facienda est; tunc enim casus non expressus po-

Digitized by Google

tius dicendus est comprehendi in lege, quam lex ad illum extendi, et valet regula : « Ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio ».

Id autem evenit: 1° in *correlativis,* prout in viro et uxore: quod enim de uno sancitum est, v. gr. quod jura respectu matrimonii, censetur etiam de alio, si pro utroque eadem ratio procedat; — 2° in *aequiparatis,* ut sunt ova et lacticinia in lege jejunii; electio, praesentatio, provisio, in beneficiis; — 3° in *connexis,* ut sunt diaconus et subdiaconus; — 4° in *contentis:* sic ille, qui potest testari, potest etiam facere legata. — Item lex quae decernit aliquid causa frequentioris usus, etiam casum minus frequentem comprehendit. Unde lex S. Pii V, permittens monialibus egressum e monasterio, propter incendium aut epidemiam, censetur idem concedere propter inundationem et hostium invasionem (I, 200; H. Ap., II, 78).

QUAER. 2° *Quomodo propositiones damnatae interpretandae sint? Resp. S. Alphonsus* (III, 760): « Regulariter loquendo, propositiones damnatae intelligendae sunt *uti jacent,* et in sensu *rigoroso* atque ab auctoribus illarum *intento* ».

Dicitur 1° *uti jacent,* id est separatim a contextu, cum verba sunt clara et perspicua; 2° in *sensu intento,* cum verba propositionis obscura sunt vel ambigua; 3° *rigoroso,* i. e. non ultra verborum proprietatem, quia versamur in odiosis. Ideo nunquam interpretationem extensivam recipiunt, nisi evidens ratio eam exigat. — Cfr. *Viva,* Thes. damn.; *Reuter,* l. c., n. 19.

ARTICULUS II.

De epikeia.

173. — DEFINITIO. « Epikeia est praesumptio saltem probabilis, quod legislator, in aliqua rerum circumstantia, noluerit obligare » (H. Ap., II, 77).

In hoc differt a simplici interpretatione, quod haec verba legis *obscura* dilucidat; epikeia vero contra aperta legis verba *mentem* legislatoris declarat.

I. Epikeiae locus datur, si lex alioquin redderetur aut *nociva,* aut *nimis onerosa* (I, 201; cfr. 98, 99, 175). — In priori enim casu *non potuit* Superior obligare, hinc epikeia *necessaria* est. — In posteriori casu, *juste* et *prudenter praesumitur noluisse* Superiorem obligare, quamvis stricto jure potuisset: quare epikeia tunc *licita* est, etsi non semper necessaria, ut si agatur de jure privato, cui dubitans renuntiare potest. Ita excusatur ab auditione Missae, qui timet notabilem jacturam bonorum (cfr. 223, 248). Lege *Salmant.,* tr. XI, c. 5.

Addunt tamen auctores Superiorem, si fieri potest, esse antea adeundum. Vide *Noldin,* I, n. 144; *Göpfert,* I, n. 96, ubi multa et utilia.

174. — II. Epikeia (late definita ut supra) valet non solum in legibus humanis, sed etiam in naturalibus, ubi actio possit, ex circumstantiis, a malitia denudari (I, 201).

Digitized by Google

Sic lex naturalis dictat: *Furtum non facies;* ad mortem tamen declinandam, rem alterium surripere licet (cfr. n. 129).

Haec plenius intelligentur ex dicendis de causis a lege excusantibus et de cessatione legis ab intrinseco (n. 221, 256). — Interim notare juvat, epikeiam (seu aequitatem) esse actum sublimioris cujusdam justitiae, meliorem justitia stricte legali, quae observat verba legis (*S. Thom.*, 2. 2, q. 120, a. 2, ad 2). Hinc adagium juris: « In omnibus causis, potior debet esse ratio aequitatis, quam stricti juris » et illud SS. Scripturarum: *Noli esse justus multum (Eccli.*, 7, 17); *Omnia mandata tua aequitas* (Ps. 118, 172). — Aequitas vero est *justitia dulcore misericordiae temperata,* ut eam definit *S. Cyprianus* (ap. *Ferraris,* v. Lex, a. 5, n. 34).

CAPUT IV.

De obligatione legis.

S. Thomas, 1. 2, q. 96; *S. Alphonsus,* I, 140; ed. G., I, p. 124; *Suarez,* l. 4, c. 17-20; *Elbel,* I, n. 292; *Aertnys,* I, 140; *Génicot-Salsmans,* I, n. 106.

175. — Post tractationem eorum, quae ad legis institutionem, promulgationem et interpretationem spectant, tractandum est de ipso legis effectu, seu *de obligatione legis.* — Tria hic inquirenda veniunt: 1° qualem obligationem lex inducat; 2° quinam legis obligationi subjiciantur; 3° quomodo huic obligationi satisfaciendum sit.

ARTICULUS I.

Qualem obligationem lex inducat.

Agemus: 1° de obligatione legis in genere; 2° de obligatione legis poenalis; 3° de obligatione legis irritantis; 4° de obligatione legis fundatae in praesumptione.

§ 1. De obligatione legis in genere.

176. — Definitio. Obligatio legis definiri potest: « Moralis necessitas adstringens ad actus positionem, vel omissionem, ut ita malum morale, i. e. peccatum, vel saltem poena, devitetur » (cfr. n. 109).

Divisio. Obligatio legis est *directa,* seu per se, et *indirecta,* seu per consequens. Obligatio *directa* tendit ad ea sola quae in lege indicantur. Obligatio *indirecta* comprehendit: *media* ad legem, eaque facilia et ordinaria, et *remotionem impedimentorum;* v. gr. vitare pericula, alios non inducere ad violandam legem, etc.

De his ultimis suo loco sermo erit, hic solum de obligatione directa.

177. — Principia. I. **Lex quaelibet obligat in conscientia ad aliquid.** Est de fide quoad leges ecclesiasticas, ut constat ex Trid., Sess. VII, de Bapt., Can. 8: « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab

Digitized by Google

omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis... anathema sit ». Quoad leges vero civiles est omnino certum ex supradictis n. 148.

Dicitur 1° *Lex,* i. e. omne verum legislatoris praeceptum, non autem merum legislatoris consilium, aut adhortatio, aut admonitio, cujusmodi improprie dictae leges non paucae habentur in jure canonico, ut monet *S. Alphonsus,* VI, n. 518; ed. G., III, p. 529-530.

2° *Quaelibet lex,* sive sit mere poenalis, sive irritans, cum et hae leges in conscientia obligent ad aliquid.

Lex *mere poenalis* obligat ad poenam subeundam, si delinquenti imponitur; et obligat judicem ad eam imponendam, qualis a lege determinatur. Lex *irritans* similiter obligat ad aliquid, nempe ad hoc saltem, ut aliquis actum irritum non defendat tanquam validum.

3° *Obligat.* Ratio est, quia omnis lex supponit essentialiter in legislatore jus praecipiendi et voluntatem obligandi. Atqui jus naturale et divinum dictant, tali legislatori obediendum esse.

Nec requiritur, ut in conscientia obliget, legislatorem expresse obligationem *in conscientia* intendere, sed sufficit ut vere imperare intendat; siquidem haec obligatio *in conscientia* necessario ex imperio sequitur (*Bouquillon,* Theol. fund., n. 133 et 223).

4° *Obligat ad aliquid,* i. e. vel ad actum absolute sive ponendum sive omittendum, — vel disjunctive ad actum aut poenam, — vel ad utrumque simul; vel solummodo ad certum agendi modum, ut actus valorem et firmitatem obtineat. In primo casu, lex vocatur *pure moralis* seu praeceptiva; in secundo, lex *pure poenalis;* in tertio, lex *mixta;* in quarto, lex *irritans.*

Nota. Cum haec valeant pro lege quacumque, minime credendum est iis qui affirmant *modernos legislatores non ligare conscientiam.* In multis utique a Deo recedunt, et publice protestantur se Deum et conscientiam ignorare. Ex hoc tamen modo loquendi non inferas, tales legislatores in his, quae vere *ad bonum commune* utilia et necessaria sunt, ad bonos mores vel mutua civium jura spectant, conscientiam non vincire. Cfr. *Konings,* c. 3, a. 1, n. 178.

178. — II. Lex humana obligat sub levi, in materia levi; sub gravi autem, in materia gravi; nisi ex rerum adjunctis, constet aliam fuisse mentem legislatoris. Ratio est, quia obligationis gravitas pendet *primario* ab ipsa materia legis, ita ut ad obligationem gravem gravis materia semper requiratur; nam gravis obligatio, in materia undequaque levi, in destructionem foret, non vero in aedificationem; ac proinde illi legis proprietati adversaretur, quae praescribit, ut lex sit conducens ad bonum commune.

Dictum est: *nisi constet aliam fuisse mentem legislatoris;* gravitas enim obligationis, juxta probabiliorem sententiam, pendet *secundario* a voluntate legislatoris. Sicut enim posset nullo modo obligare, non

Digitized by Google

praecipiendo; ita potest obligare sub veniali tantum, etsi in re gravi. Et hoc aliquando expedit (I, n. 143; H. Ap., II, 14).

179. — *Ex his resolves:* 1° « Cum res undequaque levis est, non mortaliter peccat transgrediens, etsi Superior sub mortali praeceperit, ... v. gr. ne quis frangat silentium, ne edat uvam, ut claudat ostium, etc.; quia est res parva et incapax tantae obligationis. Nec ipse Deus, in materia parva, sub mortali obligat » (I, 141).

2° Aliud esset, si materia ceteroquin levis, fieret gravis, ratione circumstantiarum, v. gr. scandali, magni boni communis, vel finis a legislatore intenti. Sic abstinentia a pomo in paradiso, in se quidem parva, gravissima tamen erat, ex circumstantia finis; sic infusio aquae in calicem in Offertorio, adeo gravis reputatur, ut nulla causa excusans detur (*Noldin*, III, n. 109).

3° Contemptus, *si est vero formalis*, si quis nempe contemnit legem *qua legem*, Superiorem *qua Superiorem*, « in quacumque materia semper est peccatum mortale » (I, 142). Excipe si quis contemnat rem praeceptam, quia parvi aestimatur, vel Superiorem, quia contra ipsum indignatur. Tunc enim de se non adest peccatum grave ratione contemptus; potest vero adesse, ratione magnae irae, vel judicii temerarii. *Frequentia autem transgressionum non necessario involvit legis contemptum*, ait *S. Alph.*, IV, n. 161; ed. G., II, p. 588, citans *D. Thom.* (2. 2, q. 186, a. 9, ad 3).

180. — QUAERITUR. *Quomodo dignosci possit legem obligare sub mortali?*

Resp. Potissima signa, ex quibus dignosci potest, sunt sequentia: 1° Si materia sit gravis, nec constet in contrarium de voluntate praecipientis. — 2° Si praeceptum exprimatur verbis magnam vim habentibus, v. gr.: *praecipimus sub gravi, sub indignatione Dei, in virtute sanctae obedientiae, ex tota potestate, omnino, inviolabiliter*, et similibus. — Verba simpliciter imperativa: *volumus, praecipimus, facite, abstinete*, et alia id genus, sunt ambigua; quare ex circumstantiis arguendum est, utrum gravem vel levem imponant obligationem. — 3° Si praecepto ecclesiastico addatur poena gravis, v. gr. poena perpetui exilii, excommunicationis, irregularitatis, interdicti ecclesiastici, suspensionis totalis, aut ab officio vel beneficio ad tempus notabile, v. gr. per annum. *Hoc tamen intelligitur, si censurae sunt latae sententiae;* secus si ferendae, juxta opinionem probabiliorem, vel etiam si lex sit mere poenalis (cfr. n. 182 et 1263). — 4° Si ita ferat usus et consuetudo inter peritos et timoratos; quia consuetudo est optima legum interpres (cfr. n. 337). Hoc praesertim quoad rubricas, jejunium, locum habet. Cfr. I, 144-146; VII, 33; H. Ap., II, 15.

Aliquando tamen, licet Superior graves minas proferat, ex eo non semper sequitur rem, de qua agitur, obligare sub gravi: v. gr. *sub levi* solum obligatio adest tonsuram non recipiendi nisi confirmatio praecesserit, et tamen S. C. C. severe prohibet ne talis, non recte promotus, ad alia ascendat, etc. Cfr. n. 1919.

Digitized by Google

§ 2. De obligatione legis poenalis.

Cfr. *S. Alph.*, I, n. 145 seqq.; ed. G., I, p. 126; *Salmant.*, tr. 11 de Leg., c. 2, n. 53; *Suarez*, l. 5, c. 4; *D'Annibale*, I, n. 207; *Lehmkuhl*, I, n. 310; *Noldin*, I, n. 160; *Biederlack*, Zeitschrift für kath. Theol., 1899, p. 155 seqq.; *V. Gestel*, de Just., p. 140.

181. — Definitio. Lex poenalis est illa, quae statuit poenam in delinquentes quin praecipiat illud fieri vel omitti.

Est ergo illa lex, quae nullam obligationem directe imponit hoc vel illud faciendi; ille tamen qui delinquens invenitur, potest puniri, et si a legitima auctoritate punitur, *debet in conscientia poenam,* tanquam juste latam, *subire;* imo, post sententiam, per seipsum irrogatam poenam exsequi, aut saltem ei non positive repugnare, si nimis acerba esset (cfr. n. 2311). — Ex transgressione ergo legis poenalis oritur *culpa mere juridica;* ex repudiatione poenae, *culpa moralis.*

Multiplices sunt poenae quae incurri possunt: 1° *Ratione rei, quae poenam constituit,* datur *a*) poena *positiva,* quae in *facto* consistit, i. e. quae opera perficitur sive delinquentis, et dicitur *activa;* sive alterius, quo casu *passiva* nuncupatur, ut confiscatio bonorum, exsilium, etc. (I, 148; H. Ap., II, 24); — *b*) poena *privativa,* quae consistit in *jure,* sive privet aliquo jure *quaesito* seu acquisito, v. gr. officio, beneficio, jure patronatus, jurisdictione, etc., sive adimat jus seu capacitatem canonicam aut naturalem *faciendi, acquirendi, contrahendi,* etc., quo casu poena *inhabilitans* dici solet. — 2° *Rationi originis,* datur poena *conventionalis,* quae cum aliquid, v. gr. officium vel beneficium, alicui datur sub conditione saltem tacita ut aliquid faciat, hoc vero non praestito, datum adimit, quasi conditione non impleta. « Sic, v. gr., clericus beneficiatus non deferens habitum ipso facto privatur privilegio fori » (I, 149). Talis autem poena vel ad inhabilitatem reducitur, vel pacti naturam inducit. — 3° *Ratione applicationis,* habetur poena *latae sententiae,* quae ipso facto admissae culpae per legem infligitur; — et *ferendae sententiae,* quae statuitur reo infligenda a judice (VII, 6). Hanc ille judex, qui non est legislator, nequit de se ad arbitrium minuere, nisi et ad hoc potestatem acceperit (cfr. *Salmant.*, de Leg., c. 2, n. 72 seq.). Peccaret contra justitiam distributivam, et si poenam augeret, contra justitiam commutativam, ut patet.

Divisio. Lex poenalis est vel *mere poenalis,* vel *mixta.*

Mere poenalis est illa quam supra definivimus. *Mixta* praecepit aliquid vel prohibet, et simul decernit poenam transgressoribus. — Lex poenalis mixta ergo superaddit obligationi acceptandi poenam, veram obligationem rem faciendi, vel strictam prohibitionem rem omittendi, quae ambae serio conscientiam ligant (I, 145, 147).

182. — Principia. I. **Nihil obstat quominus condantur leges mere poenales.** Legislator utique bonum commune promovere debet, et in hoc consistit robur et tendentia legis ut actus, qui sunt ad bonum commune necessarii, ponantur, ii vero qui damnum inferrent reipublicae, omittantur. Ex his tamen non sequitur legislatorem necessario

Digitized by Google

et semper debere directe praecipere vel prohibere, ita ut illico ligetur conscientia. Sufficit ut illi actus ad bonum commune conducentes (generaliter considerati), adjuncta poena subeunda, sufficienter in tuto collocentur, et generali modo bonum commune promoveatur.

Ceterum non est de legis essentia ut in conscientia obliget ad actum; sufficit ut in conscientia obliget ad poenam, si imponatur, acceptandam. Et si objicitur, quod omnis poena supponit culpam, respondere libet, omnem poenam supponere saltem culpam juridicam, secundum illud *D. Thomae* (2. 2, q. 108, a. 4): Interdum aliquis punitur sine culpa, non tamen sine causa.

183. — II. Dantur in utroque jure leges mere poenales, dantur et leges mixtae; illae tantummodo sub poena, istae sub poena et sub culpa obligant.

Non loquimur *de lege naturali,* quae semper in conscientia obligat, cum sit de necessariis et intrinsece bonis vel malis.

1° PROBATUR PRIMA PARS: *a*) *In jure ecclesiastico* perraro inveniuntur leges mere poenales; quia leges ecclesiasticae, potius per sanctificationem privatorum et disciplinae firmitatem, bonum commune procurare intendunt, unde directe conscientiam attingunt.

Dantur tamen, in quibusdam Ordinibus, regulae et constitutiones, quarum mandata sunt mere poenalia, quod ex contextu vel usu constanti majorum patebit. — Ex his tamen ne inferas, *omnia* quae in regulis notantur, *esse mere poenalia*. Evidens est enim, ordinationes, quae ad vota vel praecepta evangelica referuntur, v. gr. circa caritatem fovendam, esse leges mixtas, quae in conscientia religiosos obligant.

Ad regulas Ordinum religiosorum referuntur constitutiones quibus seminaria vel alia collegia reguntur. Item statuta confraternitatum vel piarum congregationum.

b) *Quoad jus civile,* rejecta, utpote nimis generali, aliquorum opinione, dicimus quod ibi *multae* dantur leges mere poenales, v. gr. leges quae solutionem tributorum indirectorum imponunt, venationem, piscationem, lignorum caesionem, militiae ingressum regunt; et in genere omnes ordinationes quarum finis sufficienter propter timorem poenae obtineri potest (cfr. n. 879, 9°4).

Necessario tamen sunt *mixtae,* omnes leges civiles quae confirmant legem naturalem vel divinam, ut sunt leges de sanctificatione diei Dominicae, de contractibus, et circa publica officia; leges quibus certa jura quibusdam tribuuntur, v. gr. auctoribus relate ad opera proprio ingenio inventa (cfr. n. 855).

2° PROBATUR SECUNDA PARS: Ipsa definitio hanc nostram affirmationem luculenter adstruit. Evidens est enim omnia a Legislatore dependere, qui, sicut potest etiam in gravibus solum sub veniali ligare, ita pro libitu, solum sub poena vel sub culpa et poena, aliqua praecipere poterit (I, 147; H. Ap., II, 16).

Digitized by Google

Ex hoc tamen non sequitur, transgressorem legis mixtae semper ipso facto ad poenam subeundam esse obligatum (vide n. 184).

QUOMODO AUTEM COGNOSCES LEGES ESSE MERE POENALES.

Resp. 1° Ex ipsis *legis verbis,* v. gr. si disjunctive exprimatur: *Hoc fac, vel hoc solve;* item, si actus prohibeatur hoc modo: *Qui hoc fecerit, solvat poenam;* modo tamen natura inflictae poenae culpam non supponat, ut in excommunicatione, nec bonum reipublicae obligationem in conscientia exigat. — 2° Ex *legislatoris declaratione*[1], si nempe dicat, se nolle aut noluisse obligare conscientias. — 3° Ex *objecto legis,* quod satis innuit, superioris ordinationem magis externam politiam intendere, v. gr. statuta piarum congregationum. — 4° Ex *introducta consuetudine;* nam sicut legis obligatio cessare potest totaliter, ita et cessare potest *partialiter,* quoad obligationem conscientiae, spectato communi, et maxime timoratorum, usu. « Hinc leges oppidorum prohibentes sub poena caesionem lignorum sive herbarum, piscationem, venationem, non obligant sub culpa; sic enim habet consuetudo » (I, 145). Idem sentit *S. Alphonsus* cum communi de legibus civilibus, quae aleas aliosque ludos prohibent (H. Ap., X, n. 217). Idem sentiunt timorati de legibus, in quibus *poena exorbitans* indicatur subeunda pro delictis in se non tam gravibus: adesse enim debet proportio culpam inter et poenam (III, 616). Cfr. *Bucceroni,* n. 228.

184. — QUAERITUR. *Quaenam sunt obligationes ejus qui poenam subire debet?*

Resp. Distinguendum: 1° Si poena est *ferendae sententiae,* ad nihil tenetur ante sententiam judicis, qui principis mandata promulgabit.

2° Si poena est *latae sententiae* subdistinguendum: *a*) *Poena mere privativa* (v. gr. irregularitas, excommunicatio, privatio juris fructus suos faciendi, privatio privilegiorum fori) *illico* reum premet (ut explicat Ecclesiae usus), et ipsum ligat.

b) *Poena positiva,* vel ei aequiparanda (v. gr. privatio beneficii possessi, vocis activae et passivae, depositio ab officio), reum nonnisi post sententiam poenalem, vel criminis declaratoriam, tenebit. Ratio horum est: convenit utique ut Ecclesia, per poenas latae sententiae suos a delictis occultis arcere possit, sed hae poenae non debent esse nimis arduae. Nimis ardua utique non censetur poena mere privativa, quae nullam delinquentis in seipsum actionem requirit, nimis ardua vero reputatur *poena positiva.* Unde, si agatur de *poena positiva,* quamvis lex, conceptis verbis, declaret, « poenam ipso facto, et nulla exspectata judicis declaratione, incurri », hoc intelligendum est de declaratione poenae, non autem de sententia criminis declaratoria, quae, etiam in hoc casu, necessaria est, ut poena possit reo applicari. « Id confirmatur ex cap. *Secundum, de haereticis, in Sexto,* ubi haeretici, licet priventur ipso jure bonis suis, tamen non tenentur bona tradere ante sententiam, ut in eodem textu habetur » (I, 148; H. Ap., II, n. 25). Cfr. etiam quae habet S. Doctor, III, n. 665; ed. G., II, p. 140; Conf. dir., II, 7; *Vecchiotti,* l. 3, § 65.

c) Si poena est *conventionalis* (v. gr. inter architectas et domuum possessores) duplex datur sententia. Una dicit obligationem subeundi poenam stare *ante sententiam,* quia sic ab initio omnia ordinata fuere. Altera vult *expectari* posse sententiam decernentem, quia contrahentes praesumuntur

[1] Modernorum legislatorum asserta, quibus Deum, conscientiam se ignorare praetendunt, legum poenalium numerum utique crescere faciunt. Leges tamen quae ad bonos mores, vel tuenda civium jura spectant, semper in conscientia obligabunt, ut jam diximus.

Digitized by Google

sub hac limitatione contraxisse, ita nempe ut ante solutionem omnia juste definiantur. Cum utraque sententia sit probabilis, non cogas renitentes ut ante sententiam quid solvant; data vero sententia, concedas ut nonnisi tunc quid solvatur quando alter vere petierit (I, n. 150).

Nota. An et quando ignorantia, vel dubium, a poena per legem edicta excuset, dicemus infra, n. 219, ubi *de causis a lege excusantibus,* et n. 1269, 1273, ubi *de censuris.*

§ 3. De obligatione legis irritantis.

Suarez, de Leg., l. 5, c. 19; *De Lugo,* de Jure et Just., disp. 22, s. 9, n. 249; *Reuter,* n. 231.

185. Definitio. Lex irritans ea est, quae statuit aliquem actum ceteroquin firmum et validum, occurrentibus certis conditionibus, esse infirmum et invalidum, vel saltem invalidandum.

Versatur circa vota, juramenta, contractus, beneficia, professionem religiosam, matrimonium, absolutionem a censuris, delegationem jurisdictionis, electionem praelati. Cfr. n. 1051.

Differt 1° A lege simpliciter *prohibente;* quia haec reddit actum, quem vetat, illicitum quidem, non vero invalidum. — Huc spectant verba juris: *Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem* (c. 16, de Regular.).

2° A lege *actui non assistente;* quae actum, contractum quemdam, (v. gr. ludum) nec firmat, nec infirmat, et talem relinquit, qualis erat vi juris naturalis; ideoque judicem tantum ad hoc obligat, ut in foro externo illius actus rationem non habeat (*Bouquillon,* Theol. fund., n. 149).

Divisio. Lex irritans multipliciter distinguitur:

1° Ratione rei quae afficitur, alia est *directe* irritans, quando actum absolute irritum pronuntiat; v. gr. donationem factam incapaci; alia *indirecte* irritans, quando rescindit instrumentum actus non debite factum, id est quando certam formam, aut solemnitatem, in actu servandam praescribit, ita ut sine tali forma actus non subsistat.

2° Ratione obligationis inductae, alia est *pure irritans,* alia *simul prohibens,* prout actum vel rescindit tantum, vel simul etiam prohibet (cfr. mox dicenda n. 189).

3° Ratione applicationis, alia est *ipso facto* irritans, quando ipso jure nullus declaratur actus, ita ut non requiratur sententia judicis, v. gr. matrimonium clandestinum; alia *ferendae sententiae,* quando actus solummodo irritandus pronuntiatur per sententiam judicis, v. gr. contractus minoris in sui ipsius detrimentum initus.

4° Ratione mentis legislatoris, alia est *poenalis,* quando irritationem assignat in odium transgressoris, v. gr. irritatio collationis beneficii, ob crimen simoniae; quare si culpa defuit, v. gr. ob metum vel ignorantiam, neque irritatio datur. Alia pure *irritativa,* quando non in odium alicujus inducitur, sed ob bonum commune, v. gr. lex irritans contractus, aut testamenta, aut matrimonia, non servata forma a lege

Digitized by Google

praefixa. Unde haec irritatio dicitur *legalis,* et obtinet, etiamsi adsit ignorantia invincibilis. — Aliquando tamen irritatio est *legalis* simul et *poenalis,* v. gr. in impedimento criminis (n. 2038, Quaeritur).

186. — PRINCIPIA. I. **Quilibet legislator supremus leges irritantes ferre potest.** Ratio est, quia hoc ad bonum commune requiritur; secus enim fraudes, pericula, aliaque gravia incommoda, a societate humana satis impediri et propulsari nequirent. — Imo, ad Ecclesiam quod attinet, de fide est, illam a Christo Domino accepisse potestatem hujusmodi leges ferendi circa sacra, v. gr. circa matrimonii contractum (*Salmant.*, de Leg., c. 2, n. 87).

Porro nec de civilis legislatoris potestate ob rationem adductam est ambigendum. Quaestio tantum est utrum *de facto* ille hac usus sit potestate. Res in utroque jure utrimque probabiliter controvertitur [1].

Ceterum, quia lex irritans, utpote odiosa, est strictae interpretationis; ideo, ante latam a judice sententiam, in conscientia obligare non censetur; unde, *in praxi* standum est pro possessore, donec sententia judicis aliter statuerit (cfr. n. 1054).

187. — II. **Omnis lex, quae praecipit, vel permittit fieri irritationem actus, vim tantum habet post judicis sententiam.** Patet ex ipsis terminis.

Hinc: 1° Actus, dum non irritatur, permanet *naturaliter* validus, etiamsi irritatio malitiose impediatur, sive ab auctore actus, sive a judice, sive ab alia quacumque persona. Sic, v. gr., qui bona fide cum minore contraxit, re contracta uti potest, donec per sententiam judicis contractus rescindatur. — Pariter, valet et obligat votum, vel juramentum, a religioso rite emissum, quamdiu a Superiore non fuerit irritatum (IV, n. 48).

2° Actu seu contractu, per sententiam judicis rescisso, uti non licet; quia, etsi dubitaretur de sensu vel de justitia legis irritationem praecipientis, de potestate tamen judicis, in tali casu, non ambigitur. Quare illi praecipienti certe obtemperandum est (I, n. 99).

188. — III. **Lex, quae certe actum ipso facto irritat, habet vim irritantem ante sententiam, — et obligat in conscientia ad alia omnia, quae intrinsece ex irritatione sequuntur.** Prima pars per se patet. — Altera inde probatur, quod ex tali lege actus nullus est, et consequenter nullum jus confert. Sublato enim fundamento, omnia, quae ipso innituntur, corruunt (*Suarez*, de Leg., l. 5, c. 20, n. 13).

Hinc: 1° Si actus ille consistit in acceptatione vel acquisitione alicujus rei, sequitur ex lege obligatio illa re nec utendi nec fruendi, quasi propria esset. — 2° Si de matrimonio agitur, non licet ad conjugem accedere, neque

[1] Utique in rebus ad justitiam pertinentibus, acris etiam nostris temporibus continuatur discussio. *Vermeersch*, de Justitia, n. 324 seqq. — In matrimonialibus autem tuta est sententia eorum qui dicunt, potestatem civilem revera irritare posse quaedam infidelium matrimonia.

Digitized by Google

alia maritalia jura usurpare. — 3° Similiter, si agitur de religiosa professione, non licet actus proprios religiosorum ponere.

Dictum est: *Lex, quae certe irritat;* nam in materia civili non semper facile discernitur, utrum lex *sit vere irritans an mere prohibens;* et si sit irritans, utrum sit irritans *ante,* vel solum *post* sententiam judicis. In his igitur dubitationibus recurrendum est ad regulas, quas supra (n. 172) de interpretandis legibus exposuimus. — Quod si dubium remaneat invincibile, standum est pro possessore.

189. — QUAERITUR. *An lex irritans obliget in conscientia, ad actum omittendum?*

Resp. Affirm., si lex simul irritet actum et eum expresse vel tacite prohibeat; secus non. Ratio est, quia obligatio legis aestimari debet ex intentione legislatoris. — Hinc, per se loquendo, non peccat, qui actus naturaliter validos conficere tentat, paratus obedire, cum judex eos nullos esse declaraverit. Per accidens tamen facile fieri potest ut peccet, si nempe futurum esse praevideat, ut ex sua agendi ratione, inimicitiae et gravia damna oriantur (*Salmant.,* de Leg., c. 2, n. 100).

§ 4. De obligatione legis fundatae in praesumptione.

Quae hic de lege dicuntur, etiam ad judicis sententias applicata volumus.

190. — DEFINITIO. Lex dicitur FUNDARI IN PRAESUMPTIONE, quando prudenter supponit aliquid, propter quod fertur; et *definiri* potest: Lex praecipiens, vel vetans aliquid, propter certam circumstantiam, quam cum re connexam supponit legislator. Quod legislatoris suppositum si non subsistat, lex fundatur in praesumptione falsa.

DIVISIO. Potest lex fundari in praesumptione, duplici modo: 1° In praesumptione *facti,* quando nempe ex probabili judicio supponit culpam, negligentiam, vel aliud factum in particulari reipsa existere, v. gr. lex praecipiens obedire sententiae judicis, supponit eam esse justam. — 2° In praesumptione *communis periculi* (quae et *juris* appellatur), quando cum certa scientia supponit ex tali opere, vel ex tali operandi modo, communiter sequi damnum, fraudem, incommodum grave; tametsi forte non in omni casu particulari interveniat, v. gr. lex requirens proclamationes bannorum, solemnitates testamentorum, lex Indicis quoad libros nocuae lectionis, etc.

191. — PRINCIPIA. I. **Lex fundata in praesumptione facti per se non obligat in conscientia, nisi factum exstet.** Ratio est, quia, deficiente veritate facti, lex caret omni fundamento. Inde axioma: *Praesumptio cedit veritati.* — Diximus *per se;* nam fieri potest, ut propter bonum publicum obliget, v. gr. ad non turbandum ordinem, ad avertendum scandalum (I, 100, 150; III, 927).

Digitized by Google

Hinc: 1° « Si in judicio false probatum fuerit tuum animal intulisse damnum, tunc non teneris solvere poenam; et lata sententia ut solvas, licet externe, ut vitetur scandalum, tenearis solvere, tamen potes occulte tibi compensationem facere ».

2° « Idem valet pro haeredibus, qui, ob neglectum inventarium, debita defuncti solvendo, mulctantur ultra bona haereditaria cum reapse credita excedunt haereditatem » (H. Ap., II, 26).

192. — II. Lex fundata in praesumptione juris semper obligat in conscientia, tametsi, in casu particulari, nullum subsit periculum. Ratio est, quia praesumptio legis non est falsa, ideoque lex non caret fundamento ligandi. Causa enim cur lata sit, semper subsistit, cum supponat communiter dari periculum; quod verissimum est, quamvis in casu particulari non subsit. Deinde, cessante legis fine in particulari, non hoc ipso cessat lex, ut habet communis sententia (cfr. n. 258). — Adde quod bonum commune vetat ne detur exceptio, cum secus mala non certo averterentur, nec praesertim *periculum hallucinationis* a subditis excluderetur (I, 199; ed. G., I, p. 178). In his legibus ergo, judicium in foro poli (i. e. conscientiae) idem esse debet ac in foro fori (*Lugo*, de Just., disp. 13, n. 62).

Hinc, teneris a prohibitorum librorum lectione abstinere, etiamsi nullum tibi ex istiusmodi lectione perversionis periculum immineat [1]. — Item, teneris solvere mulctam, ad quam condemnatus es propter damnum, quod pecus tuum *revera* intulit; licet damnum sine culpa tua illatum fuisset. Finis enim legis est, non solum punire culpam, sed etiam reddere homines cautiores.

Ante sententiam tamen, non teneris, si lex est mere poenalis; vel si dubitas, utrum ipsa in praesumptione juris, an facti fundetur; utrum sit irritans ipso facto, an per judicem, etc. — Ratio patet ex dictis in paragrapho praecedenti.

ARTICULUS II.

Ad quosnam se extendat obligatio legis.

Praenotanda. 1° Ut bene animadvertit *Lehmkuhl*, I, n. 225: Aliud est *subjacere legi*, a lege dominari, aliud *subjective posse contra legem peccare*. In ultimo casu, sufficit ut quis advertentia actuali possit contra legem agere; in primo, hoc non est necessarium. Qui dormiunt, subjacent legi, quamvis nullam queant advertentiam exercere.

2° Si quaerimus: ad quos lex se extendat, non intendimus de *lege naturali* loqui. Evidens est enim omnes homines, ex eo quod existant, juri naturae esse subjectos, et ideo nefas esse diximus, quemquam ad tales actus inducere, quos lex naturae reprobat (cfr. n. 124).

De lege positiva, praesertim humana, sermonem instituimus.

[1] Vide tamen quae habet S. Doctor (de Prohib. libr., c. V, n. 2; ed. G., I, p. 286), permittens ut, in casu particulari et *occurrente necessitate*, aliquis doctus, ad haereticum e proprio refutandum, ipsius librum prohibitum legat. — Ex his tamen ne inferas hoc fieri posse regulariter: hoc enim solum ex epikeia concedit S. Doctor.

Digitized by Google

3° Vix opus erit adjungere, ea quae hic de lege dicentur, non ad amussim valere de *praecepto*. Praeceptum enim, cum pro persona sit latum, subditum ubique comitatur, et ubique eum attingit: *ossibus enim ejus haeret*.

193. — PRINCIPIUM GENERALE. **Obligatione legis positivae attingitur omnis homo, qui usum rationis adeptus, et in communitatem seu societatem cooptatus, jurisdictioni legislatoris proprie et omnimode subjacet.**

Dicitur 1° *Omnis homo qui usum rationis adeptus;* et ratio est, quia lex est regula dirigens actiones humanas juxta voluntatem legislatoris. Atqui, omnis qui usum rationis adeptus est, isque solus, legem cognoscere, ab eaque, humano modo, dirigi potest. Ergo.

2° *In communitatem seu societatem cooptatus;* et ratio est, quia lex fertur immediate pro communitate. Ergo, sicut neminem communitati seu societati extraneum obligare potest; ita obligat universos, qui in eam cooptati sunt ob aliquem titulum, ex quo cooptatio consequitur: nempe — ob titulum *baptismi*, ex quo consequitur cooptatio seu ingressus in societatem omni ex parte universalem, i. e. in Ecclesiam catholicam; — ob titulum *nativitatis, adeptionis juris civitatis, domicilii aut quasi-domicilii*, ex quo consequitur cooptatio seu ingressus in aliquam societatem localem: puta in regnum, in dioecesim; — postremo ob titulum *purae electionis* (a societate tamen acceptae), ex quo consequitur cooptatio seu ingressus in aliquam societatem particularem, puta in Ordinem religiosum.

3° *Jurisdictioni legislatoris proprie et omnimode subjacet;* — dicitur *proprie;* et ratio est, quia legislator iis solis leges imponere potest, qui vere sibi subjiciuntur. Atque hinc est cur ipse, tametsi sit communitatis membrum, legibus tamen quas fert pro ea, non subjaceat sicut ceteri; hinc etiam est, cur peregrini non teneantur omnibus legibus particularibus alicujus loci. Sunt quidem *in territorio*, sed non *de territorio*, quae ultima conditio absolute requiritur ut quis proprie legislatori subjaceat, ut dicetur infra n. 206; — dicitur *omnimode;* et ratio est, quia respectu ad materiam, in qua aliquis non est subditus, nulla lege adstringi potest: sic regulares non tenentur omnibus legibus episcopi; — et respectu ad territorium, in quod subditus se confert, non semper tenetur ad legem. Sic qui ex dioecesi egrediuntur, remanent Episcopo subditi, et tamen ipsius legibus non vinciuntur.

His generatim praemissis, inquirendum est in specie: in quantum, ob defectum rationis, *pueri aliique rationis usu carentes* legibus non teneantur; deinde in quantum, ob defectum subjectionis non teneantur *infideles atque haeretici* legibus Ecclesiae; *clerici* legibus civilibus; *peregrini* legibus localibus; et postremo ipse *legislator* suis propriis legibus.

Digitized by Google

§ 1. De pueris aliisque usu rationis carentibus.

194. — Principia. I. **Qui non habent nisi habitum rationis, non tenentur legibus positivis.** Ratio patet ex praedictis, quia humano modo dirigi nequeunt. Licet ergo eis carnem edere die vetito etc.; sacrum omittere diebus festivis, etc.

195. — II. **Pueri, ratione utentes, subjacent legibus positivis quoad Confessionem et Communionem paschalem.**

Constat ex celebri decreto *Quam singulari,* datum die 8 Augusti 1910 (*A. A. S.,* II, p. 582), quo omnia ad normam Concilii Lateranensis reducuntur.

Nota. Ut pueri his legibus subjaceant, non requiritur *ut septennium de facto attigerint,* sufficit ut ratione utantur; seu melius, ut verbis utamur *D. Thomae* (3, q. 80, a. 9 ad 3), sufficit quod incipiant aliqualem usum rationis habere ... ut possint devotionem concipere hujus Sacramenti. — Quoad cetera in pueris requisita, vide quae dicentur in tractatu de Communione.

III. Pueri, ratione utentes, post septennium subjacent ceteris Ecclesiae legibus, et post pubertatem, poenis ecclesiasticis.

Prima pars constat; quoad hos pueros enim verificantur omnia, quae in principio generali supra enuntiato, indicantur. Unde recte S. Poenitentiaria, die 15 Martii 1837: « Pueros, post septennium, teneri observare qualitatem ciborum ab Ecclesia praescriptorum ». Cfr. *De Angelis,* Prael. Jur. can., l. 3, tit. 46, n. 5.

Secunda pars nititur ratione, quod omnis censura praesupponit contumaciam et dolum ex parte puniendi, quae crimina nonnisi in puberibus communiter adesse censentur.

Nota tamen (cfr. n. 1261) *etiam impuberes,* censuras in violantes clausuram monialium et percussores clericorum incurrere, ut in Jure expressis verbis notatur. *S. Alph.,* VII, n. 14; ed. G., p. 277; *Vermeersch,* de Relig., I, n. 310.

Diximus: *pueros ratione utentes, post septennium obligari.* Haec obligatio etiam adstrui debet si de aliquo puero, qui septennis est, dubitatur, utrum rationis usum sit adeptus; praesumitur enim rationis usum adesse. *S. Alph.,* III, n. 270; ed. G., I, p. 550; *Lehmkuhl,* I, n. 230.

Quid autem si pueri, ante septennium, rationis fiant compotes? Duplex sententia. Prima, quae S. Alphonso (III, n. 1012; ed. G., II, p. 391, et loc. supr. indic.) videtur probabilior, *affirmat.* Ratio: leges Ecclesiae obligant indiscriminatim omnes qui ratione pollent.

Secunda sententia, etiam probabilis, *negat.* Ratio: lex datur pro casibus communiter contingentibus (cfr. *S. Thom.,* 2. 2, q. 147, a. 4). — Posteriorem sententiam, cui suffragatur responsum S. Poenit. supra communicatum, tuto sequi possumus. Nihilominus multum commendanda est prima opinio, ut pueri, a prima aetate, jugo Domini assuefiant.

Digitized by Google

196. — III. Ebrii, et ad tempus delirantes, legibus positivis manent subjecti. Ratio, quia lex quae eos, cum ad rationis usum pervenerunt, attigit, vim suam in illos, utpote ratione adhuc habitualiter gaudentes, retinere perseverat.

Unde, si tempore ebrietatis aut delirii, aliquid lege positiva prohibitum agunt (v. gr. si cibis vetitis utantur), legem materialiter violant; tametsi, ob defectum actualis cognitionis, a peccato formali excusentur. « Aliud (enim) est ad legem non teneri, sicut ad leges non tenentur pueri, amentes; aliud a lege excusari, sicut excusantur ebrii, ignorantes, dormientes. Hinc est peccatum, praebere carnes in die vetito secundis non vero primis; sicut etiam peccatum est, incitare omnes istos ad aliquid malum jure naturae » (I, n. 153, 155; ed. G., I, p. 131).

§ 2. De infidelibus et haereticis.

197. — Ut jam observavimus, homines nonnisi per baptismum Ecclesiae aggregantur, ejusque jurisdictioni subjiciuntur.

Principia. I. **Infideles, judaei et catechumeni, non tenentur Ecclesiae legibus.** Unde, secluso scandalo et legis contemptu, vel publica festivae quietis perturbatione, non est illicitum eisdem praebere carnes diebus abstinentiae, imponere opera servilia diebus festis, etc. — Ipsi vero tenentur legem Evangelicam amplecti et baptismum suscipere, statim ac de fide nostra sufficienter fuerint instructi. Imo, etsi ad fidem amplectendam cogi nequeant, adigi tamen possunt ad audiendam fidei expositionem (I, 154, 2°; II, 18; III, 272). Cfr. infra n. 437.

198. — II. Haeretici, apostatae, schismatici et excommunicati, per se, Ecclesiae legibus tenentur. Hi enim, quamvis rebelles sint, sub Ecclesiae tamen ditione semper esse perseverant. — Idem dicendum est de haereticis, de quorum baptismi validitate dubitatur; nam, in foro externo, standum est pro valore actus (cfr. n. 51).

Dictum est *per se:* 1° quia multi haeretici nesciunt (tametsi obligationem in Ecclesiae gremium redeundi cognoscant) se Ecclesiae legibus teneri. Unde, facile, propter ignorantiam excusantur; 2° quia saepe adsunt circumstantiae, propter quas censendum est Ecclesiam nolle suis legibus haereticos obligare, eo quod earum observatio magna ipsis incommoda inferret. Atque haec Ecclesiae voluntas *praesumenda* est respectu illarum legum, quae directe ad sanctificationem animarum tendunt, ut sunt leges jejunii, festorum, etc. In his enim Ecclesia mitius agit, ne multiplicentur peccata. — *Secus,* respectu legum, quae ad compescendos abusus et ad ordinem publicum tuendum latae sunt, v. gr. circa matrimonii impedimenta. Quod enim his legibus haeretici teneantur, pluries ab ecclesiastica auctoritate, explicite vel saltem implicite, declaratum est (*De Angelis,* l. I, tit. 2, n. 13; *Lehmkuhl,* I, n. 228).

Vide quae hac super sententia observat *Wernz* (I, n. 103), ubi haereticorum immunitatem, quam nos pro aliquibus legibus admittimus, omnino rejicit.

Digitized by Google

§ 3. De regularibus et clericis.

Inferior, etsi legislator, nihil potest contra legem Superioris. — Ex hoc axiomate, quod toti materiae praeest, sequuntur sequentia

199. — Principia. I. **Regulares, ab episcopali jurisdictione exempti, Episcopi legibus non tenentur, etiamsi in ejus territorio degant.** Ratio est, quia per exemptionem, statim ac requisitas conditiones expleverint, ejus jurisdictioni non amplius subjiciuntur. — Excipe casus ab ipso jure exceptos, v. gr. circa censuras et interdicta ab Episcopo lata, aut circa dies festos ipsis indictos, ut decretum est a Tridentino (Sess. 25, c. 12). Vide casus particulares n. 2189. Cfr. *S. Alph.*, de Privil., n. 72; ed. G., I, p. 224.

200. — II. **Clerici tenentur legibus civilibus, quatenus hae leges immunitati ecclesiasticae adhuc vigenti non repugnant.** Ratio exceptionis est, quia leges, quae immunitates violant, injustae sunt, eo quod civilis legislatoris potestatem praetergrediantur (cfr. n. 149, 2°).

Ceteris autem legibus clerici adstringuntur quoad vim directivam, quia et ipsi sunt politicae communitatis membra. Nec vero, quoad has ipsas leges, legislator civilis *vim coactivam* in clericos exercere valet, quia et hoc exercitio ecclesiastica immunitas violaretur.

De immunitate S. Pontificis a jurisdictione civili, vide quae habet *Lehmkuhl*, I, n. 231. Notum est effatum Leonis XIII, cum esset Episc. Perusin.: « Primis saeculis, ait, Pontifices subditi erant quoad factum, non quoad jus ». Cfr. litt. pastor. de temp. princip. R. Pontificis.

201. — Dictum est 1°: *Quatenus non repugnant immunitati ecclesiasticae.* Haec autem triplex est: personalis, localis et realis.

Immunitas *personalis* comprehendit clericorum exemptionem: *a*) a foro laicali, in causis tum civilibus tum criminalibus; *b*) ab iis oneribus, quae vilia seu sordida existimantur, uti sunt reparatio viarum et pontium; *c*) a militia, a receptione militum aliisque praestationibus causa militiae; *d*) a tutela et curatela, et *generatim* ab iis, quae vel status clericalis sanctitati non conveniunt, vel cum officiis eidem annexis componi nequeunt (cfr. n. 2224 seqq.).

Immunitas *localis* in duobus praecipue consistit: *a*) in prohibitione, ne in locis sacris peragantur actus profani, maxime tales, qui eorum sanctitati gravius repugnant; *b*) in jure asyli, quo cavetur, ne confugientes ad loca sacra ex iis extrahantur, nisi sub certis conditionibus (cfr. n. 582 et n. 1332).

Immunitas *realis* est exemptio bonorum, tum Ecclesiae, tum ecclesiasticorum, a tributis et oneribus per potestatem saecularem impositis. Haec quousque sese extendat, vide apud canonistas.

Dictum est 2°: *Quatenus non repugnant immunitati* adhuc vigenti. Ecclesia enim, vel expresse (v. gr. per Concordatum) vel tacite, juris sui exercitio, quoad hanc illamve immunitatem, pro bono pacis, renuntiare potest. Quare inspiciantur Concordata S. Sedis cum variis regnis. Tacita vero renuntiatio non est facile praesumenda; quia, queis innixa praesumitur, illa communiter non sponte fiunt, sed invite (*Lessius*, de Just., l. 2, c. 33, dub. 3).

Digitized by Google

202. — QUAERITUR. *Quomodo se gerere debeant clerici vel etiam laici, ne* JUS IMMUNITATIS *laedere videantur, cum leges quae eidem obsistunt, ipsis observandae proponuntur?*

Resp. I. IN GENERE: 1° contra istiusmodi leges protestandum est, quotiescumque, omissa protestatione, scandalum timendum esset; 2° vi ita cedendum est, ut non apertae provocentur violentiae, quae non inserviunt nisi ad multiplicandas injurias Ecclesiae inferendas.

II. IN SPECIE: 1° Parochus, vel clericus inferior (item officialis civilis), ad Episcopum recurrat, nisi de casu agatur, in quo vel periculum sit in mora, vel consuetudo contraria inoleverit. — 2° Episcopus « suo muneri satis abunde facturum se credat (ait *Benedictus XIV*, de Syn., l. 9, c. 9, n. 12), si curet ne princeps saecularis sibi unquam arroget jus sacrorum, hoc est, ne... se immisceat in causis... mere... spiritualibus et ecclesiasticis »; item, ne judex laicus eam quoque partem immunitatis invadat, quae hactenus perseverat intacta.

§ 4. DE ADVENIS, PEREGRINIS ET VAGIS.

Schmalzgrueber, l. 2, tit. 2, n. 16, 19; *Wernz*, IV, n. 177; *Feije*, n. 204; *Bucceroni*, I, n. 198. Attende praesertim ad causas ante Trib. S. Rotae agitatas.

203. — *Praenotanda.* I. Sensu latiori, vocabula *advenae, peregrini* et *vagi,* promiscue quoslibet ALIENIGENAS designant.

Sensu stricto, *advena* dicitur qui, extra locum originis, domicilium vel quasi-domicilium habet. Huic opponitur *incola,* qui in loco suae originis moratur. — *Peregrinus* est ille qui, habens alicubi domicilium vel quasi-domicilium, in alio loco accidentaliter quamvis longo tempore manet, v. gr. ad visitandum amicum, nec animum habet ibi commorandi. — *Vagus* dicitur qui, nullibi domicilium aut quasi-domicilium habet, sed de uno in alium locum se transfert.

Fieri potest ut quis *pro momento vagus* dici debeat, cum nempe domicilium vetus reliquit, et nondum ne quasi-domicilium quidem acquisivit, v. gr. si quis ex Europa in Americae regiones migraret.

II. DE DOMICILIO. Domicilium est habitatio in aliqua paroecia [1], cum intentione perpetuo ibi manendi, nisi quid inde avocet. *Ut acquiratur,* duo *simul* adsint necesse est: 1° ut quis *incipiat* alicubi habitare, et 2° ut habeat intentionem *perpetuo* ibi manendi.

Si de tali intentione non constet, dijudicatur *in foro externo* hunc animum adesse aut adfuisse, vel per decennalem aut assiduam habitationem, non si-

[1] Acquiritur domicilium in aliqua dicecesi, mediante domicilio in paroecia. Ut autem statui possit ad quamnam paroeciam talis domus pertineat, attendendum est ad solam portam principalem aedificii (*A. A. S.*, III, p. 456; *Nouv. Rev. Théol.*, 44 (1912), p. 745), quae si immutatur, ita ut sit in altera paroecia, nihilominus remanet prius domicilium. Vide *Wouters*, Comment. in decr. *Ne temere*, p. 103.

Digitized by Google

gnificata voluntate recedendi, vel per translationem majoris partis bonorum, vel per domus emptionem aut aedificationem, vel per juramenti assertionem. Cfr. *A. A. S.*, IV, p. 328, 676 seqq.

Ut amittatur domicilium requiritur ut duo supradicta *simul* desint. Nec solus discessus, nec solus animus non manendi inducunt domicilii amissionem.

Nota. Praeter domicilium quod modo descripsimus, quod *voluntarium* vocant, datur *domicilium legale,* quod necessario quis acquirit ex dispositione legis. Illud revera determinatur pro *uxoribus,* quae acquirunt domicilium mariti, illudque post mortem mariti retinent, donec aliud acquisiverint; pro *pupillis,* qui domicilium tutorum obtinent; pro *filiis,* quorum, donec sui juris fiant, idem est domicilium ac parentum, idemque remanet, etiam post majorennitatem, donec aliud acquisiverint, priore relicto.

Sic lex civilis, cujus dispositiones (circa domicilium legale) lex ecclesiastica ratas habet: ex quo sequitur omnes, qui domicilium legale habent, non posse alibi aliud verum domicilium acquirere, bene vero quasi-domicilium. Quoad alios, qui domicilium legale non habent, nulla lex ecclesiastica prohibet quominus plura eligant domicilia (*A. S. S.*, vol. 15, p. 222), dummodo fere aequaliter in omnibus habitent. Idem concedunt plura jura civilia, v. gr. Jus civile Germanicum, § 7.

III. De quasi-domicilio. Quasi-domicilium — quod juria civilia non agnoscunt — est habitatio in loco simul cum animo per majorem anni partem ibi commorandi.

Acquiritur eo ipso quod habitatio cum tali animo incipiat, nec requiritur ut quis de facto per aliquod tempus in loco electo habitaverit.

Nota vero: requiri *habitationem,* nec sufficere ut quis per menses, vel per annos totam diem in officina transigat, vespere ad domum suam vel paternam rediturus. A fortiori, non sufficit ut, itinerantis ad instar, de regione in regionem, de loco in locum migret.

Dictum est: *per majorem anni partem,* et sic se exprimunt S. Congregationes (S. Officium, 7 Junii 1867). His verbis communiter intenditur animus commorandi per sex menses (cfr. *Noldin,* I, n. 152). Cfr. etiam *A. S. S.*, 31, p. 346. — Qui ergo cum intentione illa habitationem incepit, quasi-domicilium in parochia acquisivit, ita ut, quoad leges implendas et sacramenta suscipienda, subjectus fiat legislatoris competentis.

Si, de animo per majorem anni partem permanendi, dubium suboriatur, *in foro externo* adesse censetur, si diversa dentur indicia indirecta: v. gr. habitatio per mensem, locatio domus pro sex mensibus. Animus directe etiam probari potest per juramentum.

Nota. 1° In ordine ad matrimonium contrahendum declaravit S. C. C., in celebri decreto *Ne temere,* commorationem *unius mensis* sufficere. Itaque tunc jam non est quaestio de domicilio vel quasi-domicilio, cum nulla mentio fiat

Digitized by Google

de animo ibi per longius anni tempus permanendi. Haec declaratio confirmat praxim in Statibus foederatis Americae septentr. a Leone XIII anno 1886 introductam.

2° Disputant auctores utrum quis habere possit duo quasi-domicilia, et utrum filii quasi-domicilium legale parentum acquirant (*Wouters,* op. cit., p. 102 seqq.). Quidquid sit de controversia, certum est nihil obstare quominus filii sibi quasi-domicilium eligant, ut faciunt multi famuli vel opifices, studiosi, milites, publici officiales, etc.

3° Quoad infirmos in hospitali receptos, si quaestio agitetur de eorum domicilio vel quasi-domicilio, videndum utrum ad breve vel longum tempus, utrum post morbum incurabilem admittantur, ut verum judicium ferri queat.

204. — PRINCIPIA. I. **Alienigenae obligantur, sicut incolae loci, tum legibus juris communis, tum legibus quas loci securitas vel commodum vult ab omnibus observari** [1]. Ratio *primi* est, quia omnes communi legislatori subsunt. Ratio *secundi,* quia bonum commune loci, et rectus ordo, legem omnibus imponit (I, 156).

Quare, lex localis (praeter necessitatem vitandi scandali) omnes obstringit, si respiciat: *a*) formam et solemnitatem contractuum, quia *locus regit actum* [2], ut confusio vitetur (*A. S. S.,* vol. 32, p. 363); *b*) vindictam delicti contra jus commune admissi, quia delinquens sortitur forum ubi deliquit; *c*) res periculosas asportandas, vel directe peregrinorum regimen.

Diximus: *sicut incolae loci,* i. e. nec plus nec minus, cum id rectus ordo requirat. — Unde: 1° Alienigenae *gaudent privilegiis loci,* nec obstringuntur lege juris communis, si ipsa hoc in loco abrogata sit; aut si vigeat consuetudo contraria, vel exemptio, v. gr. in monasteriis regularium, vel demum dispensatio, quae non personas, sed ipsum territorium afficiat.

2° *Non gaudent privilegiis patriae,* quia ipsa per discessum amiserunt. Quare tenentur ad legem communem, v. gr. jejunii aut festi universalis, prout observatur in loco quo degunt, vel per quem transeunt. Quo casu valet illud: *Si fueris Romae, romano vivito more; si fueris alibi, vivito sicut ibi.*

Qui tamen legi communi *jam in patria satisfecit,* probabilius non tenetur iterum satisfacere, si venerit in locum ubi idem praeceptum posterius urget. Sic Italus, qui in patria jejunavit vigilia S. Petri, non tenetur, praeciso scandalo, denuo jejunare in Gallia, ubi jejunium ad subsequens sabbatum transfertur; quia non datur obligatio bis idem praeceptum adimplendi (*Gury,* I, 97, 7°).

Quid autem, si quis, dum in patria jejunant ob vigiliam festi universalis, in loco moratur ubi jejunium ad sequens sabbatum transfertur, et in patriam ante sabbatum revertitur? Alii dicunt eum debere *semel* jejunare, ubilibet

[1] Solum de *legibus* hic fit sermo. Extra controversiam est, peregrinos vel vagos praeceptis personalibus *per se* ubique ligari. Sic sacerdos, in sua dioecesi a muniis sacerdotalibus suspensus, in nulla alia celebrare potest (*Bucceroni,* l. c.). — [2] Hoc tamen ad actus privatos non potest extendi: ideo si Italus aut Gallus testamentum holographum fecerit, illud, ubicumque fecerit, valebit. Cfr. *D'Annibale,* I, n. 204.

Digitized by Google

moretur, — alii censent epikeia uti posse, nec legem ipsi imponi debere, modo non ex industria omnia sic ordinaverit. Cfr. *Noldin,* I, n. 148; *Lehmkuhl,* I, n. 236.

205. — II. Advenae solvuntur legibus patriae, e qua discesserunt; tenentur vero legibus loci, in quo domicilium vel quasi-domicilium statuunt, statim ac illuc pervenerunt. Ratio *primi* est, quia lex localis territorium non praetergreditur. — Excipe, si quis physice absens, per fictionem juris reputetur moraliter praesens, v. gr. ratione officii quod gerit, bonorum quae in patria possidet. Tunc enim actiones vel omissiones censentur fieri in illo territorio, aut ibi effectum habent (*Bouquillon,* Theol. mor., n. 106, 243). — Ratio *secundi,* quia advenae cum acquisiverint saltem quasi-domicilium, jam subjiciuntur jurisdictioni Superiorum loci; ergo etiam legibus tenentur, sicut ipsi incolae (I, 156; ed. G., I, p. 136).

206. — III. Peregrini et vagi regulariter immunes sunt, tum a legibus patriae, tum a legibus loci, in quo versantur. Ratio *primi* eadem est ac pro advenis, quia sunt extra territorium legislatoris. — Ratio *secundi,* tum quia leges non obligant nisi subditos, quales non sunt peregrini, cum ipsi ob *brevem* illam moram minime subjiciantur jurisdictioni Superioris loci; tum quia non dicitur moraliter commorari in aliquo loco, qui ibi non manet, nec animum manendi habet, per majorem partem anni. Haec sententia, S. Alphonso probabilior, nunc jam communior evasit estque in praxi omnino tuta. Vide S. Doctorem, l. c. (ed. G., I, p. 135). Excipe, si Superior altioris ordinis particulares leges etiam a peregrinis observari vellet, v. gr. ut dicatur oratio imperata.

Diximus: *regulariter;* nam peregrini tenentur legibus *patriae,* non solum in iisdem casibus atque advenae, sed etiam casu quo *obstat specialis abeundi prohibitio,* qualis habetur in casibus reservatis absolvendis (cfr. n. 1278). Seclusa autem tali prohibitione, quae ad modum *legis personalis* subditum ligaret (*A. S. S.,* vol. 36, p. 222), potest quisque a patria discedere vel in locum exemptum se conferre, *etiam ad eximendum se a lege* (vide *S. Alphonsum,* l. c., n. 157); quia tunc non fraus, sed conditio loci discedenti favet.

Regula generalis sic paucis exprimi potest: **Ut quis ad legem localem actu obligetur, regulariter necesse est, ut sit in territorio et de territorio; ut gaudeat privilegio locali, requiritur et sufficit, ut sit in territorio.**

207. — *Ex his resolves:* 1° Si in tuo territorio sit speciale festum, et in alium locum, ubi festum non sit, profecturus sis, non teneris ante discessum sacrum audire, modo ante horam ultimae missae (quo tempore praeceptum jam urgeret) extra locum, ubi viget praeceptum, perveneris.

2° Si in tuo territorio sit jejunium, et eodem die pergas ad locum ubi jejunium non est, potes mane jentare, non item carnes edere. Ratio *primi*

Digitized by Google

est, quia, cum jejunium sit indivisibile, utpote quod in unica refectione consistit, is jejunare non tenetur cui plures eadem die refectiones conceduntur. Ratio *secundi*, quia abstinentia est divisibilis, et toto tempore servari debet quo quis manet in loco ubi lex obligat.

3° Mane existens in loco ubi non est jejunium, potes ibi vesci carnibus, etsi circa meridiem reversurus es in domum, ubi jejunium est; domi tamen teneris abstinere a carnibus (I, 157).

208. — *Nota.* Superius dicta de *legibus* valent. Aliter res se habent, si consideramus *sola praecepta*. Haec enim subditos, ubicumque fuerint, sequuntur, ut jam notavimus. — Notandum praeterea, optimum modum conscientiae anxietates vitandi, praesertim si quis longum iter instituere debeat, in hoc consistere, ut *privilegium personale* acquiratur (cfr. n. 243). Eo enim ubique locorum uti possumus (*Noldin*, I, n. 134; *Génicot*, I, n. 119).

§ 5. De legislatore.

209. — Legislatorum duplex est genus. — Alii enim ut Papa, episcopus, monarcha proprie dictus, gaudent auctoritate absoluta. — Alii, ut senatores, deputati et ipse rex in gubernio repraesentativo, unum corpus morale efficiunt, a quo exercetur potestas legislatoria. — Hinc statuitur:

I. In Statibus repraesentativis, uti sunt respublicae et regna constitutionalia, legislatores et ipse gubernii praeses, subjiciuntur legibus communi consilio et voluntate latis. — Et ratio est, quia legislator est proprie non persona singularis, sed ipsum corpus morale, quod cuilibet membro superius est. — Idem valet de Episcopis, respectu legum quae in Concilio provinciali aut generali statutae fuerunt.

II. In Ecclesia et in monarchia pura, legislator singularis non tenetur proprie suis legibus; quia nec sibi, nec praedecessoribus suis subditur.

Iis non tenetur: 1° nec quoad vim *coactivam*, quia nemo a seipso cogitur, et aliunde repugnat ut Superior ab inferiore judicetur aut puniatur; 2° nec quoad vim *praeceptivam*, quia nemo sibimetipsi debet obedientiam.

Tenetur tamen *quoad vim directivam et indirecte*, sicut proclamat *lex naturalis*, quatenus nempe, ex *aequitate* quadam, debet se tanquam caput membris conformare. Sed probabile est, praecisó scandalo, eum tantum teneri *sub levi*. — Limitatur tamen, si lex lata sit de taxatione pretii, vel de irritatione contractus; tali legi enim tenetur stare etiam princeps, ne laedat justitiam (I, 154; H. Ap., II, 28). Vide quae habet *Lehmkuhl*, I, n. 237.

ARTICULUS III.

Quomodo obligationi legis satisfaciendum sit.

In hoc articulo de duobus disserendum est: 1° de modo satisfaciendi legi; 2° de modo agendi in concursu plurium praeceptorum.

Digitized by Google

§ I. De modo satisfaciendi legi.

210. — Ut obligationi cujuslibet legis satisfiat, requiritur et sufficit positio vel omissio illius, quod quaelibet lex praecipit aut vetat.

Principia. I. **Legi negativae satisfit per omissionem, etiam involuntariam, actus prohibiti.** Ratio est, quia lex negativa solam omissionem actus intendit.

Sic aegrotus satisfacit praecepto prohibenti opera servilia diebus festis, tametsi praeceptum ex impotentia servet. Potest tamen fieri, ut illud affective per pravum desiderium violet.

211. — II. **Legi affirmativae satisfit per positionem operis, factam humano modo, tempore debito, et cum intentione faciendi opus quod lex praecipit.** Ita communiter.

Dicimus 1° *Per positionem operis.* Opus vero *per alium* praestari potest, si non est personale; v. gr. donatio ab alio fieri potest. — Opus praescriptum *totum* poni debet. Si fiat impossibile, distinctionem adhibe, quam dabimus infra n. 224.

2° Factam *humano modo,* i. e. scienter et voluntarie [1]. Ratio est, quia lex quae hominibus praecipit, nonnisi actus humanos praecipere potest.

Hinc qui, die festo, ebrius, dormiens, vel omnino coactus, sacro interest, minime satisfacit praecepto de audienda missa, propterea quod non operatur modo humano; secus vero si ex metu ponit actum praescriptum (I, 165). — Excipe, si opus praescriptum sit donatio, tributorum solutio, quia in his sufficit externa, licet coacta, actionis praestatio.

3° *Tempore debito.* Sic praeceptum audiendi missam affigitur diebus festis, Communio tempori paschali; et in his casibus, circumstantia temporis pertinet ad substantiam praecepti (VI, 297; ed. G., III, p. 273).

Quod si tempus implendi legem non fuerit determinatum, legi satisfaciendum est *quam primum commode fieri poterit;* alioquin, impletio posset ulterius semper differri, et tandem omitti: quod repugnat. Cfr. infra n. 213.

4° *Cum intentione* etc., i. e. intentio debet sic dirigi ad opus, ut tale opus, quoad suum esse specificum, praestetur. Pro diversa enim intentione idem actus opus diversum constituere potest: sic lectio psalmorum potest esse studium vel oratio.

Hinc, praecepto non satisfacit recitans Horas canonicas, sola intentione legendi vel addiscendi; nec vadens ad sacrum, eo tantum fine ut oculos atque aures pascat, ut cum alio colloquatur, ut exspectet amicum, ut amicum euntem aut redeuntem comitetur (I, 162-165; H. Ap., II, 29).

[1] *Humano modo* significat etiam: *rationabiliter,* ita ut axioma: *Parum pro nihilo* ordinarie vim obtineat. Excipiuntur quaedam leges quae stricte sunt adimplendae: v. gr. in professione religiosa, ordinatione, jejunio naturali, etc.

Digitized by Google

212. — Corollaria. 1° *Non requiritur intentio legi satisfaciendi.* Ratio est, quia praecepta non obligant ad *obedientiam formalem*, id est ut res praecepta ideo fiat quia praecipitur, sed tantum ad materialem, i. e. ut fiat quod praecipitur.

Hinc: *a*) « Qui alicujus praecepti immemor, illud implevit, v. gr. ignorans esse diem festum, libere tamen interfuit sacro, is satisfecit. Neque, ut quidam volunt, necesse est, ut postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per missam auditam; quia implevit substantiam actus praecepti. — *b*) Is votum, juramentum et poenitentiam sacramentalem (cfr. n. 1724) vere implet, qui opera promissa vel injuncta exsequitur, etsi non habeat intentionem implendi; modo tamen non applicet ea pro alia re. Ratio est, quia vota, etc., sunt leges quasi particulares, quas homo sibi vel alteri imponit; unde tantum obligant ad substantiam actus » (I, 163).

2° *Non requiritur, per se, intentio implendi finem a legislatore intentum*, nisi finis praecise per se praecipiatur, juxta vulgatum axioma: *Finis praecepti non cadit sub praecepto.*

Sic, v. gr., praecepto Ecclesiae satisfacit qui diebus statutis jejunat, etsi non sentiat, vel non intendat, sui mortificationem. — Qui tamen *contra* hunc finem ageret (v. gr. iterum seu tertia vice edendo, postquam culpabiliter jam jejunium solverit), venialiter peccaret, juxta sententiam probabiliorem; « quia contraire fini legis est *quaedam inordinatio*, quae ab omni culpa non videtur excusari » (III, 1030). — Quod si finis per se imponatur, tunc, ut palam est, cadit sub praecepto. Quare, si cui praecipiatur ut pro Ecclesiae exaltatione oret, non sufficit simpliciter orare, sed oportet determinatum hunc finem intendere, saltem implicite.

3° *Non requiritur status gratiae aut motivum caritatis* (H. Ap., II, 28). Constat ex propositione 16ª Baii a S. Pio V damnata: « Non est vera legis obedientia, quae fit sine caritate ». — Excipe, si status gratiae ad praecepti substantiam pertineat, ut in communione paschali.

« Interim, certum est requiri caritatem in operante, ut impletio praecepti sit *meritoria*, juxta illud (1. *Cor.*, 13): *Si linguis hominum loquar* etc. (I, 162).

4° Imo potest legi satisfieri per operis praescripti impletionem, *quamvis actio aliunde sit aliquo peccato vitiata*, v. gr. si corrumpatur finis operantis, qui agit ex vana gloria, etc. — modo non corrumpatur actus praescripti substantia, v. gr. sacrilega sit confessio vel communio, ut eruitur ex prop. 14ª ab Alexandro VII damnata [1].

Sic ergo satisfacit qui jejunat ex avaritia, audit missam in tali ecclesia, quia facilius inveniet occasionem furandi (I, 162). Lex enim nihil praeter substantiam actus requirit.

5° Implet denique legem, qui opus ponit, et *expresse intendit se nolle per illud satisfacere*, v. gr. qui audit missam ex mera devo-

[1] Dixerunt Sylvius, Palud. Gran. cum Diana, eos satisfacere praecepto Confessionis annuae, qui solum exterius sacramentum poenitentiae reciperent.

Digitized by Google

tione, intendens postea in altera missa satisfacturum. Ratio: praecepta tantum ad substantiam operis injuncti obligant. Illa ergo posita, non est in potestate operantis ut non satisfaciat, nec ad quid aliud tenetur (I, 164; H. Ap., II, 29).

Sic patet quam magnum discrimen existat inter leges a Superiore positas, et ea quae ad instar legis sibi quisque imponit: v. gr. per votum, per promissionem, donationem, etc. — Si quis nempe rosarium ex voto promiserit, non liberatur, si rosarium dicat animo votum non implendi: hic omnia *a voluntate promittentis* pendent. In legibus autem a Superiore latis, omnia ex voluntate legislatoris dijudicanda sunt, quae non extenditur ultra operis substantiam. — Vide *S. Alph.*, IV, n. 176; ed. G., II, p. 605, ubi quaestio practice evolvitur.

Nota. Sermo est de lege humana tantum, quia, ut bene notat *Lehmkuhl*, I, n. 246, lex naturalis non solum ad operis substantiam, sed etiam *ad modum* virtutis obligat. Et citat D. Thomam et Suarez.

213. — QUAERITUR. *Quid autem, si lex non fuerit impleta tempore determinato?*

Resp. Dist. Determinatio temporis facta fuit vel ad *finiendam*, vel ad sollicitandam seu *urgendam* obligationem. — In priori casu lex (vel votum), elapso tempore, non amplius obligat; sic, v. gr., qui non jejunavit die vigiliae, peccavit, sed a lege liberatur, quia onus est diei affixum. — In posteriori casu, lex urgere pergit: sic non liberatur a communicandi obligatione, qui tempore paschali non implevit praeceptum [1]; qui sacramentalem poenitentiam pro tali tempore impositam neglexit, non deobligatur (III, 220; VI, 297; H. Ap., XII, 40).

§ 2. DE MODO AGENDI IN CONCURSU PRAECEPTORUM.

214. — Quando plura praecepta concurrunt, *quaeritur* utrum possit ipsis satisfieri per unum actum; aut saltem eodem tempore, per diversos actus.

PRINCIPIA. I. **Per unum actum pluribus simul praeceptis satisfieri potest, si cadant in eamdem materiam, ob eumdem finem.** Sic, v. gr., si festum de praecepto incidat in diem dominicam, satis est unum audire sacrum. Qui obligatur ad Horas ratione ordinis et beneficii, nonnisi semel eas recitare tenetur. — Ratio est, quia tunc unico actu totum ponitur, quod per diversas leges praecipitur; et ideo qui duo praecepta hujusmodi violat, unum solummodo peccatum committit (I, 166; H. Ap., II, 31).

Excipe: 1° *Si agatur de materia justitiae*, in qua semper attenditur aequalitas rei ad rem; ideoque quando multiplicatur materia, etiam solutio multiplicanda est: v. gr. si ex damno illato debeas centum, et ex emptione etiam

[1] Aliqui (v. gr. S. Antoninus, Toletus), utique docent in praecepto communionis paschalis tempus potius ad finiendam obligationem fuisse determinatum. Vide *S. Alph.*, VI, n. 297; ed. G., III, p. 274.

Digitized by Google

centum, semel dando centum non satisfacis, ut palam est. — 2° *Si aliud constet de mente praecipientis,* si ex usu vel circumstantiis, Superior censeatur velle per actus distinctos sui praecepti impletionem. Sic, v. gr., jejunio, ex voto et ex poenitentia sacramentali debito, generatim non satisfit per unum jejunium, quia ex usu alia censetur esse mens confessarii (III, 309).

215. — II. **Eodem tempore, per diversos actus, diversis praeceptis satisfieri potest, modo unus actus non impediat alterum.** Ratio est, quia generatim, dum res aliqua praecipitur, temporum diversitas non exigitur.

Sic, v. gr., tibi licet, eodem tempore, audire missam in festo praeceptam et Horas recitare, vel alias orationes ad quas ex voto aut poenitentia sacramentali teneris. — Sed si confessarius poenitenti praeceperit duas missas audire eodem die, id intelligendum est de missis successive, non eodem tempore, audiendis. Talis enim praesumitur esse confessarii intentio, nisi aliud expressum fuerit. — Cui vero confessarius praeceperit missam audire singulis per mensem diebus, is satisfacit, cum dominica unico sacro interfuerit. Rationabiliter enim praesumitur, confessarium noluisse eodem die ad duas missas obligare, nisi id expresserit (H. Ap., XVI, 57). Si autem poenitens nihil de iis fecerit, duplex committeret peccatum, ut animadvertit *Lehmkuhl,* I, n. 247, in fine.

216. — QUAERITUR. *Quid agendum in concursu duorum praeceptorum insociabilium?*

Resp. Ceteris paribus, servandum est majus prae minore, quod tunc obligare desinit. — Hinc praevalet: 1° negativum affirmativo; ideoque non licebit furari, ad subveniendum pauperibus; 2° naturale positivo, et divinum humano; itaque omittendum est sacrum in festo, ne graviter aegrotans deseratur; 3° lex Superioris, v. gr. Papae, legi inferioris, v. gr. Episcopi; 4° lex ecclesiastica civili; 5° innixa virtuti strictiori, v. gr. justitiae, innixae virtuti minus strictae, v. gr. caritati; unde qui non potest et eleemosynam dare et debitum solvere, tenetur ab eleemosyna abstinere (cfr. n. 30).

Diximus *ceteris paribus;* quia semper habenda est ratio aliarum circumstantiarum, quae forte vel ordinem invertere praecipiunt, vel casum mutant. Sic pauperi in extrema necessitate succurrendum est, priusquam debitum solvas creditori non in eadem necessitate versanti, quod tamen ex justitia fieri deberet. Sic etiam moribundo viaticum dari nequit sub specie vini, quamvis hoc ultimum a solo jure ecclesiastico regatur, etc. Cfr. *Nouv. Rev. Théol.,* vol. 38, p. 149 seq.

Digitized by Google

CAPUT V.

De causis tollentibus obligationem legis.

217. — Duo discutienda supersunt: horum alterum versatur circa causas, ob quas *sola legis obligatio* cessat vel suspenditur, *manente lege;* alterum circa causas quae *ipsam legem* tollunt in perpetuum, et pro tota communitate. — In primo casu subjectio remanet, in secundo omnino evanescit.

Quod attinet ad causas quae LEGIS OBLIGATIONEM (tametsi in gradu inaequali) tollunt, hae admodum quinque numerantur, scilicet:

1ª *Ignorantia,* quae obligationem tollit tantum per accidens, excusando nimirum a legis transgressione formali, minime vero ab ejus transgressione materiali.

2ª *Impotentia,* sive physica, sive moralis (seu *metus*), quae, in casu particulari, obligationem omnino tollit; excusando vel a transgressione materiali, cum legislator censeatur noluisse, jam ab initio, obligationem ad hunc particularem casum extendere.

3ª *Dispensatio,* quae, actu positivo legislatoris, indulto nempe particulari, vel etiam generali, unum vel plures ab obligatione legis eximit, modo tamen non permanenti.

4ª *Privilegium,* quod ab obligatione eximit permanenter, vel individuum, vel etiam coetum personarum, et quod idcirco ut amplior vel stabilior dispensatio habendum est.

5ª *Discessus a territorio legislatoris,* seu *absentia,* quae causa non solum excusans, impediens aut eximens dicitur, sed *extrahens,* quia discedentem totaliter e legis dominio extrahit.

De hac ultima causa jam satis disputavimus in capite antecedenti, ubi *de peregrinis* (n. 206). Restat igitur ut de ceteris, in quatuor separatim articulis, agamus.

ARTICULUS I.

De ignorantia legis.

De ignorantia fusior erit sermo, ubi de actibus humanis et peccatis tractabimus. Interim satis est ad rem nostram notare sequentia.

218. — DEFINITIO. Ignorantia definitur *defectus scientiae debitae.* — Alia est *invincibilis* seu *inculpabilis,* quae scilicet vinci aut tolli non potest, quia vel nunquam in mentem venit dubitatio de necessitate rei cognoscendae; vel, etsi in mentem venerit, cognitio tamen morali diligentia acquiri non potuit. — Alia est *vincibilis* seu *culpabilis,* quae nimirum, adhibita morali diligentia, superari potuisset ac debuisset (recole dicta n. 16).

219. — PRINCIPIA. I. **Ignorantia invincibilis excusat ab observantia legis, et simul a reatu culpae.** Nemo enim stricte obligari potest ad id, quod non cognoscit, nec cognoscere potuit; et nemo peccat nisi actu voluntario, qui cognitionem essentialiter praesupponit (cfr. n. 125).

Digitized by Google

II. Ignorantia invincibilis legis excusat etiam a reatu poenae legi annexae. Poena decernitur in lege propter culpam. Ergo cessante causa, effectus quoque a lege statutus cessare debet, ut DD. communiter docent (I, 160).

Si tamen, in foro externo, poena a judice in materialiter delinquentem dictetur, subeunda est, ut supra (n. 191) dictum est.

220. — QUAERITUR. *An excusetur a poena, qui legem quam transgreditur cognoscit, sed ignorat poenam legi adnexam?*

Resp. Negative, *per se;* quia ratio dictat malum, juxta naturam suam, esse puniendum.

Excipitur: 1° Si poena sit gravissima, excedens meritum criminis. — 2° Si sit censura ecclesiastica, quam ignorantes non incurrunt, nisi ignorantia sit crassa, seu graviter culpabilis. Ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, sive virtualis contemptus legis. — Imo, si censura sit indicta *praesumentibus*, sive *temere, consulto* aut *scienter* peccantibus, excusat ignorantia crassa, imo etiam, non improbabiliter affectata, quia haec, licet gravis sit negligentia, tamen non est scientia (cfr. n. 1269).

ARTICULUS II.

De impotentia servandi legem.

221. — Impotentia satisfaciendi obligationi legis duplex est, physica nempe et moralis.

Impotentia *physica,* quae etiam *absoluta* appellari solet, tunc habetur, cum vires ad legem adimplendam desunt: quo in statu versatur, v. gr. aegrotus, qui in lecto defixus, sacro interesse nequit, diebus dominicis et festis. — Ad impotentiam absolutam refertur necessitas adimplendi legem superiorem, juxta dicta n. 216.

Impotentia *moralis* (seu *metus* excusans) habetur, cum lex adimpleri non potest, sine periculo gravis damni vel incommodi; et definitur: difficultas gravis per accidens coniuncta cum adimpletione legis.

Dicimus *per accidens;* nam, ut bene notat *Sanchez* (Decal., l. I, c. 18, n. 2), si lex esset, per se, toti communitati nimium difficilis seu onerosa, talis causa posset, non solum excusare a lege, sed legem ipsam tollere, ut explicabitur n. 256 seqq.

222. — PRINCIPIA. I. **Impotentia physica a lege servanda semper excusat.** Ratio est, quia « nemo potest ad impossibile obligari », ut habet 6ª regula juris, in Sexto. — Unde, excusat etiam impotentia, cui antea per peccatum causam dederis, v. gr. reddendo te jejunio imparem, *modo de peccato doleas* (I, 176; III, 1045).

223. — II. **Impotentia moralis a lege observanda excusat, si imminet damnum in se grave et relative gravius quam neglectus legis.** Ratio *primi* est, quia legislator non censendus est, praeter gravamen quod legis adimpletioni inhaeret, aliud onus, hocque

Digitized by Google

grave, imponere. Dicimus *onus, hocque grave;* quia alioquin nulla unquam lex obligaret, cum cujuslibet legis adimpletio cum aliquo incommodo conjungatur. — Ratio *secundi* est, quia ex duobus malis necessariis semper eligendum est minus (I, 175).

Gravitas damni a pluribus dependet: 1° a *natura* legis: sic leges negativae gravius damnum requirunt; 2° a legislatoris *intentione* qui pro temporum adjunctis mitius agere potest; 3° ab *adjunctis particularibus,* quae locum dant epikeiae. In dubio de *gravitate* damni, excusatio valet, si factum revera existat quod vere probabiliter sufficit ad excusandum, ut patet de convalescente qui timet ne jejunando morbus augeatur (cfr. n. 248).

Inde colliges: Metus gravis, v. gr. metus amittendi vitam, sanitatem, secluso damno societatis aut religionis, tollit obligationem *legis humanae,* sive ecclesiasticae, sive civilis. — Tollit etiam quandoque, tametsi difficilius, obligationem *legis divinae positivae,* v. gr. legis praecipientis integritatem confessionis; imo et *legis naturalis affirmativae,* v. gr. de deposito reddendo, ut jam supra explicavimus (n. 173-174).

224. — III. **Impotentia satisfaciendi toti legi, de se non tollit obligationem satisfaciendi illi parti, quae adimpleri valet.** Constat ex prop. 54ª ab Innocentio XI damnata: « Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihilum tenetur; quia major pars trahit ad se minorem ». Hisce rejicitur sententia Navarri, Dianae, Tamburinii et Caramuelis. — *Excipe,* si lex commode dividi non possit vel soleat, vel si in parte possibili ratio praecepti non remaneat (H. Ap., II, 45).

Hinc: 1° Qui non potest jejunare in Quadragesima, debet abstinere, si potest, a carnibus. — Item, qui non potest jejunare omnibus diebus, tenetur diebus illis, quibus sine gravi incommodo potest.

2° Si quis, carens breviario, pauca ex Horis memoriter sciat, ea recitare non tenetur; secus, si partem notabilem, v. gr. Vesperas aut Completorium, memoria teneat. Ratio est, quia Officium divinum est divisibile, et in parte notabili tantum salvatur ratio praecepti.

3° Qui vovit piam peregrinationem, nec valet totum iter complere, illud inchoare non tenetur; quia nec finis praecepti obtineri, nec ratio praecepti salvari potest (I, 177; III, 225).

225. — Si impotentia a lege excusat, recte quaeritur:

An liceat se constituere in impotentia adimplendi aliquam legem, seu, aliis verbis, *an liceat apponere vel non tollere causas, quae legis adimpletionem impediunt?*

Praenot. a) Aliud est causa *eximens,* aliud causa *impediens.* Causa *eximens* adest, quando quis se subtrahit *jurisdictioni* legis, ita ut ipsa illum jam attingere nequeat. Causa *impediens* adest, quando quis, *a lege vinctus,* vel proxime vinciendus, in talem conditionem se conjicit, ut physice vel moraliter legem jam non implere possit. — *b*) Causae, quae legis adimpletionem impediunt, sunt vel *praesentes,* vel *proximae,* vel *remotae,* prout lex urget eo ipso tempore quo causa ponitur, aut brevi post, aut solum post notabile temporis

Digitized by Google

intervallum. — *c*) Hujusmodi causae apponi possunt vel *directe*, vel *indirecte*; prout scilicet agens movetur, aut fine subtrahendi se legis obligationi; aut alio fine, praeviso tamen impedimento legis servandae. — Quibus praemissis,

Resp. 1° Qui ponit *causam eximentem*, etiamsi fiat intentionaliter et directe, animo obligationem effugiendi, non peccat. Utitur jure suo (I, 152; III, 1045; ed. G., II, p. 432).

2° Nunquam licet causam *impedientem*, etsi remotam, *directe* apponere aut non tollere. Ratio, quia *quamdiu legi quis subjacet*, non potest velle eam infringere, quin talis voluntas sit ipsius legis violatio.

Peccant igitur excommunicati, qui non quaerunt absolutionem, ideo praecise, ne absoluti ad communionem paschalem teneantur; item illi, qui hac intentione in locum abeunt, ubi tempore paschali communicare non poterunt (III, 235; H. Ap., II, 20).

3° Nec licet *indirecte* apponere, aut non tollere, causam impedientem *praesentem* aut *proximam* (quae in moralibus aequiparantur); nisi proportionata adsit aliunde justa causa excusans. « Omnis enim lex exposcit, ne sine justa causa impedimentum suae observantiae ponatur » (H. Ap., l. c.); secus enim actum esset de lege. — Iusta autem causa est, quae proportionem habet et cum gravitate praecepti, et cum proximitate causae impedientis. — Vide dicenda n. 272, 273; cfr. *Sanchez*, Decal., l. I, c. 15, n. 4.

4° Probabilius licet, etiam sine ratione speciali, *indirecte* causam impedientem *remotam* apponere. Ratio est, quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare. Esset enim onus nimis grave, si quisque, multo ante obligationem legis, adstringeretur ad omittenda omnia opera cum illa obligatione insociabilia (*Bucceroni*, n. 221).

226. — *Ex his resolves:* 1° Qui, lege jam urgente, futurum esse praevidet, ut ei postea satisfacere non possit, adimplere tenetur eam, tempore quo potest; v. gr. si in die festo non potes circa meridiem missam audire, vel Horas diei currentis serius recitare, teneris anticipare, quia praeceptum jam urget. — Secus, si tempus praecepti nondum sit inceptum; v. gr. non teneris praevenire tempus paschale ad communicandum, nec uti privilegio recitandi Matutinum die praecedente, ut impleas praeceptum (IV, 155; VI, 297).

2° Peccat contra praeceptum assistendi sacro, qui oblectationis causa, iter ingreditur sabbato, praevidens fore ut sequenti die dominica missam audire non possit. — Excusatur autem, qui die Jovis iter suscipit ad venandum, aut ob similem causam non urgentem. Ratio discriminis est, quia in priori casu impedimentum censetur proximum, et in posteriori remotum (III, 301).

3° Similiter ex his determinari potest, an et quandonam liceat, v. gr. suscipere officium, famulatum, etc., in quo quis fit impotens ad festa sanctificanda; an et quousque liceat sponte laborem exercere, vel opera pietatis suscipere, quibus homo fit impotens ad jejunandum; et alia hujusmodi (cfr. n. 1235 et 1238 seqq.). — Vide Casus consc. a cl. *Lehmkuhl* propositos n. 97-103, item quae saepius solvit *Ami du Clergé*, v. gr. 1906, p. 982; 1911, p. 1121.

Digitized by Google

Corollarium. Ex notionibus hic expositis intelligere possumus quid significent verba: **agere in fraudem legis.** Fraus contra legem fieri potest innumeris modis; *ille tamen solus* fraude contra legem peccat, qui apponit legi impedimentum (causam impedientem), et quidem in iis circumstantiis ubi lex *eum jam tenet,* vel impedimentum tale, quod ipsi *a lege vetitum est* apponere. Sic fraus adesset, si homo dives, praeter suam conditionem vel consuetudinem, servilibus vacaret ut fatigaretur, ne jejunare debeat. — Non autem fraudis reus erit, qui *utitur jure* quod ei nec a lege nec a praecepto adimitur: v. gr. si quis in aliam dioecesim transit, ubi non viget lex Sacri audiendi, vel ubi adsunt quoad jejunium exceptiones, etiam si hoc faciat eo fine ut a lege eximatur: usus enim juris egrediendi ipsi non interdicitur a lege. Si autem et haec facultas a legislatore tollitur, v. gr. quoad absolutionem a reservatis obtinendam, patet adesse fraudem contra Superioris voluntatem (cfr. n. 206). Cfr. *D'Annibale,* P. I, n. 176; *Göpfert,* I, § 13, n. 78.

ARTICULUS III.

De dispensatione.

S. Alphonsus, I, n. 178; ed. G., I, p. 163; *Suarez,* de Leg., l. 6, c. 18; *Mazzotta,* de Leg., disp. 4; *Billuart.* Diss. 5; et celebres Canonistae.

227. — DEFINITIO. Dispensatio est relaxatio legis, legitima auctoritate ad tempus facta, in aliquo casu, quo ceteroquin lex obligaret.

Dicitur 1° *Est legis relaxatio;* qua ratione differt tum ab *epikeia,* per quam declaratur, casum quempiam nunquam in lege fuisse comprehensum; tum a *permissione,* per quam solummodo legis violatio non impeditur, v. gr. ad vitandum majus malum; tum a *licentia,* qua lex potius adimpletur. Licentia enim est consensus Superioris competentis, sub quo *lex ipsa* aliquid, ad paucos actus, agere concedit. — Hinc, si Superior det moniali licentiam exeundi e clausura, vel faciendi aliquam expensam, non dispensat in lege aut in voto, sed ponit conditionem, sine qua ista non licerent; quia lex, quae prohibet exire et expendere, id non prohibet absolute, sed tantum, ne fiat sine licentia. Cfr. *S. Alph.,* de Privil., n. 1. — Lex de se tendit ad firmitatem, de se ergo non admittit generaliter licentias, eas tamen aliquando praevidet et tolerat. In iis ergo casibus, si absens est Superior, praesumi potest ejus licentia; dispensatio vero non praesumitur (*Lehmkuhl,* I, n. 266). Cfr. infra n. 239.

2° *Legitima auctoritate facta;* quia dispensatio actus jurisdictionis est, adeoque differt, tum ab *excusatione* ob aliquam causam extrinsecam, tum a *cessatione legis,* quae dicitur ab intrinseco; in quibus casibus, legis obligatio sine novo legislatoris interventu tollitur, vi nempe voluntatis, quam prius habuit in condenda lege.

3° *Ad tempus, in aliquo casu;* qua ratione differt tum a *privilegio,* quod est perpetuum, et potest esse secundum legem; tum a *derogatione* et *abrogatione* legis, per quas lex relaxatur vel tollitur in perpetuum, pro tota communitate.

Digitized by Google

228. — DIVISIO. Dispensatio potest esse: 1° *Valida* vel *invalida*, prout a legis obligatione vere eximit, vel non.

2° *Licita* vel *illicita*, prout cum justa vel sine justa causa obtinetur.

3° *Subreptitia* vel *obreptitia*, prout reticetur in petitione aliquid manifestandum, vel e contrario falsum aliquid asseritur.

4° *Totalis* vel *partialis*, prout a tota lege, vel a parte ejusdem eximit.

5° *Expressa* vel *tacita*, prout verbis exprimitur, vel ex aliquo facto deducitur.

6° *Libera* vel *necessaria* (seu *obligatoria*), prout ejus concessio ob justam causam mere congruit, aut vi alicujus tituli debetur (cfr. n. 241, q. 3).

Denegata autem dispensatione, tametsi *injuste*, tenetur subditus ad legem, quia haec vigere perseverat; nisi talis urgeat causa, quae eum per se a lege eximat: v. gr. si urgeret necessitas contrahendi matrimonium, omissis denuntiationibus, et Episcopus injuste denegaret dispensationem (I, 179; H. Ap., II, 52). Valet tamen dispensatio, si, negata a Superiore, conceditur ab inferiore. Excipe si Superior et hoc inferiori adimere voluisset. *Lehmkuhl*, Cas. consc., 125.

His praemissis, paulo fusius disseremus: 1° de potestate dispensandi; 2° de requisitis ad legitimam dispensationem; 3° de usu et interpretatione dispensationis; 4° de ejusdem cessatione.

§ 1. De potestate dispensandi.

229. — NOTIO. Potestas dispensandi est jurisdictionalis; est enim pars jurisdictionis, seu auctoritatis publicae (*S. Thom.*, 1. 2, q. 97, a. 4).

Et sic differt tum a potestate *irritandi*, quae est tantum dominativa, et competit domino, patri, marito, etc.; tum a potestate *declarandi* aliquem a lege exemptum, quae est tantum interpretativa voluntatis legislatoris, et competit v. gr. medico respectu infirmorum, confessario respectu poenitentium, etc. (cfr. n. 138).

DIVISIO. Potestas dispensandi duplex est: 1° ORDINARIA, quae alicui competit sola ratione officii sui, qualem habet legislator in lege propria, ejusque Superior, aut successor; — 2° DELEGATA, quae inferiori competit, ex concessione illius qui pollet ordinaria.

Jurisdictio autem delegata concedi potest: *a*) *a jure*, ratione dignitatis, vel muneris quocum conjungitur; et in hoc casu aequivalet ordinariae, et vocatur *quasi ordinaria*; *b*) *ab homine*, i. e. a Superiore, quo in casu dicitur *pure delegata*.

Porro, haec pure delegata potestas datur, sive *absolute* pro vita, decennio, anno, etc., sive *ad nutum* aut *beneplacitum* personae, vel dignitatis (cfr. n. 138, 3°). — Praeterea, conceditur aliquando per modum gratiae, *in favorem delegati*: quo modo Episcopis dari solent facultates quas vocant *quinquennales*, vi qua-

Digitized by Google

rum dispensare valent in plurimis impedimentis matrimonii; aliquando per modum commissionis, *in favorem certae causae,* vel *certae personae,* cui dispensatio prodesse debet. — Facultas dispensandi per modum commissionis adhuc dari potest duplici modo, videlicet: vel *per modum gratiae factae,* ut aiunt, quod evenit quando delegato imponitur verum *praeceptum* dispensandi, « si tamen preces veritate nitantur », ut ordinarie contingit in dispensationibus matrimonialibus (quo casu, delegatus qui actu dispensationem elargitur, dicitur eam fulminare); vel *per modum gratiae faciendae,* quod evenit quando delegato non imponitur praeceptum dispensandi, sed solum concedendae dispensationis *facultas* datur, « si nempe videatur expedire ». *S. Alph.*, de Privil., n. 13; ed. G., I, p. 192.

230. — PRINCIPIA. I. **Quilibet legislator, aut ipsius Superior, vel in jurisdictione successor, potest cum suis subditis, tam in lege propria, quam in lege inferioris, dispensare.** Ratio est, quia *res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur* (Decret. Gregor., Reg. I); et potestas inferioris potestati Superioris subordinatur. — Excipitur casus quo lex transierit in contractum: *pacta enim ab omnibus servari convenit* (III, 255).

231. — II. **Nullus inferior dispensare potest in lege Superioris, nisi ex potestate delegata;** *in quantum scilicet dispensandi facultas ipsi concessa fuerit, vel ab ipso Superiore, vel a jure, vel a consuetudine.* Ratio est, quia inferior nihil potestatis habet in Superioris voluntatem, a qua tota vis legis existit; unde dicitur in Clementinis: *Lex Superioris per inferiorem tolli non potest* (c. *Ne Romani,* de Elect.).

232. — III. **Nullus delegatus potest alium subdelegare, nisi subdelegandi facultas ipsi concessa fuerit, vel a Superiore, vel a jure.** Ratio est, quia potestas utendi jurisdictione, diversa est a potestate eam delegandi, neque altera in altera includitur.

Dicimus 1° *Nisi concessa fuerit a Superiore;* haec enim non raro conceditur. Sic Episcopis, praeter facultatem dispensandi, saepe conceditur potestas hanc eamdem facultatem aliis idoneis sacerdotibus subdelegandi.

2° *Nisi concessa fuerit a jure.* — Jamvero, potestas subdelegandi a jure conceditur:

a) Delegato *a Principe,* v. gr. a Summo Pontifice, a Sacris Congregationibus, per modum officii, ut Nuntiis, Legatis a latere. Dicimus *per modum officii;* ut ita excludantur delegati, qui ob suam peritiam electi fuissent, sicut et illi quorum delegata facultas est nudum ministerium, seu simplex exsecutio.

b) Delegato, tametsi non a Principe, *ad universitatem causarum* [1]; dummodo delegatio ipsi facta sit per modum officii, sive saltem per modum privilegii suo officio, seu dignitati, in perpetuum annexi. Sic, v. gr., vice-parochus, universim deputatus in locum parochi absentis vel mortui, potest alium subdelegare. — Quae tamen subdelegatio non potest esse ad totum, sed ad unam

[1] Aliud est delegari ad *universa negotia matrimonialia,* puta ad examen sponsorum et alia, aliud ad *universitatem casuum matrimonialium,* ita ut delegatus possit indeterminate omnibus matrimoniis *assistere.* Si primum, certo adest (ut hic dicitur) potestas subdelegandi; si secundum, probabiliter tantum haec datur. *Wouters,* Comment. in decret. *Ne temere,* p. 51.

Digitized by Google

vel alteram causam tantummodo, ut commune est cum *D. Thoma* (quodl. 12, a. 22): « Vicarius non potest totam suam potestatem communicare, sed potest partem » (H. Ap., XVI, 82; 2 El. q. reform., n. 4).

Ut bene notat *S. Alph.*, VI, 566; ed. G., III, p. 583: confessarii peculiaribus facultatibus instructi, nequeunt subdelegare (et idem valet pro missionariis). Ratio: deputantur tantum ad nudum exercitium ministerii.

233. — IV. Delegata facultas multiplici ratione cessare potest.

Cessat nimirum: 1° revocatione delegantis, quae tamen effectum non sortitur, nisi delegato notificetur; — 2° renuntiatione delegati *a Superiore acceptata;* — 3° lapsu temporis determinati, vel finito negotio, vel exhausto numero casuum, ad quos delegatio concessa fuerit. — Facultates vero omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliisque locorum ordinariis concessae non suspenduntur eorum morte vel cessatione a munere, sed ad successores ordinarios extenduntur (S. Off., 24 Nov. 1897).

Utrum vero *morte* vel *amotione* delegantis cesset, distinguendum est. — Cessat, si concessa fuit PER MODUM GRATIAE in favorem delegati, his aut aliis similibus verbis: *ad beneplacitum nostrum* [1], *donec nobis placuerit;* secus, si fuit concessa ad determinatum tempus, vel *donec revocetur,* vel *ad beneplacitum* dignitatis (v. gr. *S. Sedis, Episcopi*), quia dignitas non moritur. — Quod si concessa fuit IN FORMA COMMISSIONIS pro certo casu, iterum distinguendum est: Concessa tanquam gratia *facienda pro casu speciali,* cessat morte vel amotione delegantis, *si res adhuc integra est;* concessa vero tanquam gratia oratori *facta,* non cessat, quamvis res nondum sit ullo modo exsecutioni mandata (cfr. n. 246).

234. — *Ex his sequitur:* I. SUMMUS PONTIFEX dispensare potest: 1° *in omnibus legibus ecclesiasticis,* etiam in illis quas Apostoli, ceu particulares Ecclesiarum praesules, condiderunt: cujusmodi sunt jejunium quadragesimale, observatio diei dominicae, irregularitas bigamiae, etc. (H. Ap., II, 55; Istruz., II, 64); — 2° *in quibusdam legibus divinis,* in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, uti sunt vota et juramenta, si tamen adsit causa sufficiens. — In aliis autem legibus divinis, potest solummodo *interpretari,* seu declarare voluntatem divinam (cfr. n. 135).

II. EPISCOPI dispensare possunt: 1° *Jure ordinario: a*) in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus [2], independenter a capitulo et clero (*Bened. XIV*, de Syn., l. 13, c. 5, n. 7); — *b*) in legibus concilii provincialis (modo non sint concilio specialiter reservatae, vel in forma specifica a S. Sede confirmatae); hoc enim expedit ad bonum regimen (*Gennari,* Quest. de Droit can., q. 328); — *c*) in legibus latis a S. Pon-

[1] Dubitant tamen aliqui, utrum cesset jurisdictio, vel dispensandi facultas, casu quo detur: *ad beneplacitum nostrum.* Cfr. *Noldin,* III, n. 348, qui citat resp. S. C. Ep. et Reg., 19 Jun. 1866. — [2] Excipe si lex, ab Episcopo lata, *in contractum transierit,* ut ait *S. Alph.*, I, 190; ed. G., I, p. 169. Cfr. dicta n. 210 in fine.

Digitized by Google

tifice pro illa particulari dioecesi, in quibus videtur relicta facultas dispensandi proprio praelato (I, 190; VI, 902; H. Ap., II, 57).

In legibus ecclesiasticis generalibus nequeunt Episcopi *generatim* dispensare[1]. Possunt tamen, ex decreto *S. O. Cum recenter,* dispensare quandoque in lege jejunii et abstinentiae (cfr. n. 1240).

2° *Jure quasi-ordinario,* in sequentibus casibus: *a*) in *dubiis,* an dispensatio sit necessaria necne; tunc enim Episcopus (et quilibet praelatus inferior) potest vel declarare legem in casu non obligare, vel dispensare ad cautelam pro animarum quiete; et dispensatio, semel data, valet etiamsi postea deprehenderetur eam certo fuisse necessariam; — *b*) in casibus *particularibus,* qui *frequenter* seu regulariter accidunt, ut in votis non reservatis, in jejuniis, festis, horis canonicis, abstinentia a carnibus, et similibus: esset enim onus nimis grave, si in hujusmodi casibus, qui frequenter contingunt, singuli fideles ad S. Sedem recurrere deberent; — *c*) in casu *urgentis necessitatis,* vel *magnae utilitatis,* quando non patet facilis ad Papam aditus, et est periculum in mora, ut, v. gr., in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, in votis reservatis; quia id expedit ad bonum commune (et hoc, etiamsi detur facilis aditus ad habentem facultatem dispensandi ex privilegio Pontificis); — *d*) si dicatur in lege: *donec dispensetur;* etenim « potest inferior dispensare in legibus Superioris, si in lege generaliter permittatur dispensatio » (*S. Alph.,* l. c.).

3° *Jure speciali et delegato:* nempe praeter *ordinarias* dispensandi facultates, quas hic numeravimus, possident plerique Episcopi speciales facultates quinquennales, vel triennales a S. Poenitentiaria communicatas; imo amplissimas quidam Episcopi a S. C. de Prop. Fide obtinent.

Hic autem notetur: a) *Ordinariae* facultates, cum Episcopis praesto sint *vi muneris,* delegatione aliis dari possunt — et, sede vacante, iis gaudet capitulum, seu Vicarius capitularis. — Ipsas autem de se non possidet Vicarius generalis. Quin imo, ex generali suo mandato, ordinariae dispensationes ipsi non committuntur, quia gratiam sapiunt, bene vero si specialiter ab Episcopo ad hoc delegatur (III, 288; ed. G., I, p. 559).

b) Quoad *speciales* facultates, cum *Ordinario* communicari soleant, illae ad successores transeunt, v. gr. Vicarium capitularem. — Stante responso 17 Decembris 1898 (*A. S. S.*, 31, p. 384), quo controversiae finis impositus est, etiam hae facultates speciales, absque speciali concessione subdelegari possunt Vicariis generalibus[2], aliisque viris ecclesiasticis, generali modo, vel pro casu parti-

[1] Vide *S. Alph.*, I, 191; ed. G., I, p. 171 et 2 El. q. reform., n. 3. Ibi omnino rejicit 1° posse Episcopum *ex se* generaliter dispensare in legibus universalibus (seclusa consuetudine); 2° Episcopum habere in sua dioecesi jura aeque ampla ac S. Pont. in tota Ecclesia. Ad normam hujus n. 191 reformanda sunt quae leguntur VI, n. 980; ed. G., IV, p. 155. — [2] Imo cum facultates Episcopis ad tempus datae ad *Ordinarios* dirigantur, etsi verbotenus Episcopo concedantur (S. Off., 5 Sept. 1900), ipsae *de se* Vicariis generalibus a S. S. dantur, nec ipsi subdelegatione Episcopi indigent. Cfr. *Ojetti,* Synopsis, v. *Delegatio; Génicot,* I, n. 119; II, n. 523, in fine.

Digitized by Google

culari, dummodo id in facultatibus non prohibeatur, nec subdelegandi jus pro aliquibus tantum coarctetur: in hoc enim casu servanda erit ad amussim forma rescripti.

III. PAROCHI, in multis locis, habent *ex consuetudine* facultatem dispensandi (etiamsi facilis sit recursus ad Episcopum), in *minutis* et *frequentibus necessitatibus;* sed cum hac facultate, sola vi consuetudinis polleant, in iis tantum rebus dispensare possunt, de quibus usus introductus est, ut in jejunio, abstinentia et operibus die festo prohibitis (III, 288, 1032; H. Ap., II, 59).

IV. CONFESSARII in pluribus dioecesibus ex speciali delegatione potestatem habent dispensandi in variis casibus pro quibus recursus ad Episcopum per se requireretur.

V. REGULARIUM PRAELATI jura possident quae exponentur infra n. 2187 et 2189.

Nota tamen ista jura solum ab iis exerceri posse, qui jurisdictionis sunt capaces: unde non competunt Superiorissis, quae nequeunt dispensare (IV, 53; ed. G., II, p. 485). — Notandum est etiam (S. Off., 20 Dec. 1900) facultates Superioribus generalibus Ordinum religiosorum a S. S. concessas, non cessare ob eorumdem mortem, aut cessationem a munere, sed transire ad successores. Eadem hic vigent principia ac pro juribus Episcopo concessis.

235. Quaesita. QUAER. 1° *Quibuscum ergo Episcopus dispensare possit?*

Resp. I. *Potest cum illis omnibus qui ejus jurisdictioni subduntur.* Ergo: cum incolis, et quidem ubique terrarum, — cum advenis, quamdiu in eo territorio quasi-domicilium habent, — cum vagis, quamdiu in dioecesi versantur, secus a nullo Episcopo necessarias dispensationes impetrare possent.

Episcopus tamen (nec quispiam delegatus) nequit, v. gr. quoad jejunium, dispensare *cum haereticis, qui abjurare vellent,* conversionem autem procrastinare cuperent. Cfr. *Génicot,* Cas. consc., I, p. 23.

A fortiori nequit dispensare *cum religiosis exemptis,* sine consensu Superiorum. Si tamen universaliter, nomine S. Pontificis, in lege communi dispensat, obligatio etiam pro exemptis suspenditur, nisi speciali voto vel regula teneantur (S. Off., 1871; *A. A. S.,* IV, p. 626). Quod si exempti regulae statuta vel votum non servant, jam non contra Ecclesiae praeceptum (cum dispensatum sit), sed contra particulare statutum peccabunt.

II. *Cum peregrinis,* si principia rigorosa statuantur, *nequit Episcopus dispensare:* non enim sunt episcopali jurisdictioni vere subjecti (n. 206). Subditi fierent, si, *peregrinationem finientes,* quasi-domicilium in dioecesi elegerent. Sic quaestionem solvunt *S. Alphonsus* (I, n. 158; ed. G., p. 138), et alii.

Attamen hujus sententiae rigor sat probabiliter temperatur, *pro casibus necessitatis.* Tunc peregrinus per suum accessum subjacet auctoritati Episcopi

Digitized by Google

loci in quo reperitur. Potest ergo Episcopus, stante necessitate, cum eo dispensare in legibus canonicis, in votis, in juramentis, etc. — Prudenter enim praesumitur Papam vel Episcopum peregrini consentire, ut Episcopus loci cum peregrino hujusmodi dispenset (*Mazzotta,* tr. 1, disp. 4, q. 1, c. 3, q. 2°).

Nota. Aliter utique sentiunt multi auctores moderni (*Lehmkuhl,* I, n. 260; *Noldin,* I, n. 182; *Génicot,* I, n. 121). Stante vero ratione intrinseca supra indicata, et stante responso S. Off., 22 Nov. 1865 (*Coll. S. S.*, n. 910), praedicta jura Episcopi in peregrinos *ad casus necessitatis* restringere placet.

236. — QUAER. 2° *An habens facultatem dispensandi cum aliis dispensare possit cum seipso?*

Resp. Affirmative cum D. Thoma (2. 2, q. 185, a. 8) et aliis, modo potestatem dispensandi habeat universalem, non restrictam ad casum vel personam. Ratio est, quia *jurisdictio voluntaria* (*seu gratia*) exerceri potest erga seipsum. Qui ergo hac jurisdictione utitur, poterit in votis (utique ordinariis) secum *dispensare,* ut sentit *S. Alphonsus* (III, n. 256; H. Ap., II, 64). — Poterit etiam rem sic ordinare, ut viro prudenti committat dispensandi facultatem, sibi (praeposito) applicandam.

§ 2. De requisitis ad legitimam dispensationem.

Ad legitimam dispensationem, id est ad dispensationem quae *valida* simul sit ac *licita,* plura requiruntur: sive *a*) ex parte concedentis, sive *b*) ex parte petentis, seu subjecti dispensandi.

237. — PRINCIPIA. I. **Ad validam dispensationem requiritur, ex parte subjecti dispensandi: ut petitio nec subreptitia sit nec obreptitia, quoad causas motivas expositas, et dispensatio a dispensato acceptetur.** Ratio: secus deficit voluntas concedentis (cfr. n. 239).

Diximus 1° *Nec subreptitia sit, nec obreptitia,* sensu supra, n. 228, explicato.

In matrimonialibus autem, quamvis exigant S. Congr. ut omnia fideliter declarentur valet tamen dispensatio si, pro minori gradu, major indicatur. Vide dicenda n. 2051, 4°. Cfr. *Génicot-Salsmans,* II, n. 524.

2° *Quoad causas motivas expositas,* non vero quoad causas impulsivas.

Dantur enim causae *motivae,* quae ad rem *intrinsece* pertinent, et dispensationem reddunt in se legitimam et convenientem, v. gr. paupertas allegata, ut quis a voto dandi 1000 aureos liberetur. Dantur etiam causae *impulsivae,* quae *ex extrinsecis circumstantiis* desumptae, Superiorem ad actum dispensandi disponunt, v. gr. nobilitas allegata, ut quis facilius dispensationem obtineat.

Age vero: Falsitas, reticentia tunc tantum dispensationem reddunt invalidam, si respiciant causas motivas, quia consensus Superioris a veritate dependet, quae in his solis quaeritur et requiritur (I, n. 185).

Digitized by Google

Haec recte dicuntur, si agatur de dispensatione data. — Si quis autem committitur ad eam dandam, et deprehendit causis impulsivis inesse falsitatem, debet denuo ad delegantem recurrere, ut licite facultatibus uti possit. *Lehmkuhl*, I, n. 265.

3° *Dispensatio acceptetur.* Ratio: ordinarie Superior non nisi consentienti gratiam facere intendit. — Haec Sanchez, Wernz (apud *Linz. Quart. Schrift*, 1911, p. 127), et est haec sententia communior, et conformior decretis S. Sedis. — Si ergo dispensatio pro inscio vel invito petatur, ejus consensus accedat necesse est (I, 186, 10°).

238. — *Ex his colliges:* 1° Valet dispensatio ex vera causa concessa alicui improbo, quem dispensans probum existimavit, tametsi futurum fuisset ut non dispensaret, si ejus improbitatem cognovisset. Ratio est, quia probitas non habetur ut causa motiva, sed mere impulsiva; nisi de opposito positive constet.

2° Valet dispensatio, si, inter plures causas falsas, allegetur una vera, quae ad dispensandum sufficiat. — Item, *in dubio* an causa obreptitie allegata fuerit motiva an impulsiva, vera an falsa, sufficiens an insufficiens: quia post factum standum est pro valore actus.

3° Valet dispensatio, si causa, falsa tempore petitionis, facta est vera *tempore concessionis;* at non viceversa (cfr. n. 2052). — Hinc valet, v. gr., si, in dispensantis rescripto, error ex *amanuensis* incuria irrepserit; quia concessioni jam factae supervenit. Cfr. *Pyrrh. Corrad.*, Praxis dispens. Apost., l. 7, c. 6, n. 24. Si agatur de gratia facienda, causae verae esse debent tempore quo commissarius dispensationem fulminat.

4° Non ideo subreptitia fit petitio, quia apud Superiorem altioris Ordinis *tacetur denegatio* ex parte Superioris gradus inferioris.

239. — II. Ad validam dispensationem, ex parte concedentis, requiritur, ut potuerit ac voluerit dispensare. Ratio per se patet.

Requiritur 1° UT POTUERIT, juxta exposita n. 230 seqq. — Quocirca notandum est, Superiorem subalternum non posse, *sine justa causa, valide* dispensare in lege Superioris; quia non praesumitur accepisse potestatem temere atque inique dispensandi. — Secus vero, si Superior in propria vel inferioris lege dispensare velit; quia lex ipsa prorsus a sua voluntate pendet. — Notandum praeterea, Superiori subalterno non ablatam esse dispensandi facultatem, eo quod ejus Superior dispensationem petenti negavit. Excipe, si de expressa ejus voluntate quoad hoc constet.

Hinc: 1° Valide S. Pontifex, invalide vero Episcopus dispensat, sine justa causa, in lege communi Ecclesiae, v. gr. in jejunio, abstinentia, etc. Recte ergo docet *D. Thomas* (quodl. 4, 13, c. fin.), Papam dispensare posse, quod sacerdos sine vestibus sacris consecret corpus Christi.

2° Invalida semper est in lege Dei, v. gr. in votis et juramentis, dispensatio facta sine causa (cfr. n. 135, 1°). Quod si causa quidem adsit, sed insufficiens, valebit dispensatio, adjecta aliqua commutatione (III, 254; H. Ap., V, 40).

Digitized by Google

3° Valida est dispensatio, si Superior subalternus etiam mala fide dispenset, judicans non subesse causam, quae tamen revera existit. — Contra, invalida est, si existimat subesse causam, quae reapse non subsistit, aut certe non sufficit; quia valor dispensationis non pendet a cognitione, sed ab existentia causae, ita ut bona vel mala fides dispensantis nihil ad rem faciat. Ita *S. Alphonsus* cum Palao, contra Busenbaum et alios (I, 181; III, 251; H. Ap., II, 53).

Requiritur 2° UT VOLUERIT, atque voluntatem suam aliquo modo significaverit, ut communiter docetur. — Unde non valet dispensatio *praesumpta de futuro* (v. gr. si sciret, dispensaret); quia voluntas futura, seu quae esset, non est absolute voluntas, ideoque non sufficit *ad dispensationem* a lege, utpote *stricte* interpretandam, etsi sufficiat *ad licentiam* utpote *late* interpretandam. — Ceterum, in rebus minoris momenti, facilius per modum epikeiae aliquando procedi potest. — Valet tamen dispensatio *tacita*, ex justa scilicet voluntatis praesentis Superioris praesumptione. Sic., v. gr., Superior, qui videt subditum agere contra legem et non corripit cum facile posset, dispensare censetur; quia in his circumstantiis, si dispensare nolit, loqui tenetur. Secus vero, si absque incommodo corripere nequeat (I, 187; H. Ap., II, 49).

Nota. 1° Dispensatio absenti *mentaliter concessa* non valet, nisi dispensatus certior factus fuerit, concedentem tali hora (v. gr. postquam a Superiore facultatem dispensandi petierit) dispensationem fulminasse. Periculis plenus est hic modus agendi: unde ordinarie illicitus (*Gennari*, Quest. de mor., q. 262).

2° Valet dispensatio *metu extorta*, quotiescumque justa dispensandi causa existit: dummodo non constet Superiorem dispensasse sine animo dispensandi; metus enim non tollit voluntarium. Neque illicitum est necessariam dispensationem per timorem consequi; *modo timor juste incutiatur*, v. gr. minando recursum ad Superiorem, si inferior dispensationem deneget (I, 184; H. Ap., II, 54).

Non extendas tamen hic exposita ad absolutionem a censuris, quae, si fuerit data sub influxu metus injuste incussi, est invalida (n. 1287).

240. — III. Ad licitam dispensationem, tum in concedente, tum in impetrante, requiritur justa causa. Ratio prioris est, quia alioquin Superior committit acceptionem personarum, et dat ansam querelis, dum unus a lege eximitur sine causa, alii vero eadem premuntur (I, 178). — Ratio posterioris est, quia secus subditus petit rem illicitam, et ejus peccati reus est, ad quod inducit Superiorem. Cfr. *Lehmkuhl*, Cas. consc., n. 118.

Notanda. 1° *Superior* potest quandoque, ex justa causa concedere id quod sine causa sufficienti petitur. Sic, v. gr., religiosus indisciplinatus, qui petit sine causa relaxationem suorum votorum simplicium, potest a Superiore dispensari propter bonum commune, et est reipsa a votis solutus.

2° *Peccatum Superioris primarii*, qui in lege propria sine justa causa dispensat (secluso scandalo et notabili damno aliorum), *non excedit veniale*, quia acceptio personarum non est, per se, culpa gravis (I, 178).

Digitized by Google

Superior autem inferioris gradus, si in lege Superioris sine causa dispensat (excipe si adsit parvitas materiae), *peccat mortaliter*. Ratio est usurpatio potestatis sibi non concessae, et praesertim perturbatio ordinis, ex eo quod subditus dispensatione invalida utitur (cfr. n. 239). *S. Alph.*, I, 180.

3° *Justa causa dispensandi* est illa, quae gravitati legis, a qua dispensatur, est proportionata. Nec tamen causa adeo gravis requiritur, ut jam per se a lege eximat. Satis est si talis sit, ut dispensandus, sine acceptione personarum, eximi possit a communi obligatione. Etenim aliae causae per se excusant a praecepto, puta jejunii, Officii divini, etc.; et istae non egent dispensatione, si sint certe vel saltem probabiliter justae (cfr. n. 173). Aliae vero sufficiunt ad dispensationem, sed ea indigent. — Hujusmodi CAUSAE, prudenti quidem arbitrio ponderandae, sunt generatim vel *necessitas*, v. gr. vitandum scandalum; vel *pietas*, v. gr. copiosa eleemosyna in subsidium Ecclesiae, ut praxis fert pro dispensationibus matrimonialibus; vel demum *utilitas*, sive communis, sive privata. Quinimo, causa sufficiens potest esse *dignitas petentis*; quia ad bonum Ecclesiae spectat gratas habere personas eminentes; vel etiam *dignitas Superioris*, ut benignum sese ostendat. — Illud quoque notandum est, si plures adsint causae, quarum nulla sufficiat seorsim, sufficere posse omnes simul (I, 195).

241. — Quaesita. QUAER. 1° *An, stante justa causa, teneatur Superior dispensare?*

Resp. Dist. 1° Si causa sit tantum sufficiens, ut dispensatio sit licita, non autem debita, potest Superior eam concedere et negare, vel uni concedere et alteri negare; quia sicut bono subditi dispensatio expedit, ita etiam bono communi expedit legis observantia.

2° Si causa sit talis, ut reddat dispensationem debitam seu necessariam, tenetur Superior dispensare. Secus peccaret, graviter vel leviter juxta materiam (I, 179; H. Ap., II, 52).

Et hic notandum, dispensationem *deberi* vel ex dispositione juris, quod, tali extante causa, eam tribuendam esse decernit; vel ex necessitate boni communis, v. gr. ad praecavendum scandalum; vel ex justitia, v. gr. ad vitandum grave periculum animae; vel demum ex caritate, quando aliquis dispensatione multum indiget, haecque sine disciplinae dispendio concedi potest.

QUAER. 2° *An liceat subdito petere, et Superiori concedere dispensationem, ex causa dubia?*

Resp. 1° Licet PETERE, et impetrata dispensatione, subditus potest esse securus, si bona fide causam exposuerit; quia Superioris est judicare de sufficientia causae (I, 186). — Quid vero si illicite impetraverit? Vide n. 244.

2° Licet CONCEDERE, in dubio an causa *sit sufficiens;* quia potestas dispensandi (*nisi sit merae commissionis*) est late interpretanda; et, in dubio, dispensans non obligatur ad examen de plena sufficientia causae. Secus vero, in dubio num *adsit* aliqua causa. — In utroque

Digitized by Google

tamen dubio, dispensatio facta praesumitur valida, donec veritas appareat in contrarium (I, 178, 192; cfr. III, 251; ed. G., I, p. 534).

Nota. Cum dubium hic versetur circa *existentiam causae* dispensationis, alia debuit esse conclusio quoad validitatem dispensationis, ac antea n. 234, II, *b*, ubi dubium versatur circa casus ipsos, utrum nempe indigeant dispensatione.

§ 3. De interpretatione et usu dispensationis.

242. — I. Interpretatio, in materia dispensationis, fit juxta regulas sequentes:

1° Potestas dispensandi, etiam delegata, cum sit bono publico favorabilis, late interpretanda est (cfr. n. 253, 2°). — Excipe, si alicui concessa sit per modum commissionis pro certo casu; quia tunc recidit in ipsam dispensationem, et perinde ac ista interpretanda est (I, 187).

Qui accepit facultatem dispensandi, *qua missionarius,* potest ea uti toto tempore missionum, etiam in itinere; qui eam obtinuit, *qua confessarius,* eam exercere potest etiam extra Confessionem, sed nonnisi in eos in quos jurisdictionem fori interni possidet (*Noldin,* I, n. 166). Addunt aliqui hoc posse confessarium etiam in favorem peregrinorum.

2° Ipsa dispensatio, cum sit odiosa et vulnus legis, stricte accipienda est. — Unde si dubitetur an dispensatio ad has illasve circumstantias se extendat, censetur non se extendere. Excipe, « nisi dispensatio sit debita, — vel sit ex motu proprio principis, — vel sit inserta in Corpore juris, — vel tandem nisi concedatur communitati, — ad bonum commune ». In his enim casibus *habetur pro favore,* et late est accipienda (I, 194). Vide perutilem casum apud *Lehmkuhl,* Cas. consc., I, n. 120.

Dicitur autem dispensatio *motu proprio* data, quando concessa est nulla praecedente petitione, vel saltem, independenter ab ea, si qua forsan praecesserit. — Jamvero: 1° Si nulla omnino praecessit petitio, dispensatio motu proprio concessa ita est interpretanda, ut valida habeatur, etiamsi in rescripto Superioris, circumstantia aliqua vera, et alias necessario exprimenda, reticeatur. — 2° Si aliqua petitio praecessit, controvertitur an clausula *motu proprio* praefatam habeat efficaciam (cfr. *Salmant.,* tr. 18, c. I, n. 73-80).

243. — II. Ad dispensationis usum quod attinet, notandum est, illum usum aliquoties determinato loco definiri, et aliquoties nullis circumscribi terminis. — Nam sicut dantur leges locales, et leges personales; ita dantur etiam dispensationes *locales,* et dispensationes *personales.*

1° Si dispensatio data est pro *aliquo determinato loco* (v. gr. si quae dioecesis dispensata est a lege, quae christianos intra Quadragesimam ad abstinendum ab ovis et lacticiniis obligat), dispensatione uti possunt *omnes qui in illa dioecesi versantur,* sive sint incolae, sive peregrini, sive vagi; nemo vero

Digitized by Google

extra dioeceseos territorium. Ratio est, quia dispensatio ex speciali dioecesis necessitate concessa fuit, ideoque dioecesi quasi adhaeret.

2° Si quis *personaliter* in lege universali dispensatus fuit, vel ab ipso legislatore, vel ab ejus delegato, dispensatione *ubique locorum* uti potest. Sic, v. gr., dispensatus a suo Episcopo in lege abstinentiae, carne vesci potest etiam extra suam dioecesim. Ratio est, quia Episcopus dispensavit nomine auctoritatis universalis, et quia dispensatio concessa censetur ob motivum personale, quod *ossibus haeret* (cfr. n. 1247).

244. — QUAERITUR. *An peccet, qui utitur dispensatione* VALIDE *quidem, sed* ILLICITE *impetrata?*

Resp. Probabiliter non peccat; quia, etsi fraudulenter egerit, v. gr. mendaciter exponendo causas impulsivas, vel metum injustum incutiendo, cum sit tamen valida dispensatio ob causam motivam, ut supponitur, ipse jam non est amplius sub lege (I, 178; H. Ap., II, 46).

§ 4. De cessatione dispensationis.

245. — Cessatio dispensationis tribus modis contingere potest: 1° per cessationem causae; 2° per revocationem dispensantis; 3° per renuntiationem dispensati.

I. Cessat regulariter dispensatio, vel commissio dispensandi, cessante TOTALITER et CERTO causa MOTIVA. Sic, v. gr., exspirat dispensatio non jejunandi, tibi initio Quadragesimae concessa ob infirmitatem, quando plene convaluisti. — Perdurat vero, cessante tantum causa *impulsiva,* quia haec non fuit ratio dispensationis; — item, si causa motiva cessat tantum *partialiter;* quia adhuc superest, in parte subsistente, ratio sufficiens dispensationis; — item, si causa motiva *dubie* cessat, quia in dubio possessio stat pro dispensatione (I, 196; H. Ap., II, 66).

Diximus: REGULARITER; nam, etiam cessante totaliter et certe causa motiva, non ideo cessat dispensatio: 1° si dispensatio jam *effectum* suum sortita sit, v. gr. si dispensatus ad beneficium obtinendum jam illud sit adeptus; 2° si dispensationi addita fuerit aliqua *commutatio* onerosa, v. gr. solutio pecuniae; 3° si dispensatio data fuerit *absolute,* i. e. sine tacita illa conditione « si causa perduret », cum nempe conceditur ex causa, quae de se perpetua est, vel perpetua existimatur, v. gr. ob penuriam sacerdotum, ob morum honestatem, ob egestatem parentum, etc.: semel enim sublata per talem dispensationem legis obligatione, haec (juxta sententiam satis probabilem) non redit, nisi iterum a Superiore imponatur (I, 195; *Salmant.,* de Leg., c. 5, n. 87).

Hoc etiam notandum est, quod dispensatio ABSOLUTE data *non exhauritur uno actu,* nisi fuerit pro speciali casu concessa. Sic dispensatus a voto castitatis ad matrimonium contrahendum potest, mortua conjuge, ad secundas nuptias transvolare; modo dispensatio data non fuerit pro *illo solo casu,* v. gr. ad ducendam virginem a se defloratam (I, 196; *Lehmkuhl,* I, n. 269).

246. — II. Cessat dispensatio per REVOCATIONEM dispensantis, *dispensato notificatam* (cfr. 233, 1°). Quo tamen in casu, distinguendum est: 1° Si revocatio fit a *Superiore* in lege sua, valida est, etsi sine

Digitized by Google

causa; quia obligatio et deobligatio a legislatoris voluntate pendent. Peccat tamen (sed leviter) qui sic revocat, quia agit inordinate. — 2° Si revocatio fit a Superiore secundario seu a *delegato,* deficiente justa causa revocandi, non solum illicita est, sed etiam invalida; propterea quod facultas revocandi non est in arbitraria ejus potestate (I, 197; H. Ap., II, 67).

An autem cesset dispensatio morte concedentis? — *Resp.* Pendet ex terminis concessionis. — Si *absolute* concessa est; aut cum clausula *donec revocetur;* aut *ad arbitrium Sedis Apostolicae,* vel *Episcopi,* NON CESSAT. — Secus autem, si clausulam habet *donec nobis placuerit,* vel *ad arbitrium nostrum;* modo tamen res adhuc sit integra, puta si confessarius nondum inceperit audire dispensati confessionem (cfr. n. 233).

247. — III. Cessat dispensatio per RENUNTIATIONEM dispensati, dummodo *renuntiatio acceptata sit* a Superiore. — Ratio hujus est, quia, etsi subditus possit cedere juri suo (si renuntiatio non redundet in damnum alterius), solus tamen Superior (in lege propria) potest denuo ligare voluntatem, quam rite et valide a lege solverat.

Sic, v. gr., si Petrus, obtenta dispensatione ducendi consanguineam, extraneam duxerit, potest, mortua conjuge, ducere primam; modo Superior dispensationem non revocaverit. — Item, qui obtinuit dispensationem ab Officio divino recitando, a servando jejunio, potest dispensatione uti, etsi interim Officii et jejunii legem servaverit (I, 198).

SCHOLIUM.

De dubio circa necessitatem dispensationis.

248. — *Quid agendum,* quaeres, *in dubio* AN CASUS DISPENSATIONE INDIGEAT?

Resp. 1° Si dubium est JURIS, i. e. si dubitatur *an casus in lege comprehendatur,* sive dubium sit negativum, sive positivum, non requiritur dispensatio, quia hoc idem est ac dubitare de ipsa lege, an imposita sit pro illa materia. « Potest proinde subditus uti sua libertate. — Consultius tamen est, tunc adire praelatum qui declaret vel dispenset; cum in tali dubio bene possit etiam praelatus inferior dispensare, sine concessione legislatoris » (cfr. n. 55). Vide *S. Alph.,* I, 192; ed. G., I, p. 172; cfr. *Salmant.,* tr. XI, c. 5, n. 45, quorum doctrinam refert.

2° Si dubium est FACTI, i. e. si positive dubitas *an adsit causa excusans a lege,* v. gr. pro opere servili die dominica exercendo; aut etiam an *causa quam habes, sufficiens sit ad te excusandum,* dispensatio per se necessaria est; quia, in hoc utroque casu, possidet lex antecedenter ad tuam libertatem, et ideo verius est, te teneri ad legem [1]. — Secus tamen esset, si vere et unice probabile foret, causam esse sufficientem, seu sat gravem, ad te eximendum; vel si aliud accederet principium, v. gr. jus naturale et certum servandi sani-

[1] En verba *S. Alphonsi,* I, n. 97; ed. G., I, p. 77: « Quidquid dicat Salas, verius est te teneri ad legem: quia tunc possidet lex antecedenter ad tuam libertatem ». Cfr. I, 99; III, 1032, 1049; H. Ap., XII, 34; Conf. dir., XII, 10.

Digitized by Google

tatem, etc., casu quo timeatur, ne legis observatio sit graviter nocitura (recole dicta n. 223, 241, q. 2). Cfr. *S. Alph.*, III, 1036.

Nota quae scribit S. Doctor, III, n. 1049 in fin.; ed. G., II, p. 439: « Si quis non habeat causam absolute sufficientem ad eum excusandum a jejunio, et aliqua ratio ipsi probabilis et justa appareat, qua tantum bis vel ter in hebdomade jejunet, non est urgendus ad jejunandum, etiamsi causa illa non omnino sufficiat, sed relinquendus in sua bona fide, ne ipse forte deinde omnia jejunia culpabiliter omittat ».

Si agatur de dispensatione super impedimentis matrimonii, videsis n. 2046.

ARTICULUS IV.

De privilegio.

S. Alphonsus, de Privil.; ed. G., I, p. 187; *Suarez*, de Leg., l. 8, c. 1 et 22; *Salmant.*, tr. 18.

249. — DEFINITIO. Privilegium definitur: Lex privata aliquod speciale concedens beneficium. — Dicitur *lex*, non quidem imposita privilegiato, cujus respectu est gratia, sed communitati, quae tenetur non impedire usum privilegii. Unde est de se jus stabile, et si limitetur ad paucos actus, vel ad breve tempus, hoc est praeter naturam privilegii. Dicitur: *privata*, quia privilegia regulariter cum personis privatis communicantur; — *speciale concedens privilegium*, quia est vel contra vel praeter jus.

DIVISIO. Privilegium multipliciter distinguitur:

1° Ratione materiae, habetur: *a*) privilegium *contra* jus, vel *praeter* jus, prout per illud alicui legi derogatur, vel non. Sic, v. gr., exemptio a jurisdictione Ordinarii est privilegium contra jus; potestas dispensandi est praeter jus. — Habetur *b*) privilegium vel *favorabile*, quod privilegiato confert commodum, nullique affert incommodum: v. gr. privilegium audiendi missam tempore interdicti; vel *odiosum*, quod uni confert commodum, et alteri praejudicium: v. gr. exemptio a tributis, quae alios onerat (cfr. n. 253, 2°).

2° Ratione subjecti, cui conceditur privilegium est reale vel personale. — *Reale* dicitur, quod directe conceditur alicui rei, muneri, vel conditioni distinctae a persona: v. gr. altari cuidam, ut indulgentia plenaria, applicabilis defunctis, a celebrante in eo impetretur; item Episcopo qua tali, seu, ejus vel sedi, vel officio, aut communitati cuidam. — *Personale* est, quod immediate datur personae ratione sui, ut privilegium absolvendi a reservatis, confessario cuidam concessum.

3° Ratione causae, privilegium est *gratiosum* vel *remuneratorium*, prout sine ullo respectu ad merita privilegiati aut aliorum, v. gr. parentum, vel propter ea conceditur. — Iterum, est *conventionale* vel *purum*, prout pacto aliquo interveniente, aut eo non interveniente, obtinetur.

Digitized by Google

4° Ratione formae, privilegium est vivae vocis vel scriptum. — Privilegium *vivae vocis* est illud, quod conceditur oretenus, tametsi, ad obtinendam fidem in foro externo, litteris consignetur atque authentico testimonio communiatur. Privilegium *scriptum* est illud, quod per authenticam scripturam obtinetur. Est diversae auctoritatis, prout est *clausum in Corpore juris,* seu Corpori juris communis insertum, ut, v. gr., privilegia Ecclesiarum et clericorum; vel datum *extra Corpus juris,* per rescriptum speciale (*Gennari,* Quest. de droit can., q. 452).

5° Ratione durationis, privilegium est *perpetuum* vel *temporale,* prout conceditur per se illimitate, aut limitate, v. gr. ad septennium, *donec vixero,* etc. (cfr. n. 233).

Sunt aliqua privilegia quae conceduntur *primo* et *per se,* sine respectu ad alios, quibus idem privilegium forsan jam datum est; sunt et alia quae conceduntur *ad instar,* i. e. secundum modum quo jam alteri sunt concessa. — Si haec ultima *aeque principaliter* dantur, non mutantur, quantumvis augeantur vel decrescant privilegia ad quorum instar concedebantur; si dantur *accessorie, indirecte,* mutationes privilegiorum primitus concessorum in se assumunt.

His praemissis, pauca dicemus: 1° de acquisitione, 2° de usu, 3° de interpretatione, 4° de cessatione privilegii.

§ 1. De acquisitione privilegii.

250. — Acquiritur privilegium: vel *directe,* per concessionem Superioris, aut per legitimam consuetudinem; vel *indirecte,* per communicationem.

1° Directe. Ad potestatem legislativam, ad eamque solam, pertinet privilegia concedere: tum quia solus legislator potest a legibus eximere, tum quia obligandi sunt alii, ne privilegiatum in usu gratiae impediant. — Privilegium *contra* jus a legislatore solis subditis concedi potest, quia importat dispensationem; unde, contra jus commune, solus Pontifex privilegia indulgere valet. — Privilegia vero *praeter* jus concedi possunt etiam non subditis, quia talis concessio est *ad instar donationis* (*Bened. XIV,* de Syn., l. 7, c. 9, n. 3).

« Ut privilegium deroget juri communi, *non requiritur* clausula derogatoria; praesumitur enim princeps jam scire leges communes. — Excipitur tamen: 1° si privilegium non posset suum effectum sortiri sine hac expressa derogatione; — 2° si in lege, cui derogatur, esset apposita clausula: *non obstante quocumque privilegio;* hoc intelligitur dummodo in privilegio non exstet clausula: *ex certa scientia,* vel *ex plenitudine potestatis;* — 3° si privilegium est contra aliquam consuetudinem, aut legem municipalem, seu localem: his enim non derogatur, nisi de illis specialis mentio fiat » (de Privil., n. 2).

2° Indirecte. Privilegium acquiritur *per communicationem,* quando Superior privilegium uni concessum etiam ad alterum extendit;

Digitized by Google

sic, v. gr., inter Ordines mendicantes fit communicatio privilegiorum (ib., n. 9).

Datur duplex COMMUNICATIO, nempe in forma communi seu ordinaria, et in forma speciali seu extraordinaria. — Per communicationem *in forma communi* concedi solent sola illa privilegia, quae sunt facilis concessionis, juxta regulam juris: « In generali concessione non veniunt, quae non esset quis verosimiliter in specie concessurus ». — Per communicationem autem *in forma speciali* conceduntur omnia et singula privilegia, etiam insolita et quae rarae et difficilis sunt concessionis.

Signa ex quibus *specialis* haec forma dignoscitur, habentur in certis clausulis, quae, vel ex antiquissimo tempore, adhiberi solent in Apostolicis concessionibus; quales sunt: *ex motu proprio, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis, pariformiter, aeque* ac *principaliter*, etc. (ib., n. 5).

§ 2. De usu privilegii.

251. — Uti suo privilegio *per se* non tenetur privilegiatus; nam nemo jure suo necessario uti debet.

Tenetur tamen *per accidens:* 1° si ex non-usu grave damnum proximo esset illaturus; sic confessarius habens privilegium absolvendi a reservatis, post auditam confessionem, tenetur illo uti; — 2° si privilegium cedit in bonum commune, ut immunitas ecclesiastica; — 3° si per privilegii usum, observantia praecepti possibilis fit: sic infirmus, qui habet privilegium oratorii privati, et facile potest audire sacrum in die festo, tenetur eo uti, ut audiat sacrum de praecepto [1]; — 4° si privilegium est reale, addictum loco, dignitati vel statui, ut sunt privilegia concessa Episcopis et regularibus (ib., n. 3).

Nota. Qui habet privilegium *pro foro poenitentiae*, absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis, valde probabiliter eo uti potest *etiam extra sacramentum*, etiamsi facultas concepta esset his terminis « sacerdoti confessario ». Haec enim verba stricte denotant sacerdotem pro confessione approbatum, non autem audientem confessiones (ib., n. 4).

252. — **Quaeres.** *An et quandonam privilegia Ordinariis locorum manifestari debeant?*

Resp. Privilegiati Ordinariis locorum privilegium suum, aut apographum ejusdem fide dignum, exhibere tenentur: 1° *licet non requisiti*, et priusquam iis uti possint, si agatur de privilegiis cum clausula: *certioratis locorum Ordinariis*, vel de *novis* indulgentiis publicandis; 2° *requisiti* (at quin interim usu privilegii interdici possint), si agatur de privilegio exemptionis Instituti cujusdam religiosi, ubi illud non foret satis notorium. Non tamen integrum codicem requirere potest Episcopus, sed sola privilegia, de quibus dubitat: unde debet indicare causam cur petat.

[1] Cfr. quae n. 680 dicentur. — Nota verba cl. *Lehmkuhl*, I, n. 320: ad usum privilegii per accidens obligari posse, *si virtus aliqua hoc exigit*.

Digitized by Google

Sufficit ut exempti Episcopo tradant *transcriptum*, a Superiore (Provinciali) subscriptum et sigillo munitum, cum nota: concordare ipsum cum originali. — Si privilegium est notorium, indicetur Episcopo fons ubi documentum publicum legere poterit.

Nota. Praelati regulares possunt subditis usum privilegiorum auferre, vel limitare (ib., n. 6, in fine).

§ 3. De interpretatione privilegii.

253. — Interpretatio privilegii fit, vel *authentice*, vel *doctrinaliter*.

1° Authentice privilegia interpretari possunt princeps, vel alii quibus a principe commissum est.

Hic notandum est: « *a*) Episcopi a Clemente IV et aliis Pontificibus prohibentur interpretari juridice privilegia regularium. Attamen, casu quo Sedes Apostolica consuli nequit, ab Alexandro VI et Paulo III id concessum est jurisperitis, ceterisque judicibus, in favorem regularium. — *b*) Idem concessum est Generalibus, visitatoribus, et etiam provincialibus, et praelatis immediatis, quoties ipsi peritos consulunt. Idem locum habet in interpretatione regularum, constitutionum et consuetudinum » (ib.).

2° Doctrinaliter privilegia interpretari potest quicumque vir doctus; et ipsius resolutioni licet acquiescere, ut omnes affirmant (confer n. 171, 172).

Interpretationis regulae assignantur sequentes:

1° Omne privilegium ita interpretandum est, ut privilegiato nec inutile sit, nec onerosum.

2° Privilegium est large vel stricte interpretandum, prout est favorabile vel odiosum. — *Odiosum* autem dicitur privilegium, quod derogat juri communi, aut statutis vel consuetudinibus particularibus, quae non sunt contra jus commune, vel quod in aliorum cedit detrimentum; secus est *favorabile*. — *Stricte* ergo interpreteris, v. gr., privilegium *illegitimo* concessum ad ordines recipiendos: nempe restringe ad ordines minores. Facultates autem religiosis concessas *large* extendas etiam ad religiosas congregationes et novitios.

Odiosum autem favorabili *aequiparatur*, et large interpretandum est, si vel *a*) insertum sit in Corpore juris; vel *b*) reale sit; nam ob suam perpetuitatem habetur tanquam insertum in Corpore juris; vel *c*) concessum sit cum clausula: *ex certa scientia, ex motu proprio;* vel *d*) sit privilegium absolvendi, dispensandi aut communicandi illud cum aliis; vel *e*) si secus redderetur inutile.

« Privilegia vero in praejudicium aliorum, cujusmodi essent ad obtinenda plura beneficia, aut ad conferenda beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem, stricte sunt interpretanda, etiamsi concessa fuerint ex motu proprio » (ib., n. 7).

3° Privilegia concessa alicui Ordini, communitati, aut ad aliquam piam causam, interpretanda sunt, juxta communissimam sententiam, non modo late, sed *latissime*, etiamsi juri communi, vel juri alicujus tertii, adversentur. Ratio est, quia concessa praesumuntur tanquam remuneratoria servitiorum praestitorum, ideoque censentur maxime favorabilia.

4° Ubi in privilegio habetur clausula: *quatenus sacris canonibus non adversetur*, de his tantum canonibus intelligitur, in quibus est expressum: *non*

Digitized by Google

obstante quocumque privilegio. — Ubi vero habetur clausula: *supplentes singulos defectus,* intelligitur tantum de defectibus earum rerum, quae requiruntur de jure positivo, de defectibus solum accidentalibus, non vero de defectibus de jure naturali, aut substantialibus ; ut, si supplicans foret excommunicatus, vel si supplicatio foret subreptitia aut fraudulenta, etc. (ib., n. 8).

5° Privilegia alicui concessa, non qua personae particulari, sed ratione sui officii aut dignitatis, vel qua membro illius communitatis, intelliguntur concessa *omnibus aliis* ejusdem officii aut communitatis. — Sic etiam concessa subditis, praelatis inferioribus, conventui, etc., censentur collata praelatis superioribus, aliis conventibus ejusdem Ordinis, et aliorum etiam, quibuscum habetur communicatio, cum scilicet eadem vel similis ratio militat (*Salmant.*, tr. 18, c. 1, n. 108).

Privilegia autem data ad tempus determinatum, vel per Brevia particularia et ob specialem causam, vel in rebus difficilis concessionis, *non communicantur.* — Plura vide apud S. Alphonsum, vel apud Salmanticenses.

§ 4. De cessatione privilegii.

254. — Cessat privilegium : 1° *Ipso facto,* vel interitu rei totalis aut personae, cui addictum est privilegium reale aut personale ; vel lapsu temporis ad quod datur; vel defectu conditionis sub qua conceditur; vel demum exhausto numero casuum, ad quos limitatum est.

2° Per *renuntiationem,* expressam vel tacitam, si leges ita statuunt. — Si privilegium sit *singulare,* i. e. si contineat privatum favorem personae, haec utique juri suo renuntiare potest ; sed ut valida sit renuntiatio, debet innotescere illi, qui privilegium concessit, ab eoque acceptari. — Si privilegium sit *commune,* ut exemptio Ordinis pro religiosis, privilegium canonis, fori et competentiae pro clericis, privati nullatenus ei renuntiare possunt.

3° Per *non-usum,* vel *usum contrarium* spatio temporis ad praescriptionem sufficienti, si privilegium sit *odiosum,* et se obtulerit occasio illo utendi ; quia, in hoc casu, censetur adesse tacita illius renuntiatio. Sic, qui habet privilegium non solvendi decimas, et eas tamen scienter et libere solvit, privilegium amittit. — Id pro foro externo ; nam in conscientia non amittit privilegium, qui animum non habet renuntiandi. — Si privilegium sit *gratiosum,* absque gravamine pro aliis, ut facultas absolvendi, dispensandi, non jejunandi, celebrandi ante auroram, etc., non amittitur per non-usum, nec per usum contrarium, etsi longissimi temporis. Ratio, quia nemo est qui habeat jus querelam de eo movendi, aut contra ipsum praescribendi (cfr. *A. A. S.,* III, p. 450).

4° Per *abusum ;* quia privilegium meretur amittere, qui eo abutitur. Ad id tamen requiritur sententia saltem declaratoria, nisi privilegium datum sit sub aliqua conditione, quam ipse abusus tollit.

Digitized by Google

5° Per *revocationem* expressam vel tacitam. — Revocatio *tacita* fit per novam legem, quamvis non adsit clausula revocatoria, quando aliter nova lex non potest suum effectum sortiri; neque enim dici debet conditam fuisse legem inutilem. — Revocatio *expressa* fit per clausulas legi insertas. Quoad privilegia a Trid. revocata, vide *Card. Sanfelice,* Fundam. Juris can., P. II, p. 138.

Sufficit ordinarie clausula generalis: *non obstantibus privilegiis,* nisi haec sint specialiter firma, sicut sunt: privilegia onerosa, vel, ob justitiam, remunerativa (v. gr. religiosorum), vel concessa cum clausulis, quae pro derogatione mentionem specialem requirunt, vel inserta in Corpore juris. Si vero revocatio dicatur facta *ex certa scientia, ex motu proprio, de plenitudine potestatis,* vel si certo constet de mente legislatoris, tunc revocatur quodcumque privilegium; exceptis onerosis, nempe concessis ob pretium a privilegiato tributum, vel ob onus ei impositum. Haec enim valide revocari nequeunt, nisi adsit justa causa, et detur compensatio. Et idem DD. communiter affirmant de privilegiis, ob justitiam, remuneratoriis (*Salmant.*, tr. 18, c. 2, n. 26).

Nota. De privilegiis clericorum, Episcoporum et regularium, in specie, dicetur in parte IV, *de praeceptis particularibus.* — Interim plura vide, si lubet, apud *S. Alphonsum,* vel apud *Salmanticenses,* vel apud *Bouix,* de Jure Regularium; *Bargilliat,* Prael. Juris canonici.

CAPUT VI.

De cessatione legis.

S. Alphonsus, I, 199; ed. G., I, p. 176; *Aertnys,* I. I, n. 193. — Quoad consuetudines, vide *Reiffenstuel, Pirhing, Santi, Laurentius, Heiner, Aichner* in tit. de Consuetudine.

255. — Lex CESSARE dicitur, cum totam communitatem obligare desinit, ita ut nova promulgatione opus esset, si legislator illam denuo obligare vellet. — Hoc fieri potest: tum *a*) *ab intrinseco,* seu ex parte ipsius legis, per cessationem nempe ejus causae finalis; tum *b*) *ab extrinseco,* sive ex parte solius legislatoris, per legis abrogationem et derogationem, sive etiam ex parte subditorum, per desuetudinem vel consuetudinem contrariam, aliquo consensu legislatoris firmatam.

Hinc de tribus agendum est: 1° de cessatione legis ab intrinseco; 2° de abrogatione et derogatione legis; 3° de consuetudine, de qua, ob rerum connexionem, disserendum restat, non solum quatenus contrariatur legi, sed etiam quatenus legem inducit, vel interpretatur.

ARTICULUS I.

De cessatione legis ab intrinseco.

Praenotanda. 1° Finis adaequatus legis est ille, qui est legis, vel praecepti, finis totalis. — Hic finis potest esse vel *unicus,* v. gr. si praecipiantur preces solum ad obtinendam pacem; vel potest coalescere *ex pluribus,* ut in lege prohibitionis librorum: cujus finis est, tum ut vitetur damnum nocuae

Digitized by Google

lectionis, tum ut praestetur obedientia Ecclesiae in rebus tam perniciosis, tum praesertim ne detur pravis scriptoribus ansa disseminandi novitates et obnoxias doctrinas (H. Ap., II, 70).

2° Finis legis potest duplici modo sive pro communitate, sive pro tali subdito cessare: *a*) *contrarie,* cum lex nempe, mutatis circumstantiis, redditur nociva, injusta, vel saltem valde difficilis; *b*) *privative,* cum evadit inutilis, v. gr. quia bonum quod legislator intendebat, vel perfecte jam obtentum est, vel deinceps non amplius obtineri potest.

256. — PRINCIPIA. I. **Cessante in contrarium et in communi fine legis, lex etiam ipso facto cessat.** Ratio patet ex dictis de natura legis: quia statim ac lex in communi, i. e. respectu totius aut saltem majoris partis communitatis, evadit nociva, iniqua vel moraliter impossibilis, jam non est ordinatio rationis ad bonum commune, et ideo non est lex.

Si lex vere nociva fiat, aut valde difficilis, non pro communitate, sed pro privato, *locus datur epikeiae.* Lex tamen in iis circumstantiis non cessat, sed ejus obligatio solum suspenditur. Sic, qui die jejunii non habet nisi carnes ad vescendum, non tenetur ad abstinentiam. — Vide dicta de lectione libri prohibiti, in casu urgenti (n. 192). — Cfr. quae docet *S. Alph.*, VI, 613; ed. G., III, p. 639, ubi sermo est de parocho qui deprehendit impedimentum, quando omnia jam sunt parata ad nuptias.

257. — II. **Cessante privative fine adaequato legis, in communi, lex similiter ipso facto cessat.** Sic, si quis vovit non ingredi aliquam domum ob periculum fornicationis, cessante hoc periculo, cessat et votum. — Ratio, quia lex cum sit inutilis, vim amittit obligandi. Ita D. Thomas et Salmanticenses cum communi (I, 199).

Diximus 1° Cessante *fine adaequato;* nam si partialis tantum cesset finis, lex minime cessat. Tunc enim manet in reliqua parte causa finalis, ac proinde ipsa lex manet: intelligitur, dummodo causa, quae remanet, sit adhuc sufficiens. Sic, v. gr., oratio imperata pro pace obtinenda et peste fuganda non cessat, si, pace obtenta, epidemia grassari pergit.

Si vero in particulari casu, pro aliquo brevi tempore, lex evadat *communitati* inutilis, eadem stat conclusio, ac in numero praecedenti (cfr. etiam n. 173); suspenditur obligatio.

2° *In communi,* i. e. respectu totius aut saltem majoris partis communitatis; quia si finis legis cesset in casu tantum particulari, et quoad *privatum,* non ideo cessat lex ipsa pro communitate.

3° *Cessat lex ipso facto,* i. e. non est expectanda declaratio legislatoris, vel contraria consuetudo, ut omnes cum Salmanticensibus (de Leg., c. 4, n. 4) contra paucos affirmant, et recte quidem; nam ubi essentialia legis deficiunt, lex per se corruit. — Sufficit igitur ut mihi in particulari constet, vel probabile sit (per rationes scilicet vere seu expedite probabiles) cessasse in communi finem legis adaequatum. Secus vero, si dubitem per rationes leves aut aequiprobabiles, ut pluries demonstratum est.

Digitized by Google

258. — III. Cessante in casu particulari, privative, fine legis adaequato, lex non cessat.

Ratio: ad bonum commune conducit, ut omnes legibus adstringantur, etiamsi credant ipsas pro se esse inutiles. Adde quod in his magnum ordinarie aderit hallucinationis periculum (*S. Thom.*, 2. 2, q. 154, a. 2).

Ratio haec maxime tunc urget, quando agitur de legibus fundatis in praesumptione juris. Sic, v. gr., sponsi non eximuntur a bannorum proclamatione, tametsi prudenter judicent nullum existere matrimonii impedimentum (I, 199; VII, 237; Istruz., II, 74; Conf. dir., II, 23; 2 El. q. reform., n. 5).

Nota. Addit tamen *S. Alphonsus* (I, 199): « Si aliquando casus accideret, quo aliquis omnino certus et securus esset abesse omne hallucinationis periculum; tunc non auderem improbare sententiam (dicentium, quod tunc, in casu particulari, lex cesset) ».

In hujusmodi tamen circumstantiis facile legis dispensatio conceditur (*Suarez*, l. 6, c. 18, n. 24).

ARTICULUS II.

De legis abrogatione et derogatione.

259. — I. ABROGATIO legis est illius perfecte obligantis abolitio totalis. — Haec fieri potest, sive per expressam Superioris revocationem, sive per legem posteriorem, quae anteriori legi repugnat.

Differt ab *irritatione* seu *annullatione*, quae est legis nondum perfecte obligantis abolitio, facta ab eo, cujus est illam habere ratam. Sic, v. gr., quando Papa non approbat Concilia suae approbationi proposita, ea irritat (*Bened. XIV*, de Syn., l. 5, c. 4, n. 3).

II. DEROGATIO est legis perfecte obligantis abolitio *partialis*.

260. — Circa utramque hujusmodi cessationem legum, tres statuuntur *regulae:*

1° Legum ecclesiasticarum abrogatio, vel derogatio, ordinarie fieri solet *per novas leges* cum anterioribus legibus *incompossibiles*, quin anteriores illae leges expresse revocentur. — Ast sedulo observandum est, anteriores leges nunquam per posteriores leges abrogatas censeri, nisi his posterioribus omnino sint contrariae; nam quotiescumque contrarietas aliquo modo explicari potest, legum correctio, quoad fieri potest, vitanda est.

2° Per legem generalem nunquam abrogatur lex particularis alicujus loci, nisi expresse dicatur: *non obstante quacumque lege particulari*, vel: *ex nostra certa scientia*. Ratio est, quia legislator censetur ignorare leges particulares, non autem leges communes (I, 199; H. Ap., II, 71).

Digitized by Google

3° Ut lex *valide* a legislatore, vel ab ejus successore, abrogetur, nulla requiritur causa; siquidem tota vis legis a voluntate legislatoris pendet. — Ut autem *licite* revocetur, necessaria est causa justa, respiciens bonum commune.

Imo, juxta *D. Thomam* (1. 2, q. 97, a. 2), leges non sunt mutandae pro quacumque melioratione, sed pro magna utilitate vel necessitate. — Ratio est, « quia ad observantiam legum, ***plurimum valet consuetudo,*** in tantum quod ea quae contra communem consuetudinem fiunt, etiamsi sint leviora de se, graviora videntur: unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, in quantum tollitur consuetudo; et ideo nunquam debet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur ».

ARTICULUS III.

De consuetudine.

Praenot. Hic agitur de *sola lege humana,* quae per consuetudinem immutari vel tolli potest. Contra legem naturalem vel divinam non potest dari consuetudo. Lex tamen divina, *quoad objecti extensionem,* poterit per consuetudinem magis explicari: v. gr. quoad accusationem peccatorum externorum.

261. — Definitio. Consuetudo est vel facti, vel juris. — Consuetudo *facti* (seu materialis) est similium alicujus communitatis actuum frequentia. — Consuetudo *juris* (seu formalis), de qua hic agimus, definiri solet: Jus non scriptum, diuturnis populi moribus, cum aliquo consensu legislatoris, inductum.

Divisio. Consuetudo est vel juxta, vel praeter, vel contra legem.

1° Consuetudo *juxta legem* est ea, quae conformis est legi praeexistenti. — Talis consuetudo legem conditam diuturno usu firmat vel interpretatur (cfr. n. 170).

2° Consuetudo *praeter legem* est ea, quae nec lege praecipitur nec legi adversatur, uti esset, v. gr. consuetudo missam extra dies festos audiendi. — Talis consuetudo potest inducere jus novum, ubi lex deficit.

3° Consuetudo *contra legem* est ea, quae legi adversatur, ut sunt, v. gr., in officiis divinis multae caeremoniae, quas non agnoscunt decreta romana (cfr. n. 1638). — Talis consuetudo introducit jus legi contrarium, vel abrogando legem, vel ei derogando, sive quoad ipsam obligationem, sive saltem quoad poenam a lege statutam. — « Potest etiam consuetudo validare contractum lege irritatum, et introducere nova impedimenta irritantia matrimonium » (I, 107), et sic habemus impedimentum disparitatis cultus.

His praemissis, agendum venit: 1° de conditionibus legitimae consuetudinis; 2° de consuetudinis prohibitione et abrogatione.

Digitized by Google

§ 1. De conditionibus legitimae consuetudinis.

262. — Conditiones, ut consuetudo jus constituat, aliae requiruntur ex parte communitatis, aliae ex parte objecti, aliae ex parte principis.

I. Ex parte communitatis. Consuetudo induci debet *a communitate legis capaci,* aut saltem a majore ipsius parte, per actus *publicos, frequentes, liberos, non interruptos,* et cum intentione jus constituendi *per longum tempus* positos.

Dicitur 1° *A communitate,* non qualicumque, sed *legis capaci,* i. e. quae sit capax potestatis legislativae pro seipsa, vel saltem sufficiens, ut ipsi vera lex imponi possit (cfr. n. 109, 4°).

2° *Aut saltem a majore ipsius parte;* quia obligatio inducitur a communitate, consentiente principe; sed a communitate revera non induceretur, si minor tantum pars consuetudinem servaret. Major autem pars communitatem jam moraliter repraesentat.

3° Per actus *publicos:* ut omnes de populo, vel major pars in praestando consensu possint convenire, et talis consuetudo possit esse nota principi; ideoque actus debent esse publici, saltem notorietate facti.

4° Per actus *frequentes;* non enim sufficiunt duo vel tres actus, ut aliqui minus recte autumarunt; sed requiritur ut actus sint repetiti per plures vices, juxta prudentum arbitrium, ut ex illis rationabiliter colligi possit communitatis consensus (I, 107, 3°).

5° Per actus *liberos,* i. e. non ex vi, metu aut errore exercitos; populus enim praesumi non potest velle jus stabilire, per actus quos ipse sive repugnans, sive ex mero errore ponit: neque ipse Superior, in istiusmodi adjunctis, consentire censetur (H. Ap., II, 79, 80).

6° Per actus *non interruptos,* i. e. usu continuato firmatos, quia si populus unum solum actum consuetudini contrarium posuerit, vel princeps actus populi punierit, praescriptio contra legem esset denuo inchoanda.

7° Per actus *cum intentione jus constituendi positos,* i. e. cum intentione legem sibi imponendi, si *praeter* jus; vel a lege se eximendi, si *contra jus* consuetudo introducatur. Ratio est, quia tunc tantum praesumitur princeps acquiescere communitati. — Animus autem se obligandi sub gravi colligitur ex circumstantiis, nempe si consuetudo constanter observetur, cum non levi incommodo, si puniantur transgressores, si ita pii homines communiter sentiant (cfr. n. 1224, 1° et n. 2204, 3°). Vide *S. Alph.,* III, 1009, dub. 3; IV, 142, ubi de obligatione recitandi officium, quam consuetudo monialibus et religiosis imposuit.

Ex quo inferes: 1° Non induci consuetudinem *praeter legem,* si populus aut major ejus pars agat ex devotione, gratitudine aut simili motivo, v. gr.

Digitized by Google

recitando angelicam salutationem ad campanae signum. — 2° Neque invalere *desuetudinem*, aut consuetudinem *contra legem*, si lex solum inconsiderate et animo ipsi non satisfaciendi violetur [1]; aliqua enim sese deobligandi intentio requiritur. Nihilominus, si lex diu bona fide, nempe ex legis ignorantia, non observetur, via praescriptionis invalere potest. Sufficit nempe ut, cum opinione quod lex non existat, populus eam bona fide non observet (H. Ap., II, 80).

8° *Per longum tempus positos*, quod tamen diversum est, secundum quod habeatur principis consensus personalis vel legalis (cfr. n. 264). Stante consensu personali ex parte principis, non requiritur ad legitimandam consuetudinem tempus tam diuturnum; stante vero consensu legali, *sufficit decennium*, ut inducatur consuetudo praeter legem, vel consuetudo contra legem nondum usu receptam, quin imo ut abrogetur lex quaecumque, sive civilis, sive ecclesiastica.

Hoc ultimum, ceu probabile docet *S. Alphonsus* (I, 139) cum auctoribus gravibus, contra alios qui 40 annos requirunt. Cfr. S. Doctoris asserta, III, 849; *Bened. XIV*, de Synodo, l. 13, c. 5, n. 4.

Nota. Ex parte communitatis non requiritur de se bona fides [2], ita ut haec sola consuetudo legitima evadat, quae sine peccato inceperit. « *In initio*, introducentes consuetudinem contra legem omnes peccant. *In progressu*, non peccant illa jam a majoribus introducta utentes, sed possunt puniri. *In fine* autem, nec peccant nec possunt puniri illa jam praescripta utentes ». *S. Alph.*, I, 107; ed. G., I, p. 89.

263. — II. Ex parte objecti. Consuetudo debet esse bona et rationabilis [3]. — Ratio est, quia debet esse, sicut lex, ordinatio rationis. Jam vero, bona et rationalis habenda est consuetudo, si ejus objectum tale est, ut justae legis materia esse potuisset. — Unde, nec debet adversari juri naturali aut divino, i. e. esse mala in se, nec jure canonico reprobari, quasi enervans disciplinam, nec praebere licentiam vel occasionem peccandi, nec communi utilitati obesse. Sic nullius roboris est consuetudo non acceptandi decreta S. Sedis, illius legatos non recipiendi, etc. (cfr. *Reiffenst.* in l. I Decr., t. IV, n. 34).

Nota. 1° Non requiritur quod consuetudo sit *positive* rationabilis, sed sufficit ut sit *negative* rationi consentanea, ita ut nihil impediat quominus, decursu temporis, rationabilis fiat, vel rationabile sit observationem amplius non urgere, ne multiplicentur delicta.

2° *In dubio*, et deficiente prudentum judicio, praesumendum est consuetudinem esse rationabilem ex ejus possessione, i. e. ex eo quod fuerit introducta.

264. — III. Ex parte legislatoris. Ad consuetudinem stabiliendam requiritur legislatoris consensus, sive personalis, sive legalis; quia

[1] Alioquin actum esset de observatione diei dominicae, de jejunio, et de ceteris Ecclesiae legibus. Vide quae hac super re in variis responsis habet *Ami du Clergé*, 1909-1912. — [2] Ad legitimam bonorum praescriptionem requiritur ab initio bona fides. — [3] Cfr. *Giraldi*, Expos. Jur. Pontif., P. I, sect. 36; ubi legi potest elenchus consuetudinum irrationabilium. Vide etiam *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 4, p. 455; vol. 14, p. 20.

Digitized by Google

potestas condendi aut abrogandi leges, non populo, sed legislatori competit (I, 107). — Jam vero

1° Consensus *personalis* est is, quo princeps per se immediate approbat consuetudinem, vel *expresse,* dando licentiam ut inducatur; vel *tacite,* cum introducendae consuetudinis conscius, ipsi non resistit, cum facile resistere posset. Quo in casu, consuetudo dicitur introduci *per viam conniventiae,* et ideo, si ex certis indiciis de consensu tacito legislatoris constet, tempus diuturnum non requiritur.

Adverte vero, consuetudinem non firmari per silentium ex prudentia imperatum, si nempe Papa vel princeps sileat ob timorem majoris mali, v. gr. schismatis, rebellionis. Unde illud vulgare: « Multa patitur Ecclesia, quae non approbat » (cfr. 164, 2°).

2° Consensus *legalis,* seu *praesumptus,* habetur, quando legislator, etsi forsan ignoret consuetudinem, illi consentit per voluntatem generalem in jure expressam, approbandi quamcumque consuetudinem rationabilem, statim ac fuerit legitime praescripta. Quo in casu, consuetudo vim obtinet per viam *praescriptionis.* Vide dicta n. 262, 8°.

265. — QUAERITUR. *Quid faciendum in dubio circa consuetudinem?*

Resp. 1° In dubio invincibili, an consuetudo *praeter legem* exsistat necne, an praescripta sit, an adfuerit animus se obligandi, etc., ad nihil teneris; quia consuetudo hujusmodi est lex nova, quae si dubie exsistat, non obligat. — Si dubites an obliget sub gravi vel sub levi, ad culpam vel ad poenam, benignior pars tenenda est.

2° In dubio an *desuetudo* vel *consuetudo contra legem* exsistat jam praescripta necne, teneris ad legem; quia haec est in possessione, nec desinit lex certa per incertam contrariam causam. — Sufficit tamen dictum *eximii Doctoris,* etiam moderni, asserentis legem abrogatam esse, ut a lege deobligemur; talis namque auctoritas, quando ab aliis DD. non infirmatur, efficit certitudinem moralem (cfr. n. 63, 3° et 4°). Lege S. Doctorem nostrum, I, 107; ed. G., I, p. 89; III, 290; ed. G., I, p. 560, ubi probat verba *Mazzottae: in dubio* de consuetudine, possidet praeceptum, et petenda est dispensatio; secus, si *probabile* sit adesse consuetudinem.

§ 2. De prohibitione et abrogatione consuetudinis.

Consuetudo potest prohiberi in futurum, aut abrogari in praesenti, ut sequitur.

266. — I. Consuetudo potest PROHIBERI per clausulam in aliqua lege expressam. — Id vero dupliciter:

1° Per clausulam *prohibentem,* v. gr. per haec verba: « nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere ». Per clausulam hujusmodi, prohibetur omnis consuetudo in futurum introducenda, quae tamen *non ideo declaratur mala, vel irrationabilis,* et ideo, nonobstante tali prohibitione, potest futura consuetudo praevalere.

Digitized by Google

Hanc sententiam ceu probabilem sequitur *S. Alphonsus* (I, 108; H. Ap., II, 81) cum *Suarez* (l. 7, c. 19, n. 21), *Bonacina* (disp. I, de Leg., q. 1, punct. ult. § 3, n. 36) et aliis. Ratio: talis consuetudo induere potest omnes conditiones supra numeratas. Prohibitio legi adnexa utique demonstrat consuetudinem hic et nunc incipiendam censeri esse irrationabilem, et principem nonnisi aegre consentire velle. — Sed circumstantiae mutari possunt, et consensus tacitus principis, in circumstantiis gravissimis, per clausulam non excluditur.

Ex his vides quid sentiendum de axiomate: *Contra Tridentinum nulla praescriptio.* Revera, quamvis contradicat Trid., fere ubique mos invaluit conferendi beneficia parochialia absque concursu, vel eo non peracto ad formam clare praescriptam. Cfr. *De Angelis,* Prael. Jur. can., l. I, tit. 4, n. 12. — Quoad consuetudines contra Rubricas, vide quae dicentur n. 1638.

2° Per clausulam *reprobantem,* ut cum lex dicat: « consuetudinem illam penitus improbantes, cum non tam consuetudo quam corruptela merito sit censenda ». Qua ipsa formula utique consuetudo declaratur mala et irrationabilis, sed ex hoc non sequitur talem non posse unquam praevalere.

Sic quaestionem solvit *S. Alphonsus* (l. c.): « Quod si reprobetur tanquam contraria legi naturali seu divinae, nulla tunc consuetudo valere potest. — Si vero reprobetur ut irrationabilis pro tempore quo fit lex, tunc, ex nova causa, rationabilis reddi potest et valere » (cfr. n. 263).

267. — II. Consuetudo vigens potest ABROGARI per legem supervenientem. — Sed hic distinguendum:

1° Si consuetudo est *universalis,* ipso facto per legem contrariam subsequentem abrogatur, quin necessaria sit clausula derogatoria; secus enim nova lex fieret inutilis.

2° Si vero *particularis* est, seu *localis,* minime per legem generalem abrogatur, nisi consuetudinis fiat mentio, vel nisi addatur clausula: *non obstante qualibet consuetudine;* quia legislator consuetudinem ignorare censendus est.

Atque hinc est cur Episcopi per leges quas condunt, omnes et singulas particulares consuetudines abrogent, eo quod ipsi omnium, quae in suis dioecesibus vigent, consuetudinum notitiam habere praesumuntur (I, 109).

3° Si demum consuetudo est *immemorialis,* vel saltem si numerat centum annos, regulariter non aboletur nisi per specialem mentionem; talis enim consuetudo est privilegiata, quatenus pro ipsa praesumitur titulus, quo melior allegari non potest de toto mundo, ut ait Fagnanus.

Diximus *regulariter;* nam et ipsa immemorialis consuetudo aboletur, in quibusdam casibus, nempe: 1° si nova lex contrarias consuetudines declaret irrationabiles; 2° si ratio legis militet aeque contra consuetudines immemoriales, ac contra alias; 3° si legislator omnia contraria abroget, uno casu

Digitized by Google

excepto; exceptio enim unius est exclusio ceterorum omnium (cfr. *Craisson,* Man. Jur. can., n. 142; *Bargilliat,* Prael. Jur. can., tr. I, c. 5, a. 4).

268. — III. Consuetudo potest etiam TOLLI seu ABROGARI per aliam contrariam consuetudinem. Sed nova consuetudo debet esse directe contraria praecedenti; nimirum universalis, quae tollat universalem; particularis, quae particularem; et debet pariter, repetitis actibus, modo supra explicato (n. 262), praescribi (*Bouix,* de Princip., p. 381).

Nota. Si qua consuetudo sit *contra fidem et bonos mores,* allaborandum est utique, ut ipsa quamprimum evellatur, cum nulla hac in re legitima praescriptio haberi possit. — Idem dicendum est de consuetudine quae *christianae pietati* adversaretur. Superioris est contendere ut istiusmodi consuetudinem e medio tollat; quia ipsi, ex officio, spirituale subditorum bonum curare incumbit.

Quod vero ad MODUM attinet, quo hac in re utendum sit, sapientissimo obtemperetur *D. Augustini* (Ep. 22, ad Aurel. Episc., n. 5) monito, qui agens de conviviorum licentia totam passim Africam foede occupante, sub inani praetextu honorandi festa martyrum, optimam agendi rationem suasit, graviter scribens: « Non exaspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis minando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur ».

Cfr. quae sapienter monet *Ami du Cl.,* 1906, p. 42, 361; 1907, p. 249, relate ad consuetudines quae apud infideles vigent; item quae scribit de consuetudinibus fidelium et silentio auctoritatis competentis (1900, p. 1027 seqq.).

Digitized by Google

TRACTATUS III.

De actibus humanis

PROOEMIUM.

De notione actus humani.

Ut jam diximus, ratio disserendi de actibus humanis haec est: Hominis viatoris officium morale primarium non in eo consistit, ut solam agendi regulam sive proximam sive remotam cognoscat, sed ut *tendat* ad finem supernaturalem *actibus propriis,* applicando suam voluntatem, adjuvante gratia, ad ea quae supremus Legislator ipsi imposuit. « Ipsa divina praecepta non prodessent, ait *S. Augustinus* (de Grat. et lib. Arb., c. 2, n. 4), nisi haberet (homo) liberum arbitrium, quo ea faciens ad promissa praemia perveniret ».

269. — DEFINITIO. Actus humanus est actus deliberate procedens ab hominis voluntate (V, n. I, II).

Humani nimirum dicuntur actus, qui ab homine procedunt *in quantum est homo,* et ab irrationalibus creaturis differt, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum operandi. Differt autem homo, quoad modum operandi, a creaturis irrationalibus in hoc, quod libere, seu ex deliberata voluntate, operatur, et ita est suorum actuum dominus, ut eos, pro libitu, ponat vel non ponat. — *Deliberatam* vero voluntatem illam dicimus, quae, praevia rationis advertentia de re agenda vel omittenda, eligit alterutrum ex oppositis. Soli actus ex tali voluntate procedentes proprie *humani* vocantur (*S. Thom.*, 1. 2, q. 1, a. 1).

Actibus humanis opponuntur ACTUS HOMINIS, quibus aut rationis lumen non praefulget, aut non accedit voluntatis consensus. Possunt quidem hi actus dici *actus hominis,* quia procedunt ab homine, sed non sunt appellandi actus humani, eo quod non fiunt modo homini proprio. — Hujusmodi sunt, vel motus *primo primi,* sic dicti quia rationis judicium antevertunt; vel actus hominis nullatenus attenti, somniantis, delirantis, amentis, ebrii, aut *usu rationis* quomodocumque *destituti* (*S. Thom.*, ib.).

DIVISIO. Actus humanus multipliciter dividi potest:

1° Ratione principii et termini, est vel elicitus vel imperatus. *Elicitus* dicitur actus, qui in ipsa voluntate perficitur et consummatur, absque adminiculo alterius facultatis, ut sunt volitiones et nolitiones pure internae; — *imperatus,* qui, imperante voluntate, perficitur ab alia potentia voluntati subjecta; sive interne, ut actus cogitandi de re quadam particulari; sive externe, ut actus ambulandi, scribendi, etc.

Digitized by Google

2° Ratione subjectionis in anima, est vel internus, vel externus. *Internus* est, qui tantum internis animae potentiis perficitur, qualis est actus cogitandi, amandi; *externus,* quem voluntas per corporis organa perficit, v. gr. deambulatio, locutio, etc.

3° Ratione ordinationis propriae, est vel bonus, vel malus, vel indifferens. *Bonus* (seu licitus) dicitur, qui rectae rationi conformis est; *malus* (seu illicitus) qui a recta ratione discrepat; *indifferens* est qui, objective consideratus, non habet relationem ad bonitatem vel malitiam, v. gr. ambulare, loqui, etc. — Bonus iterum vel est *naturalis,* qui solis naturae viribus perficitur; vel *supernaturalis,* qui nonnisi auxilio divinae gratiae elici potest, ut actus fidei, spei, caritatis. — Actus supernaturalis est vel *meritorius de condigno,* cui ex justitia merces debetur, vel *meritorius de congruo,* qui tantum ex decentia meretur (V, n. III, IV).

270. — STATUS QUAESTIONIS. Actus humani considerari possunt, vel *psychologice,* sub quo respectu philosophia de iis varia subtiliter disputat; vel *moraliter,* sub quo respectu eos perpendit Theologia moralis, investigando nempe *quando,* et *quomodo* homini IMPUTANDI sint, sive ad bonum, sive ad malum.

Sub posteriori igitur respectu de iis disputabimus, inquirentes quandonam, et in qua mensura, *imputabiles* sint operanti in genere, tanquam *proprio auctori;* — deinde, quandonam imputabiles sint ad *bonum* vel ad *malum,* seu quaenam sit, et undenam habeatur eorum moralitas.

Hinc: 1° de imputabilitate actuum humanorum; 2° de eorum moralitate. Aliis verbis: 1° de actibus humanis in suis respectibus ad principium; 2° de actibus humanis in suis relationibus ad ordinem moralem.

CAPUT I.

De imputabilitate actuum humanorum.

S. Thomas, 1. 2, q. 6-21; *S. Alphonsus,* V, 1-5; ed. G., II, p. 685 seqq.; *Suarez,* in 1. 2, tr. 2; *Bilhart,* de act. hum. Diss. 4; *Frins,* de act. hum. I et II; *Bouquillon,* Theol. mor. fund., ed. 3, n. 318 seqq.

IMPUTATIO est judicium, quo actus tribuitur alicui ceu vero ejus auctori et domino; adeo ut agens de ipso actu ejusque naturali effectu, v. gr. de damno alicui illato, rationem reddere teneatur. — *Imputabilitas* est ipsa actionis qualitas, vi cujus tale fertur judicium (*Müller,* Theol. mor., I, § 90).

Imputabilitas fundatur in dominio, quod homini in suos actus competit: imputabiles igitur sunt illi actus, quos ponere aut non ponere

Digitized by Google

penes hominem est; ac proin imputabiles dicendi sunt omnes et soli actus humani, tum illi quos unusquisque personaliter ponit, tum illi quorum positioni active cooperatur, sicut infra dicemus (n. 517). — Porro, dominium in actus humanos inde habetur, quod ex *libera voluntate* procedunt; quare, tanquam *imputabilitatis principia* recte assignantur VOLUNTARIUM et LIBERUM. — Horum utrumque potest esse plus minusve perfectum, variisque *impedimentis* minui vel etiam tolli: quo casu, imputabilitas in eodem gradu minuitur, vel etiam tollitur.

Disserendum igitur est: 1° de principiis imputabilitatis; 2° de ejusdem impedimentis.

ARTICULUS I.

De principiis imputabilitatis.

§ 1. De voluntario.

271. — DEFINITIO. Voluntarium sic definiri potest: actus procedens a principio intrinseco, seu a voluntate, cum cognitione finis (V, n. VII).

Voluntatis actus necessario cognitionem finis in agente praesupponit; nihil enim potest esse objectum voluntatis, quin prius ope intellectus apprehensum fuerit; et eo perfectior seu nobilior erit voluntas, quo plenior fuerit intellectus cognitio. Hinc axiomata: *Nihil volitum, nisi praecognitum; Nihil in voluntate, nisi prius fuerit in intellectu.* — Finis autem hic sumitur in lato sensu, pro termino voluntatis in concreto, pro objecto scilicet cum omnibus suis circumstantiis. — Ad constituendam igitur rationem voluntarii, duo requiruntur: 1° aliqua cognitio finis, ex parte intellectus; 2° consensus, ex parte voluntatis (*S. Thom.*, 1. 2, q. 6, a. 1).

Ex hac definitione patet voluntarium differre a *spontaneo*, a *volito* et a *libero*.

1° SPONTANEUM, in sensu lato, dicit absentiam cujuscumque influxus externi, et est: id quod fit nullo cogente praecepto, metu, dolo, etc. — In stricto sensu, dicit tantum absentiam coactionis, et est id quod procedit a principio intrinseco; sive cum cognitione finis plena et formali, ut omnis actus *voluntarius;* sive cum imperfecta et materiali, ut, v. gr., motus indeliberatus, quo quis dolorem repellere satagit, et sic a voluntario *differt*. — Ex quo patet, spontaneum *latius patere* quam voluntarium; nam omne voluntarium est spontaneum, sed non vice versa (*Porpora*, tr. II, n. 9).

2° VOLITUM dicitur de objecto, in quod tendit voluntas, quin tamen necessario ab ipsius voluntatis influxu procedat. *Volitum* comparatur ad voluntatem, sicut objectum ad facultatem; *voluntarium*, sicut effectus ad suam causam. Sic, v. gr., pluvia, in aridam terram effusa, quoad agricolam, dicetur volita, non autem voluntaria (*Konings*, Theol. mor., n. 4).

3° *Liberum* in hoc consistit, quod voluntas, nulla necessitate cogente, ad agendum procedat. Mere *voluntarium* ab eo praescindit utrum actus cum indifferentia vel determinatione ad unum ponatur. Liberum est species voluntarii.

Digitized by Google

272. — DIVISIO. Voluntarium multipliciter dividitur a theologis: 1° Ratione modi quo procedit, est liberum vel necessarium. — *Liberum* est illud, quod fit a voluntate, quae operatur cum indifferentia ad volendum et nolendum; talis est amor hominis viatoris in Deum. — *Necessarium* est, quod procedit a voluntate determinata ad unum, ut est amor Beatorum in patria. « Ratio voluntarii perfectius reperitur in actibus humanis necessariis, quam in liberis. Ratio est, quia quo major est amor, eo majus est voluntarium, id est major voluntatis propensio, et major cognitio intellectus. Talis est amor necessarius Dei erga seipsum, vel amor Beatorum, quo toto conatu feruntur in Deum » (V, n. IX).

In scholis, VOLUNTARIUM regulariter sumitur pro *voluntario libero,* cum omnes actus, quibus homo viator ad finem suum tendit, reapse a libera voluntate procedant.

2° Ratione perfectionis, est perfectum vel imperfectum. — Voluntarium *perfectum* illud dicitur, quod fit ex plena rei cognitione et ex pleno consensu voluntatis, ut si quis perfecte sciens et volens, carnes, die vetito, manducat. — Voluntarium *imperfectum,* quod etiam *semivoluntarium* vocatur, est id quod fit cum cognitione seu advertentia imperfecta; ut contingit in semisopitis, aut ad alia distractis (*S. Thom.*, 1. 2, q. 6, a. 6).

Ex eo quod aliquis nonnisi aegre tale opus perficiat, non concludas ipso facto adesse voluntarium imperfectum, ut patet ex exemplo apostatarum quos Ecclesia semper damnavit. Tota ratio voluntarii perfecti vel imperfecti ex gradu advertentiae est desumenda (*Lehmkuhl,* I, n. 85).

3° Ratione complexus, est voluntarium simpliciter, vel secundum quid. — Voluntarium *simpliciter* dicitur illud quod, omnibus perpensis, ex voluntate procedit, tametsi objectum, sub aliquo respectu, displiceat. — Voluntarium *secundum quid* dicitur illud, ad quod, attentis solummodo quibusdam circumstantiis, voluntas se fert, sed quod finaliter, omnibus consideratis, repudiat. Vocatur, ut liquet, voluntarium improprie; non est enim aliud nisi simplex *velleitas.* Notum hujus rei exemplum est mercatoris projicientis, ex metu naufragii, merces in mare: earum projectio est voluntaria simpliciter; conservatio autem est voluntaria secundum quid.

Alii rem aliter explicant: Voluntarium *simpliciter*, seu *purum,* dicitur illud, quod procedit ex plena voluntatis ad objectum inclinatione, sine ulla repugnantia; voluntarium *secundum quid,* seu *mixtum,* illud, quod ex voluntatis quidem consensu procedit, sed cum repugnantia (cfr. V, n. IX et XIII).

4° Ratione correlativae cognitionis, est explicitum vel implicitum. — *Explicitum* dicitur, quod fit ex formali ac distincta cognitione rei volitae; v. gr. si Ecclesiae minister dicat: volo hoc sacramentum confi-

Digitized by Google

cere. — *Implicitum* dicitur quod fit ex cognitione magis generali ac confusa; v. gr. si sacramentum confecturus dicat: volo peragere hunc ritum, quem Ecclesia habet pro sacro (VI, 22).

5° Ratione manifestationis, est expressum vel tacitum. — *Expressum,* quod externe (verbis aut signis) manifestatur: v. gr. si Episcopus, rogatus ut jurisdictionem ad audiendas confessiones concedat, respondet: concedo, aut capitis inclinatione annuit. — *Tacitum,* quod non declaratur externe, sed sufficienter ex facto aliquo, aut facti omissione, consideratis circumstantiis, prudenter colligitur. Sic Episcopus concedit facto jurisdictionem, si quem rogat ut confessiones excipiat. Sic pariter, peccata subditorum sunt Superiori voluntaria et imputabilia, si ipse se eis opponere omittit, cum alioquin id possit ac debeat.

Hinc *regula* juris: « Qui tacet, consentire videtur » (Reg. 43 in 6°). Quae regula valet in duobus casibus, nimirum: *a*) cum tacenti aliquid favorabile proponitur; *b*) cum, qui tacet, loqui tenetur et potest. — Secus valet alia regula: « Qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur » (Reg. 44, ib.).

6° Ratione actuationis ipsius, est actuale, virtuale, habituale et interpretativum. — *a*) Voluntarium *actuale* est illud, quod hic et nunc, elicitur vel imperatur a voluntate cum attentione continua mentis. Hoc autem fieri potest: vel *actu signato,* cum claris verbis aliove signo voluntarium quasi signatur, v. gr. si agens dicat: volo hoc facere; vel *actu exercito,* cum absque tali signo ex ipso opere exhibetur; sic attente genuflectens actum adorationis perficit. — *b*) Voluntarium *virtuale* est illud, quod fit vi vel virtute actus voluntatis nondum revocati, et influere moraliter pergentis. Initio operis positus est, sed postea exulat. — *c*) Voluntarium *habituale* est illud, quod utique olim volitione actuali pro futuro volitum, et postea nunquam revocatum fuit, sed nunc, nec directe, nec indirecte, in actum fluit, ex eo quod attentio mentis omnino deest. *Habituale* magis vi *habitus* quam vi voluntatis agit. — *d*) Voluntarium *interpretativum,* sicut et habituale, excludit motum voluntatis hic et nunc in finem, sed superaddit absentiam tendentiae in objectum *etiam in praeterito.* Est enim illud voluntarium quod utique numquam expresse volitum fuit, sed volitum foret aut fore praesumitur, si de eo cogitaretur, aut cogitari posset [1].

Exemplum voluntarii *actualis* habes in eo, qui hic et nunc, mente sola, vel mente et ore dicit: volo consecrare; *virtualis* in eodem, si vi hujus voluntatis missam incipiat et consecrationis verba proferat, at mente distractus; *habitualis* in eo, qui heri voluit, ut missae, quam hodie celebraturus est, fructus Titio defuncto prosit, hodie vero immemor hesternae voluntatis celebrat; *interpretativi,* in consensu moribundi, sensibus destituti, qui censetur petere sacramenta.

[1] Cfr. quonam modo S. Rotae Trib. hanc doctrinam exponat, *A. A. S.*, II, p. 968. — Lege *Lugonis* explanationes, de Sacr. in gen., disp. 8, sect. 5; de Poenit., disp. 7, n. 40.

Digitized by Google

Duo hic notanda sunt: — 1° Subinde *virtuale implicitum* (quod ab actu implicito procedit) cum interpretativo, ab auctoribus confunditur. Ex contextu igitur dijudicandum est, in quonam sensu intelligendum sit, utrum revera pro virtuali implicito, an pro stricto interpretativo. — 2° Voluntarium *interpretativum* differt a *tacito*, eo quod in illo nullus, in hoc autem verus adsit consensus. Utrumque tamen dici solet voluntarium *praesumptum*; tacitum est praesumptum de praesenti; interpretativum est praesumptum conditionate, vel de futuro.

7° Ratione intentionis, est directum vel indirectum. — Voluntarium *directum* dicitur, quod est volitum in se ipso et immediate, ut cum quis aliquid furatur, quia habet voluntatem furandi; — *indirectum*, quod est volitum non in se, sed in alio, quocum connecti saltem in confuso cognoscitur; sive ut effectus procedens ex aliqua causa, v. gr. ebrietas ex nimio potu; sive ut aliquid cum causa connexum, v. gr. sacrilegium in furto calicis consecrati (cfr. n. 274). Jamvero:

Actus voluntatis potest vel unicum, vel multiplicem habere EFFECTUM. — Si effectus est *unicus*, dicendus est directe voluntarius, quia ad eum ordinatus fuit actus. — Si est *multiplex*, aliquando quivis eorum est directe voluntarius (si nempe voluntas in singulos directe tendit, illosque per se appetit); aliquando unus est directe voluntarius, ceteri indirecte tantum. Porro, *directe voluntarius* intenditur per se, habetque rationem movendi voluntatem. *Indirecte voluntarius*, per se non intenditur, nec movet voluntatem, quae illum attingit ratione tantum connexionis cum actu directe voluntario. Nihilominus est verum voluntatis objectum, licet indirectum; etenim voluntas vult talem actionem *ut causam*. Qui autem vult causam, vult etiam ex ea secuturum effectum, si effectum hunc praevideat. Hinc effatum: *Qui est causa causae, est causa causati.*

Nota. Ad voluntarium INDIRECTUM se refert intricatissima illa quaestio: *Quandonam effectus malus, in se quidem non intentus, sed ex causa voluntaria procedens, ponenti causam ad culpam sit imputandus?* Sed haec materia magis apposite tractabitur in articulo *de extensione moralitatis* (cfr. n. 314 et 315). Quae enim de fontibus moralitatis dicturi sumus, plurimum ad hujus quaestionis solutionem conferent. — Vid. n. 296 seqq.

273. — Voluntario opponitur INVOLUNTARIUM, quod fit: vel a principio extrinseco contra propensionem voluntatis, ut accidit agenti ex vi vel metu; — vel sine cognitione intellectus, quae aut tollitur, aut saltem ligatur, uti accidit operanti ex ignorantia, vel passione (V, n. XII).

Sicut voluntarium, ita et *involuntarium* MULTIPLEX est. Aliud dicitur involuntarium *privative* (seu non voluntarium), quando solum deest in aliquo, actus volendi id quod posset velle. — Aliud dicitur involuntarium *positive* (seu contrarie), quando scilicet aliquid, non solum non est volitum, sed etiam positive nolitum et repugnans voluntati.

Digitized by Google

Rursus, *involuntarium positivum,* DUPLEX est: alium *simpliciter,* quod, spectatis omnibus simul adjunctis, ita displicet voluntati, ut nullo modo, nullaque ratione, id velit; aliud *secundum quid,* quod, etsi sub aliquo respectu displiceat voluntati, sub alia tamen ratione ei magis placet, et acceptatur (V, n. XIII).

Hinc exoritur *mixtum ex voluntario et involuntario.* — Est enim aliquid voluntarium simpliciter, et involuntarium secundum quid, cum quis definitive consentit, licet cum aliqua repugnantia; et e contrario, est involuntarium simpliciter, et voluntarium secundum quid, cum quis consensum negat, quamvis res ipsi aliquo modo placeat. — Exemplum *primi* habes in eo qui ex naufragii metu merces in mare projicit; exemplum *secundi* in eo, qui magnum lucrum recusat, quia illud injustum esse cognoscit.

274. — *Ex his colliges:* 1° Ut actio aliqua dicatur *ex toto voluntaria,* necesse est ut cognoscatur secundum omnes sui partes et circumstantias; quarum si aliqua ignoretur, actio non dicitur voluntaria quoad illam circumstantiam ignoratam. — Sic qui accedit ad mulierem, quam nescit esse nuptam, non committit peccatum adulterii, sed simplicis fornicationis, cum involuntarie se habeat quoad matrimonii circumstantiam, quam ignorat (V, n. VIII).

2° Ubi *nulla est advertentia,* nullum est voluntarium, ideoque nullum peccatum, ut accidit in actionibus dormientium, quae sunt simpliciter involuntariae. — Ubi vero est *semiplena advertentia,* ibi est semivoluntarium, et duntaxat veniale peccatum, ut contingit in semidormientibus (cfr. n. 336).

§ 2. De libero.

275. — *Praenotanda.* Libertas, in genere, est *immunitas a servitute et subjectione:* unde, quot sunt species servitutis, tot sunt species libertatis.

Quintuplex autem libertas assignari solet: — 1° Libertas SPONTANEITATIS, quae consistit in exemptione a violentia et a coactione. Haec cunctis viventibus est communis; imo per analogiam ad res inanimatas transfertur: sic aqua dicitur *sponte* fluere.

2° Libertas INDIFFERENTIAE, seu *arbitrii,* quae consistit in exemptione a necessitate naturalique inclinatione ad unum determinante. — Haec soli naturae intellectuali competit.

3° Libertas INDEPENDENTIAE, quae consistit in exemptione obligationis ad legem et quemlibet Superiorem praecipientem. — Haec absolute *soli Deo* competit, qui nemini subditus, solus sibi lex est, et regula; participative autem et relative, etiam creaturis intellectualibus, extra ambitum scilicet illarum obligationum, quibus quaelibet adstringitur, et tunc dicitur *libertas moralis,* seu potestas licite agendi (cfr. n. 279). Vide *S. Alph.*, Diss. dell'Uso moder. (1765), c. 4, n. 11-16.

4° Libertas GRATIAE et VIRTUTIS, quae consistit in immunitate a peccato, et ab habitibus ad malum inclinantibus. — Haec bonis tantum convenit, in quibus, exstinctis aut mitigatis cupiditatis motibus, et excusso peccati jugo,

Digitized by Google

tranquillum est voluntatis ac rationis regnum et regimen, soli Deo subditum. Justus omnes affectus rectos habet; unde, licet nulla lex ipsi imposita esset, quasi connaturaliter et ex propria inclinatione, ea quae sunt legis servaret; de quo loquens Apostolus dixit (1. *Tim.*, 1, 9): *Lex justo non est posita, sed injustis.*

5° Libertas FELICITATIS, quae consistit in exemptione ab omni miseria et poena. — Haec illis competit, qui in gaudium Domini jam intraverunt.

Sola libertas *indifferentiae* (seu arbitrii), ad nostram materiam se refert; haec enim sola est imputabilitatis principium, et constituit hominem suorum actuum dominum. — Ad ceteras libertatis species quod attinet, haec notare sufficiat: De libertate *spontaneitatis* non occurrit peculiaris tractatio, cum includatur in libertate arbitrii, cujus est fundamentum. Libertas *independentiae* circumscribitur legibus, quae rectum arbitrii usum determinant. Legum observatio autem ducit ad libertatem *gratiae* et *virtutis,* quae parit libertatem *gloriae* (*Billuart,* Diss. 2).

276. — DEFINITIO. Libertas arbitrii est vis electiva, seu facultas, qua pollet voluntas, eligendi vel non eligendi, pro libitu. — Actum *liberum* vocamus, qui fit nulla cogente necessitate, vel qui omitti potest ad libitum.

DIVISIO. « Libertas ARBITRII, seu *a necessitate,* subdividitur: in libertatem *contradictionis,* qua quis potest agere vel non agere; in libertatem *contrarietatis,* qua potest sic agere vel oppositum agere, v. gr. amare vel odio habere; et in libertatem *disparitatis,* qua potest agere hoc vel aliud, sed non oppositum, v. gr. scribere, vel ambulare » (V, n. XXX).

Libertati opponitur NECESSITAS, estque status rei, quae aliter se habere non potest.. — Alia dicitur necessitas *coactionis,* quae idem est ac *violentia;* oritur a principio extrinseco, et si est absoluta, tollit liberum et voluntarium, ut infra dicetur (n. 282). — Alia est necessitas *naturae,* seu naturalis inclinationis, quae consistit in quadam propensione insita voluntati, ab ipsa natura, ad aliquid necessario prosequendum vel fugiendum. Est a principio intrinseco ad unum determinante, et aufert liberum, non autem voluntarium. Sic Beati Deum necessario amant, et homo viator necessario appetit bonum in genere.

Quae spectant ad quaestionem *de libero arbitrio,* solent in Institutionibus dogmaticis fuse tractari; quare sequentia solum principia commemorabimus. Cfr. *S. Alph.*, Op. dogm. (ed. Walt.), II, p. 220, 411, 463, 495.

277. — PRINCIPIA. I. **Homo, etiam post Adae lapsum, gaudet libero arbitrio.** Est de fide, ex Trid., Sess. 6, can. 5: « Si quis liberum hominis arbitrium, post Adae peccatum, amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo....: anathema sit ». Vide V, n. XXXII seqq.

278. — II. **Ad merendum vel demerendum, in statu naturae lapsae, non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate, seu indifferentiae.** Est similiter de fide, ex damnata (ut haeretica) 3ª Jansenii propositione: « Ad merendum vel demerendum,

Digitized by Google

in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ».

279. — III. Potentia peccandi, quae inest homini viatori, non est de ratione libertatis, sed potius de ejus imperfectione. Et re quidem vera, « si posse peccare (ait *S. Anselmus*, de lib. Arb., c. 1) esset pars liberi arbitrii, Deus et Angeli liberum arbitrium non haberent: quod est absurdum ». Ratio evidens est: cum enim liberum arbitrium sit voluntatis qualitas, per se in bonum ordinatur; posse autem a proprio suo objecto deflectere, est cujuslibet potentiae defectus seu vitium: ergo facultas peccandi est defectus libertatis. — Unde *S. Thomas* (de Verit., q. 22, a. 6): « Velle malum nec est libertas nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum, sicut aegritudo, v. gr. est signum vitae ». Et *S. Augustinus* (de Civ. Dei, l. 22, c. ult., n. 3): « Arbitrium eo potentius erit, quo peccare non poterit ».

Juvat hic subjicere quae *S. Alphonsus* (H. Ap., III, 11) de libertatis radice breviter aeque ac docte sic scribit: « Notandum, quod radix libertatis indifferentiae oritur ab *indifferentia judicii*, quae nihil aliud est quam deliberatio boni aut mali, quod in actione consideratur. Haec judicii indifferentia non jam constituit libertatem, sed, ut dictum est, est radix libertatis, ut postea possit, libere et indifferenter, voluntas eligere quod sibi placuerit ».

280. — *Ex dictis colliges:* 1° Proclivitas hominis ad malum *nunquam fit peccandi necessitas;* quare graviter contra jus naturale et civile peccant judices, qui magnorum criminum reos absolvunt, sub imaginario praetextu quod, in agendo, libertate caruerint. Vide tamen dicenda n. 291 et 292, *nota*.

2° Absurde loquuntur, qui, sub praetextu libertatis, licentiam omnia ad libitum opinandi, scribendi, docendi et operandi adstruunt. Hi physicam libertatem arbitrii, cum libertate morali seu independentiae confundunt. Prior est homini naturalis; posterior vero minime, nisi, ut dictum est, intra limites boni et liciti contineatur (n. 275, 3°). Vide op. Verità della fede, P. II, c. 11; Confut. del libro dello spirito, n. 24.

Ad rem Leo Papa XIII (Encycl. *Immortale Dei*): « Nec potest, inquit, Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas; rectissimeque ab Augustino *libertas perditionis*, a Petro Apostolo *velamen malitiae* (1. *Petr.*, 2, 16) appellatur: imo, cum sit praeter rationem, vera servitus est: *qui* enim *facit peccatum, servus est peccati* (*Joann.*, 8, 34). Contra, illa germana est atque expetenda libertas, quae si *privatim* spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit: si *publice*, civibus sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat, remque publicam ab alieno arbitrio defendit ». *A. S. S.*, vol. 18, p. 175.

Nota. Quaedam hic dicenda essent de principiis quae ad productionem actus liberi concurrunt: de advertentia nempe, et de consensu voluntatis. Sed de his infra, n. 317, quando de peccatis sermo erit.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De imputabilitatis impedimentis.

Humanorum actuum imputabilitatem impedit id omne, quod ipsius imputabilitatis principiis, id est *voluntario* ac *libero*, adversatur. — De impedimentis autem LIBERI non est cur separatim tractemus; et ratio est, quia, si necessitatem internam, quae solum libero adversatur, excipiamus, prorsus eadem sunt impedimenta voluntarii et liberi. Tractatio vero de necessitate interna jure meritoque omittitur, propterea quod homo viator illam, in suis actibus peculiaribus, nunquam experitur. — Sermo igitur erit de solis impedimentis VOLUNTARII, quorum *quatuor* recensentur, duobus voluntarii constitutivis opposita, nimirum: *violentia* et *metus*, quae principio intrinseco, seu voluntati; *ignorantia* et *concupiscentia*, quae cognitioni adversantur (cfr. n. 271).

Haec impedimenta *proxime* influunt in actum internum. Dantur autem et alia, quae *remotum* influxum in libertatem exercent et sunt: *haereditas*, *temperamentum* et *status quidam pathologici*.

Notetur tamen haec impedimenta, quae remota vocantur, nonnisi mediantibus proximis, efficaciam obtinere, ut bene notat *Bessmer*, S. J. (Stimmen aus Maria-Laach, 1908, II, p. 258), et ideo bene ad quatuor capita supra notata, jam ab Aristotele introducta, reduci posse, imo debere.

I. — De impedimentis quae proxime in voluntarium influunt.

§ 1. De violentia.

Cfr. *S. Thomas*, 1. 2, q. 6, a. 4-5; *S. Alphonsus*, V, n. XV; ed. G., II, p. 692; *Salmant.*, de Vol., disp. V; *Frins*, de act. hum. n. 247-280.

281. — DEFINITIO. Violentia est motio procedens a principio extrinseco, repugnante eo qui vim patitur (V, n. XV).

Voluntati, respectu actuum *elicitorum*, nequit inferri violentia; infertur vero respectu actuum *imperatorum*. Deus utique, isque solus, voluntatem mutare potest; nequit autem eam cogere. Vis autem extrinseca potest inferri non solum corpori, sed etiam inferioribus animae facultatibus. Cfr. n. 559.

Ut adsit vis, coactio, non necessario requiritur ut influxus a cogente *exteriori* causetur. Ratio violentiae inprimis exigit ut quid in nobis fiat, *repugnante voluntate*, et ideo actus primo-primi, per analogiam, ad impedimentum violentiae reducuntur. Quaelibet causa, sive sit in homine, sive ad extra inveniatur, violenter in actus hominis influere potest.

DIVISIO. Violentia est, vel *absoluta*, quando is cui infertur, omni quo potest modo, resistit; vel *secundum quid*, cum pro viribus non resistit.

282. — PRINCIPIA. I. **Violentia absoluta tollit voluntarium.** Ratio est, quia quando patientis voluntas agenti extrinseco pro viribus resistit, actio agentis nullo modo volita est a patiente; est enim contra

Digitized by Google

omnem voluntatis inclinationem, ideoque simpliciter involuntaria; unde, quae fiunt vi, nihil boni nec mali merentur. — Hinc deducitur, feminam, quae omnimode resistit violentiae, quae illi infertur contra castitatem, non peccare, etiamsi stuprum patiatur invita (V, n. XVII; confer *S. Thom.*, 1. 2, q. 6, a. 5, ad 2).

283. — II. **Violentia secundum quid non tollit, sed minuit voluntarium** [1]. Ratio est, quia ubi voluntas non resistit quantum potest, ibi remanet in parte ratio voluntarii; hinc, pro majori vel minori voluntatis resistentia, actio magis vel minus imputabilis erit. — Unde a peccato minime excusantur puellae, quae libidinosis juvenibus, cum ipsis liberius agentibus, non omnimodam opponunt resistentiam (V, n. XVIII).

284. — QUAERITUR. *Quaenam adhibenda sit resistentia, ut actus ex violentia procedens non sit imputabilis?*

Resp. Cum resistentia sit reluctatio voluntatis ut actus non sit imputabilis, patet, quoad actus imperatos, adhibendam esse omnem illam resistentiam, quae utilis videtur ad actum ejusve effectus impediendum. « Ad impossibile autem, aut ad inutile, nemo tenetur ». Sic martyres, vi ad idolorum templa conducti, non peccabant, quamvis ipsi incederent. — Subinde tamen, seu per accidens, etiam inefficax resistentia, *protestationis causa*, adhibenda est; ubi nempe protestatio tacita, vel solis verbis expressa, non sufficeret ad religionis injuriam avertendam, aut ad amovendum scandali periculum. — Similiter peculiaris resistendi obligatio urget in materia magis periculosa, v. gr. adversante castitati; quia defectus resistentiae inducit consensus periculum (cfr. n. 374, 778). Si autem resistentia non solum est inutilis, sed et consensus certo non aderit, tunc *de se* ad resistendum non teneris, nisi timeantur ulteriora tentamina.

§ 2. DE METU.

S. Thomas, 1. 2, q. 6, a. 6; *S. Alphonsus*, V, n. XX; ed. G., II, p. 693; VI, n. 1047 seq.; ed. G., IV, p. 193; *Bain*, Les émotions et la volonté, p. 147.

285. — DEFINITIO. Metus est trepidatio mentis, ob malum instans, vel futurum: malum nempe instans, *vel* ipsi personae quae metuit, *vel* alteri, quae ipsi est per consanguinitatem, affinitatem, conjugium aut singularem amicitiam arcte conjuncta (V, n. XX).

Metus adesse potest ob malum, in sola mente apprehensum ut instans et imminens.

DIVISIO. Multipliciter metus dividitur:

1° Ratione influxus in actum, est antecedens vel concomitans. — *Antecedens* est, qui movet ad agendum, ita ut actio dicatur procedere EX metu. — *Concomitans* est, qui actionem solummodo comitatur, quin ullo modo in eam influat, ita ut actio dicatur facta CUM metu.

[1] Verba *minuit voluntarium* significant adesse peccatum grave vel leve, vel in eodem genere peccatum minus imputabile, secundum quod haec impedimenta plus minusve in advertentiam intellectus vel in liberum exercitium voluntatis influunt. Cfr. n. 289.

Digitized by Google

— Sic viator, qui latroni dat crumenam, agit ex metu antecedenti; latro autem cum metu concomitante, ne deprehendatur.

2° Ratione objecti, metus est levis vel gravis. — *Levis,* qui et *vanus* dicitur, ille est, quo timetur malum leve, vel etiam grave, sed ex causa levi et improbabili. — *Gravis* dicitur, si timeatur malum grave, ex causa valde probabili.

Metus autem: *a*) gravis est *absolute,* si malum in se grave timeatur, ex gravi et vere probabili causa, nec effugi possit: qui metus dicitur *cadere in virum constantem,* utpote quo vir etiam firmus, merito percellitur. Communiter mala gravia censentur mors, mutilatio, foedum vulnus, amissio libertatis, status, famae, pudicitiae. — *b*) Gravis est *respective,* si malum quod timetur sit in se quidem et communiter leve, grave tamen respectu metuentis, quia est formidolosus, quales sunt pueri, feminae, senes (V, n. XX; VI, 1047; H. Ap., III, 16).

Addendus est metus *reverentialis,* quo filius parentum, pupillus tutoris, uxor mariti, subditus Superioris, offensionem timet. Potest autem esse gravis, si timor sit, ne diu vel graviter offensus habeatur, qui metum incutit (III, 717; VI, 1056; H. Ap., l. c.).

3° Ratione causae, metus est ab intrinseco vel ab extrinseco. — *Ab intrinseco* ille dicitur, qui provenit ex causa interna, qualis est morbus, mentis imbecillitas, etc.; vel etiam (sensu latiori) ille qui provenit ex quacumque causa naturali, v. gr. ex naufragio, incendio, ferarum incursu, etc.; — *ab extrinseco* autem ille dicitur, qui provenit ex causa externa et libera, seu ab homine (VI, 1049).

4° Ratione modi quo incutitur, metus est *justus* vel *injustus* prout ex causa justa, v. gr. poenarum meritarum, vel injusta, i. e. per injuriam, incutitur.

286. — PRINCIPIA. I. **Metus gravis regulariter non tollit, sed minuit voluntarium.** Ratio primi est, quia per metum, nec tollitur cognitio ex parte intellectus, nec electio ex parte voluntatis, quae semper gaudet facultate se determinandi in oppositum. Hinc semper ut apostatae habiti sunt illi, qui metu tormentorum fidem negarunt. — Ratio secundi est, quia cum metus adjunctam habeat voluntatis repugnantiam, actio fit involuntaria secundum quid: unde minuitur, ut patet, voluntarium (V, n. XXI).

Diximus *regulariter;* nam quandoque metus tollit omnino voluntarium, si nempe tantus sit, ut rationis usum auferat; sed hoc est per accidens, et metus, in tali casu, induit potius naturam passionis, de qua n. 290 dicetur.

II. **Metus levis non tollit neque minuit voluntarium.** Hinc illud juris: « Vani timoris justa excusatio non est ».

Nota. Metus aliquando a lege, vel saltem a poena excusat, ut vidimus in tractatu *de Legibus* (n. 223); aliquando valori actus obstat, ut videbimus infra,

Digitized by Google

cum de votis, de juramentis, de contractibus, de matrimonio, disputabimus. Ex eo enim quod metus non tollat voluntarium, non sequitur omnia esse firma et valida quae sub influxu metus fiunt (V, n. XXII).

§ 3. De ignorantia.

S. Thomas, 1. 2. q. 76; *S. Alphonsus*, V, n. XXVI; ed. G., II, p. 695; *Ami du Clergé*, 1898, p. 1153; *Huber*, Hemmisse der Willensfreiheit; *Stimmen aus Mar-Laach*, 1909, p. 253.

287. — Definitio. Ignorantia, in genere, est scientiae carentia in subjecto capaci. — Alia, quae *negativa* seu *nescientia* dicitur, est carentia scientiae alioquin non debitae, v. gr. in rustico, qui nescit jus canonicum. — Alia, quae *privativa* dicitur, est carentia scientiae debitae, v. gr. in confessario, qui nescit quae ad administrationem sacramenti poenitentiae pertinent. — Alia, quae *positiva*, seu pravae dispositionis, vel etiam contrarietatis, vel *error* dicitur, est assensus praestitus falso tanquam vero, vel dissensus a vero tanquam a falso, v. gr. in haeretico (H. Ap., III, 13).

Ad ignorantiam referuntur, tum oblivio, quae privatio est recordationis rei olim notae; tum inadvertentia, quae est carentia actualis scientiae et defectus considerationis in agendo. Haec, si ex pravo habitu vel ex passione provenit, ignorantia *malae electionis* dicitur.

Ignorantiam hic consideramus, prout est *carentia scientiae debitae*, sive errorem sibi annexum habeat, sive non; sive habitualis sit, sive mere actualis, ut inadvertentia.

Divisio. Multiplex distinguitur ignorantia (V, l. c.):

1° Ratione objecti, est juris vel facti. — Ignorantia *juris* habetur, si quis legem nescit, seu aliquid praeceptum aut prohibitum esse ignorat: v. gr. si ignorat jejunium feriis IV Temporum esse servandum. — Ignorantia *facti* habetur, si quis exsistentiam facti, ejusve circumstantias, ignorat: v. gr. si ignorat hodie feriam esse IV Temporum (cfr. n. 40, 4°).

2° Ratione actionis quae ignoranter fit, ignorantia est actum causans vel mere concomitans. — *Actum causans* vocatur, cum aliquo modo in opus influit, et ratio est cur actus ponatur, vel simpliciter, vel tali vestitus circumstantia. Habetur in eo, qui dicere potest: *si scivissem, non fecissem*, vel *tali modo non egissem*: v. gr. venator occidens amicum, quem credit esse feram, minime interfecisset, si amicum esse scivisset. Porro, ignorantia *causat actum*, non per se, quia, cum sit privatio et non ens, non potest per se influere; sed per accidens, quatenus nempe removet scientiam, quae si adesset, opus impediret. — Ignorantia *mere concomitans* illa dicitur, quae nullatenus in actum influit; quia, si adesset scientia, opus aequaliter, imo forte facilius et promptius poneretur, v. gr. si quis, putans occidere cervum, occidit suum inimicum, quem tamen licet cognovisset, occidisset (H. Ap., XIX, n. 8).

Digitized by Google

3° Ratione subjecti, ignorantia ACTUM CAUSANS est invincibilis, vel vincibilis. — *Invincibilis* illa est, quae vinci nequit, vel quia dubitatio de opposito non occurrit, quo in casu est *physice* invincibilis; vel quia, facta morali diligentia, deponi non potest, et in hoc casu *moraliter* invincibilis dicitur. Haec ignorantia vocatur etiam *antecedens,* quia omnino antecedit consensum voluntatis. — *Vincibilis* vero ea est, quam homo non vincit, cum possit ac debeat. Vocatur etiam *consequens,* quia sequitur determinationem voluntatis, in quantum ipsa ignorantia est voluntaria, et procedit a libera voluntate. Ut patet, non datur ignorantia vincibilis, nisi cognoscatur, saltem in confuso, obligatio ulterius inquirendi; prima enim rerum cogitatio non est in hominis potestate (cfr. n. 20 et n. 218).

Ignorantia VINCIBILIS seu CONSEQUENS subdividitur in affectatam et non affectatam. — *Affectata,* seu *directe voluntaria,* est illa qua quis de industria laborat, seu in qua versari cupit, volens scilicet legis praecepta ignorare: vel ut excusationem peccati jam commissi habeat; vel ut non retrahatur a peccato committendo, juxta illud (*Ps.,* 35, 4): *Noluit intelligere ut bene ageret.* Haec ignorantia in illis invenitur, qui, data opera, nec sacris concionibus aut instructionibus interveniunt, nec in dubiis consilium petunt, ne a malo proposito deterreantur. — Ignorantia *non affectata,* seu *indirecte voluntaria,* est vel crassa, vel simpliciter vincibilis. Ignorantia *crassa* in eo habetur, qui, licet ignorare non affectet, negligit tamen addiscere ea, quae scire potest et debet. Haec dicitur etiam *supina,* quia crassi et pingues, et qui supini jacent, desides esse solent. — Si vero negligentia sit communis, vel levis, ita ut diligentia aliqua adhibeatur, non tamen sufficiens, ignorantia dicitur *simpliciter vincibilis.* Haec plus minusve culpabilis est, pro varia negligentiae mensura, et gravitate rei de qua agitur. Vide *S. Alph.,* III, 269; ed. G., I, p. 549; VII, 48; ed. G., IV, p. 291.

288. — PRINCIPIA. I. **Ignorantia concomitans nec voluntarium nec involuntarium positive facit; facit autem non voluntarium seu involuntarium privative.** Ratio primi est, quia talis ignorantia se habet per accidens ad opus quod agitur, nihilque in illud influit. — Ratio secundi, quia non potest esse actu volitum, quod ignoratum est (V, n. XXVIII).

II. **Ignorantia antecedens seu invincibilis tollit omnino voluntarium.** Quidquid enim ex illa procedit, minime voluntarium est, neque in se utpote incognitum, neque in sua causa, nempe in ignorantia, quae est plane involuntaria. Opus autem fit contra agentis inclinationem, sin minus actualem, at saltem habitualem et interpretativam. Ita DD. communiter (V, n. XXVII). — Cfr. tamen n. 125.

Digitized by Google

III. **Ignorantia consequens seu vincibilis non tollit voluntarium, sed minuit, subinde tamen illud adauget.** NON TOLLIT; quia est voluntaria, et proin ejus effectus est voluntarius. — Sed MINUIT: minus enim voluntarium est quod indirecte tantum et per accidens est volitum, quam illud quod per se et directe intenditur. Unde communiter dicunt DD., ignorantiam excusare, si non *a toto,* saltem *a tanto.* — ADAUGET autem voluntarium, si est *affectata,* non quidem ratione sui, cum ignorantia, ut talis, semper opponatur voluntario; sed ratione causae suae, quae est major aversio a recto, et major affectus in pravum. Nam, ut *D. Thomas* (1. 2, q. 76, a. 4) observat: « ex intentione ad peccatum provenit, quod quis vult subire ignorantiae damnum, propter libertatem peccandi » (V, n. XXIX).

289. — *Ex his resolves:* 1° Qui festa et jejunia non servant ex ignorantia, eo quod de iis cognoscendis parum solliciti esse *solent,* non excusantur a peccato, quia eorum negligentia est vincibilis. Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 78, 3°. — Si vero de occurrenti festo vel jejunio nihil suspicantes, ordinaria cognoscendi media una alterave hebdomade omittunt, a peccato excusantur, quia tali omissione in requisita diligentia non defecerunt, et proin ignorantia non est vincibilis.

2° Qui scientiam ad munus exercendum necessariam sibi deesse advertens, munere voluntarie fungitur, de erroribus tenetur, quos in confuso saltem praevidit. Quod si errores sint graves, in statu habituali peccati remanet, quamdiu voluntatem suam malam non revocaverit, ignorantiae deponendae occasionem non arripiendo. Cfr. quae infra dicentur n. 317.

3° Si negligentia in deponenda ignorantia est venialiter tantum culpabilis, factum ex ea sequens, licet in se grave, ad venialem duntaxat culpam erit imputabile. Ejusmodi enim actus *ratione causae* sunt voluntarii.

Nota. De ignorantia plura alia vide in tract. *de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Contractibus...*

§ 4. DE CONCUPISCENTIA.

S. Thomas, 1. 2, q. 22-48; *S. Alphonsus,* V, n. XXIII; ed. G., II, p. 694; *Frins,* I, n. 295; *Surbled,* La Morale dans ses rapports avec la Médecine, III, p. 16; *Descuret,* La Médecine des Passions.

290. — DEFINITIO. Concupiscentia, in strictiori sensu, idem sonat ac *fomes peccati,* et definitur: Motus appetitus sensitivi adversus spiritum rebellantis et tendentis in bonum delectabile. — In latiori autem significatione, prout hic consideratur, idem sonat ac *passio,* et definitur: Motus appetitus sensitivi in bonum delectabile, ortus ex imaginatione boni vel mali, cum aliqua transmutatione corporali (H. Ap., III, 15).

Passio per se indifferens est: fitque bona vel mala, pro natura objecti, quod appetitur secundum vel praeter ordinem rationis. Cum autem multum conducant passiones ad vires voluntatis augendas, operae pretium erit, recte iis uti, deordinatos eorum impetus coercere, et ad bonum finem ordinare.

DIVISIO. Distinguitur passio antecedens et consequens.

1° Passio *antecedens* ea dicitur, quae consensum voluntatis antevertit, et ex sola objecti apprehensione exsurgit; ut si quis, ex fortuito

Digitized by Google

rei turpis aspectu, allicitur ad delectationem carnalem; vel ob injuriam acceptam movetur ad vindictam. — Passionum motus, alii sunt *primo-primi:* hi oriuntur in nobis sine nobis, id est sine ullo voluntatis consensu; alii vocantur *secundo-primi,* illi nempe, qui producuntur cum semiplena advertentia, et semipleno consensu; alii postremo sunt motus *secundi,* seu *plene deliberati;* hi excitantur cum advertentia plena, et cum consensu perfecto.

2° Passio *consequens* illa dicitur, quae oritur ex praevio voluntatis actu; sive per redundantiam, quia vehemens voluntatis motus redundat in appetitum inferiorem et movet passionem, uti contingere solet iis, qui habitum habent alicujus peccati, v. gr. libidinis; sive per directam excitationem, quia voluntas appetitum inferiorem de industria movet, sistendo, v. gr. objectum oculis vel phantasiae, ut si quis acceptam injuriam mente revolvit ad iram provocandam (V, n. XXIII, XXV).

Passiones generatim numerantur *undecim,* quarum sex sunt in appetitu *concupiscibili:* amor et odium, desiderium et fuga, delectatio et tristitia; quinque vero in *irascibili:* spes et desperatio, timor et audacia, ira. — De his fuse tractant Scholastici, et utiliter quidem, quia talis tractatio multum inservit, tum acquisitioni virtutum, tum regimini animarum. — Vide *Schram,* Inst. Theol. Myst., § 90.

291. — PRINCIPIA. I. **Concupiscentia seu passio antecedens, etsi voluntatis inclinationem adaugeat, minuit tamen voluntarium liberum; imo, si est vehementissima, potest illud penitus tollere.** Ita communiter cum *S. Thoma* (1. 2, q. 6, a. 7, ad 3, et q. 10, a. 3) [1].

Dicitur: 1° *Adauget inclinationem voluntatis;* nam, quo magis fervet passio, eo vehementius voluntas in actum erumpit.

2° *Minuit voluntarium liberum,* adeoque imputabilitatem. Voluntarii enim rationem extenuat, quatenus obscurat mentem et a finis consideratione avertit, impediendo quominus intellectus, ab objecto sensibili illectus, actus turpitudinem ac Dei offensam perpendat.

3° *Potest illud penitus tollere;* quod evenit quando passio est adeo vehemens, ut omne rationis judicium et voluntatis consensum antevertat; sicut patet exemplo eorum, qui propter amorem, aut iram, insaniunt. — Hoc tamen comparative *raro* accidit, praesertim quoad actus externos; regulariter enim, ut advertit *S. Thomas* (1. 2, q. 17, a. 9), membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis (V, n. XXIV, XXV). — Dicit *S. Alph.,* V, 3: « Potest intellectus ita rapi a delectabilitate objecti oblati, ut nihil malitiae moralis in illo advertat ».

[1] Locis citatis sane haec docet Angelicus; sed q. 77, a. 7 his verbis suam doctrinam limitat: Dummodo causa (hujus passionis) non fuerit voluntaria.

Digitized by Google

Super quo scribit *Berardi* (I, n. 408): Haec bene notent Confessarii, ne aliquas miseras animas in desperationem conjiciant.

Hinc colligitur: 1° Motus concupiscentiae ***primo-primi*** non sunt peccata, sed occasio sive peccatorum sive virtutum. — Motus ***secundo-primi,*** in omni re illicita, sunt peccata venialia. — Motus demum ***secundi*** seu ***deliberati,*** in re graviter illicita, sunt peccata mortalia, tametsi eorum gravitas, ob passionis vehementiam, nonnihil imminuatur (cfr. n. 322). Vide *S. Alph.*, Op. dogm. (ed. Walter, II, p. 413).

2° Bona passio, si judicium rationis praevenit, ita ut homo magis per passionem, quam per rationem, ad bene agendum moveatur, ***diminuit actus bonitatem*** et laudem. — Exemplum habes in patrefamilias, qui magis ex ira, quam ex rationis judicio, filios castigat; in misericorde, qui potius ex compassione, quam ex rationis et fidei impulsu, pauperes sublevat (*S. Thom.*, de Malo, q. 3, a. 11).

II. **Concupiscentia seu passio consequens quandoque adauget voluntarium, quandoque signum est ejus magnitudinis.** 1° *Adauget voluntarium,* si procedit ex directa excitatione; tunc enim vehementior est motus voluntatis; et obscuratio rationis, utpote voluntaria, non tollit in effectu rationem voluntarii. — 2° *Est signum ejus magnitudinis,* si oritur ex concitatae voluntatis redundantia in partem inferiorem: tunc comparatur ad voluntatem, tanquam effectus ad causam; effectus autem causam demonstrat. Apposite ad rem *S. Thomas* (de Malo, ut supra): « et sic passio (consequens) addit ad meritum vel demeritum, quia est signum passio, quod motus voluntatis sit fortior; et hoc modo verum est quod ille, qui cum majori compassione facit eleemosynam, magis meretur, et qui cum majori libidine facit peccatum, magis peccat ». Cfr. 1. 2, q. 77, a. 6.

Nota. Quoad quaestionem: *Utrum teneamur motibus passionis resistere,* vide quae infra, n. 322, dicentur.

Scholium.

De habitu.

292. — Juvat hic pauca adjicere de habitu, qui eodem fere modo in voluntarium influit ac concupiscentia.

Definitio. Habitus est firma ad agendum dispositio, causata plerumque ex iteratis actibus. — Dicitur *plerumque;* nam subinde evenit, ut habitus etiam ex uno actu gignatur, si nempe activum, ceu loquitur D. Thomas (1. 2, q. 51, a. 3), fuerit magnae virtutis, ut quando fortis medicina statim inducit sanitatem. Cfr. *S. Thom.*, 1. 2, q. 49-54; *Suarez,* Disp. metaph., disp. XLIV; *Ami du Clergé,* 1899, p. 529-593.

Divisio. Cum habitus semper actum voluntatis supponat, nequit dividi in antecedentem et consequentem.

Habitus est ergo, vel a voluntate ***admissus,*** vel a voluntate ***impugnatus.*** Admittitur a voluntate, si causatur cum advertentia (i. e. cum praevisione ejus generationis ex actuum iteratione), vel etiam si, licet sine advertentia causatus,

Digitized by Google

dein non jam efficaciter exstirpatur. — A voluntate vero impugnatur, si apta media ad habitum deponendum adhibentur.

PRINCIPIA. I. **Habitus a voluntate admissus aliquando auget, aliquando minuit, sed numquam tollit voluntarium.**

1° *Auget voluntarium,* in quantum alacritatem majorem tribuit voluntati, quin in agente minuatur mentis attentio. — 2° *Minuit voluntarium* inquantum homo, consuetudinis servus, ab ipsa ita trahitur ut praeveniatur, vel impediatur tranquilla mentis consideratio. — 3° *Numquam tollit voluntarium,* cum homo, ex eo quod habitum abjicere nolit, ipso facto et effectus, a causa manantes, in causa voluerit. Vide *D. Thomam,* 1. 2, q. 49 seq.

II. **Habitus a voluntate impugnatus semper minuit voluntarium, quandoque etiam tollit.**

1° *Minuit voluntarium,* inquantum vires voluntatis et deliberatio rationis plus minusve ab habitu impediuntur. — 2° *Tollit voluntarium,* casu quo habitus tam vehementer potentiis executivis dominatur ut praeveniat rationis judicium, ut patet apud eos qui bili agitantur.

Constans sit ergo humana voluntas in habitibus reprimendis: *consuetudo enim consuetudine vincitur.* Non negligat tamen adhibere media physica a medicis praescripta, quibus naturae vires crescere possunt.

II. — De impedimentis quae remote in voluntarium influunt.

293. — Inter homines numerantur alii qui non solum sortiti sunt bonam animam (*Sap.,* VIII, 19), sed etiam, Deo sic ordinante, corporis complexionem virtutis exercitio magis aptam consequuntur (*S. Thom.,* 1. 2, q. 51, a. 1). Alii autem dantur qui ab incunabulis ad malum inclinantur, pravarum propensionum veneno inficiuntur, et summa cum difficultate cor et voluntatem sursum dirigunt.

Apud hos omnes tria considerare possumus, quae maxime in voluntatem influunt: Haereditatem, temperamentum, status quosdam pathologicos.

I. **De haereditate.** Nemo negare potest, quasdam corporis qualitates et animi propensiones transmitti, ut sunt: cleptomania, impulsus ad suicidium, etc.; quae tamen non eodem modo, nec secundum regulam constantem de parentibus ad filios transeunt. Quamvis difficillime explicentur leges transmissionis, utpote quum tota materia fere nihil ad inquisitionem suppeditet, *de facto* tamen transmissionis non est dubitandum.

Haereditas habet sine dubio influxum in libertatem, quia revera (ut patet apud filios ebriosorum) transmittitur corpus ad operandum plus minusve habile. Aliquando etiam propensiones naturales possunt evertere intellectus judicium, ita ut libertas cesset. Sed nullo modo cum Deterministis affirmare licet, *liberum arbitrium lege haereditatis tolli,* quia (secluso casu quo voluntas subito sub influxu propensionis naturalis trahatur), mens potest suae imputabilitatis remanere conscia. — Historice considerata, magnum pondus obtinet nostra affirmatio, ex eo quod compertum sit, filios magna virtute fulgentes e parentibus vitio deditis ortum habuisse, dum, e converso, parentes timorati filios genuerunt nefariis quibusque sceleribus deditos. Et sic patet quam inane sit argumentum ex *morali statistica* desumptum (cfr. *Lehmk.,* I, 63), simulque quam

Digitized by Google

grave vulnus inferant societati, quotquot coram judicibus reos quosque excusant, quasi ex lege haereditatis non fuerint suorum criminum conscii [1].

II. **De temperamento.** Complexus diversarum corporis et animae propensionum, quibus tali homini specialis indoles confertur, vocatur temperamentum. Si istae propensiones voluntatis conatibus *firmae* evadant; habetur *character*.

Quidquid sit de diversitate opinionum inter antiquos et modernos, utrumnempe quatuor vel solum duo adsint fundamenta distinctionis inter temperamenta, certum est, in omnibus quid dominari, quod operationi notam specialem imprimit.

Temperamentum nullo modo tollit, minuit tantum VOLUNTARIUM. Ratio est, quia ex complexione oritur quidem influxus in voluntatem (*S. Thom.*, Contra Gent., l. II, c. 63), non vero talis, ut rationale quasi necessario sequatur inferiores propensiones. Quin imo, rationale per actus repetitos ita mutare potest naturales inclinationes, ut aliquis quasi novus homo evadat, ut patet exemplo aliquorum Sanctorum, qui ex natura cholerici, favente gratia et nitente voluntate, mansuetudinis forma resplenduerunt [2].

III. **De statibus pathologicis.** Nostris praesertim temporibus varii dantur morbi quibus afficiuntur vel voluntas, vel nervorum centrum; voluntas quidem, inquantum ipsa ob mentis hebetudinem quasi impotens appareat aliquid efficaciter volendi; nervorum vero centrum, inquantum nervi ita sint exhausti vel debilitati, ut agens, quamvis remaneat sui compos, magna inconstantia laboret vel magnis agitetur deprimaturque passionibus.

1° VOLUNTATIS DEBILITAS vocatur *aboulia*. Haec ita afficit homines, ceteroquin robustos, ut semper minuatur, aliquando etiam (sed rarissime) tollatur libertas. Auxilium miseris amici praestent oportet, ut iterum efficaciter velle vel nolle addiscant [3].

2° NERVORUM DEBILITAS secum adducit *neurastheniam*, si deordinatio est sat gravis, vel *hysteriam*, si deordinatio gravior. Aliquando etiam non constanter, sed interposita aliqua mora, ista deordinatio in hominem irrumpit, et habetur *morbus epilepticus*. Influxum autem morbi in voluntatis liberum exercitium, apud eos qui hac in misera conditione versantur, dimetiri quis possit, quis audeat? Semper utique minuitur voluntarium, et aliquando omnino tollitur. Ad Deum confugiant aegrotantes, sperent in spem contra spem, medico prudenti, confessario longanimo et patienti sese committant plane regendos. Ipse vero Confessarius, quamvis ejus sit omnia rite dijudicare, sciat se in multis judicium suspendere et totam rem Dei judicio committere debere [4].

Nota. Quaestio perutilis, ad hanc materiam pertinens, respicit *statum hypnoticum*, in quem se conjiciunt multi, sive experimenti sive recuperandae sanitatis causa. Evidens est, voluntatis libertatem per suggestiones *postea* implendas multum affici, sed ex hoc non concludas, agentem omni carere responsabilitate. Cfr. quae docet *Tanquerey*, II, p. 76. Lege quae infra, n. 570, de hypnotismo dicentur.

[1] Cfr. *Tanquerey*, II, p. 65; *Antonelli*, Medicina Past., II, n. 710 seqq.; *Huber*, Hemnisse der Willensfreiheit; *Linz. Quart. Schrift*, 1913, p. 13. — [2] Cfr. perutile opusc. P. *Cl. Aquaviva*, S. J., Industriae ad curandas animi morbos, Romae, 1606. — [3] Cfr. *Tanquerey*, II, p. 72; *Stimmen aus Maria-Laach*, vol. 82 (1912), p. 150 et 282. — [4] Cfr. *Lehmk.*, I, n. 90; *Antonelli*, Med. Past., II, n. 210; *Ami du Cl.*, 1911, p. 881; 1914, p. 81; *Raymond*, O. P., Guide des nerveux et des scrupuleux; *Huber*, Hemnisse der Willensfreiheit; *Bessmer*, Störungen im Seelenleben, 1904 u. 1906; *Surbled*, La Morale dans ses rapports avec la médecine, IV, p. 41.

Digitized by Google

CAPUT II.

De moralitate actuum.

S. Thomas, 1. 2, q. 19, a. 4; q. 21, a. 1; q. 71, a. 6; *S. Alphonsus*, V, n. XXXIV; ed. G., II, p. 698; *Frins*, II, sect. 1 et 2; *Cathrein*, Moralph., P. I, l. II; *Tanquerey*, Theol. mor., II, p. 19; *Willems*, Phil. mor., III, p. 32-104.

294. — DEFINITIO. Moralitas actuum humanorum est eorum habitudo seu relatio ad regulam morum, quacum congruunt, vel a qua discrepant. — Sicut artificiositas consistit in respectu, quem habet artefactum ad regulas artis: ita moralitas consistit in respectu, quem habet actus humanus ad regulam morum, i. e. secundum Angelicum ad « dictamen *rectae rationis*, sive *increatae*, quae est lex aeterna, sive *creatae*, quod est lumen naturale hominis, seu participatio legis aeternae » (1. 2, q. 91, a. 2). Cfr. n. 9 et 114 seqq., et quae docet *D. Thomas*, Q. disp. de Virtutibus, q. 1, a. 13.

Hinc *statuitur*: « naturam boni moralis sitam esse in conformitate actionis cum legibus ordinis, quem Deus ab hominibus exigit pro sui honore et universali felicitate » (V, l. c.).

a) Errant igitur qui moralitatem, sive in *libertate*, sive in *voluntario* constituunt. — Sane, libertas et voluntarium requiruntur tanquam moralitatis fundamentum, sed ejus essentia minime in iis reponenda est. Etenim moralitas actus humani dicit imputabilitatem ad laudem vel vituperium: actus vero laude aut vituperio dignus est, non praecise quia liber est, sed quia libere conformis vel deformis factus est regulae morum, id est legi divinae, per conscientiam intimatae. — Alii quaestionem sic dirimunt: Ille *in genere* laude dignus existit, actum ergo moralem ponit, qui autonome agit; dignus vero *speciali* laude erit ille solus qui agit deliberate, relate ad talem vel talem ordinem. Cfr. *Lehmkuhl*, I, n. 93.

b) Errant pariter, qui naturam boni moralis collocant in solo *utili* ac *delectabili*; quare in Syllabo, sub n. 58, Pius IX hunc reprobavit errorem: « ... omnis morum disciplina honestaque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis ».

c) Errant denique qui discrimen inter bonum et malum quaerunt in *opinione publica*, in *ordine justitiae*, quasi id solum esset bonum quod fit ex motivo obligationis quam *sola ratio* dictat.

DIVISIO. Moralitas dividitur 1° in BONAM et in MALAM. Etenim actus humanus vel convenit cum sua regula, vel ab ea aberrat. — Si convenit, dicitur rectus, bonus, honestus: *rectus*, quia conformis suae regulae; *bonus*, quia haec conformitas ipsi debetur; *honestus*, quia condecorat humanam naturam. — Si vero a sua regula aberrat, dicitur pravus, malus, inhonestus: *pravus*, quia per suam aberrationem est

Digitized by Google

vere distortus; *malus,* quia sibi debita perfectione privatur; *inhonestus,* quia rationalem creaturam foedat (*S. Thom.,* 1. 2, q. 21, a. 1).

Dividitur 2° in *materialem* seu objectivam, et in *formalem* seu subjectivam. Divisionis fundamentum est duplex regula, ad quam actus humani conformandi sunt: lex scilicet, ad quam conformandi sunt materialiter et objective; et conscientia operantis, ad quam conformandi sunt formaliter et subjective. — MATERIALIS igitur moralitas est convenientia vel disconvenientia actus cum regula externa seu lege; FORMALIS vero, convenientia vel disconvenientia cum regula interna seu conscientia agentis. — Ex quo patet, unam moralitatem posse sine altera existere, cum nempe homo agit ex conscientia invincibiliter erronea. Ita, v. gr., actus, qui legi consentaneus est, sed quem agens legi oppositum putat, materialiter bonus, formaliter malus est; contra, actus legi oppositus, quem agens invincibiliter legi conformem existimat, materialiter malus est, sed formaliter bonus. Cfr. *Bouquillon,* Theol. fund., n. 348 seqq.

Dividitur 3° in intrinsecam et extrinsecam. — Moralitas dicitur *intrinseca,* si ex ipsa rei natura oriatur; sic amor Dei est intrinsece bonus, odium Dei intrinsece malum; dicitur autem *extrinseca,* si ex sola lege positiva exsurgat: sic manducare carnes feria VI^{a} est extrinsèce malum (cfr. n. 112).

295. — Ad majorem rei intelligentiam, explicandum est, quid sit intrinsece et extrinsece bonum, vel malum (*Reuter,* Theol. mor., P. I, tr. I, n. 32).

1° *Intrinsece bonum* est, quod, natura sua, convenit ordini recto, ita ut vel necessario praecipi debeat, v. gr. adoratio Dei, vel saltem merito consuli possit, v. gr. consilia evangelica. — Duplex distinguitur: aliud est bonum *absolute,* v. gr. actus fidei, spei et caritatis; aliud est bonum *relative,* v. gr. votum castitatis.

Intrinsece malum est illud, quod, natura sua, recto ordini ita repugnat, ut necessario prohiberi debeat. — Triplex distinguitur: *a*) Malum *absolute,* quod tale est independenter ab omni circumstantia, necessario et immutabiliter, quia in se involvit repugnantiam cum recto ordine, v. gr. odium Dei, blasphemia. — *b*) Malum *conditionate,* quod tale est non praecise in se, sed ratione ad uncti, quod pendet a dominativa potestate Dei, aut hominis: quare bonum fieri potest, accedente scilicet concessione Dei vel hominis. Sic, v. gr., occisio hominis est intrinsece mala, sed conditionate, in quantum non accedit concessio a jus habente. — *c*) Malum *relative,* quod tale est solum ratione periculi quod ordinarie adjunctum habet, ut aspectus objecti turpis, lectio pravi libri, etc. Haec, data justa causa et remoto proximo peccandi periculo, licita fieri possunt, ut suo loco videbimus.

Nota. Aliqui AA. actiones conditionate malas vocant *male sonantes,* quatenus regulariter notionem mali in memoriam revocant, et nonnisi sub quibusdam conditionibus bonae evadunt (*S. Thom.,* quodl. IX, a. 15 in corp.).

2° *Extrinsece bonum* vel *malum* est illud, quod non ex natura sua, sed vi alicujus praecepti, fit bonum vel malum. Talia sunt, v. gr., opera servilia,

Digitized by Google

quae certis diebus ab Ecclesia prohibita sunt, adeoque illis diebus evadunt mala. Item, deambulatio per se indifferens, si pietatis aut caritatis causa instituatur, fit bona.

Quibus praemissis, agemus: 1° de principiis moralitatis; 2° de ejusdem extensione.

ARTICULUS I.

De principiis moralitatis.

296. — Theologi vocant *principia* seu *fontes moralitatis* ea omnia, ex quibus fit, ut aliqua actio sit bona, vel mala, vel indifferens. Quemadmodum enim naturalis bonitas rei, ex plenitudine sui esse, seu ex collectione eorum omnium, quae ad ejus integritatem requiruntur, exsurgit; ita bonitas moralis exsurgit ex collectione eorum omnium, quae actui humano secundum rectam rationem conveniunt; malitia vero moralis, ex defectu illius integritatis (*S. Thom.*, l. 2, q. 18, a. 1).

Coalescit autem integritas actus humani ex objecto et ex circumstantiis. Hinc, ut rectum feratur de aliquo actu judicium, ille cum regula conferri debet, tum quoad objectum, tum quoad circumstantias. Sed una est circumstantia, scil. *finis*, quae ob peculiarem suum in moralitatem influxum, peculiarem etiam considerationem sibi exposcit. — Quare tria recensentur moralitatis principia, nempe *objectum*, *circumstantiae* et *finis*. De singulis nunc plura.

§ 1. De objecto.

297. — Definitio. Objectum, in sensu latiori, designat id omne, quod voluntati objicitur. Hoc in sensu, potest et finem et circumstantias includere. — In sensu strictiori, prout hic sumitur, objectum est illud (res, aut persona, *moraliter considerata*), circa quod actus humanus versatur, et in quod natura sua et *per se* tendit. Sic res aliena est objectum furti; Deus objectum actus amoris (V, n. XXXVI).

Divisio. Objectum est *bonum*, vel *malum*, vel *indifferens;* prout relationem convenientiae, vel disconvenientiae, vel nullam relationem habet ad regulam morum.

298. — Principium. **Actus humanus sumit ab objecto moralitatem, et quidem essentialem, seu specificam.**

Constat *prima pars:* 1° Ex Scriptura: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt* (*Osee*, 9, 10). Contrarium, ob eamdem rationem, dicendum est de actibus bonis. — 2° Ex *S. Augustino* (tr. 2, in 1 Ep. S. Joann., n. 14): « Talis quisque est, qualis est ejus dilectio. Terram diligis? terra es; Deum diligis? quid dicam? quasi Deus es ». — 3° Ratione: actus inde sumit suam moralitatem, unde habet relationem

Digitized by Google

ad regulam morum; atqui hoc habet ex objecto; ergo. — Recole dicta n. 294.

Probatur *secunda pars:* Essentialis seu specifica moralitas actus est illa, quae ei, ante omnem aliam, inesse concipitur, sine qua concipi non potest, et quae, aliis mutatis, invariabilis permanet. Jamvero, talis est moralitas ab *objecto* sumpta; ad id enim, ex hypothesi, actus natura sua tendit, et ad ipsum se habet, ut ad suum principium formale. Sic, v. gr., furtum, quod quis in loco sacro committit, ad se inebriandum, licet concipi possit sine malitia sacrilegii et intemperantiae, non potest tamen concipi sine malitia injustitiae.

« Hinc, in actionibus humanis, ante omnia attendendum est ad ***objectum,*** circa quod sunt sicut circa proprium terminum. Si objectum est rectae rationi conveniens, actio erit specifice bona. Si objectum discordat a recta ratione, actio erit essentialiter seu specifice mala ». *Zigliara,* Ethica, l. 2, c. 1, a. 6.

§ 2. De circumstantiis.

299. — Definitio. Circumstantia (quasi actum circumstans) est qualitas accidentalis, actum humanum, in suo esse morali jam constitutum, moraliter afficiens (*S. Thom.,* 1. 2, q. 7, a. 1).

Duo igitur ad circumstantiam requiruntur: 1° ut actui non tribuat primum esse; — 2° ut actum moraliter afficiat, i. e. eum modificet in ordine ad regulas morum. Nam hic non sermo est de circumstantiis physice vel juridice tantum actum afficientibus, v. gr. qua manu quis furtum commiserit (*Billuart,* de act. hum. Diss. 4, a. 3, § 2).

Divisio. Septem numerantur circumstantiarum classes, hoc Tullii versiculo expressae:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Qualitates enim actum afficientes possunt adhaerere: 1° *personae agentis,* v. gr. an sit sacerdos, religiosus, uxoratus; — 2° *objecto actus,* v. gr. an res furto ablata, sit in magna vel parva quantitate, sacra vel profana; an persona percussa sit clericus, vel laicus, etc.; — 3° *loco,* ubi committitur actio, an sit publicus vel secretus, sacer vel profanus; — 4° *mediis agendi,* an sint justa vel injusta; 5° *fini extrinseco* operantis, de quo infra (n. 304); — 6° *modo agendi,* v. gr. an operans egerit malitiose vel bona fide, intense vel remisse, ex contemptu vel levitate, ex ignorantia vel metu, etc.; — 7° *tempori,* v. gr. an die festo, an mora longa, vel brevi.

300. — Principia. I. **Actus humanus veram moralitatem desumit ex circumstantiis.** Probatur ex S. Scriptura (*Marc.,* 12, 43): ubi mulier laudatur, quae duas tantum monetas misit in gazophylacium, prae Pharisaeis multas mittentibus. Ratio est, quia circumstantiae habent relationem convenientiae, vel disconvenientiae, cum recta ratione: sic in furto sacrilego circumstantia rei sacrae violatae habet peculiarem cum

Digitized by Google

recta ratione disconvenientiam, praeter illam, quam habet ex objecto, seu ex eo quod sit res aliena. Sic etiam, ceteris paribus, major quantitatis eleemosynae actum reddit laudabiliorem (V, n. XXXIX).

301. — II. Dantur circumstantiae, quae actui novam addunt moralitatem. Hoc inde patet, quod sunt circumstantiae, quae secundum se, seorsim et independenter a prima moralitate petita ex objecto, important specialem et distinctam relationem conformitatis, vel difformitatis, ad rectam rationem seu regulam morum, ut in furto sacrilego.

Istiusmodi circumstantiae *in objectum transire* dicuntur, quia relate ad speciem superadditam, fiunt objectum: sic in furtu sacrilego, res in quantum est aliena, est objectum furti, in quantum sacra, est objectum sacrilegii. — Istae circumstantiae communiter vocantur *speciem mutantes*.

302. — III. Dantur circumstantiae, quae moralitatem augent vel minuunt in eadem specie; *quare* AGGRAVANTES *vel* MINUENTES *dicuntur*. Sunt enim circumstantiae, quae non habent per se distinctam moralitatem, sed modificant eam, quae ex objecto provenit; ut sunt *magis* et *minus*, *intensum* et *remissum*, etc. Sic quantitas pecuniae nullam dicit moralitatem per se; dicit autem moralitatem bonam, si agitur de eleemosyna; malam, si agitur de furto. Unde effatum: *Plus aut minus non mutat speciem.*

Si vero circumstantiae transferunt peccatum de veniali in mortale, aut vice versa, dicuntur *mutare speciem* non objectivam, quam tantummodo augent vel minuunt, sed *theologicam* seu demeritoriam. Sic furtum unius assis non differt, quoad virtutem cui opponitur, a furto decem aureorum; differt tamen quoad culpam, nempe theologice: alterum enim est peccatum veniale, alterum peccatum mortale. — Unde circumstantia, quae de veniali facit mortale, a quibusdam dicitur *augens in infinitum*, quia gratiae et gloriae privationem secum affert (cfr. n. 334 et 342, q. 2° et 3°).

Nota. « Circumstantia leviter mala (v. gr. praecipitatio in agendo, tepor in precibus, levis indignatio, concomitans vana gloria, etc.) adveniens actui, non aufert totam ejus bonitatem, nec delet omne meritum » (V, n. XXXIX). Ita communiter. « Si secus esset, ait *Billuart* (l. c.), vix ullus, vel in ipsis Sanctis, reperiretur actus bonus, cum tam facile opus quodlibet circumstantia aliqua leviter mala infici contingat ».

§ 3. De fine.

303. — DEFINITIO. Finis, in genere, est id cujus gratia aliquid fit, scilicet cujus bonitas, vera vel existimata, voluntatem allicit; atque ad operandum determinat.

DIVISIO. Finis distinguitur ratione originis, seu fontis, in finem operis seu intrinsecum, et finem operantis seu extrinsecum. — Finis *operis* dicitur illud, ad quod opus ex natura sua ordinatur, ut domus ad habitandum, eleemosyna ad sublevandam pauperis inopiam. Hic finis unum

Digitized by Google

idemque est atque objectum (de quo n. 297). — Finis *operantis* dicitur illud, ad quod ipse operans, ex proprio arbitrio, ordinat suum opus: ut si quis dolose aedificet domum in alieno solo, ut illud sibi acquirat; item, si quis largiatur eleemosynam, ob inanem gloriam.

Si operans solum finem operis intendit, actus inde moralitatem contrahit haud diversam a moralitate, quam ex objecto habet; unde de illo non redit sermo.

304. — Finis OPERANTIS, de quo hic proprie agitur, subdividitur:

1° Ratione motionis voluntatis, est primarius, vel secundarius. — *Primarius* dicitur, qui prae ceteris aestimatur, quemque agens, si forte inter varios fines collisio exoriretur, imprimis retineret. — *Secundarius* est, qui fini primario subordinatur, atque hoc praesupposito, intenditur tanquam primario annexus. Exemplo sit duplex finis adolescentis ingredientis Religionem: primarius ejus finis est, ut suae aeternae saluti consulat; secundarius, ut a saecularibus curis eximatur.

Finis secundarius quandoque causa est, cur agens ad opus se applicet, cum subordinatione tamen ad finem primarium: v. gr. si sacerdos non intendens celebrare, ad id se determinat, ut gratum se praebeat amico. Ordinarie tunc *causae impulsivae* nomen obtinet.

2° Ratione coordinationis ad invicem, est ultimus, vel intermedius. — Finis *ultimus* est, propter quem cetera volumus, ipsum vero propter se tantum. — Finis *intermedius* est, propter quem aliquid volumus, sed quem rursus ad aliud referimus: ut si quis affligit corpus propter virtutem, quam quaerit, ut placeat Deo: Deus est finis ultimus hujus afflictionis, virtus vero finis intermedius.

3° Ratione moralitatis formalis, est *bonus*, vel *malus*; non autem datur indifferens. — Patet ex eo quod finis, qua talis, necessario rationem involvit alicujus boni, quod agens prosequitur. Prosecutio autem hujus boni vel est secundum rectam rationem, vel non: in primo casu, finis dicitur bonus, in altero malus, et sic liquet non dari finem indifferentem.

Actus, quo voluntas se fert in finem, vocatur INTENTIO: quae distinguitur in actualem, virtualem, habitualem et interpretativam; explicitam vel implicitam, prout supra de voluntario dictum est (n. 272, 6°).

305. — PRINCIPIA. I. **Finis operantis tribuit veram moralitatem actui humano.** Patet ex dictis; nam finis, non secus atque aliae circumstantiae, potest dicere relationem conformitatis vel difformitatis ad rationem. Unde Christus Dominus (*Matth.*, 6, 22, 23): *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Per oculum autem communiter intelligitur intentio finis; per corpus, actio.

Digitized by Google

Hinc *S. Alphonsus* (H. Ap., III, 5): « Quilibet actus humanus, inquit, sive elicitus sit, sive imperatus a voluntate, specificatur a fine, propter quem exercetur. Quare illi actus, qui *eumdem finem* habent, quamvis materialiter sint diversi, eamdem tamen induunt speciem; v. gr. si quis jejunat, orat, concionatur ob Dei gloriam: omnes isti actus sunt actus caritatis. — Contra, si unus idemque sit actus materialis, et a voluntate eliciatur *ob diversos fines,* diversas induit species »: v. gr. si quis infirmis ministrat ex caritate, ex poenitentia, ex humilitate, etc.

Moralitas, quae ex fine extrinseco habetur, *accidentalis* est respectu ad actum cui advenit; hic enim essentialem suam moralitatem habet ex objecto, seu ex fine intrinseco: *principalis* tamen dicitur respectu ad agentem, qui finem extrinsecum primario intendit, et in eum majori affectu, quam in ipsum objectum, fertur. Denominamur enim non ab actu, sed ab affectu. — Sic, v. gr., ille qui furatur, ut committat adulterium, est, per se loquendo, magis adulter quam fur (*Arist.* ap. *S. Thom.*, 1. 2, q. 18, a. 6).

306. — II. Finis operantis tribuit quandoque actioni multiplicem moralitatem; ex fine autem operantis et ex fine operis, quandoque una tantum qualitas moralis resultat. Ad hanc diversam moralitatem bene distinguendam, sequentes REGULAS tradit *S. Alphonsus* (l. V, n. XXXVIII; ed. G., II, p. 701):

1° Si objectum est *bonum,* finis vero operantis *malus,* actus humanus, vel simpliciter malus est, vel partim bonus et partim malus.

a) *Simpliciter malus* est, si finis est graviter malus. Etenim agens, peccando mortaliter, recedit totaliter a Deo; v. gr. si quis puellae egenti eleemosynam dat, ut eam ad peccatum alliciat. — *b*) Item, *simpliciter malus* est, si finis leviter malus est causa totalis; v. gr. si quis eleemosynam dat, unice ad vanam gloriam; improbat enim recta ratio, ut eligatur bonum, ob finem pravum (*S. Thom.*, 1. 2, q. 18, a. 4 et 6). — *c*) *Partim bonus* et *partim malus* est, si finis leviter malus est causa partialis: v. gr. si quis, ex sincero misericordiae affectu, pauperi velit dare eleemosynam; sed quia pauper publice petit, subintrat etiam stimulus vanae gloriae, qui non repellitur.

Diversa haec moralitas, in eodem opere, inde facile intelligi potest, quod circa idem objectum multiplex esse potest actus voluntatis.

2° Si objectum est *bonum* et finis etiam *bonus*, actus humanus habet duplicem speciem bonitatis moralis, ut est dare eleemosynam in satisfactionem peccatorum. — Imo, quot sunt fines boni in operante, tot sunt bonitates in actu (ut dictum est n. 305).

3° Si objectum est *indifferens,* finis *bonus* facit actum moraliter bonum, ut est ambulare ex obedientia.

4° Si objectum est *indifferens,* finis *malus* facit actum moraliter malum, ut est ambulare ad ostensionem luxus.

Digitized by Google

5° Si objectum est *malum,* finis *malus* facit actum ex malo pejorem, ut furari ad concubinam alendam: in quo actu duplex involvitur malitia, altera contra justitiam, altera contra castitatem.

6° Si objectum est *malum,* finis vero operantis *bonus,* actus non amittit suam malitiam, minor tamen est ejus deformitas. — Ratio *primi,* quia finis bonus etiam bene intendi debet, nempe per media honesta. Et Paulus Apostolus (*Rom.,* 3, 8) damnat eos, qui faciunt mala ut veniant bona. — Ratio *secundi,* quia agens ex fine bono, minori affectu fertur in peccatum: v. gr. si quis mentiatur ad proximum e periculo liberandum.

APPENDIX.

De actibus bonis.

Quae hucusque sunt explanata, respiciunt principia moralitatis in genere, inquantum et bonis et malis actibus conveniunt. Quoad actus bonos, nonnulla sunt specialius discutienda.

A. — *Quandonam actus erit bonus?*

307. — *Resp.* I. **Actus, ut sit bonus, debet fieri ex motivo honesto.** Sic *D. Thomas,* 1. 2, q. 18, a. 9; *S. Alphonsus,* V, n. XLIV; ed. G., II, p. 709; Thomistae contra Scotistas qui finem indifferentem admittunt. Ratio est, quia homo, cum deliberate agit, tenetur sibi finem proponere intellectuali creaturae consentaneum. Jamvero, juxta ordinem a Deo naturae rationali constitutum, solum bonum honestum habet rationem finis. — Bonum *utile* rationem finis habere nequit, quia non sui, sed alterius gratia, est appetibile: ut sunt, v. gr., bona fortunae, quae non propter se, sed propter aliud appetuntur. — Sed nec bonum *delectabile* tanquam finem ultimum actionis prosequi licet. Etenim, ut scribit *D. Thomas* (Contra Gent., l. 3, c. 26, n. 7): « Delectatio est propter operationem, et non e converso ». Delectatio enim est velut sal et condimentum quoddam, quod inservit ad alliciendum ad actiones vitae necessarias vel utiles; et idcirco agere licet cum delectatione, vel etiam intendendo delectationem, tanquam finem intermedium fini honesto subordinatum; at nunquam propter se solam, ita ut in ea sistatur; quia deordinatio est, si finis primarius ordinetur ad secundarium. Et generatim, *non licet uti fruendis, aut frui utendis:* in quo, juxta D. Augustinum, est tota vitae perversitas. Solum igitur bonum honestum est propter se appetendum. Cfr. *S. Alphonsum,* VI, n. 882, fin.; ed. G., IV, p. 64; *Petr. Lombardum,* Lib. Sent., I. D. I, n. 2-8.

Hinc duae propositiones ab Innocentio XI damnatae: 8ª: « Comedere et bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo

Digitized by Google

non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui ». 9ª: « Opus conjugii, ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali » [1]. Vide *Vind. Alph.*, P. VII, q. 8.

Ex his tamen non sequitur *actualem* prosecutionem finis honesti esse necessariam. Argumenta prolata duo probant: 1° nec *utile* nec *delectabile* posse esse ultimum finem agendi; — 2° creaturam rationalem sibi proponere debere finem rationi consentaneum.

Si quis ergo utendo fruendis, vel fruendo utendis, non directe attendit ad motivum honestum (v. gr. conservationem vitae), sed moderate iis utitur, sicut convenit enti ratione praedito, ita ut adsit norma omnia regens et temperans, certe vi actionis et in actione aderit motivum honestum. Unde scribit *S. Alph.*, V, n. XLIV, fin.; ed. G., II, p. 703: « Si quis accedens ad mensam, non cogitat de conservatione vitae, sed solum de cibi qualitate, ut ait *Conet* (Clyp., P. II, tr. 3, disp. 5, n. 38), non peccat, quia talem delectationem, saltem virtualiter, vult propter conservationem vitae, sicque non inordinate illam appetit ». Cfr. quae habet *Lehmkuhl*, I, n. 107.

II. **Actus, ut sit bonus, non solum debet fieri ex motivo honesto, sed etiam ad Deum referri.** Constat ex verbis Apostoli (1. *Cor.*, 10, 31): *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quibus verbis, non merum consilium, sed praeceptum contineri communius Patres docent [2]. Et ratio est, quia « finis ultimus voluntatis humanae est summum bonum, quod est Deus », ut loquitur Angelicus (1. 2, q. 19, a. 9).

« Non autem requiritur *actualis* relatio omnium, sive verborum, sive operum, in bonum honestum, quod esset importabile pondus, et res sexcentis implexa scrupulis; sed *sufficit virtualis* » (V, l. c.).

Haec autem satis habetur, quando, ex una parte, Deus tamquam finis ultimus non excluditur, et ex altera parte, actus, nulla inordinatione culpae mortalis aut venialis contaminatus, *ob propriam honestatem* appetitur, vel *ad aliquem finem honestum* refertur, sive natura sua, sive ex praecedenti actu voluntatis. Quaecumque enim honestas ad Deum omnis honestatis fontem, per se, ordinatur.

Notanda. 1° Multi theologi suam sententiam sic exprimunt: Ut actus sit bonus sufficit ut implicite, vi actionis, operationis pondere, ordinationem habeant ad finem honestum, et in Deum referantur. Hanc implicitam relationem vocant *objectivam*. Cfr. quae habet *Noldin*, I, n. 86. — *S. Alph.* (l. c.), cum docto *Goneto*, loquitur solum de relatione *virtuali*. Ut patet ex exemplo accedentis ad mensam, intendit his verbis relationem in objecto implicite contentam, unde ejus sententia revera non differt ab effatis modernorum. Posset tamen, non sine fundamento in re, affirmari, ideo talem relationem potius vocari debere *virtualem:* quia, in quacumque operatione, quae a ratione regulatur, quasi reviviscit et agit intentio praecedens, saltem initio usus rationis

[1] Ita docuerunt: Joann. Sanchez, De la Cruz, Pontius, ap. Diana. — Notamus tamen hisce non directe damnari opinionem quae tenet, dari posse actus indifferentes in individuo. — [2] *S. Augustinus*, l. de Corrept. et Grat., c. 3 (*Migne*, P. L., t. 44, col. 918); *Coelestinus I*, Ep. 21 ad Ep. Galliar., c. 8, n. 9 (*Migne*, P. L., t. 50, col. 533); *S. Maxim. Taurin.*, hom. 89 (*Migne*, P. L., t. 57, col. 455); *S. Thom.*, lect. 3ª, in c. III Ep. ad Coloss. i. f. — Non desunt tamen qui docent in his verbis Apostoli non contineri verum praeceptum; inter quos numeratur *S. Bonaventura* (in 2. D. 41, a. 1, q. 3, concl.). — Cfr. *Cornely*, Comment. in S. Pauli, Ep. 1 ad Cor.

Digitized by Google

ad bona generalia hominis (ut sunt: v. gr. sanitas, honor, fama, libertas), et praesertim ad Deum directa.

2° Non requiritur relatio supernaturalis in Deum, ut actiones nostrae sint *honestae;* secus enim omnia opera infidelium et peccatorum, qui fide, vel caritate carent, essent peccata: quae doctrina ab Ecclesia damnata est, in proscriptis Baji propositionibus: « 25ª: Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia », et « 35ª: Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est ».

3° Verba Apostoli, secundum aliquos statuunt *obligationem* relationis *supernaturalis* actuum nostrorum in Deum. Huic tamen obligationi satisfit per impletionem praecepti *fidei, spei* et *caritatis* (II, n. 7). Sciunt enim omnes hominem teneri *aliquoties* formalem actum caritatis elicere. In hoc autem actu sufficienter, secundum *D. Thomam* (1. 2, q. 100, a. 10, ad 2), haec relatio continetur. Si quis autem securius agere velit, saepius in die, vel saltem mane, generaliter offerat Deo omnes actus suos. Sic saepe actualiter, semper autem vere virtualiter, omnia in Dei gloriam perficiet. Lege verba *S. Alph.*, l. c., ed. G., II, p. 703.

B. — *Quandonam actus erit supernaturalis?*

308. — Actus, ut sit simpliciter supernaturalis, debet procedere a principio supernaturali, et fieri ob motivum supernaturale.

Ita *D. Thomas*, de Malo, q. 2, a. 5, de Carit., a. 11, ad 2; *S. Alph.*, Op. Dogm. in Trid., Sess. 6, n. 88 (ed. Walter, I, p. 514); *Suarez*, de div. Gr., l. 12, c. 10, n. 15; *Mazzella*, de Grat. Chr., n. 54; *Lehmkuhl*, I, n. 368; et alii permulti.

Prima pars propositionis probatione vix indiget, cum evidens sit, nullum actum posse esse supernaturalem, quin principium eliciens vires naturae supergrediatur.

Secunda pars fulcitur verbis Apostoli (*Hebr.*, 10, 38): *Sine fide impossibile est placere Deo;* et (*Rom.*, 2, 7): *Iis qui gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam* (reddet). Quibus verbis indicatur necessitas tendendi in incorruptionem, i. e. *bona coelestia* (cfr. *Cornely*, Comm. in hunc loc.), et necessitas in fide coram Deo ambulandi, ut homo adipisci possit vitam aeternam. — Et suffragatur ratio: Cum enim ab objecto specificentur actus, sola illa operatio erit supernaturalis, cujus motivum a fide desumitur.

Altera datur *sententia* quae tamen nobis non placet. Ista negat requiri motivum supernaturale, et sufficere (ut actus dici possit meritorius), ut sit ethice bonus, et a principio supernaturali oriatur. Vide *Noldin* (I, n. 97). Ratio principalis, qua utuntur patroni hujus opinionis, haec est: Ubi radix supernaturalis, etiam fructus supernaturales sint oportet. Hoc praesertim apud infideles considerari potest, qui, per actualis gratiae motionem, ad fidem disponuntur. — Sed *negandum* est principium fundamentale sic expositum, in quo, si bene attendimus, sublatet petitio principii. Praesertim ex eo negandum est, quod, ipso admisso, funditus ruit axioma, ab omnibus celebratum: actus nempe

Digitized by Google

humanos recipere primario ab objecto suam specificationem. Unde illi actus, qui, inspirante gratia, infideles ad fidem disponunt, nequeunt appellari *simpliciter supernaturales*.

Nota. Non mere theoretica est haec discussio; etenim in tract. de Poenit. (n. 1667) quaestio ponitur, utrum contritio etiam ex parte motivi debeat esse supernaturalis.

Corollaria.

309. — I. Ad *bonitatem* actus requiritur, ut ipse ex nullo moralitatis fonte deficiat, neque ex objecto, neque ex fine, neque ex circumstantiis; ad actus autem *malitiam* sufficit, ut ex una sola parte deficiat. Ratio est, quia « bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu ».

II. Ad *bonitatem* contrahendam requiritur voluntarium directum, ad contrahendam vero *malitiam* sufficit voluntarium indirectum, ut dicit *D. Thomas* (1. 2, q. 19, a. 7, ad 3). Ratio *primi* est, quia bonitas voluntatis in hoc est, ut velit bonum. Jamvero agens, effectum indirecte tantum voluntarium non positive vult, sed mere permittit. Ergo. — Ratio *secundi* est, quia malum non solum appeti non potest, sed vitari debet; non vitatur autem ab eo, qui libere actionem ponit, cui malum est adnexum.

Ad rem sic *D. Thomas* (l. c.): « Ad hoc quod voluntas sit bona, requiritur quod sit bona sub ratione boni, id est, quod velit bonum et propter bonum »; saltem virtualiter seu implicite, ut supra explicatum est (n. 307).

III. Bonitas et malitia sunt *moralitatis genera suprema*, quorum utrumque in varias species dividitur. Bonitatis species sunt variae virtutes; species malitiae sunt diversa vitia et peccata, ut fusius suo loco dicetur (cfr. tract. *de Virtutibus* et tract. *de Peccatis*).

ARTICULUS II.

De extensione moralitatis.

Ut moralitatis *extensio* rite definiatur, duo inquirenda sunt: 1° Utrum moralitas se ad omnes actus humanos extendat, seu: utrum detur actus humanus, nec bonus, nec malus, sed *indifferens?* — 2° Utrum et quomodo sese extendat ad illos *effectus*, qui humanos actus consequuntur?

§ 1. De actuum indifferentia.

310. — Ad rectam rei intelligentiam *praenotamus:* 1° hic unice tractari de actus humani indifferentia in ordine ad ejus moralitatem; minime vero de ejus indifferentia in ordine ad supernaturale meritum; nam talis tractatio, ut iam observavimus, spectat ad theologiam dogmaticam; — 2° actum humanum

Digitized by Google

considerari posse in abstracto secundum speciem, et ex parte objecti tantum; vel in concreto et in individuo, prout est a parte rei et omnibus circumstantiis vestitus. — His breviter praenotatis, sint

311. — PRINCIPIA. I. **Non omnes actus humani, secundum suam speciem, sunt indifferentes** (de fide). Sunt enim alii de se boni, ut actus fidei, spei et caritatis; alii vero de se mali, ut fornicatio, occisio innocentis. Ratio est, quia horum objecta sunt de se rationi consona, vel rationi dissona (V, n. XLII).

II. **Dantur tamen actus humani secundum suam speciem indifferentes.** Ita *S. Thomas* (1. 2, q. 18, a. 8) cum communi. Huc venit damnatio articuli 16 Joannis Hus affirmantis « quod nulla sint opera indifferentia ». Non potest haec damnatio intelligi de indifferentibus in individuo, quia hoc idem defundunt probabiliter plurimi boni catholici; ergo intelligenda est de indifferentibus in specie (Concil. Constant., s. 15, a. 16).

III. **Non dantur actus humani indifferentes in individuo.** Est sententia communior, quam *S. Alphonsus*, V, n. XLIII, his D. Thomae verbis confirmat: « Oportet quod quilibet actus individualis habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est omnem actum hominis, a deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse vel malum. Haec nervose Angelicus » (1. 2, q. 18, a. 9).

Ergo: ambulare in horto, florem olfacere, fricare barbam, vel manus ad frigus pellendum, etc., quae *ordinarie fiunt indeliberate*, non sunt actus humani, sed hominis. — Si autem fiunt *deliberate*, tunc vel ponuntur juxta dictamen rationis, ideoque boni sunt; vel fiunt ex aliquo fine inhonesto, aut cum aliqua vitiata circumstantia, et tunc mali sunt, nulloque modo indifferentes.

312. — QUAERITUR. *An actus* EXTERNUS *addat moralitatem actui interno*, v. gr. apud illum qui efficaciter proponit se eleemosynam daturum?

Resp. 1° Quod, PER SE, actus externus specialem habeat moralitatem, quam interno actui addit, *affirmant* quidem Scotistae, quia, inquiunt, bonum vel malum externe operari aliquid majus est, quam illud solum velle operari. — *Negant* vero Thomistae et alii communiter. Quorum sententia imprimis probatur ex SS. Scripturis, ubi voluntas efficax passim pro facto reputatur: sic mulierem concupiscens declaratur reus adulterii; et Abraham eamdem prorsus mercedem accepit, ac si filium reapse immolasset. Ratio est, quia actus externus obtinet totam suam moralitatem ab actu interno, i. e. a voluntario libero, sine quo nulla moralitas concipi potest. — Unde *S. Thomas* (in 2. D. 40,

Digitized by Google

q. 1, a. 3): « Tantum meretur, quoad praemium essentiale, qui habet voluntatem perfectam aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud, voluntate aequaliter perfecta manente. Actus externus tamen adjungit aliquid ad praemium accidentale ». Sic martyres, qui revera pro Christo patiuntur, habent praemium accidentale, seu *aureolam,* super illos qui, aequali caritatis fervore, mortem solummodo appetunt pro Christo.

2° Quod autem, PER ACCIDENS, actus externus, regulariter loquendo, aliquam bonitatem vel malitiam adjiciat, *affirmandum est:* « Nam actus externus saepe causa est et occasio, ut actus internus fiat *pejor,* vel quia multiplicantur actus interiores, donec exsequamur actus extrinsece; vel quia actus interior habet majorem durationem quousque perficiat opus, quod statim perfici non potest; vel quia fit intensior per extrinsecitatem actus. Praeterea, per actum externum magis hebetantur sensus, et potentiae exteriores proniores redduntur ad malum; scandala pariuntur; aliquando excommunicatio incurritur, vel irregularitas, vel obligatio ad restitutionem, quae per actum interiorem non incurrunt » (V, n. XL). Ceterum, actus externus est interni complementum, et ex toto unus exsurgit actus moralis, *ideoque necessario in confessione declarandus,* ut suo loco videbitur (cfr. n. 1692).

§ 2. De moralitate effectus indirecte voluntarii.

313. — *Praenotanda.* Ad rectam eorum, quae sequuntur, intelligentiam, quaedam de *causa* et *effectu* notiones praemittendae sunt (II, 63 seqq.; III, 571).

A. — Multiplex distinguitur CAUSA:

1° Ratione influxus, est physica vel moralis. *Physica* est, quae agit per influxum physicum, ut ignis incendium, sol lucem producit. *Moralis* est, quae aliam causam liberam ad agendum efficaciter movet. Sic praecipiens homicidium est causa moralis occisionis.

2° Ratione modi, est immediata vel mediata. *Immediata* est, quae effectum producit, nulla alia intercedente causa: v. gr. si quis transfodit pectus alterius, est causa immediata ejus mortis. *Mediata,* quae effectum non producit, nisi alia causa interposita. Hinc, si excipias peccatum scandali, causa moralis est semper causa mediata.

3° Ratione connexionis cum effectu, est proxima vel remota. *Proxima* dicitur, quae connexionem habet necessariam, vel saltem ordinariam, cum effectu, quem producit ut plurimum: v. gr. venenum, indebita quantitate propinatum, est causa proxima mortis. *Remota* ea dicitur, ex qua effectus, ut plurimum, non evenit: v. gr. lectio leviter turpis causa remota est pollutionis.

4° Ratione ordinis productionis, datur causa per se vel per accidens. Causa *per se* est, quae natura sua tendit seu ordinatur ad effectum producendum: sic potus excessivus est causa per se ebrietatis. Causa *per accidens* est, cui praeter naturae ordinationem, effectus conjungitur. Sic homicidium ex ebrietate sequi potest.

Digitized by Google

Prae oculis praesertim habendae sunt duae posteriores distinctiones, quae quadruplici hypothesi dant locum, quia tam causa per se, quam causa per accidens, proxima et remota esse potest (cfr. n. 315).

B. — EFFECTUS est voluntarius, vel directe et in se, vel indirecte et in causa (cfr. n. 272, 7°). — Porro, effectus *in se* voluntarius certe moraliter est imputandus, quippe qui a voluntate vere intenditur. — Effectus, *in causa tantum* voluntarius, ad bonum imputari nequit: bonitas enim non contrahitur nisi intendatur (cfr. n. 309, II); sed potest hujusmodi effectus esse moraliter malus, et imputari ad culpam. Quando hoc eveniat, ex sequentibus principiis patebit.

314. — PRINCIPIA. I. **Effectus malus, in causa tantum voluntarius, est imputabilis ad culpam, quando sic praevidetur secuturus, ut potuerit ac debuerit impediri, nec tamen est impeditus.** Tria igitur concurrere debent, nimirum:

1° Ut effectus *praevisus fuerit,* saltem in confuso. Ratio est, quia si nullo prorsus modo praevisus fuit, non fuit voluntarius; nihil enim volitum, nisi praecognitum. — Hinc, nec voluntaria est, nec imputabilis ad culpam, ebrietas secuta ex moderato potu vini, cujus vis inebrians ignorabatur. — Contra, voluntariae sunt atque ad peccatum imputabiles, blasphemiae, rixae, locutiones obscoenae, quae vinosorum hominum ebrietatem comitari solent. Talia enim eventura esse, experientia sufficienter constat.

2° Ut effectus *potuerit* impediri, i. e. ut in agentis potestate fuerit, aut non ponere causam, aut jam positam tollere: deficiente enim libertate, deficit voluntarium; neque ulla unquam de impossibili datur obligatio. — Hinc, non est reus sacrilegii sacerdos, qui communionem occulto peccatori publice eam petenti porrigit; nam sacrilegii quod committitur, non potest, in talibus adjunctis, causam non ponere.

3° Ut effectus *debuerit* impediri, id est ut agens teneatur causam non ponere, aut jam positam tollere, et quidem, eo praecise fine, ne talis effectus sequatur: *Ubi enim non est lex, nec praevaricatio* (*Rom.*, 4, 15), nec peccat qui utitur jure suo.

Si ergo lex, quamvis existat, nondum coeperit urgere, v. gr. si quis, sola recreationis causa, jam die Mercurii longum iter aggrediatur, tunc ei certe non imputari potest effectus malus (omissio missae), ex hoc oriturus. Cfr. *Lehmkuhl,* Cas. Consc., I, n. 97.

Magna autem hic exsurgit quaestio: *Quandonam effectus debuerit impediri? quando teneatur agens omittere causam, ne pravus inde effectus sequatur?* — *Resp.* Tenetur quotiescumque non omnes adsunt conditiones, quae causae positionem licitam faciunt. — Quae vero sint hae *conditiones,* sequens principium indicabit.

Digitized by Google

315. — II. Licet ponere causam honestam, ex qua immediate sequitur duplex effectus, alter bonus, malus alter; dummodo bonus tantum ab agente intendatur, et adsit causa proportionate gravis permittendi effectum malum. Ratio est, quia, accedente causa proportionate gravi, cessat lex, vi cujus malus ille effectus erat praecavendus. Metus enim gravis damni a lege excusat (n. 223). Cessante autem lege, nihil jam obstat quominus effectus permittatur. Cfr. *S. Alph.*, III, 483; ed. G., I, p. 702; *S. Thom.*, 2. 2, q. 64, a. 7.

Quae igitur ex hoc secundo principio requiruntur conditiones sunt admodum *quatuor,* nimirum:

Requiritur 1° Ut causa quae ponitur, aut posita non tollitur, sit *honesta,* bona scilicet, vel saltem indifferens, i. e. non sit intrinsece mala, ideoque jam per se, atque independenter ab omni effectu, illicita, ut foret mendacium, adulterium, etc. — Hinc graviter peccat puella, quae fornicatur ad mortem vitandam.

2° Ut bonus effectus *immediate* ex causa sequatur, sicut malus; nam, si sequeretur mediate, intercedente nempe effectu malo, hic jam rationem causae obtineret respectu effectus boni: quod Apostolus verbis jam citatis vetat, dicens: *Non faciamus mala, ut veniant bona* (*Rom.*, 3, 8). — Hinc, famulo non licet litteras amatorias scribere, ut hero suo placeat.

3° Ut effectus malus non intendatur, nec approbetur, sed *mere permittatur.* Unde necesse est, ut non subsit periculum sive intendendi effectum pravum, quando ejus causa ponitur, sive in ipsum consentiendi, cum postea producitur.

Sic medicus qui feminis medetur, theologiae alumnus qui rebus parum castis studet, confessarius qui peccata contra castitatem audit, tenentur tum removere finem inhonestum, tum praecavere consensum in motus turpes, si forte ex eorum actione oriantur.

4° Ut effectus non permittatur nisi *ex ratione proportionate gravi,* seu sufficienti; quia lex naturalis, qua tenemur malum effectum praecavere, tunc tantum cessat, cum, natura rerum perpensa, atque inspecto ordine praeceptorum, causa habetur proprie excusans, seu justa et sufficiens ad effectum permittendum. — Porro, ut quis intuitu boni effectus malum permittere possit, *causa excusans eo major* requiritur, quo pejor est effectus, actui propinquior, aut etiam probabilior (*Konings,* Theol. mor., n. 8).

a) *Pejor.* Hinc videndum est quaenam sit mali effectus *gravitas?* Nam, v. gr., ratio sufficiens ad leve alterius damnum permittendum, sufficiens non erit, ut quis periculo se exponat alterum occidendi.

Ad perpendendam autem hanc gravitatem, saepe proderit attendere *quanam lege* effectus malus sit praecavendus, an lege caritatis, an religionis, an justitiae? Non enim omnes leges cum eodem rigore obligant. Sic causa suf-

Digitized by Google

ficiens ad excusandum ab obligatione communi, forte non est sufficiens ad excusandum ab obligatione speciali, quam quis habet ex officio.

b) *Actui propinquior.* Hinc perspiciendum an causa in effectum influat *proxime vel remote?* Si aeque proxime in effectum malum ac in bonum influat, bonus effectus malum compensare debet, quia secus bonus effectus malum non elideret.

Unde medicus mederi potest feminis, quamvis turpes motus sentiat (dummodo illis non consentiat), quia bonus effectus, seu restitutio sanitatis, malum compensat. Si vero remote tantum in effectum malum influat, minor necessitas vel utilitas requiritur ac in casu praecedenti. Hinc non teneris a colloquio honesto et utili cum persona alterius sexus abstinere propter carnales motus inde forte exsurgentes.

c) *Probabilior.* Unde spectandum est an *per se vel per accidens* influat causa in pravum effectum. Si per se, probabilior erit effectus, quia causa per se est, quae natura sua ordinatur ad effectum. Si per accidens, perpendae erunt variae circumstantiae quae effectum plus minusve probabilem faciunt (*Billuart,* Diss. I, a. 1).

Nota. 1° Qualem effectum, bonum sc. an malum, aliqua causa nata sit producere, et qualis ejusdem sit influxus, ex prudentium aestimatione judicari debet. Multi casus suis locis discutientur, praesertim ubi *de cooperatione, de scandalo, de justitia, de sexto,* etc., sermo est, ubi etiam varia exempla de voluntario indirecto studiosus lector videre poterit. Cfr. n. 515, 521, etc.

2° Quaestio de imputabilitate effectuum, quae in causa sunt voluntarii, solum *generali modo* hic perpensa fuit; infra (n. 322) dicetur quandonam haec imputabilitas incipit, et quomodo dijudicari debet.

Digitized by Google

TRACTATUS IV.

De peccatis

PROOEMIUM.

De notione peccati.

S. Thomas, 1. 2, q. 75; *S. Alphonsus*, V, n. 1; ed. G., II, p. 705; H. Ap., tr. III, c. 2; *Suarez*, tr. V, de Virt. et Pecc., disp. 3; *Lacroix*, Theol. mor., tr. 2, c. 4; *Lehmkuhl*, I, 320; *Aertnys*, I, n. 218.

316. — DEFINITIO. Peccatum est actus humanus malus, et definitur: Transgressio libera legis divinae (V, 1).

Dicitur: 1° *transgressio*, quasi gressus extra viam; — 2° *libera*, quia peccatum essentialiter consistit in actu liberi arbitrii; — 3° *legis*, i. e. cujuscumque praecepti imponentis strictam obligationem, et sic differt ab imperfectione quae *per se* non est peccatum, bene tamen *per accidens* (cfr. n. 341); — 4° *divinae*, quo nomine venit omnis lex, vel praeceptum obligans in conscientia. Etenim omnis lex vim suam et robur, ultimatim, ab aeterna Dei lege mutuat. — Sic satis innuitur ingens peccati malitia, quae tota in eo est, quod creata voluntas voluntati divinae obliganti repugnat [1].

Peccatum quandoque etiam *vitium* appellatur, sed improprie; peccatum enim est ipse actus, vitium autem est habitus, seu dispositio. — Appellatur etiam *crimen* vel *delictum*, ubi nimirum in Ecclesiae vel reipublicae detrimentum vergit. Hujusmodi sunt apostasia, haeresis, schisma, simonia, sacrilegium, sortilegium, homicidium, adulterium, furtum, etc. — Vocatur *offensa Dei* prout est in voluntatem Dei. — *Injuria* prout est in jus personae.

DIVISIO. — Peccatum distinguitur:

1° Ratione existentiae, in originale et personale. — *Originale* est illud, quod in Adami voluntate commissum, per viam generationis traducitur: de hoc disserit Theologia dogmatica. — *Personale* est illud, quod homo, propria sua voluntate, committit.

2° Ratione entitatis, in actuale et habituale. — Peccatum *actuale* est ipse actus peccaminosus. — Peccatum *habituale*, abstractione facta a controversiis scholarum de natura peccati, est actuale moraliter perdurans seu perseverans.

[1] Cfr. *Goudin*, Ethica, q. 5, in fine, ubi annotat *octo* praecipue modos, quibus peccatum est contra Deum.

Digitized by Google

Peccatum ACTUALE, de quo hic proprie sermo est, subdividitur:

1° Ratione praecepti, in peccatum *commissionis* et *omissionis*. — Prius est illud, quo praeceptum negativum violatur: cujusmodi est, v. gr. furtum. — Posterius est illud, quo violatur praeceptum affirmativum, v. gr. omissio sacri die festo.

2° Ratione modi consummationis, in peccatum *cordis, oris,* et *operis*. — Primum est, quod natura sua consummatur in corde, ut haeresis, odium, etc. Alterum, quod perficitur ore seu lingua, ut detractio, perjurium, blasphemia. Tertium, quod completur in facto externo, ut furtum, homicidium. — Peccata cordis dicuntur etiam *interna;* peccata oris et operis *externa*.

3° Ratione objecti, in peccatum contra Deum, contra proximum, et contra seipsum. — Contra *Deum* dicitur illud, quod reverentiae Deo debitae specialiter adversatur: tale est peccatum fidei, spei, caritati vel religioni oppositum. Contra *proximum,* illud quod nocumentum infert proximo, ut homicidium, detractio, etc. Contra *seipsum,* illud quo violatur ordo rationis, pro recta sui ipsius gubernatione, ut ebrietas, turpis delectatio.

4° Ratione causae, in peccatum ignorantiae, infirmitatis et malitiae. — Peccatum *ignorantiae* dicitur, quod ex errore culpabili; *infirmitatis,* quod ex tentatione vel passione antecedente; *malitiae,* quod ex perversa determinatione voluntatis procedit (*S. Thom.*, 1. 2, q. 75-78).

5° Ratione gravitatis vel effectus, in peccatum mortale et veniale. — *Mortale* est, quod graviter Deum offendit, et mortem animae infert. — *Veniale,* quod leviter Deum offendit, quodque ex se servat in anima radicem veniae, i. e. gratiam sanctificantem (cfr. n. 335, 340).

6° Ratione imputabilitatis, in materiale et formale. — Peccatum *materiale* est ipse actus malus, secundum se consideratus, seu transgressio legis involuntaria, ideoque non imputabilis ad culpam. — Peccatum *formale* est ipsa malitia actus, seu deliberata legis transgressio, quae idcirco est imputabilis.

7° Postremo peccatum, ratione agentis, dividi potest in peccatum proprium et alienum. — *Proprium* dicitur, quod propria actione perficitur. *Alienum,* quod ab alio quidem complete committitur, propriae tamen voluntati, tanquam causae aliquo modo concurrenti, merito imputatur. — De peccatis alienis infra agetur, ubi de cooperantibus ad peccatum (n. 517), et speciatim, ubi de cooperantibus ad damnum proximo illatum tractabimus (n. 976 seqq.). Cfr. *Suarez,* tr. V, de Vitiis, disp. 3, sect. 1).

His distinctionibus et definitionibus praemissis, agemus: 1° de requisitis ad peccatum; — 2° de peccatorum distinctione; — 3° de peccatorum gravitate; — 4° de peccatis internis; — 5° de peccatis capitalibus; — 6° de peccandi periculo.

Digitized by Google

CAPUT I.

De requisitis ad peccatum.

S. Thomas, 1. 2, q. 9-15; *S. Alphonsus*, V, 4; ed. G., II, p. 707; H. Ap., III, 25; *Suarez*, de Vol., disp. VI, VIII; *Lehmkuhl*, I, 322; *Cathrein*, Phil. mor., n. 42; *La Croix*, Theol. mor., l. I, tr. 2, q. 126; *Tanquerey*, t. 2, p. 278; *Gerigk*, Wesen u. Voraussetz. der Totsünde.

Ad peccatum formale, sive mortale, sive veniale, requiritur, ut *scienter* et *libere* fuerit admissum; i. e. ut adfuerit: 1° advertentia intellectus ad malitiam objecti; — 2° consensus voluntatis.

ARTICULUS I.

De advertentia intellectus.

317. — DEFINITIO. Advertentia est consideratio sive cogitatio malitiae et prohibitionis actus, aut saltem aliqua dubitatio vel suscipio peccati, aut peccandi periculi.

DIVISIO. Triplex distingui solet, ratione existentiae actus, advertentia: 1° *actualis* seu directa vel expressa, quae hic et nunc inter agendum habetur; — 2° *virtualis* seu indirecta (interpretativa secundum quid), quae habebatur, dum voluntarie posita fuit causa actus peccaminosi; — 3° *mere interpretativa*, quae non exsistit nec in se, nec in alio praecedenti, sed in hoc duntaxat consistit quod aliquis potuit et debuit, *sola potentia physica et remota*, malitiam advertere.

Ratione qualitatis accidentalis, advertentia adhuc distinguitur: 1° in advertentiam *plenam*, si mentem nihil impedit quominus perfecte agat, ut in perfecte vigilanti; — 2° in *protractam*, quae durat quamdiu durat actus peccaminosus; — 3° in *claram* et *distinctam*, qua respectivae species et gradus malitiae cognoscuntur; — 4° in *reflexam*, qua peccans reflectit super suam advertentiam. Cfr. n. 336.

318. — PRINCIPIUM. **Ad peccatum formale requiritur et sufficit advertentia virtualis** (V, l. c.; H. Ap., III, 25).

1° *Requiritur:* opinio enim eorum, qui dicunt sufficere advertentiam mere interpretativam, nullatenus sustineri potest. Nam inconcussum manet axioma: Nihil est volitum, quin sit praecognitum, sive in se, sive in causa; « quia ubi non est cognitio, non est libertas; et ubi non est libertas, non est peccatum » (VI, 610). Unde malum, quod homo committit et ad quod nullatenus, *ne in confuso quidem*, attendit, ipsi imputari nequit, et est solummodo malum materiale. « Alias, ait *S. Alphonsus* (V, 4, v. *Hinc*), sequeretur, quod plurimi homines multis mortalibus culpis gravatos se invenirent, quin, circa illas, ullam cognitionem unquam habuerint », quod est absurdum. — Hinc, « si ignorantia nullo modo fuerit voluntaria, et homo nullam habuerit actualem

Digitized by Google

advertentiam malitiae vel periculi illius, nec directe, nec indirecte, neque in se, neque in causa, tunc nullo modo imputantur ei errores, quos non advertit »... Item, « ut imputentur alicui *effectus* cujusdam causae, debet necessario praecedere, saltem in principio, advertentia actualis et expressa malitiae objecti » (V, 4, v. *Contra*). Cfr. n. 314 et 315, *nota*.

2° *Sufficit:* nam aeque falsa est sententia eorum, qui asserunt requiri, hic et nunc, ad omne peccatum, actualem et expressam advertentiam. — Orat Psalmista: *Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris, Domine* (*Ps.* 24, 7). Inter delicta juventutis, plura certe fuerunt ex advertentia virtuali commissa. Jam vero vocat ea omnia aeque bene peccata, ac quando penitus ignoravit Deum, eum gravissime offendendo. — Adde, quod si actualis advertentia ad actus malitiam, absolute necessaria esset, homines, quo sunt scelestiores, eo forent excusabiliores; nam quo scelestiores sunt, eo graviora mala perpetrant, parum aut nihil actuum suorum malitiam animadvertentes. Imo non desunt, qui peccando, recte se agere arbitrantur, culpabili sua ducti ignorantia, ut rursum ex Scriptura Sacra colligitur: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium praestare Deo* (*Joann.*, 16, 2). Cfr. I, 170.

319. — Corollaria. 1° Hinc *S. Alphonsus:* « Multipliciter, inquit, evenire potest, quod plura mala, quamvis actualiter et expresse non advertantur, bene tamen imputentur ad culpam ea patrantibus, si ipsorum ignorantia (aut inadvertentia) sit aliquo modo voluntaria » (V, 4, v. *His positis*).

Ignorantia autem fit peccantibus voluntaria et imputabilis quadruplici modo (V, 4, v. *Primo*):

a) Per NEGLIGENTIAM addiscendi ea, quae sciri possunt ac debent. « Ignorantia (ait *D. Thomas*) est voluntaria vel *directe,* sicut cum aliquis studiose vult nescire aliqua, ut liberius peccet; vel *indirecte,* sicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes, negligit addiscere id, per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam et peccatum, dummodo sit eorum, quae quis scire *tenetur* et *potest* » (1. 2, q. 6, a. 3).

b) Per PASSIONEM, quam quis vult deliberate sequi. « Volens enim aliquam explere passionem, puta vindictam, admittit consequenter, saltem in confuso, quaecumque perversa media, quae ad explendam passionem conducunt. Unde effectus provenientes, quamvis non sint voluntarii in se, sunt tamen voluntarii in sua causa, nimirum in adhaerendo passioni. Ita etiam docet *S. Thomas,* qui ignorantiam operantis per passionem, vocat ignorantiam *malae electionis* » (ib., a. 8).

c) Per HABITUM PRAVUM, si quis nempe pravum habitum efficaciter emendare praetermittit. « Hoc in casu, actus mali, qui ex malo habitu proveniunt, sunt pariter voluntarii, *vel* in sua causa, scilicet cum in suo principio prava consuetudo voluntarie contrahitur; *vel* potius... quia hujusmodi peccatores male habituati, quamvis habeant cognitionem minus expeditam,

Digitized by Google

quam alii, semper tamen habent cognitionem aliquam actualem suorum criminum, sufficientem ad reddendos actus deliberatos, et (si materia est gravis) etiam mortales. — Cum enim ipsi *parvipendant* peccatum, non fit in eorum animis illa sensibilis et memorabilis impressio, quae fit in alio habente conscientiam minus depravatam. Et hinc evenit, quod in eorum memoria non remaneat vestigium actualis illius cognitionis, quam satis habuerunt antea de peccato; aut vestigium est adeo leve, ut interrogati, de facili respondeant, quod non adverterint. Sed cautus confessarius non debet ipsis fidem praestare » (confer n. 293).

d) Per INCONSIDERATIONEM, « si nempe homo in agendo advertenter negligit adhibere considerationem quam res agenda meretur. Illi enim, qui jam advertit aliquid amplius considerandum, et tamen vult praecipitanter operari, merito imputantur omnes errores, quos committit ». — Sic illi omnes, quibus aliquod magni momenti OFFICIUM commissum est, a sua conscientia admonentur et excitantur, ut, majori adhibita diligentia, muneris sui partes expleant: ex quo fit, *ut saltem advertant, se debere advertere;* quod jam sufficit, ut mala communiter ex negligentia obvenientia ipsis merito imputentur (cfr. n. 125, 974).

2° Non requiritur ad peccatum formale, ut peccans *expresse cogitet de offensa Dei.*

Nam, sicut implicita de Deo cogitatio sufficit ad eum colendum, ita etiam ad eum offendendum. « Ille qui operatur contra rectam rationem, etiamsi non reputat laedere se Deum, reipsa jam laedit; offendendo enim naturam rationalem, offendit simul ipsius naturae auctorem » (V, 4, Opp. 3 et 11).

3° Inanis est distinctio inter peccatum *theologicum* et *philosophicum,* quam aliqui inducere conati sunt. « Peccatum philosophicum, seu morale, dicebant, est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi. Theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum ». Quae quidem propositio damnata fuit ab Alexandro VIII tanquam scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva et erronea (Decr. 24 Aug. 1690). Cfr. *Viva,* in propositionem 2^am^.

ARTICULUS II.

De consensu voluntatis.

320. — DEFINITIO. Consensus est acceptatio complacentiaque voluntatis, in eo quod ab intellectu proponitur.

Sedulo distingui debent ea *quae praecedunt consensum vel dissensum,* ab ipso voluntatis consentientis aut dissentientis actu. Quamquam enim ille actus, quo homo dicit in corde suo, *volo,* aut *nolo,* sit simplicissimus: attamen, antequam voluntas plenum praebeat consensum, saepissime procedit per quosdam distinctos, ut ita dicam, gradus; quae processio et gradatio *maxime apparet* in primo peccato mortali, quod committitur ab innocente, vel in relapsu in peccatum grave post diutinam emendationem, vel in transitu a peccatis internis ad peccata externa, vel in deliberatione patrandi enormia facinora.

Digitized by Google

Voluntatis igitur consensum praecedit *tentatio,* in qua homo passive se habet; hinc *sollicitatio* ad peccatum per motiva ad illud allicentia, una cum quadam indeliberata *delectatione,* quae sponte sequitur in parte inferiori, concupiscibili vel irascibili; hinc inclinatio, seu propensio voluntatis. Denique mentis *deliberatio* expendentis motiva spiritualia avocantia a peccato, et motiva boni sensibilis allicientia ad malum. — Haec omnia praecedunt *consensum,* qui tunc tantummodo habetur, cum voluntas a potentia venit ad actum dicendo: *volo, accepto;* aut ad dissensum, dicendo: *nolo, respuo* (V, 3; *Pacetti,* Synops. doctr. mor., p. 9).

Divisio. Consensus multipliciter distinguitur, ut supra de voluntario dictum est (n. 272).

321. — Principia. I. **Ad omne peccatum requiritur consensus voluntatis** (V, 5). Ratio patet, quia sine consensu non datur voluntarium, et proin non datur imputabilitas. Voluntas est principium et causa propria peccati, juxta illud (*Matth.,* 15, 19): *De corde enim exeunt cogitationes malae, adulteria,* etc. — Unde docet *D. Thomas* (1. 2, q. 15, a. 4, q. 74, a. 7) peccatum non censeri consummatum, nisi superior pars animae ipsi consenserit.

Nec tamen consensus expressus seu directus requiritur; *sufficit implicitus* seu *indirectus:* qui enim vult causam, vult etiam, licet solum indirecte, effectum. — Minime vero sufficit consensus mere interpretativus, quem scilicet quis haberet, si in tali occasione poneretur. Nam consensus interpretativus non est consensus, sed solum quaedam ad consensum dispositio: quae dispositio non est imputanda ad peccatum, nisi aliquo modo in actum transeat (VI, 610, obj. 4).

II. **Ad peccatum omissionis requiritur positivus actus voluntatis;** propositum scilicet omittendi opus praeceptum: « Voluntas enim non exercetur nec peccat, nisi per actum » (V, 9; H. Ap., III, 45). Unde actus, quo voluntas saltem eligit negative se habere, requiritur, non quidem ex parte operis, sed ex parte operantis, ceu causa omissionis interna (cfr. n. 322, q. 2°; 324, Reg. 2ª, 4°).

322. — **Quaesita.** Quaer. 1° *Quomodo peccet qui negative se habet, et positive non resistit motui appetitus sensitivi, circa objectum graviter malum?* (V, 6-9; H. Ap., III, 42).

Praenot. 1° Motus illi sunt potissimum voluptatis et irae. — 2° Resistentia, seu sollicitudo non consentiendi, poterit esse, *ratione intensitatis* simplex displicentia, propositum bonum, expressa nolitio; *ratione modi,* directa, i. e. contraria motui sensitivo; vel diversa, i. e. per conversionem ad alia; *ratione actus,* positiva, si ponit actum resistendi; negativa, si nihil facit.

Resp. 1° Si adest consensus periculum solummodo remotum, sententia vera tenet, esse veniale non resistere positive motibus illicitis, sed *non mortale.* Ratio est: *a*) « quia consensus ad graviter peccandum non provenit ex appetitu, sed ex voluntate, quae, cum non positive

Digitized by Google

consentit, non committitur mortale; ... — *b*) quia, si sub gravi teneremur omnes motus inordinatos positive repellere, teneremur ad impossibile: impossibile enim est (ut ait Cajetanus) omnes hos motus collective sumptos positive coercere ». — Attamen, est resistendum « in quantum homo cavere debet, ne appetitus trahat post se voluntatem ; sed haec obligatio, quando periculum consensus non est proximum, est tantum levis ». Cfr. *S. Thom.*, 1. 2, q. 74, a. 4.

2° Ubi periculum est proximum, sicut quando vivide « delectatio venerea supervenit, tenemur *sub gravi* ei positive resistere, v. gr. orando, actum amoris Dei eliciendo; quia hujusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque, si positive non repellantur (saltem per actum simplicis displicentiae), trahunt secum consensum voluntatis ». Ita DD. communiter. — « Sufficit etiam in actu commotionis animum ad alia divertere, cum hoc ipsum sit positive resistere » (cfr. n. 378).

Nota. Si motus sunt *leves,* melius erit eos contemnere.

3° *Si justa adsit causa,* « non est obligatio motibus carnalibus positive resistendi, nempe: *a*) si quis expertus sit resistendo magis motus excitari et augeri; — *b*) si motus ortum habeant ex actione necessaria vel utili, v. gr. ex auditione confessionum, ex lectione rerum turpium scitu utilium, ex tactu necessario ad medendum, et simili ...; — *c*) si tentatio diu duret, et nimis molestum foret jugiter motus positive repellere ».

In hisce circumstantiis « sat erit negative (seu permissive) se habere cum firmo proposito nunquam consentiendi; ipsa enim actualis non consentiendi cura sufficit tunc ad liberandum hominem a culpa, saltem mortali, etsi non a veniali, si resistentia (sollicitudo non praestandi consensum) sit tepida ».

QUAER. 2° *An sufficiat consensus* INDIRECTUS, *ut omissio vel actio ex eo sequens, sit in se peccatum,* a. v. ut omissio et actio ipsae sint peccaminosae?

Resp. 1° Alii negant, quia talis omissio (vel actio) dum accidit, non est voluntaria in se, et quia nulla est libertas; unde tantum in causa erit peccatum.

2° Sententia verior affirmat. Ratio, quia licet ad omissionem (vel actionem) peccaminosam requiratur ut adsit voluntarium, sufficit tamen voluntarium in causa, et necessitas, si adest, est necessitas consequens quae non tollit libertatem (*S. Alph.*, IV, 149; V, 10; VII, 40). — Effectus autem pravus dicitur non *a se,* sed *in se* peccatum, quatenus procedit a causa non retractata, moraliter perseverante, et conjungitur cum illa, unum ens morale cum ea efformans, eo ferme modo, quo actus exterior denominatur et est in se peccatum, non a se, sed ab actu interiori, in quo solo est formalis malitia. Cum igitur *effectus* ille

Digitized by Google

peccaminosus verum peccatum constituat, est in confessione necessario declarandus [1].

Hinc: a) Peccatorum ex consensu indirecto commissorum *gravitas* et *species* pendent omnino ab actuali advertentia, quae directe in praecedenti consensu adfuit, cogitando de ignorantia vincibili et de obligatione eam deponendi: quia ibi formale peccati reperitur. — Sed ipsorum *numerus* (nisi jam sit determinatus in ipsa praevisione) pendet a positione actuum, ex causa non retractata provenientium; quia tunc materiale conjungitur formali, ad constituenda tot peccata, quot sunt actus.

b) Peccatum solum in causa voluntarium, *inchoative* et quoad affectum, imputatur a tempore, quo ejus causa advertenter ponitur; *consummative* autem et quoad effectum, cum externe opere completur. — Unde, si posita est causa, licet effectus non evenerit, vel ob aliam supervenientem rationem licitus evaserit, omnia nihilominus peccata, in causa determinate praevisa, *ceu peccata interna* in confessione declaranda sunt; ex altera vero parte, si effectus secutus est, non sufficit solam causam, quae cum praevisione actionis vel omissionis peccaminosae posita est, confiteri, sed confitendum est *et ipsum peccatum* realiter commissum (V, 10; cfr. I, 170).

c) Si causa non est in se mala, induit *solius effectus* malitiam: quo in casu solum effectum confiteri sufficit, v. gr. si lusus causa fuit cur omissum fuerit sacrum. — Si vero causa in se mala fuit, debet non modo effectus, sed etiam causa, in confessione declarari: v. gr. si quis omisit sacrum ut aliquid furaretur. Potest tamen unum peccatum declarari *seorsim* ab alio (V, 9, not. 2).

d) Effectus *non amplius ad peccatum imputantur,* si causa est retractata saltem implicite, per contritionem *universalem* et pro posse fuerit sublata. Etenim, licet effectus, in suo esse physico et materiali, simpliciter a causa jam posita dependeat, peccati tamen denominationem non obtinet nisi a causa (voluntate praeterita) moraliter perseverante, in quantum haec per poenitentiam non est retractata. — Ubi igitur hominem, causae, quam posuit, poenitet, effectus non amplius peccatum dici potest. Sic sacerdos, qui theologiae studium neglexit, si semel in vita de peccatis suis vere doluit, suam negligentiam, eo ipso, retractavit; nec proinde errores, quos committit, nec quae inde sequuntur damna, ipsi imputantur, nisi forte ad suam ignorantiam denuo advertat, eamque culpabiliter non deponat.

Quae ex hac doctrina, quoad *censuras,* et quoad *restitutionem* animadvertenda sunt, suis locis dicentur (n. 1264 et 978). Cfr. VII, 368.

---

[1] Quaestio hic agitata in praxi saepe non valebit, quia difficulter deerit in agente *advertentia aliqua actualis,* utut minima, sufficiens tamen ad verum peccatum committendum. Cfr. quae, duce S. Alphonso, supra, n. 319, *c*), notavimus. — Si autem quoad talem vel talem effectum, ex ignorantia, vel habitu, vel passione, vel inconsideratione culpabili provenientem, revera deesset in agente advertentia actualis, stet conclusio quam amplexi sumus. Ipsi auctores, qui nos non sequuntur quoad conclusiones eruendas, in principiis statuendis nobis consentire videntur. Dicit *Lehmkuhl* (I, 78, 3°): qui studiose declinat inquirere, num sit dies jejuni aut dies festivus, et propterea legi implendae deest, violatae legis utique reus est. Scribit *Noldin* (I, n. 313): Constat ad peccatum committendum sufficere ut malitia actus apprehendatur in causa actus mali: etenim effectus malus, qui praevidetur secuturus in causa voluntarii posita, in illa causa voluntarius est et agenti imputatur, *quamvis deinde ponatur sine actuali advertentia.* Ita etiam *Göpfert* (Moralth., I, n. 211).

Digitized by Google

CAPUT II.

De peccatorum distinctione.

S. Thomas, 1. 2, q. 72; *S. Alphonsus*, V, 31; ed. G., II, p. 732; H. Ap., III, 55; *Lugo*, de Poenit., disp. 16; *Aertnys*, I. I, n. 220; *Lehmkuhl*, I, n. 348; *D'Annibale*, Summula Theol., I, n. 278 seqq.; *Göpfert*, Moralth., vol. I, § 37.

323. — Docet Concilium Tridentinum (Sess. XIV, c. 7) jure divino declaranda esse in confessione, peccatorum tum *speciem et circumstantias speciem mutantes*, tum eorum *numerum*. — Hinc, sedulo distingui debent peccata: 1° secundum speciem moralem; — 2° secundum numerum.

ARTICULUS I.

De distinctione specifica.

STATUS QUAESTIONIS. Quod peccata in varias species distinguantur, constat. — At vero quaeritur, *undenam haec eorum specifica distinctio desumenda sit*, a. v., quaenam sit ratio, cur aliquod peccatum specialem deformitatem seu oppositionem respectu legis Dei habeat.

In hac solvenda quaestione, theologorum sententiae non concordant. — Alii, cum D. Thoma, sentiunt specificam distinctionem desumendam esse ab objectis specie diversis; quia (inquiunt) peccatum non habet speciem ex parte aversionis..., sed ex parte conversionis, secundum quod est actus quidam. — Alii vero, cum Scoto, tenent eam desumendam esse a virtutibus, quibus peccata opponuntur; quia peccatum formaliter sumptum consistit in oppositione ad virtutem, qua privat. — Utraque sententia est probabilis, et practice utraque revera in idem coincidit, ut etiam advertit *S. Thomas* (1. 2, q. 72, a. 1, ad 2).

Et re quidem vera, dicere, v. gr. quod furtum propriam speciem desumit ex eo, quod pro objecto habeat bonum alienum injuste ablatum, vel ex eo, quod opponatur virtuti justitiae, plane eodem recidit. — Cum tamen methodus, juxta quam peccata per oppositiones ad virtutes distinguuntur, planior sit ac facilior, hanc ipsam tenebimus (V, 32; H. Ap., III, 55).

324. — PRINCIPIUM. **Specifica peccatorum distinctio desumitur ex oppositione ad plures diversas virtutes, et ex diversa vel contraria oppositione ad unam eamdemque virtutem.** Juvat illud principium in plures regulas speciales resolvere:

REGULA 1ª Specifice diversa sunt peccata, quae *virtutibus specifice diversis* opponuntur. — Ratio est, quia quaelibet virtus habet specialem distinctam bonitatem, seu conformitatem cum lege divina; ergo similiter peccatum, alicui virtuti oppositum, contrahit specialem et sibi propriam deformitatem, seu malitiam.

Digitized by Google

Hinc resolves: 1° Ergo specifice diversa sunt: haeresis, desperatio, odium Dei, perjurium, fornicatio, furtum, mendacium, etc. quia virtutibus specifice diversis opponuntur; nimirum haeresis fidei, desperatio spei, odium Dei caritati, religioni perjurium, fornicatio castitati, furtum justitiae, veracitati mendacium.

2° Ergo in uno atque eodem actu, reperiri possunt plura peccata specifice diversa, quia unus atque idem actus complecti potest oppositionem ad diversas virtutes. — Sic, in voluntaria occisione clerici, reperitur duplex peccatum specifice diversum, alterum contra justitiam, et alterum contra religionem; et quadruplex in crimine hominis ligati voto castitatis, et peccantis cum consanguinea conjugata, quandoquidem diversae virtutes laeduntur, videlicet justitia, pietas, religio et castitas.

REGULA 2ª Specifice diversa sunt peccata, *modo diverso* eidem virtuti opposita, seu quae ejusdem virtutis bona specifice diversa laedunt. — Etenim, una eademque virtus pro objecto habere potest varia bona, quae, juxta moralem aestimationem, sunt specifice diversa: v. gr. virtus justitiae pro objecto habet bona fortunae, bona famae, bona vitae, etc. Unde varias, hasque specifice diversas, rectitudines seu honestates complectitur. Ergo etiam peccata, quae his diversis rectitudinibus seu honestatibus opponuntur, diversas malitias habent, atque specie distinguuntur (*Konings,* n. 212).

Hinc resolves: 1° Ergo specifice diversa sunt: furtum, rapina, detractio, contumelia, homicidium; quamvis enim praedicta peccata eidem virtuti justitiae opponantur, diversa tamen hujus virtutis bona laedunt: furtum scil. bona fortunae, rapina bonum seu inviolabilitatem personae, detractio bonum famae, contumelia bonum honoris, homicidium bonum vitae.

2° Specifice etiam diversa sunt sacrilegium locale, reale et personale, licet eidem virtuti religionis opponantur; nam res sacra, persona sacra, et locus sacer sunt bona, juxta moralem aestimationem, specifice diversa.

3° Specifice diversa sunt violatio jejunii ecclesiastici per usum carnis, et violatio ejusdem jejunii per multiplicem refectionem; quia prior violatio opponitur virtuti temperantiae, quatenus cibi qualitatem; posterior vero, quatenus cibi quantitatem moderatur.

4° Peccata *commissionis* et *omissionis,* contra eamdem virtutem, sunt, ut plurimum, specifice diversa; ordinarie enim laedunt diversa ejusdem virtutis bona seu officia; et ita specie differunt haeresis et omissio actus fidei praecepti, desperatio et omissio actus spei, odium Dei et omissio actus caritatis. — Contra, specie non differunt, si idem virtutis bonum laedunt. Hoc autem evenit, quum ad idem reducuntur praeceptum affirmativum et negativum; quia tunc idem est committere, quam omittere. Hinc non sunt specifice diversa *furtum* et *omissio restitutionis,* quia idem est surripere, et retinere alienum.

Nota. Quandonam diversitas bonorum alicuius virtutis sit sufficiens, ut hujus ratione peccata censeantur specifice diversa, peti debet tum ex singulorum bonorum natura, tum ex communi theologorum judicio.

REGULA 3ª Specifice diversa sunt peccata, quae eidem virtuti, *modo contrario,* id est per *excessum* aut per *defectum,* opponuntur (V, 30). Ratio est, quia motus specificatur a termino *ad quem.* Jam-

Digitized by Google

vero excessus et defectus sunt termini specifice diversi; ergo et specifice diversi sunt motus, seu actus voluntatis, qui ad illos terminantur (*S. Thom.*, 1. 2, q. 72, a. 8; cfr. 1. 2, q. 23, a. 2).

Hinc resolves: Specifice diversa peccata sunt desperatio et praesumptio, quae opponuntur quidem eidem virtuti spei, sed contrario modo, desperatio scil. per defectum, praesumptio autem per excessum. — Pariter, avaritia et prodigalitas, quae opponuntur eidem virtuti liberalitatis, prodigalitas per excessum, avaritia per defectum. — Similiter, adulatio et nimia asperitas, quarum prior per excessum, posterior per defectum recedit ab eadem virtute affabilitatis. — Item, pigritia in addiscenda scientia debita, quae per defectum, et nimia curiositas, quae per excessum repugnat eidem virtuti studiositatis.

Corollarium. Plures specie diversas malitias comprehendunt peccata, quae repugnant pluribus *legibus, vel praeceptis, latis ex diverso motivo formali,* scilicet ad speciale bonum virtutis.

In tali enim casu, laeduntur diversae virtutes, vel virtutis honestates, quas intendunt variae leges: prout si quis frangeret jejunium praeceptum ab Ecclesia, et a se per votum Deo promissum, laederet tum temperantiam, ex qua Ecclesia jejunium imperat, tum religionem, ex qua Deus praecipit vota observari. — Contra, si leges latae sunt *ex eodem motivo formali* (seu ex eodem fine operis intrinseco), et distinguuntur tantum ex parte legislatorum (ut est in furto, quod prohibetur lege divina et humana), non inducunt distinctionem specificam peccatorum; quia diversitas legislatorum non efficit praeceptum esse formaliter diversum, sed tantum materialiter (V, 33).

Hinc, omissio sacri in die festo, qui simul est dominica, unicam malitiae speciem constituit, quia auditio missae ab utraque lege praecepta est ex eodem motivo formali religionis, ideoque ex unica intentione legislatoris (*Reuter,* de Leg., n. 147; de Pecc., n. 345).

325. — Quaesita. QUAER. 1° *Quomodo discerni possit utrum leges, numero plures, ex eodem, an ex diverso* MOTIVO FORMALI *latae sint?*

Praenot. Difficultas esse potest tantum de legibus positivis. Non enim dantur diversae obligationes legis naturalis, nisi ob diversa bona virtutis. Hinc evidens est, omnes obligationes legis naturalis distinctum habere motivum formale. Sic, v. gr., occisio sacerdotis prohibetur ex duplici motivo formali justitiae et religionis (V, 33; *Salmant.*, tr. 20, c. 12, n. 9-12).

Resp. 1° Leges positivae, quarum *materia est moraliter diversa,* diversum habent motivum formale: v. gr. lex opera servilia prohibens diebus festivis, et lex auditionem sacri iisdem diebus praescribens, motivum quidem habent Dei cultum, sed modo diverso. Quare, qui duplex hoc praeceptum transgreditur, committit duo peccata, haecque specie diversa. — Contra:

2° Leges positivae, quarum *moraliter eadem est materia,* idem motivum formale habere censentur. Sic, v. gr., triplex jejunii lex, ob vigiliam, ob Quatuor Tempora, et ob Quadragesimam, unum habet motivum formale, honestatem temperantiae. — Excipe, si ex circum-

Digitized by Google

stantiis, ex legis contextu, ex poenis adjunctis, de contrario certo constet: v. gr. si confessarius, post audita peccata, jejunium ab Ecclesia jam praeceptum poenitenti imponit, hoc jejunium ex novo motivo formali, ex motivo nempe poenitentiae, praecipi recte censetur. Quare, poenitens illud violans duplex peccatum committit, alterum contra temperantiam, et alterum contra religionem.

3° Lex positiva, quae *eamdem habet materiam cum lege naturali,* regulariter lata est ex eodem motivo formali legis naturalis, cujus exsecutionem urgere censetur. Sic leges humanae homicidium, furtum, etc. prohibentes, latae sunt ex ipso motivo legis naturalis.

QUAER. 2° *Utrum* PRAECEPTA *stricte dicta, non secus ac leges positivae, diversum habeant motivum formale, pro diversitate materiae?*

Resp. Neg. Praecepta stricte dicta, seu Superioris mandata, regulariter non ex diverso, sed *ex eodem motivo formali obedientiae* imponi censentur; sicut vota de se *specificantur ex virtute religionis,* licet eorum materiae, de se ad diversas virtutes spectent (cfr. III, 335; IV, 38).

Hinc: 1° Si Superior dat diversa praecepta, in materia libera, i. e. in materia quae a nulla lege hic et nunc praecipitur, v. gr. si studium, orationem, aliquem caritatis actum praecipit; inferior, qui illa varia praecepta transgreditur, non committit peccata specie distincta, sed peccat tantum contra obedientiam. Non est igitur in confessione declaranda materia inobedientiae, sed solus transgressionum numerus (2. 2, q. 104, a. 2, ad 1). — 2° Si vero Superior rem ab aliqua lege jam praescriptam absolute praecipiat (v. gr. pater, qui ad vincendam filii pigritiam vel levitatem, ei, interposita sua paterna auctoritate, missae auditionem die festo praecipit), inferior contumaciter renuens duo peccata specie distincta committit: alterum quidem contra legem Ecclesiae; alterum contra obedientiam legitime praecipienti debitam. — Secus tamen dicendum, si Superior non stricte praecipiat, sed duntaxat admoneat (confer n. 690 seqq.).

Nota. Aliquando virtus obligat *indirecte,* ex imperio nempe alterius virtutis. In hoc casu, *omissio actus imperati* est peccatum, non contra virtutem a qua eliciendus erat, sed contra virtutem imperantem. Sic, qui vehementi tentatione contra castitatem pressus, orare praetermittit, peccat, non quidem contra religionem, sed contra castitatem, et ratio est, quia mediorum et finis eadem est obligatio.

ARTICULUS II.

De distinctione numerica.

326. — Quaestio haec est: *Undenam peccata, quae intra eamdem speciem continentur, numericam sortiantur distinctionem sive individuationem.* — Rei difficultas inde oritur, quod moralistae sumunt actum moraliter; quod, una ex parte, actus physice plures et diversi possunt moraliter solum unum peccatum constituere, et quod, altera ex parte, actus physice unus potest esse moraliter multiplex et plura

Digitized by Google

facere peccata. — Ad hanc solvendam quaestionem, AA. communiter geminum distinctionis numericae fontem, seu geminam radicem assignant, unam ex parte subjecti, alteram ex parte objecti; scil. ex parte *subjecti,* multiplicitatem actuum moraliter interruptorum; ex parte autem *objecti,* diversitatem objectorum totalium.

Patet, quod, ubi in uno actu dantur plura peccata specifice distincta, v. gr. contra justitiam et caritatem, et haec etiam numerice multiplicantur.

§ 1. De multiplicitate actuum moraliter interruptorum.

327. — *Praenotanda.* Per interruptionem moralem, intelligitur illa actus circumstantia, qua fit ut actus in se, absolute, terminetur, atque ita ab insequenti actu disjungatur, ut nullatenus quasi moraliter quid unum cum eo constituens considerari possit.

Duplex distinguitur actuum interruptio: una voluntaria, altera involuntaria.

Interruptio *voluntaria* (seu ex electione agentis) est illa, quae fit sive per retractationem *formalem,* ut, si quem actus mali vere poeniteat; sive per *liberam cessationem* ab actu, puta, si quis ex taedio, lassitudine, sine proposito ultra progrediendi, ab incepto desistat, vel etiam ad alia se convertat. — Quibus in casibus, si ad malam voluntatem revertitur, novus actus erit moraliter diversus a primo, cum a primo non procedat, et ideo erit novum peccatum (V, 38).

Involuntaria autem interruptio (seu praeter electionem agentis) est illa, quae fit per *naturalem actus cessationem,* v. gr. ob distractionem, ob somnum, etc.; item *ob notabilem temporis moram,* ita ut, pro actionis natura, actus voluntatis, ex prudentum judicio, jam cessasse aestimetur.

Morali interruptioni opponitur unio moralis, qua fit ut plures actus in unum coalescant. — Communiter habetur ex duplici causa: 1° si actus *procedant ex eodem impetu concupiscentiae,* vel ex eodem affectu voluntatis; — 2° si *ordinentur* ab agente, a natura, vel ab institutione humana *ad aliquem actum principalem,* primario intentum.

328. — Principium. **Tot sunt peccata, quot sunt circa idem objectum actus voluntatis moraliter interrupti.** Ratio est, quia per talem interruptionem actus voluntatis fiunt completi, et singuli in propria sua malitia constituuntur, ideoque per novum voluntatis actum nova gignitur malitia.

Cum autem, inter actus peccaminosos, distinguantur actus *mere interni,* i. e. peccata cordis; actus interni *exterius consummandi,* i. e. desideria efficacia, proposita quae efficaciter ad peccata externa oris vel operis tendunt; *actus denique externi,* — diversae regulae statuendae sunt,

Digitized by Google

ita ut praefati principii applicatio ad unamquamque categoriam facilius fieri possit.

REGULA 1ª Actus MERE INTERNI, nisi procedant ex eodem passionis impetu, interrumpuntur per quamcumque *naturalem cessationem.*

Rem sic explanat *S. Alphonsus* (V, 37; H. Ap., III, 58): « Si sunt peccata *cordis,* quae interne omnino perficiuntur, ut odia, haereses, delectationes morosae, desideria turpia, etc., ista statim ac multiplicantur, interrumpuntur; ita ut tot sint peccata, quot sunt actus voluntatis illis consentientis. Ratio, quia quoad tales actus, non pendent unus ab alio, et ideo nequeunt moraliter continuari... Et ideo poenitens quidem debet explicare, si potest, *quot vicibus in voluntate consensit;* si vero non potest quia pravus animus fuit diuturnus, tunc sufficit fateri *tempus in quo cum tali animo perseveraverit,* explicando, saltem in genere, *an illae interruptiones (praeter ordinarias somni, etc.) fuerint notabiliter rarae, vel frequentes.* — Si tamen plures hujusmodi actus *ex eodem impetu concupiscentiae* procedunt, unum peccatum mortale constituunt, etsi *aliquod breve intervallum* inter actus intercedat ».

REGULA 2ª Actus interni, EXTERIUS CONSUMMANDI, plerumque non interrumpuntur per cessationem naturalem ordinariam (puta, per somnum, distractiones communes); interrumpuntur vero per *intervallum temporis diuturnum.* Ratio est, quia hi actus, per tendentiam ad opus externum, connectuntur, et in unum coalescunt; haec autem connexio non jam perdurare potest post aliquod temporis intervallum, ut patet.

Quale autem aestimandum sit TEMPUS DIUTURNUM, praecise indicari nequit; nam, pro natura rei et passionis vehementia, actus voluntatis inaequaliter perdurant, ita ut in aliis parum, in aliis multum protrahantur. Sic vero *S. Alph.* (V, 38; H. Ap., III, 60): « Ego puto, ait, impetum unius actus difficulter posse protrahi (ordinarie loquendo) plus quam ad *duos,* vel *tres dies* ad summum. Hinc, qui perseverat in mala voluntate ultra duos vel tres dies, explicare debet tempus; ut sic intelligatur moraliter numerus actuum internorum circa peccata externa ».

Diximus: *plerumque;* excipiuntur « actus voluntatis, qui proficiscuntur a primo pravo proposito, et *perdurant in aliquo effectu,* qui conducit ad perficiendum unum duntaxat peccatum externum; quia tunc, *quantumcumque temporis perduret* prava voluntas, illi actus (utpote in unum perversum finem ordinati) unum constituunt peccatum » (V, 40; H. Ap., III, 61).

Ex hac regula infertur: 1° « Si quis *proponat* occidere hominem, et idcirco arma praeparet, viam arripiat et inimicum occidat, unum peccatum committit, licet per multos dies illum quaesierit et pluries voluntatem repetierit. Ita communiter DD. cum *S. Thoma* (2 Sent., d. 42, q. 1, a. 1). — 2° Si quis *statuat* non restituere rem alienam, et in eadem voluntate semper (adhuc per annum) maneat, unum peccatum committit; quia in illa retentione nunquam retractata virtualiter permanet prima voluntas... Advertendum tamen, quod si fur redditur impotens ad restituendum, et deinde factus potens, data opportunitate, non restituit, novum peccatum committit. Ratio, quia eo casu, per illud tempus impotentiae, voluntas non restituendi non perseverat in effectu » (V, 40).

Digitized by Google

REGULA 3ª Actus EXTERNI: *a*) moraliter interrumpuntur, si *in se sunt completi,* vel si *agens in iis sistere intendit;* — *b*) contra, non interrumpuntur, sed in unum coalescunt, si *ad ejusdem peccati consummationem ordinantur,* vel *ex eodem impetu* concupiscentiae, aut *ex eodem affectu* voluntatis procedunt (V, 41; H. Ap., III, 62).

I. Hi igitur actus INTERRUMPUNTUR: 1° Quando sunt IN SE *completi,* i. e. in sua specie consummati, ita ut ad aliud ejusdem speciei peccatum non possint ordinari. Quare duo peccata committit, qui bis se polluit, bis cum eadem fornicatur, bis indigne communicat, etc., etiam si intra breve temporis spatium haec facinora perpetret. — Interrumpuntur 2° quando AGENS *in iis sistere intendit,* i. e. si non subordinantur ad aliquem actum principalem completum: puta, si quis habet plures tactus, sine intentione copulae; vel si pluries percutit, sine intentione occidendi; vel si pluries furatur partes ex cumulo, sine intentione totum cumulum auferendi; quia tunc quilibet actus habet suam completam malitiam. Pariter, si quis habens oscula, tactus, etc., noluisset ab initio copulam, sed postea, ob libidinem auctam, copulam perfecerit, non sufficit, si tantum copulam confiteatur; tunc enim omnes actus tanquam distincta peccata debent explicari, quia, cum in illis sistatur, quivis actus habet in se malitiam suam consummatam. Ita communiter DD. Et idem dicendum de eo, qui animum habuit tantum hostem vulnerandi, et inde ira accensus occidit: is duo peccata committit (V, 43).

II. UNIUNTUR vero actus externi: 1° Si *ad ejusdem peccati consummationem* ordinantur. — Hinc, si quis ad copulam consummandam praemittitt actus, oscula et sermones, sufficit si confiteatur tantum copulam obtentam. Et idem probabiliter dicendum de tactibus immediate subsequentibus, quia verisimiliter adhibentur tanquam complementum copulae obtentae (V, 41, fin.). — Excipitur tamen, si, manente etiam proposito physice eodem, tantum intercedat temporis intervallum, ut, secundum aestimationem communem, actus non amplius dici possint concatenati, id est ut actus praecedens non amplius sit proxima dispositio ad subsequentem, aut ejus quasi inchoatio, licet remote ad eum tendat.

Exinde infertur: a) Qui ex intentione furandi cumulum tritici, *quem totum unica vice surripere non valet,* repetitis vicibus, eadem nocte, partes ejusdem furatur, unum peccatum committit. Qui vero, ex eadem intentione, partes furatur, pluribus vicibus moraliter interruptis (i. e. tanto intervallo inter se distantibus, ut unus actus alterius praecedentis dici nequeat continuatio), is toties peccat, quoties ad furandum revertitur [1]. — *b*) Similiter juvenis, qui ex intentione fornicandi, adolescentulam, interjectis *diuturnioribus spatiis,* convenit, et sensim, per actus minus libidinosos, ad fornicationem inducit, non unum, sed plura peccata committit; quia actus illi externi non sunt amplius moraliter uniti, cum non fuerint proxima ad fornicationem, quae postea secuta est, dispositio, aut ipsius quasi inchoatio.

2° Si *ex eodem concupiscentiae impetu,* vel *ex eodem voluntatis affectu, procedant,* puta, si quis ex eodem impetu inimicum pluries percutiat, pluries se inhoneste tangat, eumdem Sanctum vel plures dies sanctos pluries blasphemet, pluries alicui in eadem materia convincietur, vel detrahat (V, 41). — Hoc autem, ut jam dictum est, non valet de illis peccatis operis, quae in se sunt completa: haec enim in unum coalescere nequeunt.

[1] V, 44; Conf. dir., IV, 11, fin.; cfr. 2. El. q. ref., n. 6 (juxta quem est reformandus H. Ap., III, 63

Digitized by Google

329. — QUAERITUR. *An explicanda sint in confessione, ut numerice distincta,* MEDIA *ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?*

Resp. Affirm. Nam tunc illa media non jam uniuntur, atque, etsi indifferentia, a malitia interna informantur, et ideo explicanda sunt ut peccata externa, sive opera incepta (V, 42; H. Ap., III, 62).

Unde: 1° Si haec media fuerint *indifferentia,* ut viam carpere, scalam deferre ad furtum, etc., explicandum est *in genere* utrum aliqua hujusmodi adhibita fuerint, et quot vicibus moraliter interruptis. — 2° Si media *in se mala* fuerint, ut oscula, tactus, sermones ad seducendam puellam, sunt declaranda in specie, saltem ratione scandali, quo violatur tum caritas proximo debita, tum virtus, ad quam laedendam ista media inducunt [1].

§ 2. DE DIVERSITATE OBJECTORUM TOTALIUM.

Praenotandum. Objectum *totale* sive *adaequatum* dicitur, quod moraliter quid unum et integrum in se constituit, ita ut nec pars, nec complementum sit alterius; quod sic *terminat* unum actum ut dividat eum moraliter in plures. — Quocirca observandum est, alia objecta, physice distincta, posse in unum morale coalescere, alia non posse. Sic, res diversae, pretio aestimabiles, ut oves, boves, domus, etc., ejusdem domini coalescunt in unum bonum fortunae. Contra, in unum coalescere nequeunt plurium hominum vitae, sive corporis sive animae; plurium hominum honores vel famae, vel bona temporalia, nisi forte haec ultima possideantur dominio communi (*Kon.,* n. 226). — In hac materia plurimum valet aestimatio communis.

330. PRINCIPIUM. **Tot sunt peccata numero distincta, quot sunt objecta totalia, seu moraliter diversa.** Ita *S. Alphonsus* (V, 45; VII, 28; H. Ap., III, 64), cum Tournely, Salmant., Croix, D'Annibale (I, n. 286) et aliis.

Haec regula a quibusdam quidem non admittitur, pro illis casibus, ubi plura illa objecta *unico actu externo* attinguntur, v. gr. si quis unica detractione plurium famam laedit, vel uno ictu plures occidit. Ratio quae ab ipsis allegatur est, quod multiplex objectum totale non multiplicat nisi malitiam actus, et quod malitiae non sunt confitendae. *Secunda vero sententia,* quae dici potest communior, docet, etiam in hoc casu, diversitatem objectorum totalium bene constituere diversa numero peccata. Ratio: sicut unus actus, respiciens plura objecta specie diversa, includit plura specie diversa peccata, in confessione explicanda;

[1] Ex hisce (sicut ex supra dictis in applicatione regulae 3ae, II) manifestum est quomodo S. Alphonsus accuratius loquatur quam nonnulli auctores moderni: hi enim, uti Noldin, hic non satis distinguunt inter media ut talia, et inter media cum opere consummato concatenata.

Digitized by Google

ita actus, respiciens plura objecta, includit plura diversa numero peccata. Actus enim peccaminosus est motus seu tendentia voluntatis in suum objectum tanquam in terminum, unde sequitur, quod, si objectum est totale, actus etiam toties totaliter terminatur seu individuatur quot sunt objecta totalia. — Praeterea tot debent esse peccata, quot sunt jura laesa moraliter distincta. Id patet exemplo ab omnibus admisso : « si conjugatus copulam habet cum conjugata, nemo negat duplicem committere injustitiam : unam, quia violat jus suae uxoris, alteram, quia cooperatur, ut illa violet jus sui mariti. Ergo, cum eodem unico actu, bene possunt esse plura peccata numero diversa contra eamdem virtutem » [1].

331. — *Ex his resolves :* I. Plura committit peccata :

1° Qui uno ictu sclopeti plures occidit homines ; — aut unica detractione multa unius familiae membra infamat ; — aut unico sermone pluribus est scandalo.

2° Qui, unico actu, furtum facit pluribus : sed hoc non intelligitur si furetur bona monasterii, aut capituli, quia ea bona pertinent ad communitatem, non vero ad particulares.

3° Qui, unico actu voluntatis, proponit per plures dies omittere Officium, aut jejunium ; — vel malum optat pluribus ; — vel optat (i. e. efficaciter cupit) ad plures feminas accedere, aut pluries ad eamdem.

II. Unum committit peccatum :

1° Qui negat plures fidei articulos ; nam cum unum sit objectum formale (et totale) fidei, nempe veracitas Dei revelantis, aeque infidelis est qui unum articulum negat, ac qui omnes.

2° Item probabiliter unicum committit peccatum, qui, eodem actu, in duodecim Apostolos blasphemat ; quia unum objectum totale est collegium Apostolorum, et praeterea omnes blasphemiae in Sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum seu ex una congregatione Sanctorum.

3° Similiter, qui plura mala exoptat inimico, v. gr. infamiam, mortem, etc., sed quae sub una mali ratione apprehendit, nempe ut media ad illius perniciem, probabiliter unum tantum peccatum committit, quod sufficienter his verbis declaratur : Exoptavi grave malum proximo. — Sed qui efficaciter suo inimico diversa mala, specifice et in particulari considerata, exoptasset, deberet utique illa omnia distincte confiteri, quia sunt diversa peccata (V, 46, 50 ; H. Ap., III, 64, 65).

332. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An committat diversa peccata qui detrahit alicui* IN PLURIBUS MATERIIS, *vel eum diversis contumeliis afficit ?*

Resp. Probabilius committit plura peccata. Ratio, quia laeduntur diversa jura ad famam vel honorem, quae alteri competunt ; per hoc enim quod aliquis est diffamatus in uno crimine, non ideo est diffamatus in alio.

[1] Non desunt aliqui, v. gr. *Lehmkuhl* (I, n. 352), qui ne verbo quidem sententiam a S. Alphonso propugnatam memorant. — Notatum velimus praeterea, Lugonem (cujus Lehmkuhl vestigia sequitur) concedere, non carere difficultate, in universum negare quod propter ordinem ad plura objecta multiplicentur malitiae (cfr. *Gaudé*, vol. II, p. 741).

Digitized by Google

« Bene tamen hic *advertendum,* quod mulierculae et plebeii, qui simul rixantes eodem impetu diversis contumeliis se onerant, unum peccatum (hocque leve) committunt. Ratio: quia, juxta communem aestimationem, hi non laedunt famam et honorem, eo quod, ex una parte, convicia, inter hujusmodi personas, non apprehenduntur ut gravia; et ex alia, audientes nullam ipsis fidem praestant, et ideo tales rixantes ut plurimum excusantur a mortali, nisi forte de aliquo particulari facto adversarium improperent » (V, 48).

QUAER. 2° *An qui detrahit alicui* CORAM PLURIBUS *plura peccata committat?*

Resp. Detractionis peccatum, probabiliter, solummodo unum committit. « Ratio, quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans, cum jus ad famam sit unicum apud omnes, non autem multiplex ». — Facile tamen, in casu, erit scandalum, cujus ratione, tot peccata committit, quot sunt personae, quibus scandalo est detractio (V, 49).

QUAER. 3° *An plura sacrilegia committat sacerdos, qui in mortali successive* PLURES *absolvit vel* PLURIBUS *sacram Eucharistiam ministrat?*

Resp. ad 1m. Negant alii, quia formaliter unam irreverentiam Deo irrogat; sicut qui plura sacra vasa furatur, unum sacrilegium committit. — « Sed *verius* docent Concina, Croix et alii, tot eum sacrilegia committere, quot absolutiones impertit, quia singulae absolutiones sunt singula sacramenta ».

Resp. ad 2m. Sacerdos qui, in mortali, pluribus successive Eucharistiam ministrat, probabilius unum tantum sacrilegium committit, quia una est administratio, et ideo unum convivium (V, 50, q. 6).

Nota. In praxi dicendum, quod per se poenitens non vexari debet interrogationibus circa objectum totale, eo quod, ut ait doctus *D'Annibale,* sola conscientia peccantium numerat peccata, et subtilia et exquisita passim ignorat. — *Per accidens* tamen, v. gr. ad recte efformandum judicium confessarii, urget interrogatio et confessio.

CAPUT III.

De gravitate peccatorum.

S. Thomas, 1. 2, q. 72, a. 5; q. 88-89; de Malo, VII, a. 1, 2; Contra Gentes, l. 3, c. 143; Lib. Sent., II, D. 42, q. 1, a. 3; *S. Alphonsus,* V, n. 1; ed. G., II, n. 705; III, 132: « Super abusu mortuis maledicendi »; ed. G., II, p. 456; *Aertnys,* I. I, n. 228; *Lehmkuhl,* I, 334; *Scheeben,* Dogmatik, II, 528 seqq.; *Koch,* Lehrb. der Moralth., § 43; *Göpfert,* I, 224; Controv. cum Schell apud *Commer; Mausbach,* Kath. Mor., p. 214; *Manning,* Sin and its consequences.

Gravitas peccati est mensura malitiae, seu deformitatis, quam habet actus cum recta ratione, seu (quod idem est) major vel minor Dei offensa, in peccato contenta.

Digitized by Google

333. — PRINCIPIA. I. **Non omnia peccata ejusdem sunt gravitatis, sed alia sunt aliis graviora.** De fide est contra Jovinianum; et probatur: 1° Ex Scriptura, v. gr. ex verbis Domini ad Pilatum: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (*Joann.*, 19, 11).— 2° Ex ratione. Peccatum enim est inordinatio actus humani. Atqui hujusmodi inordinatio major minorve esse potest, ut luculenter patet ex dictis de moralitate actuum humanorum. Ergo.

II. **Peccata sunt alia mortalia, alia venialia.** De fide est contra Calvinum et Baium. Probatur: 1° Ex Scriptura, quae alia peccata morte digna declarat: *Qui talia agunt, digni sunt morte* (*Rom.*, 1, 32). Item textus classicus I. *Cor.*, III, 8. Dein (*Matth.*, 7, 3) aliqua peccata *trabi*, alia *festucae* assimilantur: festuca autem est res levis, trabs aliquid grave. — 2° Ex decretis Ecclesiae, v. gr. ex damnatione 20ae propositionis Baii asserentis: « Nullum est peccatum, ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam ». Item ex Tridentino (Sess. XIV, c. 5), quod docet, confitenda esse omnia mortalia, quae memoriae occurrunt; non item venialia.

334. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Undenam repetenda sit diversa gravitas peccatorum?*

Resp. 1° Repetenda est primario *ex parte objecti*, seu ex dignitate virtutum, quibus peccata opponuntur. Sic, v. gr., blasphemia, ex genere suo, est majus peccatum, quam furtum; quia praestantiori opponitur virtuti, scilicet religioni (1. 2, q. 73, a. 4).

2° Repetenda est secundario *ex circumstantiis*, v. gr. ex dignitate personae, ex duratione vel intensitate actus, ex effectibus, sed praesertim, ex majori minorive gradu cognitionis, advertentiae et consensus.

Hinc, ceteris paribus: Graviora sunt hominis peccata contra Deum, quam contra seipsum et proximum commissa; peccata commissionis, quam omissionis; peccata oris et operis, quam cordis; peccata malitiae, quam peccata infirmitatis, et haec graviora, quam peccata ignorantiae; peccata eorum, qui praestant scientia, virtute, dignitate, etc. (*S. Alph.*, Selva, P. I, c. 4).

QUAER. 2° *An peccatum, ex objecto levius, possit, ratione circumstantiae, excedere gravitatem peccati superioris speciei?*

Resp. Affirmative probabilius cum S. Thoma et aliis: « quia licet, regulariter, gravius peccatum sit illud quod perfectiori virtuti opponitur, attamen, cum gravitas peccati superioris speciei sit finita, ideo, etsi physice non possit excedi a malitia peccati speciei inferioris, potest vero moraliter ». Sic, v. gr., aurum est pretiosius argento et plumbo. Hoc tamen non impedit, quominus magnus acervus, seu mons argenteus, pretiosior sit parva massa aurea. — « Et ideo *regula praedicta* metiendi gravitatem peccati, ex oppositione ad superiorem virtutem, *currit tantum, quando*

Digitized by Google

peccata sunt maxima contra unamquamque virtutem, non autem quando comparatio fit maximi peccati ad minimum » (V, 34; H. Ap., III, 56).

Hinc moraliter sodomia et bestialitas sunt graviora peccata quam perjurium, ut docet S. Thomas cum Salmanticensibus. Intra ambitum ejusdem virtutis et physice graviora sunt peccata contra legem prohibentem. In genere, eo gravior est peccatum quo nobilior persona contra quam dirigitur, unde sacrilega communio, juxta D. Thomam, non est peccatum omnium gravissimum. Peccatum praeterea est eo gravius quo bonum majoris momenti laeditur, v. gr. in peccatis contra caritatem proximo debitam (*Lehmk.,* I ad calc.).

Distinguenda est etiam in peccato ratio *malitiae* et ratio *nocumenti* quod affert. Exinde observat *S. Thomas* (1. 2, q. 73, a. 5): peccata spiritualia esse, secundum se, majora carnalibus; sed carnalia maximae esse adhaesionis. Quapropter, summae semper cautiones adhibendae sunt, ut, vel ipsis principiis ex quibus periculosissima illa pestis enasci potest, fortiter obsistatur.

Hisce praemissis, disserendum est: 1° de peccato mortali; — 2° de veniali.

ARTICULUS I.

De peccato mortali.

335. — DEFINITIO. Peccatum mortale est deliberata transgressio legis graviter obligantis, seu: OFFENSA, i. e. injuria DEI, quae, ob sui gravitatem, gratiam et amicitiam cum Deo solvit, poenamque aeternam meretur (v. n. 339). — « Dicitur *mortale,* quia spiritualis vitae principium, gratiam scilicet habitualem, tollit, et mortem animae affert » (V, 51; cfr. Inst. Cat., Introd.).

DIVISIO. Peccatum mortale est tale, vel ex toto genere suo, vel ex genere suo simpliciter, vel per accidens.

1° Est mortale *ex toto genere suo,* quando ratione objecti semper est grave, quia ratio offensionis tota deprehenditur, tam in minima, quam in maxima materiae quantitate.

Hujusmodi sunt odium Dei, haeresis formalis, perjurium, blasphemia, simonia de jure divino, violatio directa sigilli sacramentalis, vel fractio jejunii ante communionem, actus venerei extra matrimonium, etc. Haec *nunquam parvitatem materiae admittunt:* quia gravem semper continent inordinationem ratione objecti (V, 56).

2° Est mortale *ex genere suo* (simpliciter seu non ex toto), quando ratione objecti potest esse mortale, vel veniale, pro quantitate materiae; peccatum autem non est mortale nisi certam materiae quantitatem attingat.

Hujusmodi sunt furta et alia peccata contra justitiam; admittunt enim materiae parvitatem (V, 54-56; H. Ap., III, 67).

3° Est mortale *per accidens* (veniale per se), si ratione objecti, seu spectata rei natura, est quidem leve, sed grave factum est acce-

Digitized by Google

dente ratione specialis circumstantiae quae in actu intervenit, v. gr. ratione erroris, scandali, etc., ut infra explicabitur (n. 342, q. 3°).

336. — PRINCIPIUM. **Ad peccatum mortale tria necessario requiruntur, nempe materia gravis, plena advertentia intellectus, et perfectus voluntatis consensus.** Ratio est, quia, spectata fragilitate humana, non videtur decere divinam bonitatem, aeternis suppliciis punire hominem, propter transgressionem in materia undequaque levi, vel propter violationem obligationis non plene perfecteque voluntariam (V, 53).

Requiritur 1° *Materia gravis,* quae nempe talis sit, vel secundum se, vel ratione alicujus circumstantiae, v. gr. si finis legislatoris sit magni momenti, ad quem lex plurimum conferat, vel si grave scandalum sit vitandum, etc.

2° *Plena advertentia* ad obligationem gravem, ideoque in definitione peccati mortalis additur *deliberata,* i. e. perfecta in linea actus.

Intellectus enim duplici modo advertere potest: vel *plene,* quando quis, plene sui compos, rem perfecte discernit, mentem habens expeditam; vel *semiplene* quando rem discernit modo imperfecto, sicut accidit in semivigilia, in semiebrietate, in distractione, in vehementissima passione. — Porro, ut peccatum sit *mortale,* semper requiritur *plena* advertentia vel ad malitiam actus, vel ad periculum peccandi, vel ad obligationem avertendi tale periculum; id autem, sive actualiter, dum ponitur actio, sive in principio quando libere posita est causa, ex qua dein malus secutus est actus (Conf. dir., III). Cfr. n. 318.

3° *Perfectus consensus voluntatis. Perfectus* dicitur consensus, quando actus voluntatis malum amplectentis est omnino liber ac deliberatus, seu quando *sequitur omnino* plenam advertentiam intellectus; *imperfectus* vero, si fuerit subitus, absque sufficienti deliberatione, vel si sequatur semiplenam advertentiam; vel demum, si consentiat sola pars inferior animae, cum resistentia tepida voluntatis (cfr. n. 322, q. 1°).

Jamvero, ad peccatum mortale, quod est plena et consummata culpa, non sufficit consensus imperfectus, sed requiritur plenus et perfectus, in quo sit tota ratio voluntarii. Id commune et certum est, ait *S. Alphonsus* (V, 5), apud DD. adhuc rigidioris sententiae. — Potest tamen accidere, ut voluntas, cum solo consensu indirecto, mortale peccatum committat, si nempe, praeviso effectu, vult causam, ut supra dictum est (H. Ap., III, 40). Cfr. n. 319, 321.

Nota. Sufficit advertentia virtualis et confusa, modo sit plena; nec requiritur ut sit distincta.— Est *distincta,* quando quis peccati qualitatem aut quantitatem discernit; de *virtuali* n. 317 diximus; *confusa* erit, quando, actu intellectus plene sibi conscii, de malitia actionis dubitat, aut suspicatur (V, 3). — Haec sufficit ad consensum perfectum et ad peccatum mortale, ut constat ex dictis n. 36. — Nec ergo requiritur, ut quidam neoterici putavere (sed hoc postea minus aperte docuerunt), peccatum mortale fieri debere ex rebellione in Deum, ex formali insurrectione in Deum, ex odio Dei et cum pertinacia quadam. Vide *Commer,* Herrmann Schell, S. 118).

Digitized by Google

337. — Quaesita. QUAER. 1° *Quomodo dignosci possit peccatorum gravitas objectiva seu* RATIONE MATERIAE?

Resp. Peccatorum gravitas objectiva dignoscitur:

I. *Ex auctoritate:* 1° Ex SS. Litteris. « Quae sint levia, quae gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio », ait *S. Augustinus* (Ench., c. 78). Ea igitur peccata existimanda sunt mortalia, quae in SS. Litteris dicuntur digna morte, aut excludere a regno coelorum, aut Deo exosa, etc. Hujusmodi enim verba significant, deformitatem actionis esse profecto gravem. — 2° Ex definitionibus SS. Pontificum et Conciliorum generalium decretis; si nempe in iis aliquod peccatum declaratur mortale, aut gravibus inveniatur poenis affectum (*Diss. proleg. Zacch.*, P. II, c. 3 et 4). — 3° Ex doctrina SS. Patrum, Ecclesiae Doctorum, atque insignium theologorum. Quae ab ipsis unanimiter, vel fere unanimiter, habentur tanquam mortalia, etiam a nobis ut talia existimanda sunt. Ipsis enim non assentiri, temeritatem sapit, cum eorum, in re morali, consensus sit veritatis indicium (*Kon.*, n. 202).

II. *Ex ipsa peccati materia seu ex naturali ratione.* Ita generatim GRAVIA censentur: Omnia peccata, quae sunt directe contra Deum vel aliquam ejus perfectionem; peccata, quae vergunt in grave praejudicium generis humani, ut sunt variae luxuriae species; peccata, quibus graviter laeditur proximus, in bonis vitae, fortunae, famae, etc.; peccata, quae graviter repugnant fini magni momenti per legem intento, ut omissio jejunii, missae, confessionis annuae, communionis paschalis, etc.

Ceterum, limites inter peccatum mortale et veniale, saepe saepius, nullo modo determinari possunt, ut constat ex innumeris Doctorum controversiis. Ubi autem *dubium strictum* perseverat, pro mitiori parte standum et prudenter edocendus est fidelis. « Non enim adstruendum mortale, nisi de eo certo constet » (I, 89; V, 52, *Bene hic*) [1].

QUAER. 2° *An peccet graviter, qui scit actionem suam esse* MALAM, *sed ignorat ejus* GRAVITATEM, *vel ad eam non attendit?*

Praenot. Quaestio valet de iis, quae non sunt evidenter gravia, nec evidenter levia: de evidentibus enim supponi nequit, quod operans, qui advertit rem esse malam, ad gravitatem vel levitatem, ne in confuso quidem, attendat; quia, implicite saltem et exercite, satis alterutram apprehendit. — Item quaestio non est de homine, qui positive dubitat de *gravitate* suae actionis. Conclusio superius data, n. 36, iterum legatur.

Resp. Disputatur; verum S. Alphonso satis probabilis est sententia eorum, qui dicunt, hujusmodi hominem peccare, per se, tantum *venia-*

[1] In Epistola responsiva « de maledictione mortuorum » sic loquitur S. Doctor: « Sed, ut affirmetur absolute aliquam actionem esse peccatum mortale, non sufficit opinio probabilis nec etiam probabilior » (l. III, n. 132). — Nisi tamen sit *certo probabilior* opposita, ut constat ex l. I. n. 54, 62, 83 et 88. Haec enim Epistola exarata fuit anno 1758, cum scilicet Alphonsus systema suum nondum perfecisset. Nota *J. Gaudé*, Theol. mor., I, p. 456. — Quoad officium Confessarii, cfr. VI, 604, 605.

Digitized by Google

liter; quia ad peccandum mortaliter, requiritur, ut quis directe vel indirecte consentiat in mortale; qui vero de mortali nullo modo cogitat, aut suspicatur, is nulla ratione dici potest mortali consentire (I, 23; cfr. Istruz., I, 13).

Diximus PER SE, i. e. supposito: 1° quod periculum graviter peccandi,' aut obligationem rem investigandi, non saltem in confuso apprehendat; 2° quod agens non sit laxae conscientiae; alioquin, saltem indirecte, in mortale consentire censendus est (cfr. n. 318, 2°).

QUAER. 3° *Quomodo judicandum sit* IN DUBIO *de perfecto consensu?*

Resp. Judicandum est ex communiter contingentibus, ut jam diximus (n. 50).

1° Si dubitans est *timoratae conscientiae* nec solet deliberate consentire in peccatum grave, rationabiliter, imo moraliter certo credi potest, ipsum non consensisse. Is enim qui habitualiter Deo adhaeret, et valde timet ne divina gratia privetur, si contingat aliquando ab eo averti, magnam sibi vim debet inferre, ut remorsum conscientiae contemnat et in peccatum deliberate se projiciat: id autem non potest agere, nisi certo advertat malum quod amplectitur.

Ad praesumendum autem, quod *non adfuerit plenus consensus* in homine pio, maxime prosunt hae sequentes CONJECTURAE: « *a*) Si talis serium et saepe repetitum propositum habuerit nunquam peccandi mortaliter, et nesciat illud certo revocasse. — *b*) Si cum advertit malum, terreatur et illico tentationem repellat, statimque dubitet an consenserit. — *c*) Si meminerit se timide processisse (i. e. si non adfuit nisi torpor, oscitantia, haesitatio voluntatis). — *d*) Si nesciat an in vigilia vel somno aliquid egerit, vel cogitaverit; si enim fuisset vigilans, jam id advertisset et sciret » (VI, 476). — *e*) Si facile demum procedere potuerit ad actum externum, nec tamen processit (*Reuter,* Neo-conf., 244, 265).

2° Si dubitans est *assuetus de facili in peccata mortalia prolabi* (seu laxae conscientiae), oppositum est de eo censendum; « quia in dubio praesumitur iste consensisse. Si enim obstitisset, utique recordaretur conatus illius, quem sibi intulisset ad tentationem repellendam.

3° Si peccata mortalia *exinde plane dubia manent,* an in confessione declaranda sint, infra in tract. *de Poenitentia* expendetur (n. 1695 seq.).

QUAER. 4° *An peccet graviter, qui* DELIBERAT *de consensu rei graviter illicitae praestando, si tandem non consentiat?*

Resp. Solutio quaestionis pendet ex qualitate deliberationis. — Si deliberatio est solum *quaedam haesitatio,* seu resistentiae omissio, proveniens ex torpore, pigritia aut negligentia, ipsa peccatum veniale non excedit. — Si vero deliberatio est *plena et formalis,* qua scilicet quis perpendit utrum rem graviter malam patrare velit, an non, peccatum est mortale. Sic enim haesitans, instar Pilati, Deum cum creatura appretiat; quare peccatum committit ejusdem speciei et gravitatis, ac illud de quo deliberat (*Croix,* V, 226-229).

Digitized by Google

Ad tranquillitatem conscientiae promovendam in dubiis circa consensum, multum valet simplex et serius conatus ad actum caritatis eliciendum, qui plurimum prodest et minime obesse potest.

338. — *Nota.* Ratione peculiaris malitiae, etiam distinguuntur:

1° Peccata CONTRA SPIRITUM SANCTUM. Sex numerantur: *a*) praesumptio, *b*) desperatio, *c*) impugnatio agnitae veritatis, *d*) invidia fraternae gratiae, *e*) obstinatio, *f*) impoenitentia finalis. — Dicuntur *in Spiritum Sanctum;* quia, per ea, id abjicitur, quo Spiritus Sanctus solet hominem a peccato removere: unde sunt gravissima, et nonnisi difficillime remittuntur (*S. Thom.*, 2. 2, q. 14, a. 2).

2° Peccata IN COELUM CLAMANTIA. Sunt quatuor, nempe: *a*) homicidium, *b*) sodomia, *c*) oppressio pauperum, *d*) defraudatio mercedis operariorum. — Dicuntur *clamantia,* quia vindictam divinam vehementissime provocant, et poenas merentur gravissimas (*Voit,* de Pecc., n. 316-317).

3° Peccata *irremissibilia,* de quibus apud *Matth.*, XII, 31; *Marc.*, III, 28; *Luc.*, XII, 10; 2. *Petr.*, II, 20; *Hebr.*, VI, 4; X, 26. Sic vocantur non respectu Dei, sed respectu hominis, qui misericordiam Dei respuit.

SCHOLIUM.

De peccati mortalis effectibus.

339. — Praecipui effectus sunt sequentes:

1° GRAVIS DEI INJURIA. Quodlibet peccatum mortale est Dei offensa, non effective, quia Deus est incapax nocumenti, sed *affective;* et est vera injuria, et contemptus divinae Majestatis, quae postponitur creaturae (H. Ap., III, n. 20). Est enim peccatum mortale *aversio a Deo et conversio ad creaturam.*

Haec autem Dei offensa tantum in se malum involvit, quantum a nullo creato intellectu concipi potest: objective enim et extrinsece, seu ex parte offensi est vere infinita quia « injuria est in injuriato sicut honor est in honorante » (*S. Thom.*, III, q. 2, a. 2, ad 2).

2° PRIVATIO GRATIAE SANCTIFICANTIS, et cum hac privatione, *amissio* omnium meritorum, atque *inhabilitas* ad nova merita comparanda.

3° Foedissima ANIMAE MACULA. Ad rem *D. Thomas* (1. 2, q. 86, a. 1 et 2): « Anima hominis, inquit, duplicem habet nitorem: unum ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam in suis actibus dirigitur, et alium ex divino lumine sapientiae et gratiae, per quam homo perficitur ad bene agendum. Cum autem homo peccat, adhaeret aliquibus rebus, contra lumen rationis et divinae legis, et sic maculatur...; *macula animae* metaphorice vocatur. Quae macula *remanet* in anima, etiam transeunte actu peccati, prout importat defectum nitoris, ex recessu a lumine rationis et legis divinae... sed postquam redit ad lumen, quod fit per gratiam, tunc macula cessat ».

4° REATUS CULPAE. Hic prior reatus, qui a macula solummodo secundum modum significandi differt, dicit proprie *statum culpabilitatis,* qui comprehendit duo; nimirum: *a*) privationem *laudabilis* seu *laudis,* quae debetur tam personae, quae operatur secundum ordinem rationis et legis aeternae, quam actui, qui cum his regulis concordat...; — *b*) obligationem *reparandi injuriam* illatam Deo, per deviationem a praefato ordine rationis et legis aeternae, ideoque per contemptum ipsius Dei (1. 2, q. 21, a. 2).

5° REATUS POENAE, id est obligatio, seu necessitas solvendi poenam peccato debitam. Ut recte *D. Thomas* observat, quae continentur sub aliquo or-

Digitized by Google

dine, sunt quodammodo unum, in ordine ad principium ordinis. Quare quidquid contra ordinem insurgit, ab eo ordine et principe ordinis deprimi debet. — Cum ergo peccatum TRIPLICEM ordinem *rationis, universi* et *Dei* pervertit, hinc incurrit reatum triplicis poenae, scilicet *remorsus conscientiae ultionis, creaturarum* (v. gr. per ignem) et *privationis Dei* (1. 2, q. 87, a. 1).

6° POENA IPSA. Poena definiri solet: boni debiti privatio, contra voluntatem ejus, qui privatur, propter culpam. — Quocirca duo notanda sunt: alterum, circa ejus gravitatem; alterum, circa ejus acerbitatem.

Ad *gravitatem* quod attinet, ipsa pendet a magnitudine boni, quo quis privatur. Unde poenarum omnium gravissima est *privatio Dei,* qui est summum bonum. Secundum locum tenet privatio bonorum supernaturalium. Ex qua poena illud facile provenit, ut *unum peccatum fiat per accidens poena alius,* in quantum nimirum peccator supernaturalibus suis habitibus spoliatus, et gratiis actualibus magis orbatus, quasi proprio suae perversae naturae pondere ad alia peccata protrahitur. — Tertio loco venit privatio bonorum naturalium. Hac etiam poena, saltem partim, plectitur peccator; nam ejus natura quadruplici vulnere *ignorantiae, malitiae, infirmitatis* et *concupiscentiae* per peccatum originale sauciata, nova vulneratione afficitur. Quod bene declarat *D. Thomas* (1. 2, q. 83, a. 3).

Quod dein attinet ad poenae *acerbitatem,* dicendum est eam oriri ex contrarietate voluntatis. Atque hinc saepe evenit, ut in hac vita maxima poena minime sentiatur, et minima maxime; nam « fascinatio nugacitatis obscurat bona » (*Sap.*, IV, 12). — Sed post mortem, poena discruciat secundum suam intrinsecam gravitatem. Homo enim in domum suae aeternitatis semel ingressus, recte tandem judicat de divinis illis bonis, ad quorum possessionem ac fruitionem erat natus. Unde, quo excellentiora sunt bona, eo acerbius de eorum privatione dolet. Et quoniam Deus est bonum infinitum, non dubitat *S. Alphonsus* (Praep. ad mortem, cons. 26, punct. 3) asserere, poenam damnati esse plane incomprehensibilem ac quodammodo infinitam. Cfr. *Lessius,* de Perfectionibus moribusque divinis, l. XIII, c. 12, 13, 28 seqq.

ARTICULUS II.

De peccato veniali.

340. — DEFINITIO. Peccatum veniale est levis transgressio legis divinae, minuens fervorem caritatis, et reddens hominem dignum poena temporali (V, 51; H. Ap., III, 23).

Dicitur *veniale,* quia non tollit principium veniae, quod est gratia, ideoque veniam facile consequitur; non vero, quasi sit res in se levis, aut parvipendenda. Sat est intelligere, ait *S. Alphonsus,* quod est offensa Dei, ut plus quam aliud quodcumque malum vitetur (Instr. cat., Introd., n. 9).

DIVISIO. Peccata venialia sunt talia vel per se, vel per accidens.

1° Peccata venialia *per se,* seu ex *genere suo,* sunt illa quae, ratione objecti, sunt semper venialia, ita ut nunquam mortalia evadant, nisi extra propriam speciem, propter aliquam supervenientem circumstantiam, trahantur. Sic mendacium semper manet veniale, nisi ratione damni, vel alterius circumstantiae, transeat ad aliam speciem.

Digitized by Google

Hujusmodi sunt, generatim, peccata *contra proprium bonum* commissa, ut inutilis ac vana concupiscentia, vana sensuum oblectatio, prodigalitas, curiositas, superfluitas vestitus, excessus in cibo, in potu, in somno, in risu, in timore, in tristitia, in appetitu pecuniae, laudis, et plura alia, quae infra, cum de peccatis capitalibus tractabimus, enumerabuntur.

2° Peccata venialia *per accidens* sunt illa, quae ex genere suo sunt quidem mortalia, sed quae, ob materiae parvitatem, vel aliam circumstantiam, evadunt levia, ut infra explicabitur (n. 342, quaer. 2°).

341. — PRINCIPIUM. **Ad peccatum veniale tria requiruntur: obligatio aliquo praecepto imposita, advertentia saltem semiplena ad levem transgressionis malitiam, et aliquis, saltem imperfectus, consensus.** Haec tria requiri patet; nam, ipsis sublatis, vel nullius foret legis transgressio, vel nulla mali cognitio ac volitio, i. e. nullus adesset actus humanus difformis, ac proinde nullum proprie dictum peccatum.

Ex his, peccatum veniale clare discernitur ab *imperfectione,* in qua non interveniunt omnia, quae ad formale peccatum constituendum requiruntur. Scilicet IMPERFECTIO in duplici sensu accipi solet. — 1° In uno sensu, imperfectio, respectu legis, dicitur *actio vel omissio repugnans,* non quidem alicui positivo praecepto, sed *mero consilio;* ad quod exsequendum aliquis incitatur, sive per impulsum gratiae, sive per dictamen rationis, sive solum per Superiorum directivam voluntatem. Imperfectio, in hoc sensu accepta, non est, per se, peccatum; nam, ubi non est praeceptum, nulla est praecepti transgressio. Diximus *per se,* quia saepe istiusmodi imperfectiones, propter varias circumstantias, culpa non vacant, v. gr. propter vitiosum amorem, curiositatem, sensualitatem, acediam, etc. — 2° In altero sensu, imperfectio, ratione actus, dicitur *transgressio praecepti prorsus indeliberata* atque involuntaria, tum in se, tum in causa, ut sunt distractiones plane involuntariae inter orandum, involuntarius excessus in risu, in tristitia, in indignatione, in jocando, in fabulando. Quo in sensu, imperfectio omni culpa vacat [1].

342. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Undenam repetenda sit* DIFFERENTIA *inter peccatum mortale et peccatum veniale?*

Resp. DD. communius eam repetendam esse docent, ex modo essentialiter diverso, quo voluntas in utroque peccato se convertit ad creaturam. Scilicet, peccando *mortaliter,* voluntas convertit se ad creaturam totaliter, quasi creatura ejus finis ultimus esset, ideoque ipsa se avertit totaliter a Deo, ejusque amicitiam saltem implicite contemnit. — Peccando vero *venialiter,* voluntas, salva sua habituali tendentia in suum ultimum finem, i. e. in Deum, tantummodo creaturam indebito atque inordinato amore prosequitur: quare incurrit solummodo poenam temporalem, quae correspondet inordinatae conversioni ad creaturam [2].

[1] Cfr. *Croix,* l. V, 212; *Lugo,* disp. 16, n. 102. — [2] Cfr. *S. Thomas,* 1. 2, q. 72, a. 5, et q. 88, a. 1; *Suarez,* de Vitiis et Pecc., disp. 2, sect. 1.

Digitized by Google

Atque in hoc sensu loqui videtur D. Thomas, cum dicit peccatum veniale non esse contra, sed *praeter* legem; intellige illud non esse contra finem legis, qui est caritas, sed esse contra ordinem legis observandae, ac proin esse veram legis transgressionem, ut constat ex definitione peccati (cfr. V, 11).

QUAER 2° *Quotuplici modo peccatum, ex genere suo mortale, fiat* VENIALE?

Resp. Triplici modo: *a*) ex parvitate materiae; — *b*) ex imperfectione cognitionis, i. e. vel ex conscientia invincibiliter erronea, qua quis judicat aliquid esse veniale, quod de se est mortale, vel ex advertentia semiplena; — *c*) ex imperfectione consensus (cfr. n. 336).

QUAER. 3° *Quotuplici de causa peccatum, ex genere suo veniale, fieri possit* MORTALE?

Resp. Sextuplici de causa, nimirum:

1° Ratione *erroris,* quando quis reapse vult aut operatur aliquid, quod de se est leve peccatum, sed serio putat aut dubitat, ex conscientia erronea, esse peccatum grave (cfr. n. 22; 337, q. 2°).

2° Ratione *finis adjuncti,* quando nempe actui, per se venialiter malo, adjungitur finis graviter peccaminosus: ut si quis leviter mentiatur, ad seducendam puellam (n. 306, 307).

3° Ratione *nimii affectus,* quando nempe in re leviter mala constituitur finis ultimus, ita ut homo prave dispositus *actu saltem interno* illam Deo anteponat, et advertenter actuque paratus sit Deum graviter offendere, potius quam suo vano oblectamento renuntiare.

4° Ratione *contemptus formalis* legis, vel legislatoris: sic «est mortale facere vel omittere aliquid ex contemptu justae legis humanae; item, ex contemptu Dei praecipientis vel etiam consulentis, quod propterea tacitam blasphemiam continet, quasi Deus inutilia praeciperet, aut consuleret, etc.» (V, 61, 3°). — Cfr. dicta n. 179, 3°.

5° Ratione *scandali,* quando a veniali culpa grave prodit scandalum pusillorum: ut si ex verbis venialiter malis, quae proferunt parentes, filii graviter scandalizantur; vel si filii, per levem inobedientiam, scienter provocant parentes ad blasphemias.

6° Ratione *periculi,* quando, ex levi culpa, exsurgit *proximum* seu probabile periculum graviter peccandi: ut si quis otiose cum femina colloquatur, satis expertus, se ex hujusmodi colloquiis saepe mortaliter peccasse (I, 22; V, 59-63; H. Ap., III, 68).

343. — *Ex dictis resolves:* 1° *Plura* venialia non possunt constituere unum mortale, ratione *multiplicationis;* quia cum mortale et veniale inter se essentialiter differant, natura unius non potest fieri natura alterius. Unde *D. Thomas* (1. 2, q. 88, a. 4): «Omnia peccata venialia de mundo non possunt habere tantum reatum, quantum unum mortale». Et *S. Alphonsus:* «Melius est permitti innumera venialia, quam unum mortale» (III, 130).

Digitized by Google

Possunt tamen pertingere ad mortale, ratione *materiae coalescentis*. « Advertendum, inquit *S. Alphonsus*, materias parvas reiteratas, tunc constituere materiam gravem, cum ex se, aut saltem moraliter in se coalescunt; ut sunt furtula, parvae omissiones in officio, in missa, aut comestiones modicae in jejunio *eodem die* repetitae (V, 56, 2°; H. Ap., III, 67).

2° Non peccat mortaliter, per se loquendo, quilibet christianus qui sola mortalia vult vitare, quin de omittendis venialibus quidquam curet; ratio est, quia hujusmodi propositum remote tantum conducit ad mortale; secus vero, si adsit contemptus, vel periculum proximum labendi in mortale, habito respectu ad praeteritam experientiam (IV, 12). Quoad *religiosos*, cfr. n. 2154.

3° Non peccat aliquis graviter, ratione nimii affectus, eo quod valde intensive et vehementer fertur in rem creatam; sed requiritur, ut appretiative illud objectum ita aestimet, saltem virtualiter, ut actu paratus sit, ejus causa, transgredi praeceptum obligans sub mortali. — Dicimus *actu paratus;* quia non imputatur ei ad culpam id, quod habitu tantum est dispositus committere (V, 60).

4° Confessarius non satisfacit muneri suo, si nullam curam habet, ut poenitentem a frequentia peccatorum venialium, eorum praesertim, quae plena cum advertentia committuntur, removeat. Ratio est, quia qui *omnem curam* vitandi venialia abjicit, is *sensim* in mortalia incidet (cfr. n. 344, 5°).

Scholium.

De effectibus peccati venialis.

344. — Peccatum veniale multos, hosque calamitosos, effectus parit (*Lancicius*, de Fuga pecc. ven., l. I). — Praecipui sunt sequentes:

1° Offendit Deum. — « Illum non gravi quidem injuria afficit, inquit *S. Alphonsus*, sed tamen aliqua injuria. Non est grave malum, ut est lethale peccatum, sed omnibus aliis malis, quae creaturis accidere possunt, majus est malum » (Inst. cat., Introd., n. 9).

2° Inducit reatum poenae (per se temporalis), subeundae in hac vel in altera vita. — Diximus *per se temporalis;* sentit enim Angelicus (1. 2, q. 87, a. 5, ad 3), quod licet veniale, cum a Deo non separet, non mereatur poenam aeternam; potest tamen per accidens, sive ratione irremissibilitatis, in aeternum puniri, si reperiatur in damnatis non remissum quoad culpam.

3° Impedit gratias speciales, et reddit hominem indignum peculiari illo Dei affectu, quo ipse prosequi solet justos, juxta illud (*Matth.*, 7, 2): *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

4° Minuit timorem Dei, et animi teporem adauget. — Directe tamen non minuit caritatem aut alias virtutes infusas, sed minuit fervorem caritatis.

5° Disponit ad peccatum mortale. — Id constat: *a*) Ex *Eccli.*, 19, 1: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* — *b*) Ex praxi quotidiana. — Disponit autem tum *negative*, diminuendo divinae caritatis fervorem, peccati horrorem, fidei alacritatem, ac divinam gratiam; tum *positive*, augendo voluntatis ad malum inclinationem, quo fit, ut tandem homo in mortale proruat (Selva, P. I, c. 5).

Quaeritur. *Utrum peccatum veniale causet* maculam *in anima?*

Respondet *D. Thomas* (1. 2, q. 89, a. 1): « Sicut in corpore est duplex nitor, unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum et coloris, alius autem ex exteriori claritate superveniente: ita etiam in anima est duplex nitor. Unus quidem *habitualis* quasi intrinsecus, alius autem *actualis* quasi exterior fulgor.

Digitized by Google

Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem... Unde, proprie loquendo, peccatum veniale non causat maculam in anima. Et si alicubi dicatur maculam inducere, hoc est secundum quid, in quantum impedit nitorem, qui est ex actibus virtutum ».

CAPUT IV.

De peccatis internis.

S. Alphonsus, V, 12; ed. G., II, p. 720; H. Ap., III, 47; *Vind. Alph.*, P. 2, q. 2; *Aertnys*, I, n. 236; *Lehmkuhl*, I, n. 353; *Ami du Cl.*, 1912, p. 1025.

345. — Peccata interna, qua talia, sunt omnes actus mali a voluntate eliciti, et deliberate voliti, qui *in mente* perficiuntur. — De his monet Tridentina Synodus (Sess. XIV, c. 5), « quod nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis, quae in manifesto admittuntur ». Ratio est, quia facilius perpetrantur, minus curantur, et praesertim in articulo mortis, animam periculo damnationis exponunt (Inst. cat., P. I, c. 6, n. 4).

Peccata interna reducuntur ad triplicem classem: 1° ad *desiderium* et *propositum*, quae respiciunt tempus *futurum*; — 2° ad *gaudium* seu *complacentiam*, quae spectant ad tempus *praeteritum*; — 3° ad *delectationem*, quae se refert ad tempus *praesens*.

ARTICULUS I.

De pravis desideriis et propositis.

346. — Definitio. Desiderium, non prout passio, sed prout est affectus animi, definitur: Actus appetitus rationalis tendentis in bonum absens. — Prout hic sumitur, i. e. tanquam peccatum, est actus voluntatis, quo quis deliberate cupit opus malum opere complere.

Divisio. *Desiderium*, respectu exsecutionis, dicitur: 1° *inefficax* (seu conditionatum), quod quis consentit exsequi, *si posset*; quod stat ergo sine proposito et vocatur *velleitas*, v. gr. si dicat: si possem furari thesaurum ecclesiae, furarer; — 2° *efficax* (seu absolutum), si consentit exsequi, cum praevisione vel saltem spe operis perficiendi, et sic elicitur propositum, v. gr. si quis media excogitat ad inimicum interficiendum (V, 15; H. Ap., III, 47). — *Propositum* est actus, quo voluntas determinate vult et statuit opus perficere.

347. — Principia. I. **Quodvis desiderium, etiam inefficax, vel propositum, circa rem aut actionem malam, est peccatum.** Constat tum ex praecepto: « Non concupisces », tum ex ratione, quia malum appetere certe repugnat naturae rationali, et ordinationi divinae (recole dicta n. 316).

Digitized by Google

348. — II. Desiderium, vel propositum pravum, includit eamdem malitiam ac speciem, quae operi concupito insunt. Constat ex *Matth.* (5, 28): *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Ratio est, quia actus internus desiderii habet suam bonitatem et malitiam ab actu externo, tanquam objecto, equidem simpliciter, i. e. prout concrete existit (V, 12; H. Ap., III, 48). Cfr. n. 312.

Hinc: 1° Bene examinandum est, an ille qui pravum desiderium admisit, omnes malitias, quae objecto insunt, apprehenderit, vel sólum ad talem aut talem animadverterit.

2° Poenitens, qui elicuit desiderium etiam inefficax furandi, debet explicare, an fuerit de re gravi. Item, qui mulierem turpiter concupivit, debet dicere, an sit consanguinea, vel affinis, etc.; quia tales circumstantiae (nisi a peccante invincibiliter ignorentur) novam peccato addunt malitiam. — Quinimo, EXPEDIT in confessione audienda intelligere, fueritne (an non) desiderium *efficax* verumque *propositum* peccatum externum perpetrandi, ut occasiones fugiendae, remedia adhibenda melius cognoscantur.

349. — Quaesita. QUAER. 1° *An peccet graviter qui optat aliquod objectum graviter malum sub conditione:* SI LICERET?

Resp. Regulariter *negative,* cum conditio apposita auferat de facto operis malitiam, quia tunc desiderium fertur in objectum malitia denudatum.

Dico *regulariter,* quia *id certum est:*

1° In iis, quae solo jure positivo vetita sunt; v. gr. si quis dicat: comederem carnes feria VI^a^, si Ecclesia non vetuisset; vel: optarem ne esset hodie prohibitus esus carnium, ut illis vesci possem; — 2° in iis vetitis jure naturali, quae in aliquo casu et statu licita sunt: v. gr. inimicum occiderem, si Deus mandaret; uxorem ducerem, si sacerdos non essem.

Id etiam *sat probabile est,* si agatur de iis in quibus malitia sejungi nequit ab objecto, quia et tunc etiam aufertur malitia, dum voluntas exoptando sub conditione quam scit verificari non posse, *non vere optat,* sed potius naturalem propensionem ostendit. — Ceterum istiusmodi desideria communiter sunt periculosa, aut saltem otiosa.

At vero desiderare ut *intrinsece mala sint licita* est grave peccatum, nam est optare ordinis naturae inversionem. Item grave est peccatum, si apposita conditio objecti malitiam non respiciat, sed poenam vel aliud; v. gr. fornicarer, si non esset infernus; inimicum occiderem, si sacerdos non essem (V, 13; H. Ap., III, 50).

QUAER. 2° *An liceat malum temporale proximo optare,* AB BONUM FINEM?

Resp. 1° Licet, si *caritatis ordo* servetur, ita nempe, ut malum temporale optetur ad *bonum majus.* Ita *S. Alphonsus* (V, 21) cum D. Thoma, et aliis communiter.

Hinc, licet malum temporale desiderare proximo: *a*) ob ipsius proximi bonum spirituale; — *b*) ob bonum commune, sive spirituale, sive temporale; — *c*) ob

Digitized by Google

bonum etiam tertii innocentis, modo sit majoris momenti. — Sic, v. gr., licet optare mortem haeresiarchae, vel publicae pacis perturbatori, ob bonum commune et multorum, juxta illud (*Gal.*, 5, 12): *Utinam abscindantur qui vos conturbant.* Item, licet *tristari* de eo, quod dignitates conferuntur indignis; vel de sanitate ejus, qui ex illa sumit occasionem peccandi. Item, licet egestatem, morbum, aliamve adversitatem optare scelerato, ut resipiscat. — Hujusmodi tamen desideria aliquando non vacant periculo. Cfr. II, 30; H. Ap., III, 63.

Resp. 2° Non licet in ceteris casibus, ubi nempe bonum intentum *non superat* vel saltem *adaequat* malum, quod proximo optatur.

Quare, illicitum est uxori desiderare mortem mariti, ex eo quod male ab eo tractatur; et matri mortem filiae, quae ob deformitatem vel inopiam, spe caret honeste nubendi. — Quod haec hisque similia non liceant, constat etiam ex damnatione propositionum 13ae et 14ae ab Innocentio XI facta, quarum *prior* sic sonat: « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum »; *posterior* vero: « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas » (V, 22) [1].

ARTICULUS II.

De complacentia et gaudio.

350. — Definitio. Complacentia est actus seu affectus voluntatis in aliqua re sese delectantis. — *Gaudium,* in genere, est appetitus complacentia in bono jam adepto, vel ut sic apprehenso. Prout hic sumitur, est deliberata complacentia voluntatis de opere malo, sive a se, sive ab aliis peracto (V, 15).

Huc etiam revocari possunt: 1° jactantia de peccato commisso; — 2° dolor seu displicentia de malo non patrato, vel impossibili; — 3° tristitia de bono peracto.

351. — Principia. I. **Gaudium de malo patrato peccatum est.** Tale enim gaudium includit mali approbationem. Idem dicendum de displicentia ob malum non patratum, v. gr. ob furtum omissum.

Tristitia vero de bono peracto non semper peccatum est, si nempe causa adsit, quae poenitentiam cohonestet, v. gr. post aliquod votum non satis considerate emissum. Si vero nulla adsit causa cohonestans poenitentiam, *venialiter* peccaret, qui tristaretur de actu bono, ad quem non tenebatur; haec enim tristitia foret contra rationem, cum tristitiae proprium objectum sit res mala; peccaret autem *mortaliter,* si tristaretur de opere bono, ad quod ex gravi obligatione tenebatur (*Sanchez,* Decal., l. 4, c. 12, n. 2).

[1] Propositionem 13am Cajetanus, Oviedo, Mendo, Palaus, 14am Oviedo docuisse videntur (*Viva,* Th. damn. in h. prop.).

Digitized by Google

352. — II. Gaudium de malo peracto comprehendit totam malitiam operis, et omnes ejus species. Ratio est, quia gaudium seu complacentia in opere jam patrato, necessario, sicut et desiderium, complectitur actum peccaminosum, *qualis in se exsistit,* suis nempe circumstantiis vestitum. Ergo etiam harum moralitatem induit, non secus ac desiderium pravum.

Hinc: 1° Qui in peccatorum praeteritorum recordatione *sibi complacet,* eaque approbat, in confessione explicare debet, tum hujus complacentiae objectum, tum ejus circumstantias speciem mutantes, si quae adsint. — 2° Item, « qui se *jactat* de peccato gravi a se vere patrato, debet explicare in confessione etiam speciem peccati; quia tunc communiter jactantiae additur complacentia de peccato facto, quae sumit eamdem speciem peccati. Secus autem si jactantia sit de peccato ficto » (V, 26; H. Ap., III, 48).

353. — Quaesita. QUAER. 1° *An liceat gaudere de* OPERE MALO, OB EFFECTUM BONUM *ex eo secutum?*

Resp. 1° Si opus est *formaliter* malum, nempe cum peccato patratum, certum est apud omnes non licere delectari de illo.

2° Si autem est tantum *materialiter* malum, quia accidit sine peccato, v. gr. homicidium in ebrietate commissum, non desunt AA. qui admittunt, posse voluntatem delectari de illo, uti de causa boni effectus. — At vero *S. Alphonsus* (V, 20; H. Ap., III, 52) cum multis aliis dicit ut verius tenendum: talem delectationem semper esse illicitam; quia licet actio non fuerit formaliter peccaminosa, fuit tamen objective mala. Si quis ergo delectatur non de solo effectu, sed *de ipsa re mala,* ut de causa boni effectus, objectum directum suae delectationis est res objective mala; ideoque peccat.

Habes ideo inter damnatas ab Innocentio XI propositionem 15am, quae sic sonat: « Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas »[1]. — Hinc peccant saltem leviter (*Lehmkuhl,* I, n. 358), qui delectantur de omissione Horarum, vel esu carnium, aut jejunii fractione, etsi ex inadvertentia vel ex ignorantia haec evenerint (H. Ap., III, 54; cfr. *Vind. Alph.,* P. II, q. 2).

QUAER. 2° *An liceat de operis mali* BONO EFFECTU *gaudere?*

Resp. Licet, per se loquendo; quia tunc voluntas non fertur in objectum malum. — Dicimus *per se loquendo,* i. e. secluso periculo gaudendi de ipso opere malo; tale enim periculum vitare tenemur (cfr. n. 374).

Hinc: 1° Licet delectari de exoneratione secuta ex pollutione, sive accidentali, sive voluntaria; modo absit periculum se delectandi de ipsa pollutione, quae, semper ac objective mala est, displicere debet, etiamsi inculpabiliter in somno, per tactus vel turpe somnium, habita fuerit. — 2° Non peccat filius, qui gaudet de consecutione haereditatis ob homicidium; nec mulier, quae delectatur

[1] *Salas* (P. II, tr. 3, disp. 6, sect. 28, n. 29) hujus sententiae auctor esse videtur. Ista doctrina ex prop. 13a, n. 349 memorata, effluit.

Digitized by Google

de lucro ex inhonesto quaestu sibi comparato; modo in his, vel similibus casibus, semper odio habeatur ipsa causa (V, 20).

QUAER. 3° *An liceat gaudere seu delectari* DE MODO NON MALO, *quo actio mala peracta fuerit?*

Resp. Licet, *per se,* quia, cum modus actionis in se non fuerit malus, delectatio non est de objecto malo. Ita, sine peccato, saepe nos delectant fabulae, comoediae, bella, homicidia, fraudes, furta, rixae, etc. (V, 18).

Dictum est *per se,* quia ratione periculi, potest esse illicitum. Sic facile in periculum de re mala se oblectandi deveniunt, qui, v. gr., frequenter et libenter audiunt facta quaedam turpia, in quorum narratione sola ratio ingeniosa, qua peracta fuerunt, placere videtur. Si enim de actionibus honestis, etiam modo ingenioso peractis, sermo haberetur, hujusmodi homines, plerumque, multo minorem delectationem perciperent (Praxis, n. 40).

Nota. Quae supra (n. 349) de licito desiderii objecto dicta fuerunt, dici etiam possunt de *gaudio* et de *complacentia.* Nam quae fas est desiderare, de his pariter fas est gaudere.

ARTICULUS III.

De delectatione morosa.

354. — DEFINITIO. Delectatio, generatim sumpta, est quies appetitus in bono possesso, i. e. apprehenso seu habito; et potest inesse tum appetitui sensitivo, tum intellectivo.

Delectatio morosa (seu cogitatio prava proprie dicta) continet duplex elementum: *cogitationem* qua actus peccati praesens redditur, et *complacentiam* voluntatis, qua de illo oblectatur ac si tunc ipsum exsequeretur, sine intentione tamen exsequendi (V, 15).

Dicitur *morosa,* non quidem a temporis mora, cum etiam uno temporis puncto possit compleri omne peccatum internum, sed ob *moram deliberatam,* quam voluntas in ea facit.

Objectum hujus delectationis et harum cogitationum est saepius quid in se illicitum, v. gr. homicidium, fornicatio et similia; potest esse etiam objectum a lege positiva prohibitum, v. gr. esus carnium die jeiunii, modo in illud feratur voluntas sub ratione prohibitionis. Lex enim, quoad haec, solum prohibet actionem externam.

Vocatur *cogitatio prava* proprie dicta, i. e. peccaminosa, quia voluntas, dum huic resistere debuisset, in ea sistit. Non igitur confundenda est cogitatio prava cum *cogitatione de re prava,* quae cogitatio potest esse licita. Cfr. *Ami du Cl.,* 1912, p. 1025. Vide n. 357.

355. — PRINCIPIA. I. **Delectatio morosa est peccatum.** Rectae enim rationi et legi divinae repugnat, ut quis gratum habeat, quod Deo displicet. Hinc illud (*Osee,* 9, 10): *Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt;* et (*Prov.,* 15, 26): *Abominatio Domini, cogitationes malae.*

Digitized by Google

356. — II. Delectatio morosa accipit speciem theologicam et moralem ex objecto quod per imaginationem phantasiae quis sibi reddit praesens. Ratio est, quia quisquis delectatur de actu peccati, illud sumit *ut objectum,* illud approbat, eique affectu suo adhaeret prout praesens redditur. Ergo, cum moralitas specificetur ex objecto, pro gradu ac specie malitiae objecti, mala quoque erit ejusdem delectatio. Ita *S. Thomas* (1. 2, q. 74, n. 8) et *S. Alphonsus* (V, n. 12). Vide dicta n. 347, 348.

357. — Corollaria. 1° Speculative loquendo, valde probabile est, delectationem morosam non induere necessario malitiam specificam *omnium circumstantiarum* objecti. Ratio est, quia simplex delectatio non tendit in objectum ut positum, vel ponendum, sed in eo quiescit ut repraesentato per intellectum. Porro, intellectus abstrahit ab aliis objecti proprietatibus, praeter illam quae delectationem movet. Sic, v. gr., si quis delectatur de copula cum conjugata, non ut conjugata sed tantum ut pulchra, non committit adulterium, siquidem adulterii circumstantia non movet delectationem.

Nota. Practice vero rem considerando, opposita sententia valde placet S. Alphonso, casu nempe quo delectatio est de aliquo actu libidinoso, cum persona determinata. Tunc enim, ob humanae naturae corruptionem, adest proximum periculum concupiscendi seu desiderandi, saltem inefficaciter, objectum ipsum determinatum, praesertim si est *inordinate dilectum;* et ideo hujus circumstantiae in confessione explicandae sunt. — Secus autem esset, si ex rei natura, vel ex praeterita experientia, vel ex indole personae, tale periculum censeatur non esse proximum (V, 15; H. Ap., III, 48). Cfr. n. 1820.

2° Licet per se delectari de *cogitatione,* vel de *cognitione* rei malae. Dicimus: *per se,* i. e. seclusis pravo affectu et periculo delectationis de ipsa re mala. Cognitio enim mali non est per se mala, ideoque potest esse objectum voluntatis, nisi sit aliunde prohibita, seu illicita.

Delectatio igitur quae habetur, non de opere malo, sed de cogitatione *speculativa* seu *scientifica* objecti mali, potest esse: vel 1° *bona,* si adsit justa causa cogitandi, v. gr. causa studii, consultationis, etc., cum abominatione objecti; — vel 2° *venialiter mala,* si fiat ex curiositate, etc., cum periculo tantum remoto; — vel 3° *graviter mala,* si cum agitur de opere graviter malo, adsit periculum proximum consentiendi in delectationem (V, 17; H. Ap., III, 49).

Porro, PERICULUM se delectandi de ipsa re mala, *practice* dimetiendum est: *a*) ex modo cogitandi; — *b*) ex qualitate personae cogitantis; — *c*) ex materia cogitata; — *d*) ex causa ob quam cogitatur. — Sic, v. gr., si quis librum minus honestum legat, consideranda sunt: *modus,* quo legit, v. gr. avide; qualitas *legentis,* ad venerem forte proclivis; *liber,* qui legitur, ex professo forsan obscenus; *causa* legendi, utrum nempe sufficiens sit, ut ineatur periculum probabile delectationis de ipsa re mala (*Kon.,* n. 233).

3° *Sponsis* et *viduis* non licet, secundum veriorem sententiam, delectatio de opere conjugii futuro, vel praeterito, etiam secluso periculo delectationis sensitivae. — « Ratio est, quia delectatio reddit sibi objectum

Digitized by Google

praesens; et ideo semper ac objectum praesens hic et nunc est malum, cum absit hic et nunc conditio cohonestans matrimonii, mala etiam est omnis actualis delectatio de illo » (V, 24; H. Ap., III, 51).

« Aliud dicendum de *desiderio,* quo sponsus vult copulam futuram: hoc enim licet, quia, cum voluntas fertur in objectum futurum, potest illud desiderare sub conditione, qua objectum licitum erit. — At quia in tali desiderio adest etiam periculum delectationis, idcirco *valde hortandi* sunt sponsi, ut sedulo a se avertant hujusmodi turpes cogitationes ». De Conjugatis, confer n. 2111, 2°.

358. — *Regulae practicae.* Confessarius, ut de peccaminosis cogitationibus recte judicet, rite attendat ad sequentia:

1° Ne tempus per interrogationes sibi et poenitenti molestas, vel etiam periculosas inutiliter terat, non inquirat de cogitationum specie vel numero, nisi *de consensu* sibi prius constiterit. — Quare interroget primo poenitentem, an adverterit hujusmodi cogitationes esse peccata. Quod si poenitens respondet, se eas detestatum esse, statim ac eas turpes esse cognovit, judicandus est a peccato prorsus immunis. — Si respondeat, se per aliquod tempus *confusam* quidem habuisse de earum malitia cognitionem, sed non perfecte ad eam attendisse, facile a gravi peccato excusandus est, non tamen a veniali.

2° Quod si poenitens ab his interrogationibus *se expedire non valeat,* ordinarie praesumendum est eum non consensisse, vel saltem plenum ipsi defuisse consensum, vel perfectam advertentiam, maxime si timoratae sit conscientiae. — Contra, qui peccatis assuetus est, eaque parum timet, in dubio praesumendus est consensisse (*Kon.*, n. 235). — Recole dicta n. 337, q. 3.

CAPUT V.

De peccatis capitalibus.

S. *Thomas,* 1. 2, q. 84, a. 2 seqq.; de Malo, q. 8 seqq.; *S. Alphonsus,* V, n. 65; ed. G., II, p. 752; *S. Bonaventura,* Breviloq., P. III, c. 9; *Natalis Alexander,* de Peccatis (*Migne,* Curs. Theol., XI, 707 seqq.; *Cathrein,* Phil. mor., 134; *Tanquerey,* 1, n. 510.

359. — Peccata, seu *vitia capitalia,* sic nuncupantur, non quod sint maxima (graviora enim sunt peccata in Spiritum Sanctum, et contra virtutes theologicas), sed quod habent quemdam universalem influxum in omnia peccata, et sunt aliorum vitiorum quasi radices et causae, non quidem physicae, aut morales, sed impulsivae et occasionales; per *ignorantiam* scilicet, *concupiscentiam,* vel *malitiam,* quam in animam inducunt.

Plura peccata capitalia, per se, sunt tantum venialia, sed causa mortalium saepe fiunt; quo casu, sola haec mortalia sunt in confessione necessario declaranda.

Convenienter SEPTEM peccata capitalia numerantur, videlicet: *superbia, avaritia, gula, luxuria, invidia, ira, acedia.* — Etenim voluntas, cum a recto ordine discedit, vel appetit quod non est appetendum, vel refugit quod non

Digitized by Google

est refugiendum. — Jamvero: 1° Si, quod non est appetendum, appetimus, apparens illud bonum, aut est intra nos, propria nimirum excellentia, et hanc affectat *superbia;* aut est extra nos, nempe opes seu divitiae, et has concupiscit *avaritia;* aut est infra nos, videlicet delectabile ad conservationem individui, i. e. alimentum, et hoc appetit *gula;* vel delectabile ad conservationem speciei, i. e. res venereae, et has appetit *luxuria.* — 2° Quod si voluntas refugit quod non est refugiendum, id triplici modo fieri potest, nempe: vel animum acerbat bonum alterius, quo in casu enascitur *invidia;* vel eum irritat renisus alterius, et tunc oritur *ira;* vel eum deterret *labor,* atque inde provenit *acedia* (*S. Bonav.,* l. c.).

1. *De superbia.*

360. — Definitio. Superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae.

Dicitur 1° *appetitus,* i. e. desideriu.n et amor complacentiae; — 2° *inordinatus:* tres, in hoc defectu ordinis debiti, distinguuntur gradus: primus, quo quis vult eminere supra modum inter *aequales;* secundus, quo quis despicit *aequales* vel *inferiores;* tertius, quo quis propter excellentiam suam despicit *superiores;* — 3° *propriae excellentiae,* non alienae. Unde si mater nimium appetat excellentiam filiae, sine respectu ad seipsam, non est proprie superbia, sed aliud vitium superbiae affine.

Nota. Superbia quandoque non numeratur inter vitia capitalia, quia *ordine intentionis* est initium omnium vitiorum.

Divisio. Superbia est perfecta vel imperfecta.

1° *Perfecta,* seu *consummata,* quando quis ita excellere appetit, ut Deo, Superioribus eorumque legibus subjici nolit. — 2° *Imperfecta,* quando quis, salva debita subjectione, sistit in nimia sui ipsius aestimatione et complacentia (V, 65).

361. — Principia. I. **Superbia perfecta est peccatum mortale, et quidem ex toto genere suo.** Ratio est, quia directe et absolute repugnat caritati erga Deum, qui per superbiam contemnitur. Unde Apostolus dicit (*Rom.,* 1, 32), de superbis et elatis: *Qui talia agunt, digni sunt morte* (cfr. *S. Thom.,* 2. 2, q. 162, a. 6).

II. **Superbia imperfecta est de genere suo venialis.** Ratio est, quia sine Dei et aliorum despectu, plus justo se efferre, non est gravis inordinatio. — « Esset tamen gravis, si fieret cum notabili aliorum contemptu, sumendo complacentiam ex aliorum abjectione » (V, 65).

Filiae *superbiae* sunt tres:

1° Praesumptio, quae est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. — Est communiter peccatum veniale tantum; fit tamen mortale, si damnum tertio afferat.

2° Ambitio, quae est inordinatus appetitus dignitatis et honoris non debiti, vel debito majoris. — Est etiam per se peccatum veniale; fit autem mortale ratione medii adhibiti, vel ratione damni proximo illati.

3° Vana gloria, scilicet cupiditas inanis gloriae, cujus finis est manifestatio inordinata propriae excellentiae, sive verae, sive fictae. — Et ipsa est per se peccatum veniale; mortale saepe fit per accidens, ut dictum est de ambitione.

Digitized by Google

Porro per VANAM GLORIAM dupliciter peccatur:

1° « DIRECTE, idque : *a*) vel per verba, estque *jactantia,* quae est venialis *per se*; — *b*) vel per facta, quae si vera sunt et aliquid admirationis habent, dicitur *inventio novitatum;* mortalis est, si notabiliter corrumpat juventutem vel mores. Si vero facta falsa sint, est *hypocrisis,* v. gr. si quis boni aliquid faciat, ut videatur bonus, etsi non sit ; quae ex se venialis est, nisi sit cum injuria vel contemptu Dei et proximi ».

2° INDIRECTE, in quantum quis altero non vult esse minor. — Quod fit quadrupliciter : *a*) Per intellectum, et est *pertinacia.* — *b*) Per voluntatem, et est *discordia.* — *c*) Per verba, et est *contentio.* — *d*) Per facta, et est *inobedientia.*

« His tribus superbiae filiabus respondet (per defectum magnanimitatis) *pusillanimitas* ». Vide S. Doctorem, V, 65-67).

Superbia generat etiam *curiositatem, ingratitudinem, respectus humanos, judicium temerarium,* etc., de quibus suo loco dicetur.

REMEDIA superbiae sunt : consideratio propriae infirmitatis, vanitatis gloriae humanae, et humilitatis Christi ; dein actus humilitatis, tum externi, tum praesertim interni; demum assidua precatio (Selva, P. II, inst. 6).

2. *De avaritia.*

362. — DEFINITIO. Avaritia est inordinatus appetitus bonorum temporalium, quae et *bona fortunae* dici solent.

Avaritia primum vitium est in *ordine exsecutionis.* Hujus vitii inordinatio non consistit in actuali rerum abundantia, sed in immoderatione affectus, quo quis eas non refert ad finem debitum et honestum, puta ad prospiciendum familiae et auxiliandum proximo. Patet ex dictis *D. Thom.,* 2. 2, q. 118, a. 1.

363. — PRINCIPIUM. **Avaritia est peccatum ex genere suo veniale.** Ratio est, quia excessum quidem importat, sed in re indifferenti ac per se licita, ut sunt divitiae. Ceterum *per se* opponitur tantum *liberalitati,* quae non obligat sub gravi. Dicitur *per se,* quia per accidens potest opponi *justitiae* et *caritati.* Quandoque etiam eo excrescit avaritia, ut ejus causa divinas leges homo praevaricari non dubitet ; tunc fit mortalis (V, 68). Hinc dicitur (*Eccli.,* 10, 9): *Avaro nihil est scelestius.* Et (1. *Cor.,* 6, 10): *Neque fures, neque avari regnum Dei possidebunt.*

Nota. Avaritiae opponitur *prodigalitas,* quae consistit in defectu conservandi, et excessu erogandi. — « Est ex genere suo venialis, levior quam avaritia, quia minus recedit a virtute liberalitatis ». — Potest tamen fieri mortalis, si inde gravia sequantur mala : v. gr. si ideo impotentem te reddas ad debita solvenda; si tuos ad pauperiem redigas; si conviviis et oblectamentis nimis sumptuosis inducas in civitatem moralem necessitatem, ut alii, vires suas excedendo, idem faciant ; si inde, merito, enascatur scandalum, et damnum pauperum ; si bona piis causis obnoxia profundas, etc. (ib., 3°).

FILIAE *avaritiae* sunt : 1° *Inquietudo mentis,* qua ex nimio divitiarum amore a debitis retrahitur officiis ; — 2° *obduratio cordis,* seu *immisericordia ;* — 3° *violentia ;* — 4° *perfidia;* — 5° *proditio* (V, 69).

REMEDIA avaritiae sunt praeter orationem : 1° Meditatio tum celsitudinis caelestium et terrestrium vanitatis; tum exempli Christi Domini ; tum turpi-

Digitized by Google

tudinis, infelicitatis et periculorum hujus vitii; tum mortis, quae omnibus terrenis nos spoliabit. — 2° Eleemosynarum largitio, miserorum visitatio, et in bonorum jactura conformatio ad divinam voluntatem.

3. *De gula.*

364. — DEFINITIO. Gula est inordinatus appetitus cibi et potus. Dicitur *inordinatus,* quatenus homo cibum et potum non ad corporis sustentationem, sed ob solam voluptatem sumit (2. 2, q. 141, a. 6). Cfr. n. 308, q. 1. Licet tamen uti delectatione, ad cibum percipiendum, pro corporis salute.

Gula opponitur *abstinentiae,* et committitur quinque modis: 1° si edas ante tempus; — 2° si nimis exquisita; — 3° si plus justo; — 4° si voraciter; — 5° si nimis exquisite praeparata (V, n. XLIV, et 73).

365. — PRINCIPIUM. **Gula ex genere suo est peccatum veniale.** Ratio, quia est excessus in re per se licita; et nullus ex praefatis quinque modis repugnat praecise caritati Dei, vel proximi.

« Mortalis interim censetur ex accidente, et nimia inordinatione, *in his casibus:* 1° Si quis gulae causa violet jejunia Ecclesiae. — 2° Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas sub mortali tenetur. — 3° Si quis valde graviter valetudini noceat, id advertens; secus, si leviter tantum, ut v. gr. si febricitans haustu aquae morbum augeat. — 4° Si continuae fiant comessationes et compotationes, ita ut venter pro Deo habeatur. — 5° Si quis bibat ad perfectam *ebrietatem* (de qua in V° Praec.). — 6° Si quis, ex mera gula, vescatur *carnibus* aut *sanguine humano;* tum quia id repugnat pietati defunctis debitae, tum quia est contra instinctum naturae abhorrentis. Excusandum autem erit, si fiat causa... v. gr. extremae famis in obsidione: in qua tamen sic vitam conservare non teneberis » (V, 73, 4°).

FILIAE *gulae* quinque numerantur a *S. Gregorio* (Moral., l. 31, c. 45, n. 88): 1° *Hebetudo mentis;* — 2° *inepta laetitia;* — 3° *stultiloquium;* — 4° *scurrilitas;* quae ex genere suo sunt venialia; — 5° *incontinentia: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.,* 5, 18).

REMEDIA: 1° Cavere incitatoria gulae, nec se immiscere gulosis. — 2° Assuescere communibus cibis, aliquoties jejunare, vel saltem in mensa aliquid propriae voluptati subtrahere. — 3° Meditari exempla Christi in cruce sitientis, et miserias, quas secum trahit ingluvies. — 4° Precari Deum ante accessum ad mensam.

366. QUAERITUR. *Quid sit* CRAPULA *et quale peccatum?*

Resp. Stricte dicta est *excessus in cibo, usque ad vomitum.*

De ea *S. Alphonsus* docet: « Comedere vel bibere usque ad vomitum, probabile est esse tantum veniale ex genere suo; nisi adsit scandalum vel notabile nocumentum valetudinis, ut communiter dicunt Holzmann, Salmanticenses, etc. — Qui autem sponte evomunt quod sumpserunt, ut iterum edant aut bibant, vix excusantur a mortali; hoc enim videtur involvere magnam deformitatem. Ita probabiliter (contra Busenbaum) Holzmann et Wigandt » (V, 73, 2°).

Digitized by Google

4. *De luxuria.*

367. — « Luxuria est appetitus inordinatus venereorum. Horum usus ex natura sua institutus est ad conservationem generis humani, quod est magnum bonum hominum et externum Dei; proinde qui abutitur, laedit Deum et homines » (V, 71).

PRINCIPIUM. **Luxuria directa est peccatum mortale ex toto genere suo.** Vide VI^um^ Praeceptum.

« FILIAE *luxuriae,* quae eam plerumque sequuntur, sunt *octo:* quatuor ex parte intellectus, et quatuor ex parte voluntatis ». Ita *S. Thom.,* 2. 2, q. 153, a. 5. Cfr. n. 377.

Ex parte igitur INTELLECTUS filiae luxuriae sunt: 1° *Caecitas mentis;* — 2° *praecipitatio;* — 3° *inconsideratio;* — 4° *inconstantia.* — Hae quatuor fiunt mortales, quando finis ultimus in creatura ponitur, vel praeceptum grave praetermittitur.

Ex parte VOLUNTATIS: 1° *Amor sui;* — 2° *odium Dei:* — 3° *affectus praesentis saeculi;* — 4° *horror futuri saeculi.* — Istae quatuor sunt per se mortales, nisi ex imperfectione actus fiant veniales (V, 71).

REMEDIA *luxuriae* sunt: 1° Fuga occasionum et causarum, i. e. fuga otii, lectionum librorum pravorum, et eorum quos *romanenses* vocant, familiaritatis cum personis diversi sexus, etc.; — 2° oratio continua (*Matth.,* 17, 20); — 3° confessio frequens, et quidem apud eumdem confessarium; quo magis enim status infirmi dignoscitur, eo aptius remedium adhiberi potest; item frequens ac devota Sacrae Eucharistiae susceptio, qua manducatur panis Angelorum, ac bibitur vinum germinans virgines; — 4° memoria novissimorum; — 5° Cultus constans et invocatio frequens B. V. Mariae sine labe conceptae; — 6° custodia sensuum, praecipue oculorum: « oculi vestri, etsi in aliquem jaciantur, figantur in neminem » (*S. Aug.,* Ep., 19); — 7° mortificatio carnis: « libido enim pascitur conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur » (*Scavini,* l. I, n. 803).

5. *De invidia.*

368. — DEFINITIO. Invidia est tristitia de alterius bono, prout illud est diminutivum propriae excellentiae. — Ad eam revocatur *gaudium* de malo alterius, quatenus id nobis bonum reputatur.

PRINCIPIUM. **Invidia est, ex genere suo, peccatum mortale.** Ratio est, quia directe opponitur caritati, cujus proprium est gaudere de bono proximi, et dolere de ipsius malo tanquam nostro. Quare Apostolus peccatum invidiae reponit in genere eorum, quae a regno Dei excludunt (*Gal.,* 5, 21). — Saepe tamen invidia leve peccatum est, vel ob materiae parvitatem, vel ob actus imperfectionem (V, 72).

369. — *Hinc deduces:* 1° Si quis tristetur de bonis proximi, quia ipsi est inimicus, est *odium,* non invidia.

2° Si tristetur de bonis prodigi ea dilapidantis, aut avari ea turpiter recondentis, est *justa indignatio,* non invidia.

Digitized by Google

3° Si tristetur de bonis temporalibus peccatoris, quia illis est indignus, est *zelus inordinatus;* cum omnia juxta divinae Providentiae decreta, quae adorare debemus, eveniant.

4° Si tristetur de bono alterius, v. gr. de adepta potestate, non quia illi bonum est, sed quia inde damnum sibi aut alteri timet, est *justus timor,* qui per se non est peccatum, nisi sit inordinatus, seu immoderatus.

5° Si tristetur de bono alterius, non quia ille bonum possidet, sed quia sibi deest, ita tamen ut minime cupiat alterum illo privari, est *aemulatio;* quae si est circa bonum honestum, est laudabilis; si autem circa temporalia, est interdum venialis, puta, si bonum dolenti sit improportionatum, quale esset, si rusticus doleret, se non esse regem.

6° Si doleat quod alter sibi aequalis in excellentia crescat, et ipsum incrementum excellentiae apprehendat ut sibi malum, est *proprie dicta invidia;* invidus enim dicitur quod non sit videns, qui bona alterius sine tristitia videre non potest. — Sic peccare solent ambitiosi, pusillanimes, mulieres, senes respectu juvenum, et quicumque difficulter obtinuerunt, quod alii facile consequuntur (V, 72; Vera Sposa, c. 12, § 1, n. 9).

Filiae *invidiae* similiter ex genere suo mortales sunt, ac numerantur quatuor scilicet: 1° *odium;* — 2° *detractio;* — 3° *gaudium in malis proximi;* — 4° *susurratio,* quae est oblocutio mala de proximo, ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis (cfr. n. 1192 seqq., 1195 seq.).

Remedium praecipuum: exercitium caritatis erga proximum.

6. *De ira.*

370. — Definitio. Ira, non prout passio sed prout vitium est, dicitur inordinatus appetitus vindictae. — Habitus irae est *iracundia.*

Dicitur *inordinatus;* quia ordinate, i. e. cum debito moderamine et ordine appetere vel sumere mali vindictam, non est peccatum, sed actus rectae rationis et virtutis.

Sic Christus cum ira vendentes ejecit de templo. Sic judex exercet actum virtutis sumens a reo vindictam; pater a filio delinquente; dominus a servo. — Ira igitur est sine vitio, quotiescumque quis irascitur, ut ratio fortius justitiam exsequatur. Imo, multi peccant defectu irae debitae.

Inordinatio autem irae dupliciter fieri potest: 1° Ex parte *objecti,* ut si appetas vindictam injustam, nempe, si non adest causa legitima, aut si major sit ira quam oportet, vel demum si privatim exercetur, quando publice per judicem exercenda esset. — 2° Ex parte *modi,* puta si quis nimis ardenter irascatur interius, vel nimis manifestet signa irae exterius.

371. — Principia. I. **Ira, inordinata ex parte objecti, peccatum est ex genere suo mortale.** Directe enim opponitur caritati, et etiam justitiae. Unde (*Gal.*, 5, 20, 21) dicitur, iram excludere a regno coelorum.

II. **Ira, inordinata tantum ex parte modi, peccatum est ex genere suo veniale.** Est enim excessus in re licita. — Potest tamen fieri mortale per accidens, ut si addatur blasphemia, maledictio, scandalum.

Motus autem irae, sub influxu passionis, saepe sunt subitanei, ideoque imperfecte deliberati, vel etiam indeliberati; quo ex capite ira (utriusque generis) requenter est veniale, vel nullum peccatum (V, 79, 80).

Digitized by Google

Filiae *irae* sunt: 1° in *corde*, indignatio et tumor mentis; — 2° in *ore*, clamor, blasphemia, contumelia, maledictio; — 3° in *opere*, rixa, pugna, seditiones, vulnera. Vide *S. Alph.*, V, 80-83.

De his, sive in V°, sive in VIII° Praecepto sermo redibit.

Remedia: Consideratio malorum irae, mansuetudinis Christi; precatio, praesertim in motu irae.

7. *De acedia.*

372. — Definitio Acedia, in genere, idem sonat ac desidia seu pigritia, et est torpor animi in virtutum exercitio, ob laborem ei adjunctum. — Acedia, *stricte sumpta*, est tristitia ac taedium de divina amicitia, eo quod per virtutum exercitia laboriosa servari debeat; et sic amicitiam illam non curat (V, 84).

Principia. I. **Acedia, in sensu lato sumpta, est peccatum per se veniale, sed disponens proxime ad mortale.** Tepidus enim est oneri Deo, non secus ac homini cibus vomitu mox rejiciendus, juxta illud (*Apoc.*, 3, 16): *Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo;* et illud *D. Augustini* (ap. *S. Alph.*, Selva, P. I, c. 5, n. 9): « Deus negligentes deserere consuevit ».

Acedia autem est per accidens peccatum mortale, quando omittitur praeceptum obligans sub gravi, v. gr. auditio missae die festo, recitatio breviarii, etc., sed constituit unum peccatum cum ipsa omissione (n. 322, q. 2, *Hinc*, *b*). Cfr. *Ami du Cl.*, 1898, p. 1084, ubi de lege laboris.

II. **Acedia, sensu stricto accepta, est peccatum ex genere suo mortale.** Ratio: caritati Dei plane repugnat; cum per eam parvipendatur amicitia divina et aeterna beatitudo. Hinc illud (1. *Cor.*, 7, 10): *Tristitia saeculi mortem operatur* (cfr. V, 84, 2°).

Filiae *acediae* sunt, teste *B. Gregorio* (Moral., l. 8, c. 5-6), sequentes:

1° *Malitia*, seu odium bonorum spiritualium; — 2° *rancor*, quo ii fastidio sunt qui hortantur ad spiritualia; — 3° *pusillanimitas* erga omnia bona spiritualia, ea ut ardua fugiendo; — 4° *desperatio de salute*; — 5° *torpor*, cum bona fiunt non cum debito fervore; — 6° *evagatio mentis*, qua quis in exercitio spiritualium evagatur circa illicita. Haec est peccatum mortale, si mens voluntarie adhaeret graviter illicitis, vel retrahitur ab attentione sub gravi requisita, v. gr. in celebranda missa; secus est veniale (cfr. n. 549, 2°).

Remedia acediae sunt: frequens confessio, piae lectiones ac meditationes, et praesertim Exercitia spiritualia in totali recessu peragenda.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De periculo peccandi.

S. Alphonsus, V, 63; VI, 452-453; H. Ap., tr. III, n. 69et tr. ult. n. 2; *Croix*, l. V, n. 257; *Aertnys*, I, 232; VI, 299, 300; *Lehmkuhl*, II, n. 617; *Berardi*, Prax. Conf.; de Recidivis et Occas.; *Gury-Ferreres*, II, n. 628; *Konings*, n. 1429; *Instr. past. Eystettensis*, ed. V, n. 331; *Card. G. Van Rossum*, Commentarius de Judicio Sacramentali, a. 2-3.

373. — DEFINITIO. Periculum est imminentis mali verisimilitudo. — Peccati igitur periculum dici potest id omne, quod ad peccatum disponit vel impellit, v. gr. gravis tentatio, pravus habitus, externa occasio.

DIVISIO. Periculum peccati potest esse:

1° Ratione causae, intrinsecum, vel extrinsecum. — Est *intrinsecum*, si provenit a causa interna, v. gr. a mala dispositione subjecti; *extrinsecum*, si provenit a causa externa, v. gr. a circumstantia alliciente ad peccatum.

2° Ratione conjunctionis cum lapsu, proximum, vel remotum. — Est *proximum*, si frequenter cum peccato conjungitur, seu si lapsus est multum probabilis; « tunc, ut ait *S. Alphonsus* (H. Ap., tr. III, n. 69), licet lapsus sit incertus, certum tamen est periculum »; a. v. causalis connexio cum peccato est moraliter certa, licet eventus peccati sit probabilis, seu incertus, quia de contingentibus liberis plus haberi nequit. — Est *remotum*, si raro secum peccatum trahit, seu si lapsus est parum probabilis. — Utrumque aestimatur vel ex communiter contingentibus, vel ex peculiaribus circumstantiis, in quibus subjectum versatur (cfr. n. 357, 2°).

Periculum PROXIMUM est tale, vel per se, vel per accidens. — Est proximum PER SE, seu *absolute*, si frequenter ex ipsa sua natura in peccatum inducit, ita nimirum, ut in eo constituti homines, communiter, ut plurimum peccent. — Est proximum PER ACCIDENS seu *respective*, si ipsi, pro varia hominum conditione, convenit, respectu unius habere, et respectu alterius non habere frequentem connexionem cum peccato. Haec porro connexio haberi censetur, si quis in eo constitutus, vel frequenter jam est lapsus, vel prudenter timere debet, ne propter suam cognitam fragilitatem sit lapsurus (VI, 452; H. Ap., tr. ult., n. 2).

374. — PRINCIPIA. I. **Proximo peccandi periculo se sponte offerre aut in illo voluntarie permanere, nunquam licet.** Colligitur ex Scriptura (*Eccli.*, 3, 27): *Qui amat periculum, in illo peribit.* Et ratio est: 1° quia qui amat, seu qui, nulla cogente necessitate, vult alicujus mali causam, eo ipso malum, quod cum eo conjungitur, velle censetur; — 2° quia quaevis lex, sicut sui violationem vetat, ita etiam vetat id quod, ex se, ad hanc violationem inducit. Ergo, qui sponte hujusmodi periculum subit, peccat tum contra caritatem erga seipsum, tum contra virtutem, cujus

Digitized by Google

laesionis periculo se exponit, licet reipsa laesio non sequatur. Et in confessione explicanda est *species peccati,* cujus periculum inductum est.

Nec *obstat* dicere, quod in periculo, etiam proximo, lapsus non est certus sed solum probabilis, et aeque probabilis est non lapsus. — Respondetur enim, quod eo casu, quamvis lapsus sit incertus, certum tamen est lapsus periculum, cum istud constituatur in ipsa probabilitate lapsus. Jamvero, si nefas est uti opinione probabili, sine justa causa, cum periculo damni alieni, spiritualis vel temporalis (ut certum est apud omnes), quanto magis, ubi periculum imminet propriae animae (V, 13; VI, 453; H. Ap., tr. III, n. 69). Cfr. n. 83.

375. — II. Ex justa causa, licet proximo periculo peccati se offerre, et in illo permanere; dummodo interponantur cautelae necessariae, quibus avertatur lapsus. « Ratio est, quia periculum de se proximum tunc fit *remotum,* tam ratione circumstantiae necessitatis, quam ratione simul mediorum praecaventium, quae persona proponit (ut tenetur) adhibere, nempe diligenter avertendo animum a delectatione turpi, vel alia passione; et insuper, muniendo se piis cogitationibus, orationibus, ac sacramentorum frequentia. — Quae utique media, licet non sufficiant ad excusandum, ubi deest justa causa, eo quod Deus non adjuvat temere se periculo exponentes; bene tamen opem suam praestat ei, qui ex justa causa occasionem non deserit, dum in eo casu, non ex affectu ad peccatum, sed ex quadam necessitate in illa occasione permanet » (V, 63 p. med.).

Hinc infertur: « 1° Excusantur chirurgi, si periculo se exponunt in medendis feminis, cum aliquoties in praeteritum ob talem occasionem jam lapsi fuerint; sic parochi, qui in excipiendis confessionibus eamdem miseriam fuerint experti; sic etiam excusantur alii, qui proprium officium, puta curialis, militis, cauponis, aut mercatoris, non possunt deserere sine gravi detrimento... Secus vero dicendum de simplicibus confessariis, qui pluries lapsi fuerint in audiendis confessionibus: quia hi tenentur a tali exercitio abstinere, si possint sine gravi detrimento famae, vel facultatum » (ib.).

2° In necessitate extrema proximi, v. gr. si infans certo sit moriturus sine baptismo, non solum *potes,* sed *teneris* illi succurrere cum periculo peccandi per se probabili; quia tunc necessitas efficit, ut periculum evadat remotum; unde si potes, teneris. — « Dicit tamen continuator Tournelii cum Sylvio, quod si periculum sit tale, ut probabilior sit lapsus, tunc nullo modo potes nec debes te illi exponere; quia quisque plus suam, quam aliorum salutem respicere debet. — Sed huic responderi posset, quod in tali casu extremae necessitatis, modo lapsus non sit moraliter certus, licet sit probabilior, teneris te fortius praemunire orationibus et operibus piis, et deinde fidere de majori auxilio Dei: rationabiliter enim tunc esset sperandum fore ut Deus augeat auxilium, ubi major urgebit necessitas » (II, 26; VI, 453).

3° Quando periculum formaliter peccandi est ita proximum, ut cum morali certitudine *praevideatur lapsus,* absolute vitandum est, nec ulla tunc excusat causa; quia nulla potest esse hujusmodi periculo proportionata, cum suprema lex sit animae salus. Hinc illud Domini Salvatoris: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te* (*Matth.,* 5, 29).

Digitized by Google

376. — Quaesita. QUAER. 1° *An teneamur vitare periculum peccandi* LEVE *ac remotum?*

Resp. Dist. 1° Si periculum sit tam leve ac remotum, ut merae peccandi *possibilitati* aequiparari possit, non tenemur illud vitare: *alioquin,* ait Apostolus (1. *Cor.*, 5, 10), *debueratis de hoc mundo exiisse.* Et ratio est, quia periculum hujusmodi, proprie et moraliter loquendo, non est periculum; et qui secus judicaret, temere et imprudenter ageret, ut scrupulosi, qui saepe per vanos suos timores periculum augent.

2° Si periculum sit leve in hoc sensu, quod propter specialem rationem habeatur *tenuis probabilitas* peccandi mortaliter, tenemur illud vitare sub veniali, nisi excuset aliqua necessitas agendi. Et ratio est, quia, deficiente justa causa, tale periculum sine debita cautela adire, non est absque aliqua temeritate et deordinatione. Culpa fieri potest mortalis si, crescente periculo, probabilitas peccandi fiat gravis (III, 484; *Berardi,* de Recid. et Occas., n. 6).

QUAER. 2° *An duo peccata commiserit, qui peccandi periculo se exposuit, ac dein in rem ipsam consensit?*

Resp. Dist. 1° Si periculum, cui se exposuit, fuit *leve* ac *remotum,* et postea in peccatum grave consensit, duo utique peccata commisit: unum nempe, et hoc leve, ponendo causam; alterum vero, et hoc grave, ponendo effectum. — Ratio est, quia secundum peccatum magis novae voluntatis determinationi, quam causae prius positae, adscribi debet.

2° Si vero periculum, cui se exposuit, fuit *proximum,* i. e. si causam graviter influentem posuit, ac dein, perseverante eodem influxu pravo, in effectum devenit, non videtur commisisse duo peccata, nec teneri ad causam confitendam seorsim ab opere completo. Nam primus consensus perseveravit in effectu, i. e. in influxu causae, et fuit ejusdem speciei, ejusdemque gravitatis, ac ipsa consummatio peccati. — Secus vero dicendum, si periculum censetur aliquo tempore cessavisse, aut saltem per actum voluntatis remotum fuisse. — Secus etiam, si quis periculum adiverit per actus *malitia distinctos,* v. gr. per tactus turpes, ac dein, crescente concupiscentia, in pejus lapsus fuerit (cfr. n. 328, Reg. 3ª, I).

SCHOLIUM.

De tentationibus.

377. — TENTATIO, generatim sumpta, est incitamentum ad peccandum, voluntati nostrae propositum, vel a *daemone,* vel a *mundo,* vel a propria nostra *concupiscentia.*

Porro: 1° Daemon plerumque tentat, commovendo nostram phantasiam et nostrum appetitum sensitivum. — 2° Mundus tentat nos, sive per timores quos animae injicit, sive per sensuum illecebras. — 3° Concupiscentia tandem tentat trahendo voluntatis consensum ad illicita. — Est triplex: concupiscentia *carnis,* concupiscentia *oculorum* et *superbia vitae* (1. *Joann.*, 2, 16).

Digitized by Google

Motus concupiscentiae sunt PASSIONES. Hae obnubilant rationem et alliciunt voluntatem, — tum per *distractionem;* — tum per *contrarietatem inclinationis,* quam inducit pars inferior; — tum denique per *immutationem quamdam corporalem,* ex qua ratio quodammodo ligatur, ne libere in actum exeat (1. 2, q. 77, a. 1 et 2).

378. — *Permittit Deus* tentationes, praecipue ob rationes sequentes: 1° Tentationes dant homini cognitionem sui ipsius, eumque docent, tum quantum sibi diffidere debeat, tum quantum confidere debeat Deo; — 2° reddunt eum in Dei servitio magis fervidum; — 3° inducunt in amorem Patriae coelestis, ubi nullae sunt insidiae, nec colluctationes; — 4° efficiunt ut virtutes altiores radices agant; — 5° adaugent merita et futuram gloriam; — 6° erudiunt hominem non solum sibi, sed etiam aliis, etc. (*S. Greg.*, Moral., l. 23, c. 27; *S. Bernard.*, Serm. 64, in Cant.; *S. Alph.*, Vera Sposa, c. 13, § 3).

REMEDIA *adversus tentationes* sunt: 1° *Vigilantia;* unde Christus Dominus: *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate* (*Marc.*, 13, 37). — 2° *Fuga otii:* unde D. Hieronymus: « Diabolus te inveniat semper occupatum ». — 3° *Precatio:* atque hoc est potissimum medium, quo victoria obtineri potest. Unde in tentatione nemo sibi fidat, sed illico ad potentissima nomina Jesu et Mariae recurrat, S. Angelum Custodem invocet, cruce se signet, etc...., nec orare desinat donec amoveatur periculum. — 4° *Cogitatio* de Passione Jesu Christi, vel de poenis inferni, vel de morte, etc...., vel de cruciatu remorsus, quem patitur anima post patratum peccatum, vel etiam de proventu per resistentiam nobis obventuro. — 5° *Fervens actus amoris* erga Deum, cum proposito mortem potius subeundi, quam peccandi (cfr. n. 322 et 367, etc., *Remedia*).

Nota. Expedit, in tentationibus contra *fidem* et *castitatem,* non actibus resistere directe tentationi oppositis, sed animum ad alia divertere, tentatorem contemnere, et elicere potius actus amoris, fiduciae et contritionis (cfr. n. 800). — Si tentationes molestare pergant, expedit (ordinarie loquendo), eas aperire moderatori conscientiae, quia diabolus totus tenebrosus timet lucem. Nemo insolentior latrone, quamdiu latet; et nemo illo timidior, quando manifestatus est; talis diabolus est, ait *S. Gregorius* (ap. *Scavini,* t. I, 718).

Plura vide apud *S. Alphonsum,* Homo Ap., App. II, § 2, ubi suggeruntur motiva, seu remedia, contra varias tentationes, maxime pro moribundis; Regol. di vita comp., n. IX; Pratica di amar G. C., c. ult. et alibi.

Digitized by Google

TRACTATUS V.

De virtutibus

PROOEMIUM.

De notione virtutis.

379. — DEFINITIO. Virtus, in sensu lato, accipitur pro quacumque perfectione, pro illa praesertim, quae in vi seu facultate operandi consistit. — In sensu strictiori, virtus definitur a *S. Augustino* (de lib. Arb., l. 2, c. 19, n. 50): « bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur ». Et ab aliis communiter: *habitus perficiens potentiam rationalem, et ad bonam operationem inclinans.*

Dicitur 1° *Habitus,* id est qualitas seu stabilis dispositio, differens tum a potentia, tum ab actu, inclinans potentiam ad actum, et reddens habilem ad eum.

Unde actus boni, qui non procedunt a virtutis habitu, non sunt, in stricto sensu, actus virtutis, quanquam hujusmodi actibus illius virtutis nomen imponi solet, ex cujus motivo formali eliciuntur.

2° *Perficiens potentiam rationalem.* Nomine potentiae rationalis, hic veniunt etiam potentiae *animae sensitivae,* secundum quod operantur ex imperio rationis (*S. Thom.*, 1. 2, q. 50, a. 3).

3° *Inclinans ad bonam operationem.* Virtus enim non est habitus solummodo dispositivus, ut sanitas, sed etiam et praecipue operativus, inclinans essentialiter potentiam ad bene perfecteque agendum.

Sic distinguitur virtus, tum a *gratia habituali* quae animae essentiam immediate afficit, dans ei esse supernaturale; tum ab illis habitibus, qui se habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum, v. gr. ab *opinionibus,* quae se habent ad verum et ad falsum (1. 2, q. 55, a. 4).

Ex his collige: a) Virtus *perfecta* reddit hominem victorem sui ipsius et invictum ad omnia; vel, ut loquitur *S. Bernardus* (in Cant., serm. 85), est vigor animi omnia ad rationem cogens et dirigens.

b) Virtus, quo est perfectior, eo *facilius* passionum motus refraenat; unde arduitas refraenandi passiones magis imperfectionem virtutis, quam ejus perfectionem denotat. Magis est mensuranda magnitudo virtutis secundum rationem boni, quam secundum rationem difficilis (2. 2, q. 123, a. 12, ad 2).

380. — DIVISIO. Virtutes multipliciter distinguuntur:

1° Ratione objecti, aliae sunt *divinae* seu *theologicae:* hae habent pro objecto immediato Deum, ut auctorem gratiae et gloriae; aliae sunt

Digitized by Google

humanae: hae habent pro objecto immediato bonum, quod humana ratione attingi potest (1. 2, q. 62, a. 1).

2° Ratione subjecti, virtutes humanae dividuntur in intellectuales et morales. — Virtutes *intellectuales* perficiunt intellectum in cognitione veri. Sunt numero quatuor, scilicet: *intelligentia, scientia, sapientia* et *ars.* — Virtutes *morales* perficiunt voluntatem in prosecutione boni. Quatuor pariter numerantur, nimirum: *prudentia* (quae etiam ad virtutes intellectuales pertinet, quia prosequitur bonum honestum, sub ratione veri), *justitia, fortitudo* et *temperantia.* — Ceterae omnes ad has quatuor referuntur (cfr. n. 390).

3° Ratione causae efficientis, virtutes sunt vel *infusae,* quae a Deo immediate in anima producuntur, ut fides, spes, caritas; — vel *acquisitae,* quae scilicet viribus naturae per actuum frequentationem comparantur, ut temperantia, etc.

Virtutes autem infusae aliae dicuntur *per se,* quae nempe a solo Deo haberi possunt; aliae *per accidens,* quae, licet sint humano conatu parabiles, speciali tamen Dei dono quandoque in animam infunduntur. Sed hujusmodi virtus non differt specie ab acquisita (*Polman,* Brev. Theol., 2. 2, n. 20).

4° Ratione perfectionis, virtutes aliae sunt caritate formatae, aliae informes. — Virtus *caritate formata* illa est, quae cum caritate habituali conjungitur. — Virtus dicitur *informis,* quando est in subjecto destituto caritate. Vera tamen est virtus, quamvis non perfecta, v. gr. fides, spes in peccatoribus.

5° Ratione gradus, virtutes sunt communes, vel heroicae. *Communis* dicitur virtus, quae operatur modo ordinario, seu communi. *Heroica,* quae operatur expedite, prompte, delectabiliter, et cum abnegatione sui ipsius, supra communem operandi modum, i. e. impellens ad actum convenientem superiori naturae (*S. Thom.,* 1. 2, q. 54, a. 3, et 3, q. 7, a. 2, ad 2; *Bened. XIV,* de Beatif., l. 3, c. 21, n. 10 et 11).

Praeter virtutes, dantur in anima justa alii quidam habitus, qui vocantur DONA SPIRITUS SANCTI. Haec sunt habitus infusi, quibus homo bene disponitur ad inspirationem divinam prompte recipiendam, et exsequendam (*S. Thom.,* 1. 2, q. 68, a. 1 et 2). Vide *Müller,* Theol. mor., I, § 120.

His de notione virtutis praemissis, breviter agemus: 1° de quibusdam virtutum proprietatibus; — 2° de distinctione specifica virtutum; — 3° de virtutum acquisitione et earum amissione.

Digitized by Google

CAPUT I.

De proprietatibus virtutum.

S. Thomas, 1. 2, q. 55 seqq.; 2. 2, q. 47; *S. Alphonsus*, in Oper. ascet. passim, inprimis Vera Sposa, Prat. d'amar G. C.; *Lessius*, de Jure et Just.; *Schiffini*, de Virt. infusis, disp. 1; *Mazzella*, in eamd. mater.; *Muller*, Theol. mor., 1, § 104 seqq. ubi multa utilia.

Virtutum proprietates, quas hic expendere juvat sunt: mediocritas, connexio et ordo; — de quibus in duobus articulis.

ARTICULUS I.

De mediocritate virtutum.

381. — Virtus dicitur in mediocritate, seu *in medio*, consistere, quatenus, inter excessum et defectum est collocata. Hinc tritum illud: *In medio virtus;* et: *Medium tenuere beati.*

Distinguendum est *medium rei*, quod nempe ex natura rei determinatum est, ac proinde unum est ac invariabile; et *medium rationis*, quod ratio per prudentem aestimationem, attentis loci, temporis et personae circumstantiis, determinat.

382. — PRINCIPIA. I. **Virtutes theologicae non consistunt in medio, per se, et ex parte objecti.** Ratio est, quia contra eas peccari nequit per excessum: siquidem nullus potest nimis Deo credere, nimis in Deum sperare, nimis Eum amare.

Per accidens autem, seu *ratione subjecti*, virtutes theologicae medium habent; quia, licet homo non possit in Deum ferri quantum postulat objecti ratio, debet tamen ferri secundum mensuram suae conditionis. Sic, v. gr., sperare ita debemus, ut spes nostra inter praesumptionem et desperationem sit media (*S. Thom.*, 1. 2, q. 64, a. 4).

383. — II. **Omnes virtutes morales consistunt in medio.** Ratio est, quia istae virtutes versantur circa bonum finitum et moderate prosequendum, de quo dicitur (*Sap.*, 11, 21): *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti:* ideoque, sicut vitium est in hujus boni consectatione deficere, ita et excedere. Sic fortitudo est inter temeritatem et ignaviam: temperantia inter intemperantiam et insensibilitatem, etc. (*S. Thom.*, l. c., a. 1).

Aliter tamen medium tenet justitia, et aliter reliquae virtutes [1]. Etenim: 1° JUSTITIA debet attingere *medium rei*, id est aequalitatem *secundum rem*,

[1] Etiam virtutes *intellectuales* tenent medium rei; res enim est mensura intellectus nostri. Unde *excessus* in his virtutibus est secundum affirmationem falsam, per quam dicitur esse quod non est; *defectus* autem accipitur secundum negationem falsam, quae, quod est, esse negat. Vide *S. Thomam* (l. c., a. 3).

Digitized by Google

ut scilicet tantum reddatur, quantum debetur. — Hinc medium justitiae idem est pro omnibus, nec variare potest: unde si debes 100, debes reddere 100; si 99 tantum reddas, laedis justitiam; si 101 tribuas, erit actus liberalitatis (cfr. n. 398 et 404).

2° Ceterae virtutes morales tenent solum *medium rationis,* juxta aestimationem prudentiae, omnia regulantis et mensurantis. Ratio est, quia versantur circa passiones, in quibus medium non potest eodem modo constitui pro omnibus, sed diversimode, pro qualitate personarum. Sic, v. gr., in temperantia, quod est medium seu rectum pro uno, erit parum vel nimium pro alio; et sic de aliis virtutibus (*S. Thom.*, l. c., a. 2). — Cfr. n. 391.

ARTICULUS II.

De connexione et ordine virtutum.

384. — I. **Connexio** inter virtutes sic se habet:

1° Virtutes *theologicae* ita connectuntur, ut caritas, in statu viae, fidem et spem supponat, non autem e converso. Fides enim generat spem, et spes caritatem. Sed generans prius est generato, et potest esse sine eo. Ergo fides potest esse sine spe, et spes fidesque sine caritate.

2° Virtutes *morales infusae* (item *dona Spiritus Sancti*) inter se connectuntur, *quatenus radicantur in caritate;* nam, sine caritate tales habitus nec acquiri, nec augeri, nec conservari possunt, ut infra videbitur (n. 417). Non autem connectuntur necessario cum virtutibus acquisitis: quia sine his esse possunt, ut patet in parvulis baptizatis; contra, virtutes acquisitae non statim amittuntur, amissis infusis (*S. Thom.*, 1. 2, q. 65, a. 2).

3° Virtutes *morales acquisitae* (quae possunt esse sine fide, spe et caritate) non sunt necessario inter se connexae, si sint imperfectae; secus, si sint perfectae.

Ratio *primi* est, quia virtus imperfecta est instar mobilis dispositionis, quae firmam facultatem vincendi impedimenta non tribuit: unde videmus multos, ex naturali complexione, vel etiam ex aliqua consuetudine, promptos esse ad opera misericordiae, qui tamen non sunt prompti ad opera castitatis. — Ratio *secundi* est, quia virtus perfecta efficit, ut quis, in omni circumstantia, lubenter et sine mora, proprios illius virtutis actus operetur; at nullus est, qui, vel una virtute destitutus, sic se gerat. Hoc facile videri potest, v. gr. in muliere casta, sed avara vel meticulosa; huic enim si ingens pecuniae summa offeratur, vel minae mortis intendantur, haud difficile patietur castitatis detrimentum (*S. Thom.*, l. c., a. 1).

385. — *Nota.* Falsa tamen est opinio Stoicorum, qui negabant ullam esse virtutem, *nisi sit in summo* (*S. Thom.*, 1. 2, q. 66, a. 1). — Hinc: 1° Eadem virtus, etiam perfecta, potest esse inaequalis, seu major et minor, secundum diversa tempora, in eodem homine. — 2° Potest esse inaequalis in diversis hominibus. Ita diversi Sancti de diversis virtutibus praecipue laudantur, sicut Abraham de fide, Moyses de mansuetudine, Job de patientia; imo de quolibet

Digitized by Google

Confessore cantat Ecclesia: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi;* eo quod quilibet habuit praerogativam alicujus virtutis (ib., a. 1, ad 2).

386. — II. **Ordo virtutum** duplex distinguitur: 1° perfectionis seu dignitatis, ratione objecti; — 2° generationis, seu acquisitionis, ratione subjecti.

1° Ordine PERFECTIONIS, primo loco veniunt virtutes *theologicae,* quibus mens humana Deo conjungitur; deinde *dona,* quae perficiunt vires animae, relate ad Spiritum Sanctum moventem ad actus potissimum extraordinarios; postea virtutes *intellectuales,* quae perficiunt rationem secundum se; postremo virtutes *morales,* quae perficiunt voluntatem, vel appetitum sensitivum, in ordine ad rationem.

Similiter, inter virtutes *theologicas,* dignitate prima est caritas, secunda spes, tertia fides. Inter *dona* Spiritus Sancti, primum est sapientia, ultimum timor Dei. — Inter virtutes *mere intellectuales,* primo loco venit sapientia, secundo intelligentia, tertio scientia et ars. — Inter virtutes *morales,* prima prudentia, secunda justitia (ad quam pertinet religio), tertia fortitudo, quarta temperantia.

Humilitas tamen, quae reddit hominem bene subjectum ordinationi rationis quoad omnia, dignitate praecedit alias virtutes morales, quae reddunt hominem huic ordini subjectum, quantum ad aliquam materiam specialem; seu, venit immediate post justitiam legalem, quae hanc ordinationem, a prudentia factam in ipsa ratione, universaliter exsequitur (*S. Thom.*, 2. 2, q. 123, a. 12; q. 141, a. 8; q. 161, a. 5).

2° Ordine GENERATIONIS, virtutes morales et intellectuales praecedunt, aut praecedere possunt, virtutes theologicas et dona Spiritus Sancti; quia per hoc quod homo bene se habet circa rationem propriam, disponitur ad hoc quod se bene habeat in ordine ad Deum.

Item, in exercitio virtutum christianarum, etsi habitus harum virtutum simul infundantur, secundum actus tamen, fides praecedit spem, et spes caritatem: per fidem enim apprehendit intellectus ea, quae mens sperat et amat; et ex hoc ipso quod homo sperat de Deo, eo procedit ut amet eum (cfr. n. 1675, 4°). Vide *S. Alph.*, VI, n. 442, obj. 3.

Imo, *dilectio proximi,* quoad actum, praecedit dilectionem Dei; et eodem modo *humilitas* dicitur prior aliis virtutibus, in quantum scilicet removet praecipuum earum impedimentum, id est superbiam, cui Deus resistit; et reddit hominem subditum, et patulum ad suscipiendum influxum divinae gratiae (2. 2, q. 161, a. 5, ad 2).

Digitized by Google

CAPUT II.

De distinctione specifica virtutum.

Toletus, 2. 2, q. 18, a. 6; *Pesch*, de Virt., n. 34; *Mazzella*, de Virt., p. 17; *Tanquerey*, Synopsis, ed. 3, p. 342; *Lehmkuhl*, I, n. 843.

387. — « Cum virtus ordinetur ad bonum, ubi est *specialis ratio boni*, ait *S. Thomas* (2. 2, q. 81, a. 4), ibi oportet esse *specialem virtutem* ».

Ex hoc generali principio sequitur in primis, virtutes *theologicas* specie differre a *moralibus:* his enim homo prosequitur bonum honestum, humanae naturae proportionatum; illis vero bonum divinum, naturam hominis excedens. — Hanc primam autem distinctionem sequuntur, tum in ordine *naturali*, tum in ordine *supernaturali*, multae aliae distinctiones, quae singillatim sunt expendendae.

ARTICULUS I.

De distinctione virtutum in ordine naturali.

388. — DEFINITIO. Virtutes ordinis naturalis illae sunt, quae *actibus repetitis acquiruntur*, et *ad finem naturalem*, i. e. ad beatitudinem naturae proportionatam, *ordinantur*. — Aliae sunt intellectuales, aliae morales.

Virtutes *morales* dividuntur in *principales* seu *cardinales*, quibus nempe, tanquam cardinibus subnixa, tota humana vita vertitur; et in *adjunctas* seu *comites*, quae a cardinalibus profluunt, aut ad eas referuntur.

389. — PRINCIPIA. I. **Quatuor sunt virtutes cardinales,** *nempe*, PRUDENTIA, JUSTITIA, FORTITUDO, TEMPERANTIA. Haec doctrina nititur his S. Scripturae verbis: *Sobrietatem enim* (temperantiam) *et prudentiam docet* (sapientia), *et justitiam, et virtutem* (fortitudinem), *quibus utilius nihil est in vita hominibus* (*Sap.*, 8, 7).

Quaternarius autem hic numerus habetur tam ratione subjecti, quam ratione objecti (1. 2, q. 61, a. 2).

1° Habetur ratione *subjecti:* quadruplex enim datur virtutis subjectum, nempe: rationale per essentiam, quod prudentia perficit, et rationale per participationem: quod dividitur in tria, i. e. in voluntatem, quam ordinat justitia; in appetitum concupiscibilem, quem rectificat temperantia; et in irascibilem, quem rite disponit fortitudo.

2° Habetur etiam ratione *objecti:* vel enim virtus habet pro objecto ipsam considerationem rationis, ut nempe mensuram et modum in omni operatione assignet, et haec est prudentia; — vel versatur circa operationes, quas rectas facit, et sic est justitia; — vel versatur circa passiones, quae impellunt ad aliquid rationi contrarium, ut eas reprimat, et sic habetur temperantia; vel

Digitized by Google

versatur circa passiones, quae retrahunt ab eo, quod dictat ratio, ut illas contemnat, et sic obtinet fortitudo [1].

390. — II. Ceterae virtutes morales ad quatuor cardinales reduci possunt. Ita communiter.

Reducuntur autem triplici modo. — Aliae enim virtutem cardinalem adjuvant, ut illius actus evadat perfectus; et hae dicuntur *partes integrales* seu *integrantes:* quia sine ipsis virtus non potest esse integra, sicut domus sine fundamento, pariete et tecto, integra non esset. — Aliae virtuti cardinali, tanquam species generi subjiciuntur, et ideo *partes subjectivae* ejusdem virtutis vocantur: quia genus de specie tanquam de subjecto praedicatur. — Aliae demum virtuti cardinali subserviunt, in aliquibus secundariis actibus vel materiis, et in his modum observant, quem illa in principalibus; ideoque *partes potentiales* nominantur, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis (2. 2, q. 48, a. 1).

Nunc de singulis virtutibus.

§ 1. De prudentia et virtutibus sub ea contentis.

391. — Notio. Prudentia definitur ab Angelico (2. 2, q. 47, a. 2): *Recta ratio agibilium.* Ab aliis: « Habitus intellectus practici, ad recte statuendum, per actum imperii, quid agendum sit, in quovis casu particulari » [2].

Hinc: 1° Objectum *materiale* prudentiae sunt actiones humanae particulares. Objectum vero *formale* est medium rationis, inter defectum et excessum; seu rectitudo practica, tanquam forma cuilibet actioni imprimenda (cfr. n. 383, 2°).

2° Prudentia, ratione subjecti, est *virtus intellectualis;* residet enim in intellectu, ut decernat quid prosequi, a quo declinare debeamus. Sed ratione objecti est *moralis;* versatur enim circa mores, quos omnes dirigit, et quibus imperat, etsi eos non eliciat: unde est virtus essentialiter practica (*S. Thom.*, l. c., a. 5).

392. — Actus prudentiae. Tres sunt actus seu functiones prudentiae: 1° Prudentia *bene consultat,* i. e. diligenter et absque praecipitatione inquirit ac deliberat, quae media, quae circumstantiae sint necessariae, ut opus fiat honeste et virtuose. — 2° Prudentia *recte judicat,* i. e. post diligentem deliberationem, firmiter concludit ac pronuntiat quae media, inter quaesita et inventa, sint bona et convenientia. — 3° Prudentia *efficaciter imperat,* movendo scil. virtutes morales ad exsecutionem eorum, quae diligenter deliberata, et firmiter judicata sunt (*Bened. XIV*, de Beatif., l. 3, c. 24, n. 5).

[1] Nota, virtutes cardinales *quatuor naturae vulneribus*, nempe ignorantiae intellectus, malitiae voluntatis, infirmitati appetitus irascibilis, et ardori concupiscibilis perfecte mederi (*Schouppe*, Dogm., tr. 18, n. 2971. — [2] *S. Bernardus* (in Cant., serm. 49, n. 5): « Est discretio non tam virtus, quam quaedam moderatrix et auriga virtutum... Tolle hanc, et virtus vitium erit ».

Digitized by Google

Hi autem actus, ut debite fiant, debent cum sollicitudine ac *convenienti diligentia* exerceri; quam si quis adhibuerit, et fecerit quod potuerit, licet speculative erret, judicium tamen erit prudens, et non peccabit (cfr. n. 21). Vide *Billuart*, de Prud., Diss. 1, a. 2.

Ex his colliges: 1° Prudentia, in suis functionibus, *pendet multum a virtutibus moralibus:* partim quia virtutes comprimunt passiones, quae rationem perturbant in consideratione honesti, et bonum delectabile ostentant; partim quia subjectum ita disponunt, ut opus honestum se ipsi quam maxime congruum exhibeat, sicut sitienti potus, esurienti cibus. « Quisque enim judicat, prout affectus est ». Et: « Qualis unusquisque est, talis finis videtur ei ».

2° Perfecta prudentia *non potest inesse nisi viris probis,* qui affectum in omni materia virtutis recte dispositum habent. Hi enim soli, in quovis negotio occurrente, recte judicare valent. — Hominibus autem non probis, seu alicui vitio deditis, prudentia solum imperfecta inesse potest; prudentia nempe illa manca, qua tantummodo bene consultant et judicant ad aliquod particulare bonum, non vero ad finem totius vitae humanae; vel qua, tametsi bene consultent et judicent quoad universum hunc finem, ea tamen quae consultant et judicant, ad effectum minime perducunt (cfr. *Lessius*, de Prud., c. 1, n. 30-35).

393. — Partes prudentiae. I. Partes *integrantes*, seu *dotes* perfectae prudentiae, sunt octo, videlicet:

1° *Memoria*, seu recordatio praeteritorum; nam praeterita nos docent; unde tritum illud: « Experto crede Roberto ». — 2° *Intelligentia*, i. e. plena status rei hic et nunc agendae cognitio, et principiorum moralium, quae concurrere debent ad prudenter judicandum. — 3° *Providentia*, quae, quasi procul videns, finem operis, et futuros eventus considerat. — 4° *Solertia*, i. e. subita et expedita inventio medii convenientis. — 5° *Docilitas*, seu animi promptitudo ad aliena capessenda consilia. — 6° *Ratio*, i. e. promptitudo quaedam ratiocinandi, et unum ex alio colligendi. — 7° *Circumspectio*, seu attentio ad omnes operis circumstantias, ne aliqua requisita desit. — 8° *Cautio*, seu cura vitandi mala et impedimenta, quibus, ab extrinseco, opus virtutis posset vitiari, aut impediri (*S. Thom.*, 2. 2, q. 48 et 49).

394. — II. Partes *subjectivae*, i. e. *species prudentiae*, duae numerantur, nimirum:

1° Prudentia *personalis*, seu monastica, per quam homo seipsum regit; haec *sola* absolute et simpliciter dici potest prudentia. — 2° Prudentia *gubernatrix*, qua homo regit alios. Haec multiplex est, nempe *domestica, civilis, pastoralis, militaris*, etc. (2. 2, q. 50). Non est *simpliciter* prudentia, eo quod non semper illum, qui eam habet, reddit meliorem (2. 2, q. 47, a. 11, 12).

395. — III. Partes *potentiales* prudentiae, i. e. *virtutes comites*, quibus utitur prudentia, tres numerantur:

1° *Eubulia*, quae est habitus recte consultandi, i. e. inveniendi bonum consilium, in rebus ambiguis. — 2° *Synesis*, seu habitus recte judicandi de consultatis. Per hunc homines dicuntur *bene sensati*. — 3° *Gnome*, i. e. habitus recte judicandi, cum opus est, ex altioribus principiis, praeter communes agendorum regulas, juxta mentem tamen legislatoris. Actus, qui huic respondet in voluntate, vocatur *epikeia* (*S. Thom.*, 2. 2, q. 51). Cfr. n. 173 et n. 403, 3°.

Digitized by Google

396. — Vitia prudentiae opposita. I. Prudentiae PER DEFECTUM adversatur *imprudentia,* sub quo nomine communiter veniunt: 1° *Praecipitatio,* qua quis opus aliquod, absque sufficienti deliberatione, aggreditur. — 2° *Inconsideratio,* qua, sine debita attentione, de mediis fertur judicium. — 3° *Inconstantia mentis,* i. e. sententiae mutatio, ob nullam aut levem causam. — 4° *Negligentia,* seu omissio diligentiae requisitae, ad urgendam exsecutionem rei deliberatae (2. 2, q. 53 et 54).

Quale peccatum, quaeres, *est imprudentia?* — *Resp.* Imprudentia potest sumi tripliciter: 1° *negative,* pro sola carentia prudentiae; et sic potest esse sine peccato, uti patet in pueris; — 2° *privative,* pro carentia prudentiae debitae; et hoc modo est peccatum generale, quod reperitur in omni culpa theologica; — 3° *contrarie,* quando spernuntur positive et repudiantur consilia prudentiae; et hoc modo, imprudentia est *speciale* peccatum, et quidem mortale, si sit gravis contemptus divinarum regularum; secus erit veniale.

397. — II. Prudentiae PER EXCESSUM opponuntur ea, quae habent similitudinem cum ipsa, videlicet:

1° *Prudentia carnis,* quae est diligens excogitatio mediorum ad implendos instinctus naturae corruptae, et hi respicere possunt bona exteriora, vel delectationes sensuum, vel propriam excellentiam. *Haec prudentia est per se mortalis,* juxta illud (*Rom.,* 8, 6): *Prudentia carnis mors est.*

Non damnatur quidem moderata circa bona temporalia sollicitudo, sed illa, quae superflua est, et inquietat animum: quia importat diffidentiam in Dei providentiam, et est grave vel veniale peccatum, juxta materiae gravitatem (2. 2, q. 55, a. 1).

2° *Astutia* (seu calliditas, aut versutia), quae est notitia et usus pravorum mediorum, ad fallendum, cum intentione assequendi intentum, sive bonum, sive malum. Proprie tamen astutia in malo sensu accipitur (*S. Thom.,* l. c., a. 3).

§ 2. De justitia et virtutibus ei adnexis.

398. — NOTIO. Justitia, *generatim accepta,* designat complexionem omnium virtutum. Justum enim id dicitur, quod adaequat suam mensuram.

Justitia autem, qua *virtus cardinalis,* definiri solet: « Constans ac perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi ». Sic definita, comprehendit omnes virtutes morales, quae sunt ad alterum, i. e. ad Deum, vel ad proximum (*S. Thom.,* 2. 2, q. 57).

Objectum *materiale* justitiae est res, vel actio, alteri quomodocumque debita. — Objectum autem *formale* est ratio debiti, seu specialis honestas, quae relucet in reddendo unicuique suum (*Lessius,* de Just., l. 2, c. 1).

Digitized by Google

Ad veram perfectamque justitiam requiruntur tria, nempe : 1° ut omnino sit *ad alterum ;* nam, cum nomen justitiae aequalitatem importet, ex sua natura justitia habet quod sit ad alterum ; nihil enim est sibi aequale, sed alteri ; — 2° ut versetur circa debitum *rigorosum,* i. e. circa debitum, ex cujus violatione, non solum turpitudo moralis contrahitur, ut in omnibus illis, quae debentur ex titulo honestatis (puta gratitudinis), sed *stricta oritur restitutionis* seu reparationis *obligatio;* — 3° ut reddat *ad aequalitatem,* i. e. tantum, quantum debetur (2. 2, q. 58, a. 2).

Inter patrem et filium, maritum et uxorem, Creatorem et creaturam, non est justitia proprie ac simpliciter dicta, in his nempe quae debent, qua filius, qua pater, etc. ; quia filius, ut filius, non censetur diversus a patre, sed aliquid patris ; similiter uxor censetur una caro cum marito, etc. — Secus, si tales personae *in aliquo contractu convenirent,* tanquam concives et partes distinctae ; tunc enim status personarum esset aliquid secundarium, et earum conventio solius justitiae debitum respiceret. Item, si filius patrem occideret, non solam pietatem violaret, sed etiam justitiam, quia pater, tanquam homo consideratus, habet jus ad vitam, sicut ceteri.

399. — Partes justitiae. I. Partes *integrales* sunt : 1° facere bonum, sub ratione debiti ; — 2° declinare a malo, sub ratione injuriae. — Unde *S. Ambrosius* (de Offic., l. 1, c. 24, n. 115) : « Justitia suum cuique tribuit, alienum non vindicat ».

400. — II. Partes *subjectivae,* seu *species justitiae,* assignantur tres, nempe justitia *commutativa, distributiva* et *legalis.*

Divisionis ratio est, quia triplex est respectus, sub quo justitia tribuit alteri quod suum est, scilicet respectus vel partis ad partem, vel totius ad partem, vel partis ad totum. Pro primo statuitur *justitia commutativa* per quam pars comparti, quod ejus est, reddit. Pro secundo ponitur *justitia distributiva,* per quam Superior communitatis bona communia dispensat, juxta merita singulorum. Pro tertio assignatur *justitia legalis,* per quam omnes et singuli tribuunt, quod communitati debetur, ratione et vi legum (*S. Alph.,* III, 486).

1° Justitia COMMUTATIVA est virtus inclinans hominem *privatum* ad reddendum alteri *privato* jus suum *strictum,* servata absoluta aequalitate rei reddendae ad rem acceptam (cfr. n. 383). Potest tamen intercedere justitia commutativa inter privatum et communitatem, sed tantum ubi se habet communitas ad instar privati hominis.

Dicitur *commutativa,* quia fundatur praecipue in variis contractibus et in innumeris commutationibus, quae inter homines fieri solent. — Dicitur etiam *stricta* vel *rigorosa,* quia ipsi, et ipsi soli, tria illa insunt quae ad perfectam justitiam requiruntur (n. 398, 2°).

Nota. Justitiae commutativae opponuntur variae *injuriarum* species, de quibus in sex ultimis Decalogi praeceptis.

2° Justitia DISTRIBUTIVA est virtus, quae inclinat *communitatem,* sive ejus principem tanquam ministrum, ut praemia, dignitates et honores necnon onera communia distribuat, *juxta meritorum facultatumve proportionem.*

Digitized by Google

Haec a commutativa *specifice differt*, quia habet objectum formale diversum, nempe debitum communitatis, qua talis, ad partes: unde fit ut diversam aequalitatem statuat vel respiciat. Commutativa nimirum respicit aequalitatem *arithmeticam*, qualis est inter duas aequalitates, puta decem et decem. Distributiva vero spectat aequalitatem seu proportionem *geometricam*, quae consistit in proportione rei distribuendae, cum dignitate ac merito, vel facultate personae, cui distribuenda est, facta comparatione ad alios, quibus etiam jus competit, in bonorum vel onerum distributione. *Est justitia imperfecta*, quia non fundatur in jure stricto, sed in debito *convenientiae* (2. 2, q. 61, a. 2).

Nota. Justitiae distributivae opponitur *acceptio personarum*, de qua verba faciemus disserendo de officiis Episcopi, principis, judicis, etc. — Si quid, jure stricto inter plures aequaliter dividendum, inaequaliter divideretur, v. gr. aerarium commune, fundatio publica, etc., etiam justitia commutativa violaretur.

3° Justitia LEGALIS, seu GENERALIS, est virtus, quae inclinat *privatum*, vel principem, ad praestanda ea omnia, quae *communitati* debentur, in ordine ad bonum commune. — Dicitur *legalis*, quia versatur circa omnia legibus statuta pro bono communi. — Dicitur *generalis*, quatenus omnium virtutum actus, ad generalem reipublicae prosperitatem, imperat et dirigit.

Est tamen virtus specialis, quia habet speciale objectum, nempe jus publicum, seu bonum totius, a parte, nempe a capite vel a membro, procurandum. *Est vera justitia*, quia inter communitatem et cives habetur vera aequalitas, dum alter alteri praestat id omne, quod ei debet juxta leges. *Deficit autem a ratione justitiae perfectae*, quia non est perfecte ad alterum, cum hic alter sit aliquid totius. — *Est tamen ceteris justitiae speciebus nobilior*, cum bonum commune, quod respicit, praestet bono privato; et cum bonum commune ita sit procurandum, aut saltem conservandum, ut ipsi bonum privatum semper postponatur.

Nota. Justitiae legali opponitur: *materialiter*, omnis transgressio legum; *formaliter*, et tanquam speciale peccatum, *contemptus legis*, vel boni communis, sive ex parte privatorum, quando ex proposito agunt contra illud, uti, v. gr., *internationalistae, socialistae;* sive ex parte principis, et aliorum praepositorum, quando bonum commune, quod periclitatur, negligunt, vel illi privatum bonum anteponunt (*Lessius*, l. c., l. 2, c. 1, n. 11).

QUAERITUR. *Quid sit justitia* VINDICATIVA?

Resp. Est virtus inclinans communitatis principem vel magistratum, ad reum juxta leges puniendum. Objectum hujus justitiae est punitio ex merito facienda; subjectum est judex legitima auctoritate constitutus, ad quem solum pertinet vindictam de delictis sumere.

Haec justitia *primario pertinet ad legalem*. Saepe tamen et *ad justitiam commutativam* pertinet: tum quia judex, ex officio et propter stipendium, tenetur publicum bonum tueri ac servare; tum quia delicta ita punire debet, ut etiam reparationem damni, quod illatum est privatis, exigat et procuret. — Hinc non raro judices, ob suam in puniendo negligentiam, obligantur ad restitutionem, sive erga communitatem, sive erga privatos (*S. Thom.*, 2. 2, q. 62, a. 7).

Digitized by Google

401. — III. Partes *potentiales,* seu *virtutes justitiae adnexae,* sunt illae, quae alterum quidem respiciunt, sed a perfectae justitiae ratione aliquo modo deficiunt. — *Novem* hujusmodi virtutes, in *triplicem* classem distributae, numerantur (2. 2, q. 80, a. unic.).

PRIMA CLASSIS complectitur illas virtutes, quae a ratione justitiae ideo deficiunt, quia debitum, quod alteri reddunt, non possunt *ad aequalitatem* reddere. Hae virtutes sunt: religio, pietas et observantia. Vide dicenda n. 530 et 687 seqq.

402. — SECUNDA CLASSIS complectitur illas virtutes, quae deficiunt a ratione justitiae, quia debitum, quod alteri reddunt, non exigitur quidem vi justitiae, sed solum *ex honestate virtutis;* ita tamen exigitur, ut ejus omissio sit peccatum. — Hujusmodi sunt: veracitas, gratitudo et vindicatio.

1° VERACITAS, seu *veritas,* inclinat ad semper dicendum verum. — Ad hanc virtutem revocantur: *a*) FIDES seu *fidelitas* in promissis; — *b*) SIMPLICITAS, qua quis, exterius talem se verbis et factis exhibet, qualis interius est.

2° GRATITUDO inclinat ad compensandum receptum beneficium. — Recompensatio autem fit: *a*) *affectu,* per benignam accepti beneficii agnitionem, seu aestimationem; — *b*) *effectu,* per opportunam gratiarum actionem et beneficii retributionem [1].

3° VINDICATIO, seu *severitas,* vim aut injuriam, et quidquid obfuturum est, defendendo aut ulciscendo, propulsat. — Hujus virtutis objectum speciale est *vindicta,* a legitimo judice requisita et sumenda; non animo nocendi, sed, vel studio repetendi honorem injuste ablatum, vel amore illius honestatis, quae splendet in punitione malefactoris, cui per se debetur poena, sicut benefactori gratia. — Vide dicta (n. 400) de justitia vindicativa.

Vindicationi affinis est *poenitentia,* de qua n. 1644 dicemus.

403. — TERTIA CLASSIS complectitur illas virtutes, quae respiciunt quoddam debitum conferens *ad majorem honestatem,* et cujus omissio per se nullum involvit peccatum. — Hujus tertiae classis virtutes sunt liberalitas et affabilitas: quibus adnumerari potest aequitas, quamvis haec potius ad justitiam legalem referatur.

1° LIBERALITAS moderatur amorem pecuniae, ut eam in nostram et proximi utilitatem, Deique honorem, libenter et prompte, elargiamur. Huc refertur MISERICORDIA, quatenus est virtus moralis, inclinans ad sublevandam miseriam alienam.

2° AFFABILITAS (ad quam referuntur amicitia, urbanitas et benevolentia) efficit conversationem cum proximo gratam et decentem. Homo enim tenetur, ait *D. Thomas* (2. 2, q. 114, a. 2, ad 2), ex naturali debito honestatis, ut aliis delectabiliter convivat.

3° AEQUITAS, seu *epikeia,* inclinat ad agendum contra verba legis, quando altior quaedam consideratio id postulat. — Vide dicta n. 173.

[1] *S. Bernardus,* in Ps. 90, serm. 14; *S. Bonav.,* Pharetra, l. 3, c. 21, multa habent de gratitudine et ingratitudine.

Digitized by Google

404. — Vitia justitiae opposita. Praeter *injustitiam formalem*, quae sive damnificando, sive rapiendo, bona hominis laedit, dantur multiplicia alia vitia quae partibus potentialibus justitiae adversantur, sive per excessum, sive per defectum.

Religioni opponuntur ea de quibus tractant tria priora Decalogi praecepta. *Pietati* opponuntur *impietas, cosmopolitismus* (defectus), et *nationalismus* (excessus). Cfr. *Muller*, l. 2, § 34, 40.

Observantiae adversantur *irreverentia* et *inobedientia*.

Veracitati contraria sunt: *mendacium, simulatio* et *revelatio secreti*.

Gratitudini opponuntur: *gratitudo indiscreta* (excessus) et *ingratitudo* (defectus).

Severitas non temperata degenerat in *crudelitatem* vel *nimiam lenitatem*.

Liberalitati inimicae sunt *prodigalitas* (excessus) (cfr. n. 363) et *avaritia* (defectus).

Affabilitas media est inter *adulationem* (excessus) et *morositatem* (defectus) vel *invidiam*.

§ 3. De fortitudine et virtutibus ei adnexis.

405. — Notio. Fortitudo, late sumpta, est firmitas animi in operando bono. — Stricte sumpta, est virtus cardinalis, confirmans hominis animum ad difficilia, in primis mortis pericula, debite aggredienda vel sustinenda (*S. Thom.*, 2. 2, q. 123-140). Cfr. *Lessius*, de Jur. et Just., l. 3.

Objectum *materiale* fortitudinis sunt pericula et labores; *formale* vero est honestas, quam continet firma animi, in arduis aggrediendis vel sustinendis, constantia.

Duplex est actus fortitudinis: *aggredi* et *sustinere* cum animi firmitate. Sed hic est principalior, quia (*D. Thom.*, 2. 2, q. 123, a. 6) difficilius est timorem reprimere, quam audaciam moderari. — Ad hunc secundum actum pertinet *martyrium*, de quo n. 1452.

406. — Partes fortitudinis. I. Partes *subjectivae* seu *species fortitudinis* nullae sunt (*S. Thom.*, 2. 2, q. 128, a. 1): quia haec virtus, stricte sumpta, versatur circa materiam angustioribus limitibus contentam, et omnino specificatam, nempe circa pericula mortis: quae pericula, tametsi sint alia aliis majora, in eodem tamen genere continentur.

II. Partes *integrantes* fortitudinis (quae *potentiales* etiam appellari possunt, quando et quatenus ad res minus arduas extenduntur) sunt quatuor, videlicet: magnanimitas, magnificentia, patientia et perseverantia.

1° Magnanimitas est virtus, ad opera magna et heroica, in omni virtutum genere inclinans. — Ad hanc virtutem pertinent *fiducia* seu *fidentia* et *securitas*. — Discrimen inter securitatem et fiduciam in hoc est, quod securitas

Digitized by Google

importat quamdam perfectam quietem animi a timore; fiducia vero quoddam robur spei. — De magnanimitate optime disserit *Goudin,* Philosoph., P. III, q. 6, a. 4.

2° MAGNIFICENTIA est virtus inclinans ad magna opera (in primis ad ea quae ad cultum Dei pertinent) magnis sumptibus perficienda, juxta praescriptum rectae rationis. Differt a magnanimitate, quia ista intendit magna in omni materia, dum magnificentia respicit solum factibilia. *S. Thomas* (2. 2, q. 134, a. 2, ad 3).

3° PATIENTIA est virtus firmans animum in tolerantia afflictionum. Per ipsam, bonum rationis conservatur contra tristitiam, ne scilicet ratio afflictioni succumbat. — Haec virtus est homini maxime *necessaria,* quia ipsi in hac mortali vita mala toleranda sunt numero et gravitate immensa, et quia passio tristitiae multum valet ad impediendum bonum rationis, juxta illud (2. *Cor.,* 7, 10): *Saeculi tristitia mortem operatur;* et (*Eccli.,* 30, 25): *Multos occidit tristitia, et non est utilitas in illa.* — Patientiae adjungitur LONGANIMITAS, quae est aequanima tolerantia afflictionis ortae ex boni sperati dilatione.

4° PERSEVERANTIA est virtus, qua homo firmiter persistit in opere bono, non obstantibus molestiis ac difficultatibus, quae ex actus diuturnitate proveniunt. — Ei affinis est CONSTANTIA, quae virtus tantam in bono tribuit immutabilitatem, ut homo aequam in omnibus rebus mentem servet, invariabilisque perseveret, contra quascumque insurgentes difficultates.

Vitia fortitudini opposita. Fortitudini opponuntur *temeritas* (excessus), qua quis ardua contra rationis prudens dictamen aggreditur, et *ignavia* (defectus), quae refugit aggredi quod convenit ad malum repellendum. — Opponuntur etiam *intimiditas* (excessus), quae non timet, quando oportet, et *timiditas* (defectus), quae inordinate expavescit.

Praeterea, considerando *partes potentiales* fortitudinis, sequentia habemus:

Magnanimitati contrariae sunt: *praesumptio, ambitio* (excessus), et *pusillanimitas* (defectus).

Magnificentiae adversantur: *parvificentia* (defectus) et *profusio* (excessus).

Patientiae opponuntur: *impatientia* (excessus) et *insensibilitas* (defectus).

Perseverantiam laedunt: *pertinacia* (excessus), *inconstantia* et *mollities* (defectus).

§ 4. De temperantia et virtutibus ei adnexis.

407. — NOTIO. Temperantia, late sumpta, est illa moderatio animi, quae ad omnes vitae partes pertinet, estque omni virtuti communis. — Stricte sumpta, est virtus cardinalis, quae juxta regulam rationis moderatur appetitum, in iis quae maxime alliciunt, videlicet in delectationibus gustus et tactus (*S. Thom.,* 2. 2, q. 150-170). Cfr. *Lessius,* de Just., l. 4.

Objectum *materiale* temperantiae sunt *delectationes corporales,* illae nempe, quae ad conservationem sive individui sive speciei ordinantur, et percipiuntur ex cibis, potibus, rebusque venereis. — Objectum *formale* est earumdem usus honestus, seu honestas moderationis, quae in his adhibetur, qualis humanae naturae dignitati est consentanea.

Digitized by Google

Regula seu mensura temperantiae, quam assignat ratio, sumitur secundum necessitatem praesentis vitae. Quod pulchre sic exprimit *S. Augustinus* (de Mor. Eccl., c. 21): « Habet vir temperans in rebus hujus vitae regulam..., ut earum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitae atque officiorum necessitatem, quantum satis est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu ». Necessitatis tamen nomine, intellige etiam utilitatem vel convenientiam, pro conditione personae, status, occupationis, etc.

408. — Partes temperantiae. I. Partes *integrales,* quae ad temperantiae perfectionem concurrunt, sunt verecundia et honestas.

1° *Verecundia* est timor seu fuga turpis actus, confusionisque ex illo provenientis. Non est proprie virtus, sed potius quaedam passio, bona tamen et laudabilis. — 2° *Honestas* est amor ac prosecutio decori. Sane honestas (honoris status) generatim non differt a virtute, nec a decoro seu pulchro morali; attamen, honestas ac pulchritudo peculiari titulo temperantiae tribuuntur, propterea quia hujus virtutis est, id quod est in homine turpissimum, prorsus repellere.

409. — II. Partes *subjectivae,* seu *species temperantiae,* sunt: abstinentia et sobrietas, in materia gustus; castitas et pudicitia, circa res venereas (*S. Alph.,* Vera Sposa, c. 8; *Lessius,* opusc. Hygiasticon). Cfr. quae dicentur n. 757, 764 et 1218.

410. — III. Partes *potentiales* temperantiae sunt *virtutes secundariae,* quae hanc principalem virtutem in re faciliori imitantur. Unde, cujuslibet inordinati motus moderatio est pars potentialis temperantiae. — Hujusmodi virtutes *septem* praecipue numerantur, scilicet: continentia, mansuetudo, clementia, humilitas, modestia, studiositas et eutrapelia.

1° Continentia est virtus, quae concupiscentiae motibus ad intemperantiam provocantibus resistit. Se continere (2. 2, q. 155, a. 1, ad 2), idem est ac se tenere in seipso, secundum rationem. *Differt continentia* a temperantia, sicut imperfectum et inchoatum a perfecto et completo. Temperans concupiscentias ciborum, potuum ac venereorum jam superavit; continens autem easdem concupiscentias adhuc rebelles ita refraenat, ut pars animae superior non vincatur.

2° Mansuetudo est virtus, quae moderatur iram juxta dictamen rectae rationis, ne scilicet homo irascatur nisi quando, et quantum, et quomodo oportet (*S. Alph.,* Pratica d'amar G. C., c. 6 et 12).

3° Clementia est virtus poenarum mitigatrix, intra limites rectae rationis; seu, est lenitas Superioris erga inferiorem, aliquid ex debita poena remittentis, quantum permittit justitia, disciplinae bonum, delinquentis salus et publica aedificatio.

4° Humilitas definitur a *S. Bernardo* (de Grad. hum., c. 1, n. 2): « Virtus, qua homo verissima sui agnitione, sibi ipsi vilescit ». Et a *S. Thoma* (2. 2, q. 161, a. 1): « Virtus temperans et refraenans animum, ne immoderate tendat in excelsa ». — Duplex distingui solet: humilitas *judicii* seu *cognitionis,* qua cognoscimus nos nihil esse coram Deo; et humilitas *affectus* seu *cordis,* qua mundi gloriam calcamus. Quocirca *S. Thomas* (ib., a. 6): « Humilitas, inquit, essentialiter in appetitu consistit, secundum quod aliquis refraenat impetum animi sui, ne inordinate tendat in magna; sed regulam habet in cognitione,

Digitized by Google

ut scilicet aliquis non se existimet supra id esse quod est; et utriusque principium et radix est reverentia, quam quis habet ad Deum ». Vide *S. Alph.*, Vera Sposa, c. 11.

Nota. HUMILITAS placet summopere Deo; est enim quaedam professio veritatis, quae maxime in ejus honorem cedit. — Ipsa vero quam necessaria sit homini, ad consequendam aeternam salutem, colligitur ex verbis Christi Domini dicentis (*Matth.*, 18, 3): *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* Cfr. etiam ib., 11, 29. — Unde *S. Augustinus* (Ep. ad Dioscorum): « Prima virtus est, inquit, humilitas; secunda, humilitas; tertia, humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem » (cfr. n. 386, 1°).

5° MODESTIA definitur: Virtus, qua quis se continet infra modum et limites sibi congruos, quantum ad motus internos et externos (2. 2, q. 160 et 168). — Sola tamen moderatio exteriorum pertinet ad modestiam *stricte dictam.* — Duplex est: *a*) Modestia MOTUUM, quae motus corporis, in verbis et actionibus, juxta modum rationis componit. — *b*) Modestia CULTUS, quae moderationem rationis adhibet in apparatu exteriori, seu in vestibus, supellectili, conviviis, juxta conditionem personae, temporis, loci, etc. Vide *S. Thom.*, l. c., q. 169.

Haec virtus materiam quidem humilem habet, sed jure laudem magnam: nam exterior homo index est interioris, neque facile homo potest in exteriori habitu constanter secundum rectam rationis normam agere, nisi interius omnia bene ordinata habeat aliisque virtutibus instructus sit. — E contrario autem, modestiae exercitium etiam multum juvat ad alias virtutes acquirendas, conservandas, augendas (*Lehmkuhl*, I, n. 876).

6° STUDIOSITAS est virtus, quae appetitum sciendi, et studium ipsum, secundum rectam rationem moderatur. — Officium hujus virtutis est: *a*) refraenare nimium appetitum cognoscendi; — *b*) incitare ad diligenter addiscendas res conditioni et capacitati cujusvis convenientes (*S. Alph.*, H. Ap., VII, 52); — *c*) referre studium et partam scientiam ad debitum finem, nempe ad propriam vel alienam utilitatem, et ad Dei gloriam (2. 2, q. 166).

7° EUTRAPELIA (modestia in ludicris) est virtus servans modum et decorum in dictis et factis ad animi recreationem institutis (2. 2, q. 167). — « Volo tandem tibi parcas, ait *S. Augustinus* (de Musica, l. 2, in fine): placet nam sapientem interdum remittere aciem rebus agendis decenter intentam ». Cfr. *S. Alphonsus*, III, n. 178; ed. G., I, p. 483.

Vitia temperantiae opposita. Directe temperantiae opponuntur: *a*) per excessum, *insensibilitas* erga delectabilia, ita ut illis, etiam si oportet, uti renuat. De se, hoc est veniale, sed pro aliquibus (v. gr. pro conjugibus) potest fieri mortale; — *b*) per defectum vero, *intemperantia*, qua quis voluptatibus immoderate, contra rationis regulas, inhiat (2. 2, q. 124, a. 4).

PARTIBUS SUBJECTIVIS, speciebus temperantiae, multa vitia opponuntur, et quidem: *abstinentiae, gula* (cfr. n. 364); *sobrietati, ebrietas* (cfr. n. 757); *castitati, luxuria* (cfr. n. 767); *pudicitiae, impudicitia* (cfr. n. 769).

PARTIBUS POTENTIALIBUS temperantiae plura vitia sive per defectum, sive per excessum adversantur:

Mansuetudini opponuntur *iracundia* (defectus) — et *nimia indulgentia* (excessus).

Digitized by Google

Clementia medium tenet inter *crudelitatem* (defectus) — et *lenitatem* (excessus). Cfr. n. 403, 3°.

Humilitati opponitur *inordinata sui abjectio* (excessus), v. gr. si pater infra filium se abjiciat, — et *superbia* (defectus) de qua jam diximus n. 360.

Modestiae adversantur sive *aulicismus* et *luxus* (defectus), — sive *rusticitas* et *apparatus convenientis neglectus.*

Studiositas media se tenet inter *curiositatem* (excessus) et *negligentiam studiorum* (defectus).

Eutrapelia denique aeque inimica est *morositatis* (defectus) ac *scurrilitatis* (excessus), de qua Apostolus ad *Ephesios*, 5, 4. — Vide n. 2231, de ludis clerico prohibitis.

ARTICULUS II.

De distinctione virtutum in ordine supernaturali.

411. — Habitus supernaturales, quos Deus animae, *ad consecutionem finis supernaturalis,* infundit, sunt sequentes: 1° Virtutes theologicae; — 2° virtutes morales infusae; — 3° dona Spiritus Sancti. — De singulis his habitibus pauca dicemus.

I. Virtutes *theologicae* convenienter tres assignantur: FIDES, SPES, CARITAS.

Virtutes enim theologicae ordinant hominem ad beatitudinem supernaturalem, sicut per naturalem inclinationem ordinatur homo in finem sibi connaturalem. Naturalis autem inclinatio in finem exercetur, *quoad intellectum,* per prima principia, et ratiocinia, lumine rationis cognita: his superadduntur principia supernaturalia, credibilia, de quibus est *fides.* — Naturalis inclinatio exercetur praeterea *per rectam voluntatem,* quae in bonum rationis tendit: hanc rectam voluntatem adjuvat et perficit *spes,* qua bonum supernaturale possibile appetitur, adjuvat etiam et perficit *caritas,* quae voluntatem ad hoc impellit, ut cum fine ultimo uniatur et in ipsum transformetur. Cfr. *S. Thom.*, 1. 2, q. 62, a. 3; *Bouquill.*, de Virt. theol. — Vide infra dicenda n. 420 seqq.

412. — II. Praeter virtutes theologicas, dantur *virtutes morales a Deo per se nobis infusae* quae CHRISTIANAE vulgo dicuntur. — Est sententia communis cum *S. Thoma* [1] contra Scotum. — Probatur ex Scriptura (*Sap.*, 8, 7) ubi dicitur: *Sobrietatem et prudentiam docet* (divina Sapientia), *et justitiam, et virtutem,* etc...; atqui idem est Deum docere, et infundere aliquid; non enim Deus docet ut homo, solum proponendo objecta, sed infundendo lumen. — Suffragatur ratio: nam virtutes theologicae ordinant nos in finem supernaturalem, secundum quamdam inchoationem tantum, i. e. quoad ipsum Deum immediate, non autem quoad creaturas: et ideo oportet, ut per alias virtutes infusas perficiatur anima circa alias res in ordine tamen ad Deum.

[1] Cfr. 1. 2, q. 62, a. 1; q. 63, a. 2, ad 2; q. 65, a. 3; *Ripalda*, de Ente supern., t. 2, l. 6, disp. 119-121 (ed. Paris, 1871); *Scaramelli*, Direct. mistic., tr. 1, c. 5; et Dogmaticos.

Digitized by Google

NOTETUR. 1° Virtutes morales infusae ab acquisitis differunt non materia, sed specie. — Non differunt quidem *materia*, ut communiter docent cum *S. Thoma* (1. 2, q. 63, a. 4); sed omnino *differunt specie*, i. e. quoad objectum formale, seu modum operandi. Objectum formale virtutum acquisitarum est naturalis honestas, quae hominem decet, quatenus est homo et civis societatis humanae; at objectum formale infusarum est honestas sublimior seu supernaturalis, quae nos decet quatenus sumus Christiani, i. e. imitatores Christi, cives Sanctorum, et domestici Dei. — Ita, v. gr., temperantia acquisita ideo statuitur in cibo et potu, ut corpus bene valeat et rationis actus non impediatur: at juxta regulam evangelicae legis, requiritur temperantia, ut homo castiget corpus suum, et in servitutem redigat. Et sic de aliis[1]. — Quibus adde abnegationem sui ipsius, amorem paupertatis, et similes virtutes, quae lumine tantum fidei cognoscuntur, atque reguntur.

2° Differunt insuper *facilitate operandi;* nam virtutes *infusae* ex se quidem dant potestatem (et probabiliter etiam facilitatem quamdam) supernaturaliter operandi; attamen, non auferunt per se impedimentum, quod provenit ex concupiscentia, aut ex mala consuetudine; unde « neque mirum cuiquam videri debet (ait Catechismus Romanus, de Baptism., n. 52), si, cum tanta virtutum copia instructi et ornati simus, tamen non sine magna difficultate et labore pias honestasque actiones inchoamus, vel certe absolvimus ». — Virtutes autem *acquisitae*, quae repetitis actibus comparantur, tollunt simul vel minuunt impedimentum; non enim sine pugna, nec nisi actibus cuncupiscentiae contrariis exercentur. — Ergo, virtus infusa tribuit ipsam facultatem efficiendi actus supernaturales, cum quadam facilitate intrinseca vix perceptibili; virtus autem acquisita non dat facultatem, quae jam habetur, sed praebet facilitatem, sive intrinsecam, sive extrinsecam, ponendi actus bonos in ordine naturali (*Mazzella*, de Virt. infus., n. 58 seqq.).

413. — III. Insunt praeterea omnibus justificatis septem dona Spiritus Sancti, seu habitus supernaturales specifice a virtutibus distincti. — Sunt haec autem, juxta Isaiam prophetam (11, 2), donum *sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis* et *timoris Domini.*

Diximus 1° *Septem dona Spiritus Sancti insunt omnibus justificatis;* est communis sententia, multis innixa rationibus, ex quibus hanc unam adduxisse sufficit: decet justificatum esse facile mobilem a Spiritu Sancto, in his, quae ad propriam salutem vel necessaria sunt, vel convenientia. Atqui, ad haec ordinantur septem dona Spiritus Sancti (*S. Franc. Sales*, Theotim., P. II, c. 14).

2° *Sunt habitus specifice a virtutibus distincti.* Dona enim disponunt hominem, ut sit prompte mobilis a Deo, praeter communes et ordinarias regulas operandi; virtutes autem (sive acquisitae sive infusae) eum solummodo disponunt, ut sit mobilis a ratione, tum naturali, tum supernaturali perfectione disposita (1. 2, q. 68, a. 1). Dona Spiritus Sancti sunt ergo fastigium quoddam et complementum supernaturalis status, ad quem per gratiam Dei evehimur (*Mazzella*, n. 528).

Nota. Ex his virtutibus et donis prodeunt *actus* excellentiores, qui *fructus* Spiritus Sancti et *beatitudines* appellantur. — De his vide Dogmaticos et Asceticos (cfr. *S. Thom.*, in *Matth.*, 7, 20, et in *Galat.*, 5, 22).

[1] Cfr. *D. Thom.*, 3. D. 33, q. 1, a. 2, quaestiunc. 4, ad 2; *Bened. XIV*, de Beatif., l. 3, c. 24, n. 1 et 7.

Digitized by Google

CAPUT III.

De virtutum acquisitione et amissione.

S. Alphonsus, Vera Sposa, I, c. IV; *Contenson*, Theol. mentis et cord. (ed. Vives), II, p. 453 seq.; *Alvarez de Paz*, II vol., de Adept. virt., l. 3, p. 593; *Dosda*, Union à Dieu, I vol., p. 405.

Homo, cum sit ens mutabile, tam deficere, quam proficere potest, imo *nunquam in eodem statu permanet* (*Job.*, 14, 2). Hinc fit, ut virtutes, in hac vita, possint *acquiri* vel non acquiri, *augeri* vel minui, *amitti* vel conservari.

§ 1. De acquisitione virtutum.

414. — Alius est modus acquirendi virtutes naturales, alius virtutes supernaturales.

I. Virtutes *ordinis naturalis* acquiruntur per actuum frequentiam. — Etenim, in quolibet homine sunt quaedam semina virtutum (nempe principia legis naturalis in intellectu, et inclinatio ad bonum honestum in voluntate), vi quorum homo multos actus honestos exercere valet. Ex actibus autem hujusmodi repetitis, comparatur habitus virtutis, in quantum scilicet a ratione derivatur in voluntatem et in appetitum sensitivum *habitualis quaedam impressio,* inclinans et facilitans eorumdem actuum iterationem [1]. Sicut videre est in manu, quae, quia scribit ut mota ab intellectu et voluntate, arte dirigente, ideo susceptiva est cujusdam impressionis ab illis principiis eam moventibus derivatae, qua fit habilior ad scribendum (1. 2, q. 51, a. 2).

Advertatur vero talem esse legem naturae, ut *sola actuum frequentia,* et cura assidua, virtus moralis acquiratur; ad differentiam scientiae, quae ex uno actu, per se, gigni potest. Ratio est, quia vis intellectiva ad unum determinatur, id est ad veritatem, statim ac ista demonstratur; dum vis appetitiva, utpote libera, se habet ad varia, nec tendit in bonum determinatum, nisi secundum quod in illud a ratione movetur. — Ubi autem ratio vim appetitivam in aliquid unum inclinat, inde generatur in appetitu quaedam dispositio stabilis, ita ut qui prius extrinsece solum, et cum difficultate, flectebatur ad bonum ordinate prosequendum, nova illa dispositione contracta, facile, jucunde, fortiterque in illud propendeat. Et hoc est signum habitus generati (*S. Thom.*, Quodl. de Virt., q. 1, a. 9, ad 11; *Goudin,* Philosoph., P. III, q. 5).

415. — II. Virtutes *supernaturales* et *dona Spiritus Sancti* producuntur in nobis, cum gratia sanctificante, per infusionem divinam. Causa debet esse effectui proportionata; virtus ergo divina divino actu, v. gr. in receptione alicujus sacramenti, causatur. Est nempe virtus,

[1] Hinc *S. Thomas* (Quodl., disp. de Virt., q. 1, a. 4, ad 3): « Ratio, inquit, est radix et causa omnium virtutum ».

Digitized by Google

quam Deus in nobis sine nobis operatur, i. e. sine nobis efficientibus, etsi non sine nobis adultis consentientibus (1. 2, q. 55, a. 4, ad 6; q. 63, a. 3; q. 68, a. 4).

Diximus *cum gratia sanctificante:* id certum est ex Trid., Sess. 6, c. 7 quoad virtutes theologicas; sed eadem est ratio pro donis et aliis virtutibus infusis.

Nota. AUGMENTUM virtutum fit eadem causa, ac earum acquisitio, vel productio. — Hinc, *per quotidianum exercitium* bonorum operum, crescunt virtutes acquisitae, quatenus earum actus expeditius et intensius exercentur; *indirecte* augentur virtutes infusae, quia in subjecto melius disposito, minorem obicem ponenti, et magis merenti, Deus infundit majorem gratiam. — Quoties autem justi, sive suscipiendo sacramenta, sive *ponendo opera supernaturalia,* in accepta justitia crescunt, toties in eis virtutes infusae recipiunt intrinsecum argumentum (*Mazzella,* de Virt. infus., n. 150).

Diximus: *ponendo opera supernaturalia,* opera scilicet in se honesta, quae a motivo supernaturali (fidei, spei, etc.) procedunt, et quae ad Deum per intentionem saltem virtualem referuntur. Haec tria enim, uti docet *S. Alphonsus* cum Suaresio et Silvio, sufficiunt ad augmentum meriti, et consequenter ad augmentum gratiae et virtutum infusarum [1].

§ 2. De virtutum diminutione et amissione.

416. — Alio modo minuuntur et amittuntur virtutes acquisitae; alio modo virtutes infusae.

I. Virtutes ACQUISITAE minuuntur et amittuntur: 1° *Directe,* per iterationem actuum contrariorum; his enim paulatim generatur *habitus vitiosus,* quo plene efformato, excluditur habitus acquisitae virtutis.

Sic, v. gr., Horas recitare indevote, facit ad diminutionem, et tandem ad totalem corruptionem habitus devotionis, pariterque ad generationem habitus contrarii, scilicet indevotionis. — Non sufficit tamen unus actus, etsi intensus, ad tollendam virtutem acquisitam; vitium enim, et ipsum solum, excludit virtutem moralem, sicut peccatum excludit actum virtutis; at ordinarie loquendo, vitium non generatur uno actu vitioso, sed pluribus (cfr. n. 316).

2° *Indirecte,* per cessationem proprii actus. — Cum enim aliquis non utitur habitu virtutis, necesse est proveniant multae passiones et operationes praeter modum virtutis, ex inclinatione appetitus sensitivi, et aliorum quae exterius movent. *S. Thomas* (1. 2, q. 53, a. 2).

417. — II. Virtutes INFUSAE non minuuntur directe et intrinsece, quia indivisibiles sunt sicut gratia; sed *minuuntur indirecte,* seu *dispositive,* tum per cessationem actus proprii, tum per actus contrarios venialiter peccaminosos. — Ratio est, quia, fervore caritatis et virtutum infusarum decrescente, diminuuntur ex parte Dei auxilia gratiae; et ex

[1] Vide Trid. Conc., Sess. 6, c. 10; S. Doctoris Opera dogm. in Trid., Sess. 6, Prooem. n. 88 (ed. Walter, I, p. 514); *Suarez,* de div. Grat., l. 12, c. 10, n. 15 seqq.; *Silvius,* in D. Thom., 1. 2ae, q. 114, a. 4, q. 2, Concl. 2. — Cfr. quae n. 308 diximus, ubi alterius sententiae mentio facta est.

Digitized by Google

altera parte, habitus vitiosi pedetentim efformantur; qua duplici ratione homo disponitur ad mortale, quo gratia et virtutes infusae amittuntur (cfr. n. 344).

Amittuntur autem hujusmodi virtutes: 1° *directe* per actus graviter contrarios; sic, v. gr., per infidelitatem amittitur fides; per desperationem, spes; per quodlibet peccatum mortale, caritas, etc.; — 2° *indirecte* per amissionem alterius virtutis, quae illarum fundamentum et principium est (2. 2, q. 24, a. 10).

Sic, v. gr., amissa fide per infidelitatem, amittitur quoque spes; amissa caritate, amittuntur omnes virtutes infusae, quae in caritate radicantur. Hinc, peccans mortaliter, v. gr. contra castitatem, omnes virtutes morales infusas, et omnia dona Spiritus Sancti amittit. — Remanent tamen in tali peccatore fides et spes, nec non virtutes morales acquisitae, quae vitiis oppositis non excluduntur; sed dicuntur *informes,* ut supra notavimus (n. 380, 4°). Cum autem superinfunditur gratia, denuo formantur, ob caritatem adjunctam, et Deo acceptabiles fiunt.

QUAERITUR. *Utrum virtutes maneant post hanc vitam?*

Resp. 1° In *damnatis* nulla manet virtus: sola remanet inclinatio naturae in bonum, quae vehementem et perpetuum remorsum conscientiae generat.

2° In *beatis* illae manent virtutes, quae nullam important imperfectionem statui eorum repugnantem. — Unde, manent caritas et dona Spiritus Sancti; item, virtutes intellectuales et morales quoad formale, i. e. quoad omne, quod in eis rationis est. — Sed evacuantur *fides* et *spes*. Spes totaliter tollitur in patria, etiam genere, quod est tendentia in bonum absens et futurum. Fides totaliter tollitur numero et specie, non tamen genere, quod est cognitio veritatis (1. 2, q. 67, a. 5).

3° In *animabus Purgatorii* manent fides, spes, caritas, dona Spiritus Sancti et virtutes intellectuales; item virtutes morales, quoad aliquos et multo plures actus quam in beatis, v. gr. fortitudo, quoad actum patientiae (ib., a. 1).

Digitized by Google

PARS SECUNDA

DE PRAECEPTIS DECALOGI ET ECCLESIAE

PROLOGUS

418. — In hac secunda parte, qua THEOLOGIAM SPECIALEM aggredimur, tractandum venit de exercitio virtutum, seu de actibus quibus debitus ordo servatur atque homo finem suum, i. e. vitam aeternam, assequitur. Quae vero hunc in finem agenda vel vitanda sunt, in DECALOGO continentur, juxta illud Domini (*Matth.*, 19, 17): *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Jamvero alia explicite in Decalogo habentur, quae sc. *singulis praeceptis* enuntiantur; alia implicite et quidem dupliciter: sunt enim vel *praeambula ad Decalogum*, nempe virtutes theologicae: FIDES, SPES et CARITAS; vel sunt ejusdem veluti *consectaria*, qualia sunt positivae leges Ecclesiae, quaedam hominum officia strictius definientes, et poenas diversas stabilientes.

Tres igitur erunt sectiones hujus secundae partis:

SECTIO I. — DE PRAEAMBULIS AD DECALOGUM, seu *de Virtutibus theologicis.*

» II. — DE SINGULIS PRAECEPTIS DECALOGI.

» III. — DE PRAECEPTIS ET POENIS ECCLESIASTICIS.

SECTIO PRIMA.

DE PRAEAMBULIS AD DECALOGUM SEU DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

PROOEMIUM.

419. — « Praeambula ad legem, inquit *D. Thomas* (2. 2, q. 22, a. 1), sunt illa, quibus non exsistentibus, lex locum habere non potest. Hujusmodi autem sunt praecepta de actu fidei et de actu spei: quia per actum *fidei*, mens hominis inclinatur, ut recognoscat auctorem legis talem, cui se subdere debeat; per *spem* vero praemii, homo inducitur

Digitized by Google

ad observantiam praeceptorum ». — *Caritas* autem est ipse finis legis, juxta illud (1. *Tim.*, 1, 5): *Finis praecepti est caritas de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta.* Movet enim ad observandam totam legem, juxta illud (1. *Joann.*, 5, 3): *Haec est enim caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus;* universa denique praecepta ad dilectionem Dei et proximi collineant, juxta illud *D. Augustini:* « Quidquid Dei lege prohibemur, et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur et jubemur, ut duo ista compleamus » (tr. 87, vers. fin.).

Tres illae praeambulae virtutes *theologicae* dicuntur, quia ipsum Deum pro objecto habent; eas commemorat Apostolus, scribens ad *Corinthios* (13, 13): *Nunc autem manent fides, spes, caritas.* — Per FIDEM cognoscimus Deum, qui seipsum nobis ut finem assequendum revelavit ac proposuit; per SPEM in Eum erigimur, ita ut beatificam ejus possessionem cum fiducia exspectemus ; per CARITATEM denique Ei adhaeremus, diligendo Eum propter seipsum, et propter Eum proximos nostros.

Tres igitur erunt tractatus:

TRACTATUS I. — *De Fide.*
» II. — *De Spe.*
» III. — *De Caritate.*

TRACTATUS I.

De fide theologica

De tribus in hoc tractatu agemus: 1° de natura fidei; — 2° de necessitate fidei; — 3° de vitiis et peccatis fidei oppositis.

CAPUT I.

De natura fidei.

S. Thomas, 2. 2, q. 2, a. 1 seqq.; *S. Alphonsus*, II, tr. I; ed. G., I, p. 295; H. Ap., IV, 1; *Lugo*, de Virt. Fid., disp. XV; *Suarez*, disp. I et VII; *Wilmers*, de Fide divina; *Lahousse*, de Virt. theol., p. 70; *Scheeben*, Dogmat., I, § 38, etc.

420. — *Praenotanda.* Nomen *fidei* dicit assensum, qui alterius dictis, ob ejus auctoritatem, praestatur. Hic assensus, si datur ob auctoritatem hominis, est fides humana; si ob auctoritatem Dei, est *fides divina.* Haec, si in actu spectatur, dicitur actualis; si in habitu, vocatur habitualis.

DEFINITIO. Fides est virtus theologica a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum, ob divinam veracitatem, omnibus quae Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposuit.

Definitione exprimuntur: 1° objectum fidei materiale; — 2° objectum fidei formale; — 3° subjectum fidei. — De singulis pauca.

Digitized by Google

§ 1. De objecto fidei materiali.

421. — Objectum fidei MATERIALE primarium est ipse Deus, summa in essendo Veritas; secundarium sunt aliae veritates a Deo nobis revelatae. — Ad rem sic *Concilium Vaticanum* (Const. *Dei Filius,* III): « Fide *divina et catholica* ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata, credenda proponuntur ».

S. Concilium dicit 1° *Quae in verbo Dei scripto, vel tradito, continentur;* tum ad indicandum duplicem totius revelationis fontem, i. e. Sacram Scripturam et traditionem; tum ad excludendas quascumque alias revelationes factas quibusdam Sanctis, quae de se objectum fidei catholicae fieri non possunt.

2° *Ab Ecclesia tanquam divinitus revelata proponuntur,* ad indicandum divinitus institutum organum, a quo solo homines, quae fide divina et catholica credenda sint, edoceri possunt [1].

3° *Quae sive solemni judicio... proponuntur,* ad indicandum modum extraordinarium, quo Ecclesia subinde uti solet, in proponendis fide *divina et catholica* credendis veritatibus; cum nempe per Summum Pontificem loquentem *ex cathedra,* aut per episcopatum in concilio oecumenico congregatum, quaedam puncta singulariter ac determinate definit, et credenda injungit. Veritates sic solemniter propositae appellantur *fidei dogmata definita* et error contrarius ac pertinax, ut *haeresis* habetur. — Qua eadem appellatione denotandae sunt illae etiam veritates, quae in S. Scriptura immediate apparent contentae, v. gr. Christi nativitas in Bethlehem, ejus agonia, flagellatio, etc.; nam et hae veritates per solemnem Ecclesiae propositionem innotescunt, nempe per illam generalem, qua totam Scripturam divinitus inspiratam esse definivit.

4° *Sive ordinario et universali magisterio,* ad indicandum modum ordinarium, quo Ecclesia utitur in proponendis fidei veritatibus: cum nempe per suos pastores et doctores *universaliter* affirmat certas veritates esse a Deo revelatas; tametsi nullis sint conciliorum aut Romanorum Pontificum decretis definitae. Et hujusmodi fidei puncta fide *divina-catholica* credenda sunt.

Veritates, quae a Deo modo particulari revelatae sunt, *fide simpliciter divina* sunt credendae; ast explicite *ab illis solis,* quibus modo certo innotescunt, v. gr. a solo illo theologo qui in S. Scriptura veritatem evidenter reperit, a sola illa persona quae divinam revelationem accepit (VII, 262).

§ 2. De objecto fidei formali.

422. — Objectum FORMALE fidei est auctoritas Dei revelantis, qui cum sit summa Veritas, nec falli nec fallere potest. Unde SS. Vaticanum Concilium (l. c.) definivit: « fidem... virtutem esse supernatura-

[1] « Quae vero Ecclesia tradit non tanquam revelata, sed tanquam connexa cum revelatis, vel ex his ratiocinando deducta, an fidei divinae objectum sint, non constat. Plerique haec referunt ad fidem ecclesiasticam, seu mediate divinam... Haec fides dicitur *mediate divina,* quia Ecclesiae magisterii auctoritas est divinitus revelata, et ideo, qui propter auctoritatem, seu infallibilitatem Ecclesiae docentis credit, mediate nititur revelatione divina, ex qua constat infallibile magisterium Ecclesiae ». *Piscetta,* II, n. 5.

Digitized by Google

lem, qua... ab eo revelata vera esse credimus; non propter rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed *propter auctoritatem* ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ».

Ex his colliges: 1° Assensum fidei formaliter in primam veritatem revelantem, vel ipsam Dei revelantis auctoritatem resolvi (*Becanus*, de Virt. theol., c. 8, q. 8; *Tanquerey*, II, 618).

Diximus: *resolvi formaliter;* nam *dispositive*, resolvitur in motiva credibilitatis; *directive*, in auctoritatem Ecclesiae proponentis et decernentis quid sit credendum; *effective*, in Deum et habitum fidei infusum. Cfr. n. 423.

2° Cognitio fidei *certior* est quavis cognitione naturali. Ita *S. Thomas* (2. 2, q. 5, a. 8, ad 2).

3° Fides divina et catholica est necessario *universalis*, id est complectens omnes veritates divinitus revelatas et ab Ecclesia ceu tales propositas. Ratio est, quia objectum formale fidei est auctoritas Dei revelantis. Qui ergo unum fidei articulum, v. gr. aeternitatem poenarum inferni scienter rejicit, neque quoad ceteros fidem theologicam habere potest.

§ 3. De subjecto fidei.

423. — Subjectum fidei est intellectus, qui movetur a voluntate, ut credendis assentiat. Id exprimitur in definitione his verbis: *inclinans nos ad assentiendum.*

Fides est in intellectu tanquam in subjecto; sed quia fides pertinet ad intellectum, secundum quod movetur a voluntate, debet etiam inesse habitus in voluntate, scilicet caritas, ut actus fidei sit perfectus, i. e. ut procedat connaturaliter ab utraque potentia, et sit meritorius; non tamen ut sit perfectus in ratione assensus: ad hoc enim sufficit firma adhaesio intellectus ex pia motione voluntatis, absque habitu (*Billuart*, de Fide, Diss. 3, a. 1).

Ex dictis, actus fidei *definiri* potest: Actus, quo intellectus a Deo per gratiam illustratus, ex imperio voluntatis per divinam gratiam pariter excitatae et adjutae, credendis assentit.

CAPUT II.

De necessitate fidei.

S. Thomas, 2. 2, q. 2, a. 3-8; *S. Alphonsus*, II, 2; VI, 505; H. Ap., IV, n. 3; *Billuart*, de Fid., disp. 3; *Pesch*, n. 426-465; *Lahousse*, de Virt. theol., disp. II, c. V, a. 4; *Viva*, Thes. damn., P. I, prop. I.

424. — *Praenotanda.* 1° Duplex distinguitur necessitas quoad salutem, alia medii, alia praecepti: *a*) Necessarium *necessitate praecepti* illud est, quod inculpabiliter omissum saluti non officit, ut *realis* Eucharistiae susceptio. — *b*) Necessarium *necessitate medii* est illud sine quo, etiam inculpabiliter omisso, in praesenti ordine Providentiae, salus obtineri nequit.

Digitized by Google

Ista medii necessitas iterum duplex est: *stricta,* si nullo alio medio suppleri potest; sic gratia sanctificans in ultimo momento vitae est stricte necessaria ad salutem; *lata* vero, si adest aliud medium supplendi. Sic, v. gr., caritas in locum baptismi succedere potest. Cfr. n. 1451.

2° Certum est, FIDEM HABITUALEM esse stricte necessariam, necessitate medii, ad vitam aeternam. Nemo enim salvari potest sine justitia habituali infusa. Sed habitus fidei est vel pars vel fundamentum hujus justitiae. Ergo. — Haec autem fides, in baptizatis infantibus et perpetuo amentibus, ad salutem sufficit, cum aeque certum sit, omnes cum gratia baptismatis decedentes, vitae aeternae fieri participes (*Suarez,* disp. 12, s. 1, n. 4).

Quaestio igitur tota est de FIDE ACTUALI, et quidem de *fidei actu* tum *interno,* tum *externo,* respectu ad adultos, qui rationis usu fruuntur.

Actus internus fidei potest esse vel explicitus vel implicitus. Dicitur *explicitus,* quando Veritati revelatae in suis terminis apprehensae adhaeretur: v. gr. credo Christum esse Verbum Incarnatum. — Dicitur *implicitus* quando adhaeretur Veritati revelatae, contentae in alia Veritate propriis terminis apprehensa: v. gr. credo omnia quae ut revelata proponuntur ab Ecclesia.

§ 1. De necessitate fidei quoad actum internum.

425. — PRINCIPIA. I. **Actus internus fidei, omnibus adultis, ad justificationem necessarius est necessitate medii.** Constat ex Scriptura (*Epist. ad Hebr.,* 11, 6): *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Et ex Tridentino (Sess. 6, c. 6): « Sine fide nulli unquam contingit justificatio ». Deus non justificat adultos, nisi per proprios actus in ipsum tendant.

Nec sufficit fides in *voto* vel *fides improprie seu late dicta* [1]; nam fides proprie dicta (juxta Trid., Sess. 6, c. 8) « est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis », ac proinde nihil praesupponit, in quo ejus votum includatur. Hanc conclusionem adeo certam judicat *Suarez* (disp. 12, s. 2, n. 101) ut eam, absque errore in fide, rejici posse neget. — Nec tamen inde inferri potest, esse homines qui in proprie dicta salutem obtinendi impossibilitate versentur. Etenim, « facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam ». — Unde *D. Thomas* (de Verit., XIV, a. 11, ad 1): « Si quis, inquit, in silvis vel inter bruta animalia enutritus..., ductum naturalis rationis sequeretur, in appetitu boni et fuga mali; certissime tenendum est, quod ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ». Cfr. *S. Alph.,* Gran mezzo della pregh., P. II, c. 4.

[1] Sunt inter recentes theologos, qui docent (ut *Fr. Smid,* apud *Noldin,* de Fide, n. 7) sufficere aliquando (ut via salutis extraordinaria) eam fidem qua mens veritatem, naturali lumine rationis cognitam, sub actuali gratiae influxu amplectitur. Ast contraria doctrina tenenda est cum D. Thoma et aliis. Cfr. *Piscetta,* II, n. 13.

Digitized by Google

426. — II. Actus fidei est omnibus necessarius necessitate praecepti. Constat ex Scriptura (*Marc.*, 16, 16): *Qui non crediderit, condemnabitur.* Item ex duplici propositione damnata ab Innocentio XI, nempe 16ª: « Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se »; et 17ª: « Satis est actum fidei semel in vita elicere ».

Haec obligatio eliciendi actum fidei potest esse aut *propter ipsam fidem* aut propter aliam obligationem. De priore sic loquitur *S. Alphonsus:* « Certum est, inquit, hominem teneri, ex lege naturali, ad Deum per fidem, spem et caritatem se convertere, et ideo elicere earum virtutum actus, cum quaeque virtus suis actibus vivat » (II, 6).

Hinc urget PRAECEPTUM FIDEI: 1° *Per se,* i. e. independenter ab omni alia circumstantia: *a*) in initio vitae spiritualis, i. e. quando quis, v. gr. puer vel acatholicus, noverit tum ea, quae credere oportet, tum credendi obligationem (cfr. n. 436); item quando aliqua veritas credenda ab Ecclesia proponitur; — *b*) saepius in vita, semel saltem in anno, ut satis probabiliter DD. admittunt (II, 7); — *c*) in mortis articulo vel periculo, ut communius docetur, quia tunc maxime tenemur tendere in Deum, ut finem nostrum ultimum (II, 5; H. Ap., IV, 13; Conf. dir., IV, 6).

2° *Per accidens,* i. e. ex peculiari circumstantia: *a*) urgente gravi contra fidem tentatione, quae aliter vinci nequit; — *b*) quando adimplendum est praeceptum, quod fidem requirit, v. gr. poenitentiae, professionis fidei, communionis, etc; — *c*) post lapsum in haeresim, aut fidem negatam; quia reparanda est injuria primae Veritati illata. Ita omnes (II, 5).

Adverte: 1° Numquam stricte tenemur ad recitandas formulas consuetas actus fidei. Homo qui christiane vivit (saltem praeceptum paschale adimplendo), sufficienter satisfacit praecepto fidei (et spei), quia in illo, qui veritates fide tenendas jam didicit et credidit generatim, *sufficiunt actus impliciti* seu exerciti, ut sunt orare, adorare crucifixum, signare se signo crucis (II, 7). Cfr. *Ferreres,* I, 188.

2° Haereticus, quamdiu suam sectam judicat esse credibiliorem, vel aeque credibilem, catholicos rejicere et persequi verbum Dei, *non tenetur credere,* quia fides nondum est ipsi sufficienter proposita, ageretque imprudenter. Cfr. n. 441.

3° « Si cui oriatur dubium de sua secta, tenetur ulterius inquirere et a Deo petere lumen: quod si negligat, peccat contra fidem. Quod si deinde nostra fides ei sufficienter proponatur, tenetur eam amplecti » (II, 9).

427. — Quaesita. QUAER. 1° *Quaenam sint scienda et explicite credenda* DE NECESSITATE MEDII?

Resp. 1° Sunt duo: *a*) quod Deus sit; — *b*) quod sit remunerator boni, et vindex mali. Apostolus enim (*Hebr.*, 11, 6) ait: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

Digitized by Google

Constat etiam ex 22ª prop. ab Innoc. XI damnata, quae dicebat: « Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris » (II, 2; Exam. Ord., n. 131).

2° Quoad *mysteria* SS. TRINITATIS et INCARNATIONIS et MORTIS JESU CHRISTI, controvertitur. — Prima sententia satis probabilis *negat* ea esse explicite credenda, hac suffulta ratione, quod, promulgatione facta Evangelii, non in deterius mutata fuit conditio eorum, qui de Christo nihil audierunt; unde nunc, ut olim, salvari queunt credentes fide explicita in Deum remuneratorem, et implicita in Redemptorem. Ita plurimi recentiores cum Lugo, Sylvio, etc. — Secunda vero sententia, quae videtur S. Alphonso probabilior, *affirmat;* quia multi textus S. Scripturae et SS. Patrum, fidem in Christum exigere videntur, ut homo uniatur suo Redemptori et per hanc unionem justificetur. Ita communius antiqui theologi.

Huic sententiae favet (maxime pro praxi) responsum Congr. S. OFFICII, quae interrogata *utrum adultus, qui in mortis articulo versaretur, quique promitteret fore ut, post recuperatam sanitatem, fidei veritates addisceret, baptizari posset,* rescripsit, die 25 Jan. 1703: « non sufficere promissionem; sed missionarium teneri adulto, *etiam moribundo*, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, *quae sunt necessaria necessitate medii,* ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis ». Quod decretum innovatum fuit die 30 Mart. 1898 (*Mon. eccl.*, X, P. II, p. 30).

Pro praxi demum urget propositio 64ª damnata ab Innocentio XI: « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; et etiamsi, per negligentiam etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis D. N. Jesu Christi ».

Ex his conclude: 1° Peccat CONFESSARIUS, absolvendo (extra casum necessitatis) eum qui ignorat praedicta mysteria, cum sacramentum periculo nullitatis exponat. Debet igitur istiusmodi poenitentem vel prius instruere, vel dimittere, donec instructus fuerit. Sed praestat breviter eum docere, et elicere cum eo actus fidei, spei, caritatis et contritionis (Prax., n. 22). — 2° POENITENS, qui advertit confessionem suam, ob talem ignorantiam, fuisse probabiliter validam, sed etiam probabiliter nullam, tenetur, mysteria illa edoctus, confessionem iterare. Ratio est, quia « respectu ad eum qui certo graviter peccavit, semper urget ac possidet antecedenter obligatio explendi confessionem, non tantum probabiliter, sed certo validam » (cfr. n. 83). Ita *S. Alphonsus* (II, n. 2, in fine) priorem sententiam reformans. Vide ed. G., I, p. 298.

Nota. Ignorantia invincibilis circa praecitata mysteria apud nos vix dari potest. Si quis adeo hebes exsistat, ut ea capere non possit, infanti potius est assimilandus (*Aertnys*, II, tr. 1, n. 4; *Tanquerey*, II, n. 438).

QUAER. 2° *Quaenam sint credenda vel scienda,* DE NECESSITATE PRAECEPTI?

Resp. « Explicite *de necessitate praecepti,* debent sciri et credi, *saltem in substantia,* uti docet *S. Carolus Borromaeus* (Instr. ad Conf.): symbolum Apostolorum; oratio dominica et salutatio angelica; praecepta

Digitized by Google

Decalogi et Ecclesiae; sacramenta quae cuilibet sunt necessaria, ut baptismus, Eucharistia, et poenitentia; ceterorum enim sufficit habere fidem implicitam, cum explicita sit tantum necessaria illis, qui ea suscipiunt » (H. Ap., IV, 3; Conf. dir., IV, 2).

Hinc: 1° Peccant (mortaliter, vel venialiter, pro gravitate materiae), qui praedicta addiscere negligunt [1], item pastores, qui suas oves, sicut et parentes ceterique Superiores, qui suos filios subditosve ea, per se aut per alios, non docent. — 2° Qui praedicta etiam inculpabiliter ignorat, prima quidem vice absolvi potest, modo admonitus ea discere firmiter proponat. Si autem postea obligationem adimplere omnino neglexerit, tractandus est ut recidivus (confer n. 1829). — 3° Qui eadem memoriter addiscere negligit, venialiter peccat. Haec autem obligatio levis maxime urget rudes, quia alioquin vix habere possunt sufficientem eorum cognitionem (II, 3; Prax., n. 22).

§ 2. De necessitate fidei quoad actum externum.

Fidem etiam exterius profiteri debemus, juxta verba Christi Domini (*Luc.*, 9, 26): *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua;* et Pauli (*Rom.*, 10, 10): *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Accedit ratio, quod Ecclesia suos fideles cognoscere debet.

Hoc praeceptum est simul affirmativum et negativum.

428. — Principia. I. **Praeceptum profitendi fidem, quatenus est affirmativum, obligat, certis in adjunctis, vel jure divino, vel jure ecclesiastico.**

1° Jure *divino* (seu *naturali*) datur obligatio fidem exterius profitendi in duplici casu « scilicet, cum (per omissionem professionis) vel *honor Deo* debitus, vel *utilitas proximo* impendenda, privative, vel contrarie subtraheretur ».

Diximus: *a*) ***privative,*** ut si ideo cessaret magnus honor in Deum, vel utilitas in proximum redundans; — *b*) ***contrarie,*** ut si alioqui Deus afficeretur injuria, vel proximus gravi malo, v. gr. si inde penderet aliorum conversio aut perversio, contemptus religionis, scandalum, etc. Actus enim virtutis tunc videtur praeceptus, quando est necessarius ad finem praecepti, quod hic contingit, quia finis praecepti est caritas (II, 10).

Hinc, « si haeretici conculcent imagines, aliisque injuriis fidem afficiant, tenetur eam sua confessione tueri catholicus, si quidem inde prudenter speret profectum ». Secus vero, si honor Dei et proximi utilitas suadeant prudentem dissimulationem (II, 11).

2° Jure *ecclesiastico* alii tenentur ***solam professionem*** fidei emittere, alii professionem fidei *una cum juramento contra modernismum.*

[1] Ex hoc tamen non conclude, omnia, in Symbolo contenta, ex praecepto esse addiscenda, v. gr. Jesum Christum esse passum *sub Pontio Pilato*. Hoc vel aliud simile non addiscere, non est peccatum. Vide *Lehmkuhl*, I, n. 394.

Digitized by Google

AD SOLAM PROFESSIONEM FIDEI tenentur, praeter baptizandos (qui scilicet tenentur per patrinos, si infantes sint), et probabilius per se, non per procuratorem: *a*) *Primates, Archiepiscopi* et *Episcopi,* in prima synodo provinciali, cui intersunt (Trid., Sess. 25, de Ref.) [1]; — *b*) *omnes beneficiati,* qui de jure intersunt synodo dioecesanae, prima vice (ib.); — *c*) omnes *praelati* religionum; item omnes promovendi in doctores, magistros, regentes et professores, ubi viget decretum Pii IV hac de re [2]; — *d*) *haeretici* ad Ecclesiam redeuntes, qui tenentur et haeresim abjurare, et expressam fidei professionem emittere coram testibus, prout passim fit, et ratio suadet, atque jus firmat. Cfr. n. 1833.

AD PROFESSIONEM FIDEI UNA CUM JURAMENTO CONTRA MODERNISMUM tenentur: *a*) *ordinandi* majoribus ordinibus, saltem ante Subdiaconatum; — *b*) sacerdotes, antequam donentur facultate *excipiendi confessiones* vel *concionandi* (praesertim solemniter tempore Quadragesimae), non tamen quoties facultas prorogatur; — *c*) *parochi* (etiam succursalistae), *canonici, beneficiati,* sine mora ante ineundam beneficii possessionem (renovanda est fidei professio, quando ad aliud beneficium transferuntur); — *d*) *officiales* omnes Curiarum episcopalium, tribunalium, Congregationum Romanarum; — *e*) *lectores* theologiae et philosophiae in Seminariis clericorum saecularium et in Collegiis religiosorum, *quotannis* ante auspicandas praelectiones; — *f*) *moderatores religiosorum* antequam officium ineant. Cfr. Motu-proprio *Sacrorum Antist.,* 1 Sept. 1910; declar. S. C. Consist., 25 Sept., 25 Oct., 17 Dec. 1910; 10 Febr. 1911; *Vermeersch,* Period., V, p. 197, 229, 252, 271; *Hilling,* die Reform. des Papst. Pius X, I, p. 184.

Nota. 1° Obligatio de se *gravis* est. Afficit tamen primario Superiores, qui debent ad profitendum subditos vocare. — 2° *Assensus internus* diversus est pro diversis punctis: est assensus fidei in professione fidei; est assensus diversi certitudinis gradus, juxta puncta in juramento assignata, uti constat ex variis expressionibus singulas partes concomitantibus, v. gr. *admitto, agnosco, teneo, firma fide credo, prorsus rejicio, certum teneo,* etc. — 3° *Modus* emittendi est, ut juramentum in scriptis, equidem conservandis, dentur *respectivo Superiori,* pro vario nempe titulo quo quis profiteri debeat. Ita, v. gr., religiosorum moderatores et lectores, qua tales, profiteri debent coram moderatore vel immediato vel majore; ordinandi, etiam religiosi exempti, coram Episcopo, vel Vicario generali, qui prius ipse professionem fidei fecerit. — In casibus particularibus, justa de causa, *delegari potest,* ad recipiendam professionem, sacerdos aliquis sive saecularis sive regularis in aliqua dignitate vel officio constitutus. — 4° *Exceptio* facta est in Germania pro iis tantum qui sunt Doctores in Universitatibus publicis Status, ita ut, ex benigna Pontificis interpretatione, jure suo utantur, non emittendo juramentum. — 5° S. Officio denuntiandi sunt non solum ii, qui juramentum violaverint, sed et qui huic subscribere renuerint.

429. — II. Praeceptum profitendi fidem, quatenus est negativum, prohibet: fidem veram negare, falsam profiteri, vel simulare. Prohibet haec tria etiamsi externe fierent (II, 12).

[1] Hodie omnes ad episcopatum promoti etiam privatim professionem fidei emittunt in manibus Nuntii Apostolici vel alterius Episcopi a Rom. Pont. ad hoc deputati (*Gén.,* I, 197). — [2] Cfr. *De Ang.,* Prael. Juris can., l. I, tit. 1, n. 2, ubi monet: « Constitutionem Pii IV non esse usu receptam quoad illos praelatos, qui non a S. Sede, sed a Superioribus suis vel a capitulo, regimini regularium praeficiuntur ».

Digitized by Google

1° *Fidem veram negare.* Dicit enim Apostolus (*2. Tim.*, 2, 12): *Si negaverimus, et ille negabit nos.* — Unde, Ecclesia semper gravissimis poenis eos mulctavit, qui in persecutionibus fidem negaverant. Exterior enim fidei negatio est mendacium proximo nocivum et Dei veratati summopere injuriosum.

2° *Falsam profiteri.* Hoc enim est manifeste verae fidei abrenuntiare.

Hinc, graviter contra fidem peccat qui, etiam a privato, de sua religione interrogatus, respondet se esse Turcam, vel Judaeum, aut Gentilem; hoc enim perinde est ac se Christianum negare. — Non vero mortale nec contra fidem esset, si quis negaret se esse sacerdotem, religiosum, vel missae sacrificio fuisse praesentem (*Piscetta*, II, p. 22).

3° *Falsam simulare;* minime enim interest, utrum quis verbo an facto mentiatur. — Hinc Benedictus XIV, anno 1742, declaravit, non licere Sinensibus Christianis externa adorationis signa exhibere idolo, quamvis intentio dirigeretur ad crucem sub veste latentem (*Scavini*, l. 2, n. 820, 4°; *Zitelli*, App. Jur. eccl., l. II, App.).

430. — Quaesita. QUAER. 1° *An liceat fidem* OCCULTARE, *seu dissimulare?*

Resp. 1° Quando *urget* praeceptum illam exterius confitendi, *non licet*, ut diximus supra (n. 428, 1).

Hinc merito, utpote nimis generalis, ab Innocentio XI damnata est 18ª propositio: « Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno ». Cfr. *Viva*, P. II, in h. prop.

2° Quando praeceptum *non urget, licet*, justa de causa, occultare fidem, seu veritatem tegere verbis, aliisve signis ambiguis et indifferentibus.

Hinc, de fide extra juris ordinem interrogatus, potest tacere, vel respondere obscure. « Generatim enim verum non est, quod interrogatus (etiam auctoritate publica) teneatur positive fidem profiteri, nisi quando id necessarium est, ne praesentibus videatur fidem negasse » (II, 13, 2). — Multo magis poterit quis responsum negare iis qui curiositate ducti interrogant, nisi rogatus de fide in odium religionis, praesentibus videretur negare religionem veram.

Nota. Qui tempore persecutionis *fugit*, non censetur fidem suam occultare. Cfr. *Matth.*, 10, 23. — Tenentur tamen pastores animarum suas oves non dimittere (II, 14).

QUAER. 2° *An liceat uti* SIGNIS *aut* VESTIBUS *infidelium?*

Resp. 1° Si vestes aut signa sint illi regioni propria, etsi tota regio sit infidelis, licet; haec enim, per se, non referuntur ad religionem. — 2° Si sint vestes vel signa *religiosa*, distinguendum: vel sunt communia, tunc illis uti licet, dummodo gravis subsit causa; vel sunt caeremonialia et religionis professionem indicant, tunc non licet nisi ex gra-

Digitized by Google

vissima causa (*Piscetta,* II, p. 23). — 3° Si vero vestes aut signa haec ex natura sua, vel ex usu, sint *unice protestativa* falsae religionis (uti essent apparatus et vestes quorum usus est in sacrificiis, aut quaedam signa sectae massonicae) nullo modo licet, nisi necessitas abesse faciat omnem significationem religiosam, v. gr. in incendio.

QUAER. 3° *An catholici, in consuetudine* VITAE COMMUNIS et PUBLICAE, *positive fidem profiteri teneantur?*

Resp. Affirmative; quia etiam in ordine rerum terrenarum, oportet omnia ad summum bonum tanquam ad finem ultimum dirigere. — Praeterea, omnes actiones humanae, saltem in concreto, cum jure naturali et divino congruunt aut discrepant, proindeque judicio et jurisdictioni Ecclesiae subsunt. Sufficit tamen, si, per actum exercitum, in vita civili catholici fidem profiteantur, et exerceant actus externos, quando exerceri debent. (*Mausbach,* Kath. Mor., s. 365).

Hinc: 1° Catholici, singuli vel consociati, agnoscere debent jura *auctoritatis Ecclesiae* in controversiis et causis socialibus, v. gr. de spatio operae, de modo salarii, de voluntaria cessatione laboris, etc. — 2° Societates quae primario et principaliter bonum temporale unius alteriusve ordinis vitae civilis prosequuntur (sicuti sunt associationes ad litteras et artes colendas, ad sortem temporalem opificum promovendam, ad partes politicas sustinendas), ob quaestiones mixtas quae non possunt non occurrere pro catholicis, de se *confessionales esse debent.* — Tolerantur tamen hujusmodi societates interconfessionales, ubi *justa causa* suadet, uti esset magnum vitandum incommodum, dummodo adhibeantur *cautiones idoneae* ad declinanda pericula pro fide et religione, quibus necessario in talibus coetibus viri catholici exponuntur. — 3° Modus quo societates confessionales catholicae et non catholicae communi bono adlaborare possunt, hic praeferendus est: distinctione remanente et cautione adhibita speciali, potius exteriori inter se jungantur foedere. Cfr. Ep. *Leonis XIII,* Maii 1892; Litt. *Graves de Communi* (*A. S. S.*, 33, p. 385; Ep. *Pii X* ad Sillonnistas 22 Nov. 1909 et 25 Aug. 1910; Ep. Enc. *Singulari quadam caritate,* 24 Sept. 1912. Cfr. etiam *Mausbach,* die Kath. Moral., p. 2, c. 9 et 10; *Ami du Clergé,* 1913, Les cath. et les œuvres non confessionnelles; *Hiptmair,* in period. *Linz. Quart. Schr.,* 1914, artic. *Kirchl. Zeitläufe.*

431. — *Ex dictis resolves:*

A. CIRCA OCCULTATIONEM FIDEI:

1° « Cum non rogaris de fide, saepe melius est, ad Dei honorem et utilitatem proximi, *tegere fidem,* quam fateri: ut si latens inter haereticos plus boni facis; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v. gr. exacerbatio tyranni, periculum defectionis, si torquereris ».

2° « Redimere *pecunia,* ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est, et saepe magna virtus discretionis est, vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis ».

3° « Licitus item modus est, cum catholicus transit per loca haeretica, et periculum grave ei imminet (vitae, v. gr., vel bonorum), ad dissimulandam fidem, *vesci carnibus* die prohibito, quia praeceptum Ecclesiae non obligat sub tali periculo » (II, 14, 15). Cfr. tamen n. 154, 3°.

Digitized by Google

432. — *B.* CIRCA COMMUNICATIONEM CUM ACATHOLICIS.

Praenotanda: a) Sermo est de communicatione ***in divini cultus exercitio*** vel in his vitae civilis actibus quae ***religione*** consecrantur, ut, v. gr., in matrimonii celebratione, in justis funebribus.

b) Communicatio haec esse potest *activa;* cum, videlicet, catholicus interest sacris acatholicorum: vel *passiva,* videlicet, cum acatholici, consentientibus catholicis, horum sacris intersunt.

c) Rursus esse potest publica vel privata. *Publica* est, si catholicus interest sacris quae acatholicorum coetus, prout coetus est, celebrat: v. gr. sacris quae in templo acatholicorum fiunt. *Privata* est, si particeps est rei sacrae quae fit ab acatholico ceu homine privato, non ceu ministro sectae; ut si v. gr. cum acatholico orationem dominicam recites.

433. — In specie ergo:

I. CIRCA COMMUNICATIONEM ACTIVAM.

1° Audire *conciones haereticorum* generatim non habetur ceu signum professionis fidei; quamvis ab iis, si adsit scandalum, periculum, aut specialis prohibitio, certe abstinendum sit. Sic Paulus V (Brevi 16 Sept. 1606) vetuit Anglis, ne legi id praecipienti obtemperarent (II, 16, 13°).

2° *Funus deducere,* usque ad fores templi vel coemeterii, censetur civile obsequium. — Caeremoniae autem religiosae interesse, *regulariter* non licet, quia ordinarie communionis in sacris rationem habet, vel speciem prae se fert. Excipe, si ex circumstantiis loci, temporis, etc., aliud significetur (II, 16; *Gury-Cretoni,* I, p. 555).

3° Adstare *nuptiarum celebrationi,* v. gr. tanquam domicella honoraria, aestimatur plerumque tanquam testificatio obsequii erga sponsos, quin idcirco ritus haeretici probentur. — Ceterum, catholicus qui, spretis Ecclesiae legibus, nuptias coram acatholicae religionis ministro contrahit, excommunicationem incurrit, et nemo catholicus potest sua praesentia id probare. Imo parentes et sanguine conjunctiores id positive improbare generatim tenentur (*Kon.,* 254, 2°). Cfr. n. 1314.

4° Potest *famulus,* exemplo Naaman Syri (4. *Reg.,* 19), herum ad templa haeretica curru vehere, vel hujus filiam aut uxorem ad ea, tutelae causa, comitari, ita tamen, ut haereticos ritus non participet; item infantes baptizandos deferre et brachio sustinere, dum ab haeretico praecone baptizantur. Haec enim omnia ad *famulatum* pertinent, neque ullum cultus consortium attestantur (II, 16, 12°).

5° Qui coenam aut sacram communionem, tempore etiam paschali mortisve in periculo: — aut absolutionem, praeterquam in mortis articulo vel periculo; — aut baptismum, nisi deficiente quolibet alio baptizante catholico, ab haereticis ministris, sive a schismaticis sacerdotibus recipit; — aut coram eis matrimonium religiose contrahit, *peccati mortalis* contra fidem reus est (II, 16, 14°).

6° Qui, ritus religiosi causa, in templis haereticis canunt hymnos, organa pulsant, ministro respondent, plane *cultus participes* fiunt, ideoque fidem quodammodo produnt. — Qui templa aedificant, instaurant, verrunt, non semper videntur consortium religionis inire; sed operam quamdam praestant, a qua abstinendum est, praesertim in regione catholica, nisi gravissima urgeat causa (*Kenrick,* tr. 13, n. 37; *A. S. S.,* vol. 11, p. 174). Cfr. n. 523, 2°.

7° Non licet *ludimagistris* pueros docere hymnos protestanticos, vel catechismum haereticum, aut protestanticam Sacrae Scripturae versionem adhibere, licet parentes, aut rectores scholarum, id expetant (*Kenrick,* tr. 13, n. 38).

Digitized by Google

8° Non licet adire *concentus musicos* haereticorum, si loci occasione, concentus induunt cultus rationem vel si horum proventus in haeresis utilitatem cedit, aut alias haeresi favetur (ib., n. 39).

9° Cum haereticis *orantibus* (sive publice sive privatim, sed non formaliter) genua flectere, non videtur esse fidei negatio; intelligitur enim fieri urbanitatis causa, dummodo illud *aliquoties* tantum fiat. — In his vero *mos* est omnino improbandus, utpote favens haeresi ac plenus periculi. Idcirco famulis quos domini solent ad id urgere, nullatenus est permittendum. — Idem resolve de famulo, qui juberetur domino caecutienti, vel infirmo, biblia protestantica praelegere (*Kon.*, n. 254, 5°).

II. Circa communicationem passivam.

Haec duplici modo fieri potest: mere passive seu negative, vel active seu positive, quando acatholici quid positive operantur seu conferunt.

1° Permittitur communicatio negativa; v. gr. admitti potest acatholicus ad audiendas conciones catholicas, ad assistendum S. Missae sacrificio, ad participandum sola sua praesentia ceremoniis ecclesiasticis.

2° Interdicitur vero communicatio positiva, juxta supra dicta, quia recidit facile in communicationem illicitam, et, ubi formalis est, evadit signum unitatis duarum confessionum religiosarum.

3° Ita intelliguntur plures decisiones SS. RR. CC. circa acatholicorum invitationem in chorum, praestationem pacis, cinerum, candelarum, admissionem ad faces et luminaria deferenda, instrumentum pacis osculandum, cadaverem in funeribus ferendum vel linteum tenendum et etiam separatim et non sine scandalo in choro musico cantandum.

4° Licet invitare acatholicos ad organa pulsanda.

5° Quoad admittendas puellas protestanticas vel schismaticas in catholicis domibus educationis, plura exstant decreta praesertim pro domibus in Italia sitis, et dantur praescriptiones pro Superiorissis eorumdem Institutorum. Cfr. *Ami du Clergé*, 1908, p. 445; *Monit. eccl.*, X, 86; XI, 434.

Responsa quaedam SS. Congregationum.

1° Ad dubium: *An liceat catholicis adire templa haereticorum*, S. Congr. S. Officii, die 14 Januarii 1718, resp.: « Licere, si adeant merae curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris, in qua talis aditus communiter habeatur pro actu protestativo falsae religionis; quandoquidem sicuti profana aedificia, sic et templa haereticorum adire, est actus per se indifferens, qui non nisi a pravo fine, vel ex circumstantiis efficitur malus ».

2° Eadem S. Congregatio, die 10 Maii 1770, decrevit: « Catholicis *regulariter* non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse ». — Munus etiam *patrini*, in haereticorum baptismate, suscipere, eodem decreto districte prohibetur (cfr. Intr. Card. Vicarii, 7 Jul. 1878, ap. *Gury-Cretoni*, I, p. 554; *Lehmkuhl*, I, 816).

3° S. Congr. de Propag. Fide, anno 1674 interrogata: *An catholici missionarii, a schismaticis rogati, in horum ecclesiis praedicare possint*, respondit: « Vel invitantur ad effectum, ut ibi praedicetur veritas catholica indefinite, et etiam contra errores eorumdem schismaticorum, et *affirmative*; vel tantum ut sermo fiat de virtutibus et vitiis, quae communiter, tam a catholicis quam a schismaticis, exerceri ac vitari debent, et *negative* ». *Scavini*, II, n. 911, 14°).

4° Congr. S. Officii interrogata: « An liceat monialibus curam infirmorum gerentibus in hospitio *advocare ministrum haereticum*, qui religionis causa peteretur ab infirmo haeretico; item, an id liceret catholico, in cujus

Digitized by Google

domo aegrotaret haereticus?» respondit die 15 Martii 1848: *Juxta exposita, non licet; passive se habeant*[1]. — Quod responsum innovatum fuit ab eadem S. Congr. die 5 Febr. 1872 et die 14 Dec. 1898 (*N. R. Th.*, 31, p. 402). — Secus tamen, ut patet, si petente infirmo, imminerent ex denegatione mala majora, v. gr. desperatio, clamitationes in Ecclesiam, blasphemiae, scandalum aliorum, etc. Tunc posset licite advocari ministellus, *ut visitet aegrotum* (*Scavini*, l. c., 8°; *Kon.*, 313, 3°; *Monit. eccl.*, IX et X).

N. B. Alia vide n. 447 seqq., ubi de periculis fidei, et n. 523, ubi de cooperatione, et ap. *Lehmkuhl*, I, n. 809; *Villada*, Cas. consc., II, 52.

CAPUT III.

De peccatis fidei oppositis.

S. Thomas, 2. 2, q. 10-12; *S. Alphonsus*, II, 17; ed. G., I, p. 309; *Lugo*, disp. XVIII seqq.; *Aertnys*, l. II, n. 9; *Lehmkuhl*, I, 410; *Tanquerey*, II, n. 655; *Gury-Ferreres*, I, n. 205 seq.; *Göpfert*, I, § 47.

434. — Virtuti fidei opponitur, per EXCESSUM, *temeraria credulitas*, qua, ex cordis levitate, creduntur res tanquam ad fidem et religionem christianam spectantes, quin tales sint; uti, v. gr., si quis leviter crederet et aliis traderet privatas revelationes valde suspectas et dubias. — Hinc monet S. Joannes (1. *Ep.*, 4, 1): *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* — Secluso autem periculo amittendi veram fidem, praefata credulitas erit peccatum veniale, aut nullum.

Per DEFECTUM, virtuti fidei opponuntur: 1° Peccata *omissionis*, nempe negligentia addiscendi veritates fidei scitu necessarias; et omissio actuum quos praescribit praeceptum fidei *affirmativum* (cfr. n. 428). His tamen peccatis non amittitur habitus fidei infusus. — 2° Peccata *commissionis*, nempe negatio fidei, sive externa, sive interna, quam vetat praeceptum *negativum* (cfr. n. 429). — Cum autem interna fidei negatio fiat speciatim per *infidelitatem*, *haeresim* et *apostasiam*, et cum horum etiam peccatorum pericula devitanda praecipiantur, agemus hoc loco: *a*) de infidelitate; — *b*) de haeresi et apostasia a fide; — *c*) de vitandis amittendae fidei periculis.

ARTICULUS I.

De infidelitate.

435. — DEFINITIO. Infidelitas *proprie dicta* est carentia fidei in homine non baptizato. Infideles enim dicuntur, qui nondum habitum fidei infusum susceperunt.

[1] *Passive se habet* monialis, si precibus non obtemperat, atque ad ea non attendit. Passive etiam se habet, si non directe quidem ministellum advocat, sed alii acatholico benevolo preces infirmi nuntiat, ut ipse, pro sua voluntate, eas exsequatur.

Digitized by Google

DIVISIO. Triplex distinguitur infidelitas: *negativa*, eorum qui nihil de fide audierunt; *privativa*, eorum qui ex vincibili ignorantia veritates fidei nesciunt; *positiva* seu *contraria*, eorum qui fidei sufficienter propositae repugnant, aut eam contemnunt (Instr., IV, 4).

436. — PRINCIPIA. I. **Infidelitas negativa non est peccatum.** Ratio, quia non est voluntaria; ideoque haec 68ª Baii propositio merito damnata est: « Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est ». Cfr. n. 425.

II. **Infidelitas privativa est peccatum grave.** Procedit enim ex ignorantia, quae est vincibilis, ideoque graviter culpabilis.

III. **Infidelitas positiva est peccatum gravissimum;** quia continet gravem injuriam et divinae auctoritatis contemptum. Unde, *qui non crediderit, condemnabitur* (*Marc.*, 16, 16).

Praecipuae infidelitatis positivae SPECIES sunt: *paganismus, judaismus, mahumetanismus* et aliae *sectae* infidelium. His adnumerantur *atheismus, pantheismus, deismus;* demum *rationalismus*, ex quo nascitur sive *incredulitas*, quae omnes religiones ut figmenta respuit, sive *indifferentismus*, qui omnes religiones aequales aestimat. — Haec tamen, in homine baptizato, potius ad apostasiam et haeresim referuntur (cfr. n. 438).

437. — QUAERITUR. *An possint infideles compelli ad suscipiendam fidem?*

Resp. Directe compelli non possunt, tum quia Ecclesia nullam habet potestatem in non baptizatos, tum quia fidei susceptio, ut vera sit, debet esse voluntaria. Confirmatur jure canonico, et praxi ipsius Ecclesiae, quae nunquam coactione usa est, sed suasione (l. V Decr., tit. 6 et c. 3).

Diximus *directe:* « bene enim potest Ecclesia et quicumque princeps supremus, compellere judaeos et paganos *subditos*, ad audiendam fidem nostram » (II, 19). Potest quoque princeps vetare idololatriam, cum haec legi naturali repugnet; et sic, Ecclesia plaudente, Constantinus et Theodosius talem impietatem proscripserunt. Item, prohibere (etiam armis), ne fides impediatur. « Et idcirco, inquit *D. Thomas* (2. 2, q. 10, a. 8), Christifideles frequenter contra infideles jure bella moverunt ».

ARTICULUS II.

De haeresi et apostasia a fide.

Tria hic consideranda veniunt: peccata haeresis et apostasiae, sanctio ecclesiastica in haec peccata, reconciliatio haereticorum.

§ 1. DE PECCATIS HAERESIS ET APOSTASIAE.

438. — NOTIONES. I. *Haeresis* est error pertinax contra fidem, in eo qui fidem suscepit.

Ad haeresim, quae canonicis plectitur poenis, requiritur: 1° ex parte *personae*, professio christianae religionis, et baptismus valide susceptus (ca-

Digitized by Google

techumenus enim nondum potest ab Ecclesia puniri); — 2° ex parte *intellectus,* error, i. e. assensus, seu judicium formatum; — 3° ex parte *voluntatis,* pertinacia, qua quis Ecclesiae infallibiliter docenti, scienter et volenter judicium suum submittere non vult (quod est characteristicum hujus peccati); non tamen requiritur ut quis mordicus et cum temporis mora tali errori adhaereat; — 4° ex parte *materiae,* error contra *fidem catholicam,* i. e. contra aliquod fidei punctum, ab Ecclesia explicite definitum vel propositum; — 5° ex parte *actus,* ut error sit externatus, sive facto, sive verbo indicante haeresim internam (VII, 300 seqq.).

Coram Deo haereticus est quicumque aliquam veritatem, quam revelatam esse cognoscit, etiam voluntarie dubitando, rejiciat (cfr. 421, 4°).

II. *Apostasia* est totalis discessio a fide christiana per *baptismum susceptа.*

Nota. Ad crimen apostasiae non requiritur falsae alicujus religionis professio. Quare, nomine apostatarum veniunt etiam *massones, nihilistae, anarchistae,* probabilius *socialistae proprie dicti, liberi cogitatores, rationalistae, deistae, pantheistae, spiritistae,* et generatim illi omnes, qui, post susceptum baptismum, a christiana fide penitus recesserunt, quamvis ad judaismum, vel ad aliam infidelitatem, non transierint. Cfr. *V. Jaugey,* de Fide, n. 161; *Tanquerey,* II, p. 387, not. 2; *Stimmen aus Mar.-Laach,* vol. 16, die Quellen des Ungl.; vol. 48, Atheismus u. s. Folgen.

Nota. De apostasia *a Religione* vel *ab Ordine sacro* sermo erit in parte IV.

Divisio. Distinguitur haeresis multipliciter:

1° Ratione peccati, est *formalis,* si quis errori cum pertinacia, i. e. *sciens, volens,* adhaeret; vel *materialis,* si est error in intellectu, sine pertinacia in voluntate.

2° Ratione actus, est *interna,* si in mente latet; vel *mere externa,* si quis ore, v. gr. blasphemiam haereticalem proferendo, vel facto, v. gr. coram idolo se prosternendo, negat fidem, quam corde retinet: vel *externata* seu *manifestata,* si est in mente et exterius producitur.

3° Ratione manifestationis, est *occulta,* si nemini vel paucis tantum innotescit; et *publica,* si plurimis nota est, nec potest celari (*Perrone,* de Virt. fid., n. 481-490). Cfr. n. 1199.

439. — Principia. I. **Haeresis formalis, et apostasia a fide, sunt peccata gravissima.** Ratio est: 1° quia auctoritatem Dei revelantis contemnunt; ideoque Deum ipsum aggrediuntur; — 2° quia directe aliorum peccatorum remissionem impediunt, cum fides sit « fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire ». Trid., Sess. VI, c. 8 et Vatic., Sess. III, c. 3.

440. — II. **Haeresis materialis, per se, culpa vacat.** Procedit enim ex ignorantia. — Excipe tamen, si procedat ex ignorantia culpabili; quia tunc eodem gradu culpabilis erit, ac ipsa ignorantia; etsi

Digitized by Google

nondum pertingat ad haeresim formalem (*S. Alph.*, de Prohib. lib., c. 1, n. 1-6; VII, 301).

Signa haeresis sive materialis, sive formalis sunt sequentia:

1° Censetur *materialiter tantum haereticus*, ideoque, ex fide in baptismo suscepta, ad Ecclesiam Dei pertinens: *a*) Qui paratus est se submittere judicio Ecclesiae, quando errorem agnoverit, etsi interim sententiam suam mordicus tueatur. — *b*) Qui de fide catholica nihil cognovit, et de sua nunquam dubitavit. — *c*) Qui dubitans studuit agnoscere veritatem, quantum potuit. — Qui autem culpabiliter *conversionem* suam ad fidem *procrastinat*, non ideo haereticus est; peccat tamen contra praeceptum affirmativum fidei, si eam multo tempore differat.

2° Haereticus *formalis* censendus est: *a*) Qui dubitat, atque ex pertinacia, aut ex Ecclesiae contemptu, ulterius inquirere detrectat. — *b*) Qui intellectum a veritate sufficienter proposita de industria avertit, ut suae sectae vel opinioni adhaereat. — *c*) Qui, agnita veritate, Ecclesiae contradicere perseverat, ut ex odio Papae vel Ecclesiae, facere solent haeresiarchae. — Hi sunt tres praecipui pertinaciae GRADUS, quorum primus fundatur in veritate studiose neglecta; secundus in veritate sufficienter proposita, sed contempta; tertius in agnita veritate malitiose oppugnata (*Voit*, I, 378-379).

441. — Quaesita. QUAER. 1° *An sit haereticus formalis, qui* DUBITAT *de rebus fidei?*

Resp. 1° Si *positive* dubitat de aliquo dogmate ab Ecclesia jam definito vel proposito, judicans illud esse incertum propter rationes oppositas, procul dubio est haereticus formalis. Quo in casu, stricte valet illud juris: « Dubius in fide, infidelis est » (c. 1, *de Haeret.*; cfr. H. Ap., XIX, 53).

2° Si *negative* dubitat, nempe suspendendo judicium circa aliquem fidei articulum, sic distinguendum: — vel *a*) deliberate et pertinaciter suum suspendit assensum, quia putat judicium Ecclesiae non esse sufficiens credendi fundamentum; et tunc pariter est haereticus formalis; — vel *b*) deliberate quidem, sed non pertinaciter suspendit assensum; et hoc in casu, quamvis graviter contra fidem peccet, non est tamen *stricte* haereticus, quia non adest electio pertinax; — vel *c*) nec deliberate, nec pertinaciter sed ex tentatione ita suspensus haeret, ut nec dissentiat nec assentiat: hoc in casu non peccat, vel ad summum venialiter tantum, eo quod tentationi forsitan tepide resistat (II, 19; VII, 302).

QUAER. 2° *Quid de iis sentiendum, qui opinionibus adhaerent quae non solum a SS. Congregationibus, sed ab Ecclesia, dogmatica quidem censura, at leviori quam haeresis, notantur?*

Praenot. DOGMATICA censura, a supremo universalique Ecclesiae magisterio profecta, damnat aliquam thesim ut haereticam, vel erroneam, vel haeresi aut errori proximam, vel temerariam. — DISCIPLINARIS, quae regiminis potius quam magisterii praerogativae respondet, non est condemnatoria

Digitized by Google

doctrinae, ut dogmatica, sed ejusdem prohibitoria. Haec etiam OECONOMICA seu PRUDENTIALIS vocatur, quando doctrinae alicujus enuntiatio prohibetur, non ob causam intrinsecam, sed ob causas rationesve prudentiae, scilicet ut dissidia tollantur, paci consulatur, a scandalo caveatur (*Konings*, n. 268, q. 3).

Resp. Per se, non sunt haeresis rei, at certo mortaliter peccant. Dicimus *per se;* nam ejusmodi opinionibus tanquam veris et licitis adhaerentes virtualiter Ecclesiae infallibilitatem negant: cujus negationis si sibi conscii sint, haeresis rei sunt (I, 104). Cfr. n. 1328.

Ex hisce dijudicandi sunt *liberalismi* sectatores qui varios errores circa libertatem, ab Ecclesia in *Syllabo* damnatos amplectuntur, vel nimiam pro errorum fautoribus tolerantiam expostulant. De his infra (n. 445). — De liberalismo cfr. *Aertnys*, Theol. past., P. III, a. 5; *Godts*, Les droits en matière d'éducation: la liberté, Ch. II; *Berardi*, Exam. Conf., n. 2455 et Casus Consc., a. 1894.

§ 2. De sanctione in haeresim et apostasiam.

442. — PRINCIPIA. I. **Poenis spiritualibus et temporalibus plectuntur haeretici et apostatae.** Cfr. n. 438, 1314, 1351.

1° Poenae SPIRITUALES sunt: *a*) *Excommunicatio* latae sententiae, S. Pontifici speciali modo reservata, quam incurrunt etiam haereticis credentes... et generaliter omnes illorum defensores. — *b*) *Irregularitas*, item S. Pontifici reservata, quae extenditur etiam ad filios eorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum duntaxat (*N. R. Th.*, 22, p. 601; 24, p. 276), etiam in Germania aliisque in locis ubi impune grassantur haereses (S. Off., 14 Dec. 1890). — *c*) *Inhabilitas* ad quodlibet officium et beneficium ecclesiasticum. — *d*) Privatio ipso jure (at post sententiam declaratoriam) omnis *dignitatis, beneficii* et *officii*. — *e*) Privatio *sepulturae ecclesiasticae*.

2° Poenae TEMPORALES sunt: carcer perpetuus, confiscatio bonorum, etc., quae autem non amplius vigent (*Soglia*, Inst. Jur. priv., § 232).

II. **Datur obligatio denuntiandi haereticos et de haeresi suspectos.**

1° Vi edictorum S. INQUISITIONIS, Ordinariis vel ipsis inquisitoribus denuntiandi sunt, sub poena excommunicationis *ferendae sententiae* (si quis per mensem denuntiare neglexerit): *a*) haeretici formales, eorumque fautores; — *b*) omnes de haeresi suspecti, quales sunt sortilegi, blasphemi haereticales, abutentes sacramentis (v. gr. qui sine sacerdotio celebrant vel absolvunt), confessarii ad turpia sollicitantes, contrahentes nuptias vivente conjuge aut cum voto solemni (III, 123; IV, 251-54; VII, 249).

Quae quidem decreta multis in locis non observantur, quia ob *libertatem cultus* omnibus assertam, haereticorum errores impune grassantur, atque ideo

Digitized by Google

ipsorum denuntiatio lege Ecclesiae imposita haud obligat. — *Clerici* tamen videntur in omni casu denuntiandi, ut Episcopus damno tum populi, tum cleri specialiter sibi commissi occurrat (*Scavini,* II, 845, 3°).

2° Vi legis *naturalis,* denuntiare oportet sive haereticos, sive de haeresi suspectos, quoties agitur de damno gravi animarum evitando, cui Superior remedium afferre possit.

Notetur: 1° Haec obligatio ex lege naturali urgere poterit etiam in locis, ubi haeretici passim catholicis permixti sunt, v. gr. si agatur de periculo insolito, quod catholicae religioni per eos imminet, inscio Superiore, et cui Superior aliquo saltem modo providere potest. — 2° Haereticos *formales,* etsi non dogmatizantes, quivis tenetur denuntiare, adhuc cum periculo gravis damni; etiam consanguineus, frater, imo uxor, filius, vel pater. Ratio est, quia haeresis est pestis ita noxia, ut difficile habeat remedium, et facile in damnum vergat commune. — 3° *Suspectos de haeresi* generatim non tenentur denuntiare consanguinei, aut alii grave inde damnum timentes. Ratio est, quia cum in suspectis dubia tantum sit haeresis, nonnisi dubium malum inde timeri potest, et periculum damni communis censetur remotum (IV, 249-50).

§ 3. De haereticorum absolutione.

443. — I. Quivis confessarius potest absolvere, tum reos haeresis mere internae, tum etiam haereticos qui nullam incurrerunt censuram.

II. Episcopus, vel inquisitor, potest in foro externo, per se aut per alium, absolvere haereticos *notorios*. Parvi refert, utrum isti denuntiati fuerint vel sponte comparuerint. Praemittenda tamen est abjuratio coram notario vel quopiam ab Episcopo ad hoc delegato (*S. O.,* 28 Mart. 1900) et testibus. Ita ex Bulla *Cum sicut,* Clementis VII, 15 Jan. 1530 (Anal. eccl., VIII, p. 191); cfr. *Coll. de Prop. Fide,* n. 1682.

Nota. 1° Conceditur tamen a praedicta S. C. de Prop. Fide, ut quandoque abjuratio coram paucis testibus, sine notario, fiat (*Coll.,* n. 1686 et 1681).

2° In locis mixtae religionis, solent Episcopi habere et communicare passim facultatem delegatam absolvendi. — Formula abjurationis est ea quam S. Off., die 20 Julii 1859, concinnavit.

3° Reos sic absolutos a censura potest quilibet confessarius a peccato haeresis absolvere (VII, 83; H. Ap., XX, de Privil., 39).

III. Solus Romanus Pontifex potest absolvere (per se aut per alium) haereticos sive *notorios* sive *occultos*. Supponitur quod nondum ad Ordinarii forum judiciale, vel ex delatione vel sponte sua, se praesentarunt (*Bened. XIV,* Const. *Pastor bon.,* 1744).

Hinc: 1° Protestantes, vel alii *haeretici notorii,* qui volunt suam haeresim ejurare, possunt ab Episcopo vel ab ejus delegato absolvi. Eorum enim haeresis, in omni casu, ad forum externum deducenda est.

2° Secus dicendum de *catholico,* qui private in haeresim incidisset, vel in aliqua secta ita occulte vixisset, ut ejus haeresis paucis solum innotuisset. Is enim foret in casu haeresis occultae, neque ab Episcopo absolvi posset,

Digitized by Google

quamdiu ejus delictum ad forum judiciale non fuisset deductum. Unde, si suam haeresim in foro externo manifestare detrectet, ipsi, ad obtinendam absolutionem, indulto S. Sedis (i. e. Poenitentiarii majoris) opus erit (*Bouix*, de Episc., II, p. 222). — Vide tamen dicenda n. 1314.

Nota. De MODO haereticos reconciliandi agetur n. 1832 seqq.

ARTICULUS III.

De periculis fidei.

Tria sunt potissimum quae fidei periculum afferunt, nimirum: 1° libertas cultuum a principe concessa; — 2° communicatio cum haereticis vel infidelibus; — 3° lectio pravorum librorum.

In hisce periculis voluntarie incurrendis datur imprudentiae culpa, quae tamen non est semper mortalis, neque fidei opposita; ideoque non necessarie fidei habitum expellit (*Tanquerey*, I, 655-659). — Si imprudentia est contra fidem, ex eo quod quis proxime se exponit periculo, aderit grave peccatum infidelitatis.

§ 1. De libertate cultuum.

444. — *Praenot.* Quod catholicae fidei libertas seu aequalitas cultuum multum insidietur, nihil est hoc evidentius. Per eam enim invehitur in regna catholica « horrendum illud, ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans, *de cujuslibet religionis indifferentia systema*, quod, omni veritatis et erroris sublato discrimine, homines in cujusvis religionis cultu, aeternam salutem assequi posse » audacter asserit, atque ita populos in incredulitatis barathrum praecipitat (*Pius IX*, Enc. 9 Nov. 1846).

445. — PRINCIPIA. I. **Libertas cultuum, tanquam doctrina spectata, est falsum liberalismi principium, quod legislator catholicus, omnibus quibus potest modis, impedire debet.** Ratio: qui minoribus vitiis favere nequit, quanto magis iis, quae reipublicae fundamenta evellunt, resistere debet (*S. Alph.*, de Prohib. lib., c. 1, n. 4; opusc. *Fedeltà dei vassalli*).

Liberalismus est systema politico-religiosum, quod profitetur independentiam Status ab Ecclesia ita *completam*, ut Status se regat, nullo habito respectu ad Religionem, quasi haec non exsistat, et omnes religiones sint revera in se aequales.

Hanc porro cultuum libertatem atque aequalitatem SS. Pontifices semper reprobaverunt: « Quid insanius excogitari potest? », exclamat Pius VI in Ep. ad Card. La Rochefoucauld (die 10 Martii 1791). Hoc systema damnarunt suprema sua auctoritate: Gregorius XVI, in Enc. *Mirari vos;* Pius IX, in Enc. *Quanta cura* (8 Dec. 1864) et in Syllabo (prop. 77ª, 78ª et 79ª); Leo XIII, in Enc. *Libertas* (20 Junii 1888). Idem Pontifex de hac doctrina in Enc. *Immortale Dei* sic locutus est: « Ab Atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt ».

Nota. Quale vero peccatum contra fidem committat, qui liberalismum profitetur, dictum est supra n. 441.

Digitized by Google

II. **Cultus et conscientiae libertas interdum tolerari potest, ubi princeps eam absque graviori verae religionis ac reipublicae detrimento non valet impedire.** Ita docet Angelicus (2. 2, q. 10, a. 11): Humanum regimen derivatur a divino regimine, et ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quae prohibere posset, ne eis sublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. — Angelico plane consonat *S. Alphonsus* (II, 18). Cfr. *Zigliara,* Summa Phil., p. 247.

III. **Libertas cultuum, de facto existens, duplex fidelibus periculum procreat, tum amplectendi errorem theoreticum de aequali valore religionum, tum confundendi politicam tolerantiam cum tolerantia dogmatica** (*Villada,* Casus Consc., I, p. 59).

Res patet. Ex duplice hoc periculo semper discerni debet, utrum quis reapse inciderit in *peccatum* fidei oppositum, an tantum *periculum* subierit incidendi in illud, atque utrum agatur de liberalismo doctrinali, an tantum de partibus politicis.

446. — Ex his resolves: A. *Quoad liberalismum, ut est doctrina:*

Ut statuatur quale peccatum contra fidem committat qui hunc liberalismum profitetur, sedulo inspiciendum est (ut ait *Génicot*), quid intelligat per sententiam cui assensum praebet, quum inter eos, qui non penitus ad atheismum vel rationalismum deflexere et catholici manere volunt, multiplici varietate haec liberalismi vox accipiatur; deinde videndum, quousque, ratione ignorantiae et bonae fidei, a formali peccato quisque excusetur.

Hinc: 1° *Haereticus est qui: a*) plene liberalismi doctrinam amplectitur, plenam scilicet independentiam Status ab Ecclesia, vel (quod pejus est) Ecclesiae subjectionem Status auctoritati. Nam *aliqua* subordinatio Status ad Ecclesiam manifeste continetur in plena potestate qua Christus Petrum ejusque successores instruxit; — *b*) idem dicendum est de iis liberalibus, qui pertinaciter tenent quasdam doctrinas particulares, quae etiam fidei divinae adversantur, ex. gr., quod vi contractus mere civilis datur inter Christianos verum matrimonium. Cfr. *Sarda y Salvani,* Le liberalisme est un péché.

2° Ab haeresi excusantur, sed *periculo se exponunt* catholici, qui hosce errores tuentur propter ignorantiam plerumque culpabilem, nec tamen animum gerunt eos retinendi, quando eos ab Ecclesia reprobatos noverint. Item, defectu assensus religiosi, graviter peccant contra prudentiam vel reverentiam Ecclesiae debitam, qui tenent solummodo errorem aliquem secundarium, sed minime fidei divinae contrarium, v. gr. prop. 76am Syllabi, de profectu pro Ecclesia subsecuturo, ex abrogatione civilis imperii. — Sed hic facile admitti potest aliqua bona fides.

B. *Quoad liberalismum, ut dicit partes politicas.*

Ante omnia examinandum est, utrum, qui talibus partibus adhaerent, aliunde tamen boni catholici officia implere videantur. Tunc prudenter erit explorandum, num vel ipsi aliquid mali in doctrina seu agendi ratione admittant, vel sine sufficienti ratione cooperentur malis consiliis aliorum; — et juxta haec diiudicentur.

De hujusmodi cooperatione saepe quaestio occurrit, quando agitur de scholis, de comitiis et de aliis operibus socialibus.

Digitized by Google

§ 2. De communicatione cum haereticis et infidelibus.

447. — Communicatio alia est RELIGIOSA seu in *sacris,* alia CIVILIS seu *politica.* — Prior prohibetur ratione sui, jure divino et ecclesiastico, ob scandalum et cooperationem ad peccatum; quatenus est nempe simulatio falsae fidei, vel falsae religionis approbatio (vide n. 432). — Posterior prohibetur praesertim ratione periculi perversionis quod inducit.

PRINCIPIA. I. **Communicatio civilis cum infidelibus, haereticis et apostatis vetatur lege naturali ac divina, si communicantibus sit periculosa.** Constat ex dictis n. 374, et ex pluribus Scripturae Sacrae locis, v. gr. Ep. ad *Titum* (3, 10): *Haereticum hominem devita,* et *Rom.* (16, 17, 18): *Declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium* (cfr. de Prohib. lib., c. 1).

Nota. 1° Ex communicatione civili triplex oritur periculum : *a*) ne religio catholica detrimentum capiat; — *b*) ne quis propriae fidei naufragium faciat; — *c*) ne alii scandalum sumant.

2° Apostatae, liberi cogitatores et haeretici, magis alliciunt ad suos errores, quam infideles; quia *sermo eorum ut cancer serpit* (2. *Tim.,* 2, 17), et quia Satanas, quo facilius simplices et incautos decipiat, eorum ope atque opera, transfiguratur in angelum lucis. — Periculum crescit in locis haereticorum vel infidelium, ubi non exstat aliqua ecclesia cum sacerdote catholico, cui liberum sit ritus nostros publice exercere.

3° Olim severior prohibitio etiam generalis habebatur *civiliter* communicandi, sine justa causa, cum haereticis, et aliis nominatim denuntiatis (cfr. n. 1295). — Vetitum erat christianis (cfr. tit. *de Judaeis* in Jure can.) cum judaeis in eadem domo habitare, conviviis interesse, communi balneo uti, eos medicos adhibere... aut famulari judaeis. Haec vero, ait *Tanquerey,* in desuetudinem plus minusve abierunt, et hodie potius attendendum est ad periculum perversionis (II, n. 677, nota). Cfr. *Gury-Ferreres,* I, n. 210; *D'Annibale,* I, n. 110).

4° Pro ITALIS statuit Clemens VIII, Const. *Cum sicut: a*) Ne, quocumque titulo, audeant habitare in locis haereticorum, ubi non exstat ecclesia cum sacerdote catholico. — *b*) Ne discedant ad habitandum in locis praedictis, nisi post acceptas ab Ordinariis vel inquisitoribus monitiones opportunas, ad cavendum subversionis periculum. — *c*) Ne utantur medicis haereticis, si catholicus adsit idoneus (*Scavini,* II, n. 820).

448. — II. **Communicatio religiosa cum infidelibus, haereticis et apostatis per se illicita est atque ab Ecclesia prohibita.** Constat ex ratione et ex decisionibus supracitatis.

Nota. 1° Prohibitio est *absoluta* in iis quae haeresim continent (ut fit in communicatione activa publica et formali); est *conditionata* tantum in iis quae ritu catholico administrantur, v. gr. in matrimoniis mixtis; dummodo pericula religionis absint et prohibitio ecclesiastica non urgeat (cfr. *D'Annibale,* l. c.; *Gury-Ferreres,* I, n. 209). Ratio patet, etenim *primum* idem est ac revera

Digitized by Google

fidem veram negare, falsam profiteri ac simulare (cfr. n. 429), quod nunquam licet; *alterum* continet solummodo speciem adhaesionis sectae damnatae, licet periculum afferat; quae tamen omnia quandoque removeri possunt et debent.

2° Facilius admitti potest, ut haeretici nobiscum in nostris communicent; minus enim habet periculi, quam si nos cum illis communicemus.

3° Strictius prohibetur communicare in sacris cum infidelibus, quia praeter alia incommoda fere semper adest participatio cultui superstitioso (cfr. *D'Annibale,* l. c., et supra n. 432).

449. — QUAERITUR. *An prohibita sit cum haereticis* DISPUTATIO? *Praenotandum.* Duplex datur disputatio; *publica,* quae, statutis die et hora, coram multitudine et appositis judicibus locum habet; *privata,* quae fit coram paucis auditoribus.

Resp. 1° Pro *laicis,* sic statuit Alexander IV (c. 2, § 1, *de Haeret.,* in Sexto): « Inhibemus ne cuiquam laicae personae liceat publice vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur » (excom. ferendae sententiae). Fundatur lex in praesumptione, quod laici non sunt sufficienter edocti. Excipiendum ergo, si fiat controversia a doctis viris cum Episcopi venia, vel in casu magnae utilitatis, aut inductae consuetudinis, ut in Germania.

2° « *Clericis* nullo jure prohibetur disputatio *privata,* modo idonei sint, atque ex adjunctis sperari queat felix exitus; *publica* autem disputatio cum haereticis fieri nequit, absque venia » (scil. S. Pontificis). Ita S. Congr. Concilii, 6 Martii 1625, et pluries S. C. Prop. Fide. — In casu tamen necessitatis, si periculum sit in mora, Ordinarius loci hanc licentiam concedere potest (*Konings,* n. 255).

Disputationes cum *socialistis* iisdem regulis subjacere declaravit S. Congr. de neg. extr., 27 Jan. 1902 (*A. S. S.,* 38, p. 107. Cfr. *Canon. Cont.,* XXV, p. 335; *Etudes,* 20 Août 1905, p. 480; *Ami du Clergé,* 1905, p. 354).

450. — *Ex his resolves:* 1° Matrimonia cum *haereticis* et *incredulis,* utpote generatim periculosa pro parte catholica et prole, sunt, regulariter loquendo, graviter illicita. — Quandoque tamen, gravi de causa, omnique remoto periculo, matrimonia hujusmodi Ecclesia permittit ad majus malum vitandum (II, 19). — Vide tract. *de Matrimonio* (n. 1986).

2° Non licet haereticis *famulari,* cum perversionis periculo. Idem dicendum, si famulus ab impletione praeceptorum Ecclesiae plerumque impediatur; secus vero, si raro tantum impediatur.

3° Mittere parvulos juvenes aut puellas in *scholas* haereticorum, vel hominum impiorum, est grande peccatum et malum maximum, ordinarie nunquam reparabile (cfr. n. 713 seqq.). Vide Instr. Em. Card. Vic. ad parochos Almae Urbis, 12 Jul. 1878 (*A. S. S.,* vol. 11, p. 176). — Item, graviter peccant parentes, qui lucri causa, filios adhuc tenellos mittunt, vel abire sinunt, ad *loca* haereticorum, sine aliqua necessitate et debitis cautionibus.

4° Maxima etiam cum cautela permittendum est juvenes frequentare *consociationes, scholares* dictae vel *postscholares,* vel *consociationes Universitatum popularium,* quia saepe inibi fides periculum incurrit. Vide dicta n. 432.

Digitized by Google

§ 3. De lectione librorum pravorum.

Per evulgationem librorum fidei (vel bonis moribus) adversantium fit, praesertim hac nostra aetate, immensa animarum strages (de Prohib. lib.; ed. G., I, p. 253).

451. — Principia. I. **Vi legis naturalis, gravissima datur obligatio vitandi periculum perversionis, quod ex evulgatione, retentione et lectione librorum pravorum enascitur.** Etenim: 1° « Si verbum perniciosum, quod statim avolat, serpit ut cancer, et ad mortem vulnerat: quid mali non affert liber improbus, qui potest evadere perpetuus fons subversionis? » (l. c., n. 2). — 2° Si luxuriae occasio continua prorsus amoveri debet, ut poenitens absolvi mereatur, quanto magis liber perniciosus, inducens periculum amittendi fidem?

Hinc infertur: 1° Maxima vigilantia in hac materia uti debent Episcopi, parochi, patresfamilias, principes, magistratus, praeceptores, etc.

2° Etsi quis facultate munitus fuerit legendi libros prohibitos, non potest tamen eos legere, si sciat aut experiatur, hujusmodi lectionem sibi esse noxiam, vel proxime periculosam, v. gr. si nesciat veritatem ab errore discernere (ib., n. 12).

3° « In hac re, expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi » (ib., c. V, n. 8).

452. — II. **Vi legis positivae, libri ab Ecclesia, sive cum censura, sive sine censura prohibiti, absque legitima licentia, nec legi nec retineri possunt.** Ecclesia jurisdictionem ab ipso Domino accepit prohibendi fidelibus lectionem librorum, qui aliquid contra religionem, bonos mores vel Ecclesiae disciplinam continent. — Si haec facultas penes Ecclesiam non esset, et fideles in hoc parere illi non tenerentur, nec fides illaesa servari posset, nec Christus satis Ecclesiae suae providisset. Recte hinc docent DD., quod Ecclesiae circa libros judicium sit omnino infallibile (ib., c. 2, n. 1).

Dictum est: 1° *Libri* ab Ecclesia *prohibiti*. Nomine *libri* intelligitur scriptum quod aliqua mole et unitate objecti constat, quod ex prudentum judicio est dijudicandum. Quare positiva prohibitio non extenditur ad ephemerides, epistolas, folia volantia, nisi specialis de hisce fiat mentio. Libelli vero periodici, quorum singuli fasciculi in unum conjunguntur, libris proprie dictis accensendi sunt (S. Off., 15 Jan. 1892). — 2° *Sive cum censura*, quales sunt ex Const. *Officiorum* tum libri haereticorum vel apostatarum haeresim propugnantes, tum libri cujusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibiti. — 3° *Sive sine censura*, i. e. omnes libri qui in *Indici* librorum prohibitorum continentur, vel regulis generalibus comprehenduntur. — 4° *Nec legi, nec retineri possunt;* sed requiritur et sufficit ut hujusmodi libros quocumque modo destruas, vel habenti facultatem retinendi tradas, quia etiam sic agendo non retines. — 5° *Absque legitima licentia:* quae licentia a Romano Pontifice, v. gr. per S. Congr. Indicis, impetranda est; nam facultas permittendi competit ei, cujus est prohibere. Eadem potestate gaudent Congr. S. Officii et de

Digitized by Google

Prop. Fide, item Magister S. Palatii pro Urbe. Quandoque tamen Episcopi, vi facultatum specialium, hanc licentiam sacerdotibus concedere valent (*A. S. S.*, 7, p. 302). Cfr. Const. *Officior.*, quam in App. fusius explicabimus.

453. — III. Omnes Episcopi jure divino, pro suis dioecesibus, potestatem habent proscribendi et prohibendi, etiam sub censura, sive libros, sive etiam folia quotidiana, nocuae lectionis. Hoc essentialiter pertinet ad eorum munus. Imo, quia non tam facile ac statim notitia omnium noxiorum librorum Romam pervenire potest, saepe praestat eos, nulla interposita mora, ipsorum auctoritate proscribi (VII, 290).

« Ordinarii, etiam tanquam delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus, ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur ». Const. *Officiorum*, n. 29.

454. — QUAERITUR. *An a lege Indicis possit quandoque necessitas excusare?*

Resp. « Non videtur improbabile id quod plures DD. docent, ... nempe ex justa epikeia, excusari verum, pium et doctum, legentem librum haereticum, si necessario tali indigeat lectione ad convincendum aliquem haereticum ex suo proprio, puta, inveniendo contradictiones, concessiones, fallacias et similia; dummodo *urgeat necessitas*, et insuper non pateat recursus Romam, vel ad proprium Episcopum. Ita *S. Alphonsus* (de Prohib. lib., c. 5, n. 2). Cfr. Const. *Officiorum*, n. 25.

Extra hos casus ad quaestionem: « An possit legere librum prohibitum sine licentia, qui certus est moraliter lectionem sibi non obfuturam? » respondet *S. Alphonsus* (VII, 291): « Quidquid dicant alii, omnino est negandum ». Cfr. n. 451, 452.

455. — *Nota.* INDEX LIBRORUM PROHIBITORUM primum confectus fuit jussu Pauli IV. Illum perfecerunt Pius IV et Clemens VIII. — Prohibebat libros partim per decreta generalia, quae *Regulae Indicis* dicuntur, partim indicando ordine alphabetico, vel librorum titulos, vel auctorum nomina. — Postremo vero, Leo XIII, Const. *Officiorum ac munerum* (25 Jan. 1897), abrogatis decretis generalibus hucusque vigentibus, nova instituit novumque Indicem approbavit et confirmavit, per Breve *Romani Pontifices* (17 Sept. 1900).

Digitized by Google

TRACTATUS II.

De spe theologica

In hoc tractatu agendum est: 1° de natura spei; — 2° de ipsius necessitate; — 3° de peccatis eidem oppositis.

CAPUT I.

De natura spei.

S. Thomas, 2. 2, q. 20, 21; 3. Sent., D. 26, q. 1, a. 3; *S. Alphonsus*, II, n. 20; ed. G., I, p. 313; H. Ap., IV, n. 6; *Laymann*, 2, tr. 2, c. 1; *Mazzella*, de Virt., p. 622; *Lahousse*, de Virt. theol., disp. III; *Billot*, Thes. 25-26.

456. — DEFINITIO. Spes *generatim sumpta* est motus animi tendentis in bonum futurum, arduum et possibile (*S. Thom.*, 2. 2, q. 17, a. 1). — Spes *theologica* est virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia beatitudinem aeternam, et media illius assequendae, per auxilium Dei, exspectamus (H. Ap., IV, 6). Hoc ultimum, i. e. exspectatio certa et firma, est proprium spei.

I. OBJECTUM MATERIALE spei *primarium* est beatitudo aeterna, quae est ipse Deus possidendus; objectum vero *secundarium* sunt divinae gratiae, atque bona opera nostra, divino auxilio exsequenda (II, n. 20).

II. Objectum FORMALE alii dicunt esse Dei misericordiam; alii divinam omnipotentiam, prout communiter tenent Thomistae; alii divinam promissionem. Quocirca *S. Alphonsus:* « Concludendum puto, inquit, quod tria praefata motiva constituunt objectum formale spei, nempe MISERICORDIA et OMNIPOTENTIA divina, qua Deus nobis auxilia impertitur ad salutis hostes superandos: et haec duo motiva expresse docet *S. Thomas*... Censeo insuper his duobus omnino tertium addendum motivum: nempe *divinam promissionem*, ... sive divinam FIDELITATEM circa promissionem, quam exhibuit, salvandi nos *propter merita Christi*; alias, sine hac promissione, non valeremus salutem cum certa fiducia sperare » (II, 21; H. Ap., IV, 6, 7).

Et re quidem vera: objectum formale debet aptari actui proprio spei, i. e. firmae exspectationis, quae tendit in Deum bonum, auxiliatorem nostrae *miseriae*, *impotentiae* et *haesitationi* supplere volentem. — Ceterum, ut omnia haec in unum congerantur, dici potest: objectum formale spei est DEI BENEVOLENTIA, considerata prout *omnipotentiam* praesupponit, nobisque *fidelitate* est obstricta, per promissionem salvandi nos, intuitu meritorum Jesu Christi (*S. Franc. Sales*, Theotim., II, c. 15).

Digitized by Google

III. SUBJECTUM virtutis spei est voluntas, non intellectus. — Actum spei elicere possunt omnes fideles, non solum justi, sed etiam peccatores, ut constat ex Tridentino (Sess. 6, c. 6). Item animae purgantes, ex communi sententia. Cfr. n. 417.

IV. ACTUS in spe comprehensi sunt: 1° Actus explicitus exspectationis beatitudinis aeternae, et eorum quae ad eam conducunt. — 2° Amor concupiscentiae erga Deum, simplex desiderium, conatus seu efficax erectio animi contra occurrentes difficultates; — qui actus *virtualiter* in actu proprio spei includuntur. — 3° Firma fiducia obtinendi, et timor perdendi quae exspectamus; — qui actus *inseparabiliter* actum spei proprium concomitantur (II, 20; *Reuter,* n. 61).

457. — De timore. *Timor* distinguitur *quadruplex,* nimirum: humanus, servilis, initialis et filialis (2. 2, q. 19, a. 2, 4 et 8).

1° Timor ***humanus,*** seu ***mundanus,*** est fuga mali temporalis per offensam Dei. — Est mortaliter vel venialiter malus, prout in mortale vel veniale inducit. Hinc illud (*Matth.*, 10, 28): *Nolite timere eos, qui occidunt corpus...* Et (*Luc.*, 9, 26): *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet* etc. — Attamen non constituit peculiarem speciem vitii (*Perrone,* n. 135, adnot.).

2° Timor Dei *servilis* (*formaliter,* ab aliis *serviliter servilis* dictus) est ille quo animus timet poenam a Deo infligendam, quin odio prosequatur culpam; ita ut peccare vellet, si poena non impenderet. Hic timor malus est atque vitiosus (VI, 442).

3° Timor *initialis* (seu *materialiter,* ab aliis *simpliciter servilis* dictus) est timor quo animus vere aversatur culpam, etsi propter poenam, abstrahendo ab eo quod ageret, si poena abesset. — Hic timor correspondet virtuti spei, et bonus est: nam oritur ex amore sui bene ordinato. Unde Christus Dominus (*Luc.*, 12, 5): *Ostendam vobis quem timeatis: timete* EUM *qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis,* HUNC TIMETE. Et Tridentinum (Sess. 6, can. 8): « Si quis dixerit, gehennae metum, per quem, ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere: anathema sit ». — Dicitur *initialis,* quia competit incipientibus ambulare viam mandatorum Domini; unde dicitur (*Ps.* 110, 10): *Initium sapientiae timor Domini* (*Polman,* 2. 2, n. 174).

4° Timor *filialis* (seu castus) est timor peccandi, ad cavendam Dei offensam. Filiorum est timere offensam patris (2. 2, q. 19, a. 2). — Hic timor est optimus et oritur ex caritate: imo crescit, crescente caritate. Hic timor praeterea spem mirifice adjuvat; eo majorem enim sperandi rationem habemus, quo magis Dei offensam vitamus (Pratica d'amar G. C., c. 16).

458. — Corollaria. I. Non licet sperare de aliqua creatura, sicut de *prima causa movente* in beatitudinem. Licet autem de illa sperare, sicut de causa secundaria et instrumentali. Et hoc modo ad sanctos convertimur (*S. Thom.*, 2. 2, q. 17, a. 4), et B. V. Mariam appellamus SPEM NOSTRAM, imo « totam rationem spei nostrae » (*S. Alph.*, Glorie di Maria, c. 3 et 5).

Digitized by Google

II. *Ex parte Dei,* spes nostra certa et firma est. Innititur enim ipsius misericordia, omnipotentia et fidelitate in promissione nos salvandi propter merita D. N. J. Christi. Cfr. *S. Alph.,* Storia delle eresie, conf. XIV, n. 19-21.

III. *Ex parte nostra,* spes incerta est. Etenim, nisi divinae gratiae fideliter cooperemur, salutem consequi non possumus, juxta illud D. Augustini: « Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te ». Hinc semper nobis timendum est, scribente Apostolo (*Phil.,* 2, 12): *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.*

Nota. Duo sunt quae in nobis sunt incerta: *a*) Incerta est *nostra justificatio; nescit enim homo utrum amore, an odio dignus sit* (*Eccli.,* 9, 1). — Haec tamen incertitudo per caritatis exercitium moraliter tollitur. — *b*) Incerta est etiam *nostra usque ad mortem perseverantia.* Perseverantia enim est speciale Dei donum, quod nemini stricte debetur, quod nullus de condigno sibi mereri potest. — Sed et haec incertitudo magna ex parte tolli potest, si grande illud perseverantiae donum QUOTIDIANA PRECATIONE efflagitamus, et Deiparae Virginis, quae *Mater perseverantiae* appellatur, veri cultores sumus (Op. dogm. in Trid., Sess. 6, n. 48; Appar. alla morte, cons. 9).

CAPUT II.

De necessitate spei.

S. Alphonsus, l. c.; *Perrone,* de Virt., n. 82; *Lahousse,* op. cit., c. 2, a. 2; *Billot,* Thes. 27-28; *Lehmkuhl,* I, n. 430; *Aertnys,* l. II, n. 21.

Necessitas, ut jam diximus, est vel medii, vel praecepti; respicit autem spem, tum habitualem, tum actualem.

459. — PRINCIPIA. I. **Spes habitualis omnibus hominibus necessaria est, necessitate medii, ad salutem.** Constat ex Tridentino (Sess. 6, c. 7): « Fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit ».

460. — II. **Spes actualis saltem implicita omnibus adultis ratione pollentibus necessaria est, necessitate tam medii, quam praecepti.**

1° Necessitate MEDII; nam si agitur de *justis,* spe indigent, ut recte possint gratias ad perseverandum necessarias postulare. Unde D. Paulus (*Rom.,* 8, 24): *Spe salvi facti sumus.* — Si agitur de *peccatoribus,* spe indigent, ut se ad justificationem disponant (Trid., Sess. 6).

2° Necessitate PRAECEPTI; tum quia lex naturalis praecipit, ut adhibeantur media, ad finem obtinendum necessaria; tum quia positive divinae litterae spem inculcant. Quare Apostolus (*Tim.,* 6, 17): *Praecipe, non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Vide n. 470.

Digitized by Google

QUAERITUR. *Quandonam praeceptum spei obliget?*

Resp. 1° Obligat ratione virtutis, i. e. PER SE: *a*) *initio usus rationis,* vel, rectius, vitae spiritualis, quando nempe aeterna beatitudo sufficienter proposita est tanquam finis; — *b*) *in periculo mortis,* ut homo contra tentationes roboretur, et in Deum, ultimum finem mox consequendum, feratur; — *c*) *saepius in vita* (saltem semel quolibet anno), quia sine actu spei, nec in justitia divina persistere, nec meritorie operari possumus.

De cetero, non est cur fidelis de hac obligatione anxietur, sufficit enim spes virtualis, quae a fideli passim exercetur, v. gr. cum orat, vel sacramenta recipit.

2° Obligat ratione peculiaris circumstantiae, ergo PER ACCIDENS: *a*) quando quis versatur in periculo desperationis; — *b*) quando ex praecepto eliciendus est actus aliarum virtutum, v. gr. orationis aut poenitentiae, quae sine actu spei saltem implicito exerceri non possunt; — *c*) in omni tentatione, quando adest periculum consentiendi, nisi spes animum erigat (II, 20; H. Ap., IV, 13).

461. — *Ex his colliges:* 1° Non est inhonestum (uti affirmant Calvinistae, Baianistae et Jansenistae), sed Deo pergratum, spe theologica moveri ad bene operandum. — Confirmatur verbis Tridentini: « Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu mercedis aeternae bene operatur: anathema sit » (Sess. VI, c. 31).

2° Non datur, in hac praesenti vita, *status amoris* adeo perfecti, ut mens nec metu poenarum, nec desiderio remunerationis unquam moveatur, uti somniaverunt Quietistae, maxime cum spes et timor, tempore tentationis, saepe videantur necessario requiri contra lapsum (cfr. *S. Alph.*, Pratica d'amar G. C., c. 16). — Quare damnata est ab Innocentio XI illa 7ª propositio Michaelis Molinos: « Non debet anima cogitare, nec de praemio, nec de punitione; nec de paradiso, nec de inferno; nec de morte, nec de aeternitate » (cfr. Storia delle eresie, c. 12, a. 5).

3° Ratio mercedis, quae in spe habetur, non includit ullam imperfectionem in religione christiana, uti dixerunt Kantiani et Evolutionistae. — Nec tenemur directe, ex praecepto speciali, ad explicitos *timoris* actus exercendos, quatenus a spe aliisve virtutum actibus timor distinguitur. — Ita communiter Valentia, Sanchez, etc.

Digitized by Google

CAPUT III.

De peccatis spei oppositis.

S. Thomas, 2. 2, q. 20 seqq.; *S. Alphonsus*, II, n. 21; *Suarez*, disp. II, sect. 2-3; *Perrone*, op. cit., n. 145; *Lehmkuhl*, I, n. 433; *Göpfert*, I, § 50.

Praenotanda. 1° Peccata spei contraria alia sunt *omissionis*, alia *commissionis*. Hisce vero virtus spei tunc solum amittitur, ubi objecto formali virtutis contradicunt.

2° Peccata commissionis alia adversantur *desiderio* beatitudinis aeternae, alia *fiduciae* illam obtinendi.

462. — I. Desiderio beatitudinis aeternae adversatur: 1° hujus saeculi affectus, quo terrena magis quam coelestia desiderantur; — 2° affectus inordinatus felicitatis caelestis, quo ex taedio vitae et laboris beatitudo appetitur.

Prior affectus, quando transit in actum, est peccatum mortale, si in terrenis *ultimus finis* reponatur; v. gr. si quis ita comparatus sit ut desideret relinquere Deo caelum, si sibi relinquat terram. — Posterior non excedit veniale, nisi adsit rebellio expressa contra providentiam divinam. Licite vero sibi quis *mortem optat*, ut vitet peccatum, vel aliud ingens malum; dummodo divinae voluntati sese submittat (II, 20; Cat. Rom., de 1° praec., n. 7). Cfr. n. 755, II.

463. — II. Exspectationi fiduciali beatitudinis aeternae adversatur per defectum *desperatio*, per excessum *praesumptio*.

1° DESPERATIO est diffidentia obtinendi beatitudinem, vel media ad illam consequendam necessaria. — Est peccatum mortale, et quidem gravissimum et *periculosissimum;* sublata enim spe, homines irrefraenate in vitia labuntur. — Minus grave tamen est peccato infidelitatis et odii Dei, quia non dirigitur contra Deum, secundum quod in se est, sed contra Deum secundum quod ejus bonum a nobis participatur. *S. Thom.*, 2. 2, q. 20, a. 3. — Unde desperatio proprie dicta non admittit parvitatem materiae.

Causae desperationis recensentur: fidei defectus, inordinata adhaesio voluptatibus, acedia spiritualis, praesumptio, dispositio melancholica (*Tanquerey*, II, p. 421).

CONFESSARIUS examinare debet, an ex desperationis affectu, consueta pietatis officia, praesertim cum praeceptum urgeret, intermissa fuerint necne: inde satis tutum praestiti vel negati consensus indicium habebit. — Advertat tamen, plures poenitentes, non de Dei misericordia, sed de sua cum gratia cooperatione desperare: quod *pusillanimitas* dicitur, et admittit materiae parvitatem (*Panzuti*, II, 33).

2° PRAESUMPTIO (quae est desperatione frequentior) oritur ex timoris Dei defectu, et *definiri* solet: temeraria expectatio beatitudinis

Digitized by Google

aeternae, aut mediorum ad illam consequendam. — Est peccatum per se grave, quia gravem injuriam irrogat tum divinae justitiae, quasi peccatum nihili habendum esset, tum divinae misericordiae, qua praesumptuosus abutitur ad liberius peccandum (*Scavini,* II, n. 849).

Hinc: 1° Ille per praesumptionem peccat, qui salutem sperat, vel tantum propter merita propria, vel tantum propter merita Christi, absque ulla cooperatione suorum operum. — Item, qui *ob spem veniae* inducitur ad peccandum, ita ut spes remissionis a Deo obtinendae sit motivum inducens ad peccandum, i. e. ratio cur facilius aut peccatum iteret, aut in peccato perseveret, quia Deus tam facile ignoscat decem quam quinque peccatis. Secus vero, si quis, v. gr., diceret: decem peccata tam facile quam quinque aut sex accusabo: quod per se non est nisi veniale. — 2° Praesumptionis proprie dictae reatum non contrahit peccans ex passione *cum spe veniae:* quando nempe spes veniae per poenitentiam aliquando obtinendae, comitatur tantum peccatorem, dum peccat, aut in peccato perseverat, quin tamen sit ratio seu motivum ad peccatum influens. — Ejusmodi vero homines, perseverantes in peccato, sub spe aliquando poenitendi, difficulter excusantur a peccato gravi contra caritatem sibi debitam, cum magno periculo damnationis se exponant (II, 21; H. Ap., IV, 8).

464. — REGULAE PRACTICAE. 1° Diligenter ex poenitente inquirendum est *cur* desperaverit vel praesumpserit, ad cognoscendum an peccatum sit necne contra spem, aut etiam contra fidem. — 2° Inquirendum est in peccati causas et effectus; in *causas,* ut confessarius remedium afferat, praecipiendo elatis humilitatem, pusillanimis fiduciam et animi vigorem; in *effectus* autem, ut inde deveniat in cognitionem multorum aliorum peccatorum, quae a desperatione aut praesumptione gigni solent. — 3° Confessarius in omnibus poenitentibus *excitare* satagat, cum timore divino, magnam spem vitae aeternae, veramque fiduciam erga Deum, D. N. J. Christum, ac Deiparam Virginem Mariam. Desiderium enim vires subministrat, et homo sine fiducia militi sine scuto similis est. — 4° In *moribundis* praesertim spem erigat cum vera detestatione peccati; plures enim vel desperationi cedunt, vel non afficiuntur nisi timore serviliter servili, qui ad salutem non sufficit. Cfr. Pratica d'amar G. C., c. 8 et 16; H. Ap., App. 2, § 2, n. 2).

Digitized by Google

TRACTATUS III.

De caritate

Caritas est *finis praecepti* (1. *Tim.*, 1, 5), et *vinculum perfectionis* (*Coloss.*, 3, 14). Saepius, in re morali, instituitur quaestio: utrum actio sit juxta vel contra caritatem, an aliam virtutem, v. gr. justitiam. Hinc peculiari diligentia tractandum est: 1° de caritate erga Deum; — 2° de caritate erga proximum.

CAPUT I.

De caritate erga Deum.

S. Thomas, 2. 2, q. 23 seqq.; *S. Alphonsus*, II, 22 seqq.; ed. G., I, p. 315; H. Ap., tr. IV; *Suarez* de Carit., disp. I seqq.; *S. Franciscus Sales*, Traité de l'amour de Dieu (Théotime); *Lessius*, de Summo Bono; *Aertnys*, l. 2, n. 29; *Lehmkuhl*, I, n. 440.

Tria sunt in hoc capite tractanda: 1° natura caritatis; — 2° necessitas caritatis erga Deum; — 3° peccata amori Dei speciatim opposita.

ARTICULUS I.

De natura caritatis.

465. — *Praenotanda.* Amor, generatim sumptus, est volitio boni. — Distinguitur, ratione personae in cujus favorem bonum appetitur: 1° Amor *complacentiae*, seu volitio boni in se, quod aeque cedit in favorem amantis et amati. — 2° Amor *concupiscentiae*, seu volitio boni in commodum amantis. — 3° Amor *benevolentiae*, volitio boni in commodum amati.

Amor autem *benevolentiae*, si sit *simplex actus voluntatis*, quo alicui bonum volumus, dicitur *benevolentia*, quasi bene velle; si sit cum electione *unius* boni *prae alio*, vocatur *dilectio*, quasi delectio; si sit alicujus boni, quod *magni aestimatur*, dicitur *caritas*, quasi nimis carum; si denique sit cum *redamatione*, et aliqua bonorum *communicatione*, dicitur *amicitia* (*S. Thom.*, 1. 2, q. 26).

DEFINITIO. Caritas est virtus theologica, qua diligimus Deum propter seipsum, nosque et proximum nostrum propter Deum.

OBJECTUM *materiale* caritatis est duplex, primarium scilicet et secundarium. *Primarium* est Deus, quem super omnia diligere tenemur, tanquam nostrum ultimum finem. *Secundarium* sumus nos ipsi, et proximus noster, quem sicut nosmetipsos diligere debemus, quia hoc nobis praecepit Deus (*S. Franc. Sales*, Theotim., P. II, l. 4, c. 11).

Digitized by Google

OBJECTUM *formale* caritatis non est aliquod particulare Dei attributum (ut in fide et spe), sed « est Dei infinita bonitas, prout est aggregatio omnium perfectionum, sive infinita perfectio. — Hinc, ex communi sensu sapientum, verus actus amoris est dicere: Deus meus, quia es bonitas infinita, sive, quia es infinite bonus, amo te super omnia » (II, 24; H. Ap., IV, 9).

Ex quibus colliges: 1° Una est virtus caritatis, qua diligimus Deum, nosmetipsos et proximum; ratio enim diligendi est una, scilicet *bonitas divina,* in se, et in quantum est nobis et proximo communicata, vel communicabilis. — Item, una eademque est caritas *in via* et *in patria;* in patria est perfectior, idem tamen objectum retinet (*Lessius,* de Summo Bono, l. 2, c. 14).

2° ACTUS eliciti caritatis multi sunt, *tametsi ex uno motivo procedant.* — Praecipui sunt: *a*) *Complacentia* seu *gaudium* de infinitis Dei perfectionibus in se spectatis, et de illis omnibus quae Deo placent, vel ejus gloriam amplificant. Ex hoc gaudio procedit *laus Dei.* — *b*) *Benevolentia,* seu *desiderium* bonorum divinorum, v. gr. gloriae Dei, tum in nobis, tum in aliis promovendae. Ex quo nascitur plena conformitas voluntatis nostrae cum divina voluntate. — *c*) *Tristitia* de omnibus malis, quae divino bono adversantur. Ex hac sancta tristitia effluit *zelus,* qui ardenter repellit quae sunt contra Dei honorem et voluntatem (2 2, q. 27, a. 2).

3° His actibus *elicitis* adde *actus imperatos* omnes, scilicet qui eliciuntur ab aliis virtutibus, ex motivo caritatis (*Müller,* l. 2, § 19).

466. — PRINCIPIA. I. **Ad rationem caritatis requiritur ut sit amor complacentiae et benevolentiae.** Requiritur enim ut Deus ceu Bonum infinitum ametur *in se* et *propter se,* non propter aliud. — Caritas tamen amorem concupiscentiae, seu spei, minime excludit (cfr. n. 461). Ita *S. Alphonsus* (Vera Sposa, c. 22, § 1, n. 3). Alibi (VI, n. 442) dicit cum *S. Francisco Salesio:* « Si quis diligeret Deum propter suum bonum et ita [actu] affectus esset, ut si a Deo nihil speraret, eum nullo modo diligeret, hic utique peccaret, quia positive excluderet caritatem ». Cfr. *Perrone,* de Carit., n. 32.

467. — II. **Caritas debet esse sincera, completa et summa.** Debet esse *sincera* ob perfectionem supernaturalem et excellentiam Dei; *completa,* i. e. tum *affectiva,* quae nempe in corde sit, et qua amato bonum velimus; tum *effectiva* seu *efficax,* quae in opera se exserat, perficiendo illa queis amatus delectatur; et tandem *summa,* qua Deus super omnia diligatur.

Nota. 1° Non requiritur quidem ut sit *intensive summa,* nempe ut majori voluntatis et cordis conatu Deum prae ceteris amemus. *Sufficit* ut sit *appretiative summa,* quatenus Deum in majori aestimatione habeamus, quam omnia alia bona, eique majus bonum quam quibuscumque aliis velimus (*Mazzella,* de Virt. infus., n. 1280).

2° Ad rationem tamen caritatis pertinet ut amor sit *praedominans,* ita ut homo nullam creaturam pluris faciat quam Deum, velitque potius omnia perdere, quam Deum offendere mortaliter. — Unde, « si amor est ita debilis,

Digitized by Google

ut nondum attingat objectum caritatis, scilicet, nondum diligat Deum super omnia, haec non est vera caritas, sed *initium caritatis;* si vero sufficit ad rationem caritatis, quae consistit in dilectione Dei super omnia, haec, quantumcumque sit remissa, est vera caritas » (VI, 442).

468. — Corollaria. 1° *Desiderium* POSSIDENDI DEUM *est actus caritatis.* Caritas enim tendit in Deum tanquam ultimum finem; et ideo desiderium possidendi Deum, qui est ultimus quidem noster finis, est proprius actus caritatis, imo perfectior aliis: nam possessio Dei est caritas consummata. Hinc dicebat Apostolus: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.*, 1, 23). Idque expresse docet *S. Augustinus,* scribens: Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum (de Doctr. christ., l. 3, c. 10, n. 16). Cfr. *S. Alph.*, II, 24.

2° *Divinam diligere bonitatem tanquam* NOBIS *convenientem* aliquando est actus caritatis, aliquando non.

Si in hujusmodi actu respicimus nostrum proprium bonum *tanquam terminum,* talis actus revera est amoris concupiscentiae, qui ad spem tantum pertinet. — Si vero respicimus bonum nostrum *ut terminum gloriae Dei,* diligendo divinam bonitatem tanquam nobis convenientem, eo quod ipsa nos adjuvat ad consequendum ultimum nostrum finem, qui est diligendi Deum, et propter quem Deus nos creavit, hic est verus actus caritatis. Cfr. *S. Augustinum* in *Ps.* 134, n. 11.

3° Idem dicendum de dilectione Dei *propter beneficia sua.* — Si spectentur beneficia ut nobis collata, est actus gratitudinis, sed si spectentur ut communicationes bonitatis divinae, est actus caritatis (II, 24).

Nota. Praecipuae caritatis PRAEROGATIVAE sunt sequentes: 1° Reddit hominem justum, juxta illud (1. *Petr.*, 4, 8): *Caritas operit multitudinem peccatorum.* — 2° Constituit *veram amicitiam* inter Deum et hominem, juxta illud (*Sap.*, 7, 14): *Quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.* — 3° Perficit omnes virtutes, reddit earum actus meritorios vitae aeternae. — 4° Reddit jugum Domini suave et onus legis leve, etc. Unde Apostolus (*Rom.*, 8, 28): *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* — Vide Asceticos, v. gr. *Alvarez de Paz,* de Vita spir., l. 4, per totum.

ARTICULUS II.

De necessitate caritatis erga Deum.

469. — *Praenotanda.* Certum est 1° *habitum* caritatis omnibus, tum adultis, tum parvulis, necessarium esse necessitate medii. — Certum est 2° in N. T. *actum* caritatis non esse necessarium necessitate medii, *nisi hypothetice,* quando justificatio et salus non obtinentur medio sacramenti vel martyrii. Datur tamen pro omnibus adultis *praeceptum* caritatis *negativum,* quo prohibemur: *a*) ne unquam Deum odio habeamus; — *b*) ne eum ulli creaturae postponamus, agendo aliquid quod nostram cum eo amicitiam dissolvat, peccando videlicet mortaliter.

Digitized by Google

Ad praeceptum caritatis *affirmativum* quod attinet, en quae statuenda sunt.

470. — PRINCIPIA. I. **Datur speciale seu ab aliis distinctum praeceptum, quo jubemur Deum diligere.** Constat 1° ex verbis Christi (*Matth.*, 22, 37): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* etc. *Hoc est maximum et primum mandatum;* — 2° ex variis damnatis propositionibus, signanter ex 1ª ab Alexandro VII damnata: « Homo, nullo unquam vitae suae tempore, tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium »; — 3° ex ratione: quia ceterae virtutes non attingunt finem ultimum, nisi per caritatem (*Billuart,* de Carit., Diss. 4, a. 7, § 1).

Dicitur: *speciale* praeceptum, et ideo non solum *effective,* aliorum nempe mandatorum observatione, verum etiam *affective,* actu scilicet interno voluntatis, actum caritatis elicere debemus; alioquin non esset praeceptum speciale.

471. — II. **Ad implendum caritatis praeceptum, requiritur et sufficit, ut Deum diligamus appretiative super omnia.** Ita *S. Thomas* (2. 2, q. 27, a. 3). — Caritas enim appretiative summa, etiam in gradu remisso, est vera et perfecta caritas (II, 22; VI, 442). Cfr. dicta n. 467.

Hinc: 1° Peccatum non est, si quis creaturam intensiori amore diligat quam Deum, modo, per actum voluntatis, Deum appretiative super omnia diligat.

2° Ad majorem perfectionem caritatis pertinent hi *tres gradus: a*) ut ex amore Dei, parati simus evitare id omne, quod eum etiam *leviter* offendit; — *b*) ut ea quae ipsi sunt minus grata et accepta vitemus; illa vero, quae ipsi magis placent super omnia quaeramus; — *c*) ut ipsum intensiori ac teneriori amore, quam quamlibet creaturam, prosequamur. Vide *S. Franc. Sales,* Theotim., P. II, l. 4, c. 4 et 5.

472. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Quandonam obliget praeceptum* AFFIRMATIVUM *caritatis erga Deum?*

Resp. 1° Obligat PER SE: *a*) *Initio usus rationis* et vitae spiritualis, nempe quando alicui satis proposita est divina Bonitas, super omnia propter se amabilis, ut communiter docent cum *D. Thoma.* Tunc enim debet homo deliberare de fine ultimo assequendo, et ad illum dirigere se suosque actus: quod sine actu caritatis fieri nequit (*Salmant.*, tr. 21, c. 6, n. 7). — *b*) Probabilissime, *in articulo mortis,* eo quod tunc securissima via eligenda est, et quod nullus absolute certus est se esse in statu gratiae [1]. — *c*) *Saepius in vita;* ut constat ex propositionibus 5ª et 6ª ab *Innocentio XI* damnatis, quarum prior haec est: « An peccet mor-

[1] Immerito S. Alphonso contradicit Ballerini, dicens nullam solidam rationem, nec intrinsecam nec extrinsecam, S. Doctoris sententiam fulcire (*Vind. Alph.*, I, p. 173).

Digitized by Google

taliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audeo »; et posterior: « Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis, per se obligare praeceptum caritatis erga Deum ».

2° Obligat PER ACCIDENS: *a*) Quando quis tenetur conteri, v. gr. moriturus aut celebraturus, si ipsi nempe confessarius desit; ratio est, quia contritio includit actum caritatis. — *b*) Quando est periculum incidendi in odium Dei, vel in aliud grave peccatum, nisi caritatis actus eliciatur; nam qui tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria (II, 23; Inst. cat., P. I, c. 1, n. 26).

QUAER. 2° *Quoties, in vita, eliciendus sit actus caritatis?*

Resp. Distinguenda est obligatio eliciendi actum caritatis inquantum ipsa est *praecellens virtus,* et inquantum est MEDIUM AD FINEM, i. e. observantiam praeceptorum. — Non una est omnium sententia: alii dicunt, sub gravi eliciendum esse semel in anno; alii semel in hebdomade, vel quolibet festo. — Sic autem *S. Alphonsus* (H. Ap., IV, 13; Conf. dir., IV, 6): « Circa actum caritatis magis mihi *arridet* sententia eorum, qui eum requirunt *semel in mense;* dum difficulter observare poterit legem divinam, qui frequenter suum erga Deum amorem actibus positivis non exercet ». Cfr. *Vind. Alph.*, P. II, q. 3; *Lehmkuhl,* I, 451; *Perrone,* de Virt. theol., P. 3, c. 5, n. 253.

473. — *Ex his resolves:* 1° Non est obligatio semper agendi *ex motivo caritatis;* praeceptum enim caritatis, quatenus est affirmativum, obligat statutis temporibus tantum. — Recole dicta n. 307.

2° Specialis obligatio incumbit iis quibus cura puerorum vel moribundorum credita est, ut his et illis, debito tempore, actus caritatis suggerant (*S. Alph.*, de Assist. morib., § 3). Attamen, quoad moribundos utendum est potius exhortatione quam monito stricto.

3° Praecepto caritatis de se non satisfaciunt, qui in statu peccati mortalis per menses remanent. Neque satisfaciunt, si cum sola attritione sacramentum poenitentiae suscipiunt; quia attritio non attingit ad rationem verae caritatis (cfr. n. 1675).

4° Facile huic obligationi satisfaciunt qui christiane vivunt. « Opus enim non est, ut hi actus *reflexe* et *explicite* fiant, cum intentione praecepto satisfaciendi; sed satis est si *exercite* fiant, licet ex alio fine, nempe ad abjiciendam tentationem, ad eliciendam contritionem, si quis confiteri velit. Ita etiam actus caritatis sunt omnes actus uniformitatis cum divina voluntate et omnes virtutes exercitae ad Dei complacentiam » (H. Ap., IV, 3). — Item, satisfieri potest per precationem, signanter per orationem Dominicam, cum dicitur ex corde: *Sanctificetur* etc...., *adveniat* etc...., *fiat voluntas tua* etc.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De peccatis caritati erga Deum oppositis.

Praeter peccata *omissionis* contra praeceptum affirmativum caritatis divinae, tria sunt peccata quae eidem caritati opponuntur, nempe: amor inordinatus creaturae; odium Dei; acedia. — De acedia jam diximus in tractatu *de Peccatis* (n. 372).

474. — PRINCIPIA. I. **Omnis amor inordinatus creaturae, in actum transiens, est peccatum mortale.** Ita *Sporer* (tr. 2, c. 5, sect. 4, § 4) cum communi.

Dicitur: 1° *inordinatus,* i. e. quo creatura praeponitur Deo; — 2° *transiens in actum,* secus non dari potest peccatum actuale. — Constat ex dictis de obligatione diligendi Deum appretiative super omnia, et ex verbis Domini (*Matth.,* 10, 37): *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Unde hic fingi non potest levitas materiae.

Notandum: 1° Amor inordinatus creaturae *aliquando speciale peccatum est, aliquando non*: *a*) Est speciale peccatum, quando quis, sciens et volens, creaturam ita inordinate diligit, ut propter eam, actuali consensu subinde elicito, paratus sit quodcumque praeceptum transgredi, ac mortaliter Deum offendere. Est, inquam, speciale peccatum contra caritatem, quia nulli praecepto in particulari repugnat. — *b*) Non est autem speciale peccatum contra caritatem, si quis ex inordinato amore transgreditur aliquod praeceptum, v. gr. justitiae; sed est idem numero cum transgressione hujus praecepti: quia caritas semper laeditur in omni peccato gravi.

2° *Talis amor est causa omnium peccatorum, etiam ipsius odii Dei.* Quod sic fere explicat *D. Thomas* (2. 2, q. 34, a. 1 et 6): « Primo, homo inordinate occupatur et capitur amore sui aut creaturae alicujus, aut vult sibi bene esse in tali creatura. Deinde, quia saepe non potest sic ipsi bene esse, nisi legem Dei transgrediatur, ideo amore hujus creaturae consentit in peccatum. Ulterius, quia Deum severum legislatorem ac vindicem peccati experitur, impius peccator procedit ad formale odium Dei ».

475. — II. **Odium formale Dei est peccatum speciale, et quidem omnium gravissimum.** Ratio *primi* est, quia odium Dei quodcumque aversatur Deum tanquam sibi molestum; unde opponitur Dei caritati, eamque directe et formaliter destruit. — Ratio *secundi,* quia culpae gravitas consistit in aversione a Deo. Atqui ista aversio est potior et major in odio Dei, in quo est per se et directe, quam in aliis peccatis, in quibus est indirecte et per accidens (2. 2, q. 34, a. 2; *S. Alph.,* V, 60).

Nota. 1° Diximus: *odium formale,* quia in omni peccato, quo dissolvitur amicitia divina, reperire est aliquod odium Dei, sed virtuale et interpretativum, quo non constituitur specialis culpa.

Digitized by Google

2° Hoc formale Dei odium geminum est: alterum *abominationis* (amori concupiscentiae oppositum), quo quis Deum odit, quatenus experitur vel apprehendit eum ceu sibi contrarium; alterum *inimicitiae* (oppositum benevolentiae et amicitiae), quo quis Deum odit in se et secundum se, volens ei malum, quatenus ipsi malum est. Inest huic posteriori odio tanta malitia, ut major concipi nequeat. Ipsum tamen odium inimicitiae et odium abominationis, respectu Dei, *specie non differunt,* quia licet odium abominationis oriatur de se ex desperatione, non potest tamen voluntas usque ad odium Dei pervenire, nisi Deus in se, odio inimicitiae, impugnetur (II, 20, 24; *Lehmkuhl,* I, 434).

3° Ex odio Dei procedere possunt *blasphemiae, exsecrationes, maledicta, sacrilegia, persecutiones in Ecclesiam,* etc. Tale odium his peccatis speciem addit, ut palam est (*Sporer,* tr. 2, c. 5, sect. 4).

CAPUT II.

De caritate erga proximum.

S. Thomas, 2. 2, q. 25; *S. Alphonsus,* II, n. 25; *Billuart,* disp.V; *Laymann,* l. 2, tr. 3, c. 3; *Elbel,* II, n. 207; *Suarez,* l. c.; *Van Roey,* de Natura et Ordine carit.; *Steinmüller,* die Feindesliebe; *Berardi,* Theol. mor., II, n. 96.

476. — *Praenotanda:* 1° Quod caritatis objectum secundarium complectatur *nosmetipsos* et *proximum,* supra dictum est (n. 465).

2° Nomine autem PROXIMI veniunt omnes, qui aeternae beatitudinis sunt capaces, vel ea jam fruuntur, i. e. Angeli, Beati in Coelo, animae in Purgatorio, et maxime homines viatores, sive justi, sive peccatores. Hinc illud *Gersonis* (Summa, l. 5, q. de Carit.): « Omne illud quod est beatificabile, est diligendum ex caritate. — Soli excipiuntur damnati.

3° *Norma hujus dilectionis proximi* est caritas supernaturalis quam nos *erga nosmetipsos* habere debemus. Praeceptum *seipsum diligendi* non est quidem expressis verbis homini impositum, quia cuique enti rationali nimis est connaturalis tendentia seipsum diligendi, unde necessaria non fuit hujus praecepti expressa promulgatio. Nihilominus est strictum urgensque praeceptum.

4° Ex hac dilectionis necessitate sequitur, quod unusquisque tenetur sibi optare et procurare *ea bona* quae sibi conveniunt:

a) *Bona supernaturalia* quae sunt: cognitio finis supernaturalis et mediorum ad finem, gratia sanctificans, conversio post peccatum, sacramenta.

b) *Bona spiritualia,* ut sunt: instructio, voluntatis firmitas, unde quisque possit iis vacare quae sibi ex officio imponuntur.

c) *Bona corporalia,* sub quibus comprehenduntur: cibus, vestitus et habitatio. In his tamen moderatio adsit necesse est. Ad ea tenemur, quae sanitas, pudicitia, familiae status exigunt; attendendum est vero ad eas, quas temperantia et conditionis diversitas imponunt restrictiones [1].

d) *Bona externa personae,* ut sunt honor et fama. Caritatis erga seipsum est curare de bono nomine, quaerere ut recuperetur. Potest autem quis, positis ponendis, huic juri renuntiare.

[1] Ex his videtur, quomodo minus prudenter ageret, qui a priori rejiceret exercitia gymnastica ludosque corporales; quam prudenter vero se gerunt, qui operarios ad hoc exhortantur, ipsisque juvamen praestant, ut proprias, salubres domos sibi comparent.

Digitized by Google

e) ***Bona externa fortunae.*** Hoc exigitur, ratione vitae conservandae, vel familiae alendae, vel officii obeundi. Ex hoc oritur obligatio laborandi et amplectendi certum vitae statum (*Ami du Cl.*, 1898, p. 1084). Praeter necessarias tamen, nullas tenemur acquirere divitias. Cfr. *Lehmkuhl*, I, 727; *Noldin*, II, 66; *Tanquerey*, I, n. 764.

His praemissis, melius intelligentur sequentia

477. — PRINCIPIA. I. **Datur praeceptum, tum affirmativum, tum negativum, diligendi proximum.** Etenim 1° sicut eum amore naturali prosequimur, quia in eo imago nostra relucet: ita amore eum supernaturali diligere debemus, propter id quod est Dei in ipso (*S. Franc. Sales*, Theotim., l. 7, c. 8). — 2° Constat ex verbis Domini, dicentis: *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Matth.*, 22, 39), saepiusque illud suum mandatum iterantis, et praecipientis ipsorum inimicorum dilectionem.

Proximum autem diligere debemus: *a*) amore *affectivo;* nam amare est velle alicui bonum. Constat ex propositione 10ª damnata ab Innocentio XI, quae sic sonat: « non tenemur proximum diligere actu interno et formali ». — *b*) Amore *effectivo*, juxta illud (1. *Joann.*, 3, 18): *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate;* voluntas enim est semper effectiva eorum quae vult, dummodo adsit facultas (2. 2, q. 25, a. 1, et q. 44, a. 7; *S. Alph.*, Vera Sposa, c. 12).

478. — II. **Praeceptum caritatis, quatenus est affirmativum, obligat aliquoties ad actum amoris internum, et ad externum, pro circumstantiis; quatenus autem est negativum, vetat, pro semper, omnes et singulos actus caritati repugnantes.** Ratio generalis est, quia tenemur diligere proximum sicut nos ipsos. Atqui nos ipsos diligimus actu interno et externo, secundum circumstantiarum expostulationem.

Quia vero in caritate RECTUS ORDO, seu proportio dilectionis ad diligibile, ut loquitur D. Thomas, servari debet; sequitur de tribus esse disserendum, nimirum: 1° de ordine caritatis; — 2° de actibus quos praecipit caritas; — 3° de actibus quos vetat [1].

ARTICULUS I.

De ordine in caritate servando.

ORDO, in genere, juxta *S. Augustinum* (de Civit. Dei, l. 19, c. 13, n. 1), « est parium dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens, dispositio ». — Hinc ordo caritatis, quae in aliquibus justitiae virtutem participat, in hoc situs est, ut unicuique objecto diligibili suum convenientem locum assignemus (cfr. n. 484).

[1] Si caritatem *cum justitia* conferimus, evidens est, actus contra caritatem in se majorem continere malitiam quam actus contra justitiam. Ex altera vero parte, justitia laesa graviora imponit officia quam vulnerata caritas. Maxima differentia inter duas virtutes in hoc sita est, quod caritas plerumque facilius ab actibus externis positivis excusat, quam justitia. Vide *Lehmkuhl*, I, 785, nota.

Digitized by Google

479. — PRINCIPIA. I. **Ordo quidam in dilectione omnino servandus est.** Etenim, non omnia bona aequaliter sunt aestimanda, nec omnes personae sunt aequaliter diligendae. — Unde *S. Augustinus* (de Doctr. christ., l. 1, c. 27): « Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer aestimator est: ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet ». Eadem docet *S. Thomas* (2. 2, q. 44, a. 8).

480. — II. **Ordo in dilectione servandus, tum personas, tum bona respicit.** Etenim, amare est velle alicui bonum: quare dilectio tum ad personas, tum ad bona quae ipsis volumus, refertur.

1° Quoad PERSONAS, attendenda est tum comparatio ad Deum, secundum quam aliae aliis Deo sunt propinquiores ob majorem excellentiam; tum comparatio ad nos, secundum quam aliae aliis nobis sunt conjunctiores (II, 27, resp. 2).

2° Quoad BONA, ea quisque magis amare et velle debet, quae praestantiora sunt, atque magis necessaria.

Primum autem locum obtinent bona *supernaturalia;* secundum, bona *naturalia* et corporalia; tertium, bona *externa.* Cfr. n. 476. — Item, ceteris paribus, bonum commune praeferendum est bono privato; bonum certum, bono incerto.

Spiritualia *per se* praestant temporalibus, intrinseca extrinsecis. Non tamen propterea quodlibet vel minimum bonum superioris ordinis praestat, *in morali aestimatione,* cuilibet bono ordinis inferioris. Sic nemo mallet ingentis summae jacturam facere, quam per unam horam levissimum capitis dolorem pati (*Gén.,* I, 215).

3° Bono opponitur MALUM, quo proximus in *necessitate* constituitur; unde etiam proximi necessitas attendenda est.

NECESSITAS (sive spiritualis, sive temporalis) distinguitur triplex. — Dicitur: *a*) *Extrema,* cum quis sine alterius auxilio se liberare nequit a periculo damnationis, vel a morte aut alio malo ferme aequali. — Huic aequiparatur *quasi extrema,* quando alicui valde difficile est sine alterius auxilio se liberare a gravissimo malo, quod mox eveniet. — *b*) *Gravis,* cum quis, nisi adjuvetur, difficulter effugere valet periculum animae, vel vitae corporis, alteriusve gravis jacturae bonorum, vel status. — *c*) *Communis* seu *mediocris,* cum quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hac versantur, in ordine spirituali, ordinarii peccatores; in ordine vero temporali, plerique pauperes mendicantes (II, 27).

His praemissis, statuamus *speciales regulas,* quas ordo in caritate servandus praescribit, facta comparatione tum inter nos et proximum, tum inter ipsos proximos.

Digitized by Google

§ 1. De ordine caritatis inter nos et proximum.

Ordo diligendorum sic generatim exprimitur: Deus, anima nostra, anima proximi, corpus nostrum, corpus proximi.

481. — Principia. I. **Post Deum, unusquisque tenetur, absolute loquendo, seipsum magis diligere quam proximum.** Unde illud vulgare axioma: *Caritas bene ordinata incipit a semetipso.* — Constat 1° ex naturali inclinatione, quam gratia perficit; — 2° ex verbis Christi: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Ex quibus verbis colligitur, hominis dilectionem ad seipsum, esse sicut exemplar dilectionis, quae habenda sit ad alterum. Sed exemplar potius est quam exemplatum (2. 2, q. 26, a. 4).

« Modus autem dilectionis assignatur, cum dicitur: *sicut teipsum;* quod non est intelligendum quantum ad hoc quod aliquis proximum sibi aequaliter diligat, sed similiter sibi. — Et hoc tripliciter: *primo* quidem, ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, ut sic sit dilectio proximi sancta; *secundo,* ex parte regulae dilectionis, ut scilicet aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis,... ut sic sit dilectio proximi justa; *tertio,* ex parte rationis dilectionis, ut scilicet non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione quod velit proximo bonum,... ut sic dilectio proximi sit vera; nam cum quis diligit proximum propter suam utilitatem vel delectationem, non vere diligit proximum, sed seipsum » (2. 2, q. 44, a. 7).

482. — II. **In solis necessariis ad salutem, hoc principium cuique applicandum est absolute, i. e. absque ulla exceptione.** Salvatur enim ordo caritatis, et obligatio praeferendi seipsum, in eo, quod unusquisque finem suum, i. e. bonum supremum et unice necessarium, plus sibi quam alteri velit (*Valentia,* t. 3, disp. 3, q. 4).

Unde nunquam licet ad consulendum saluti proximi peccare, nec graviter nec leviter; nec peccandi periculo se exponere, nisi periculum aliqua ratione fiat remotum (cfr. n. 375).

Hinc: 1° Potest quis privare seipsum bonis spiritualibus non necessariis ad salutem, ob bonum proximi spirituale vel corporale, v. gr. differendo ingressum in Religionem, ad parochiae providendum, ad alendos parentes aut filios (II, 26; IV, 78).

2° Potest quis per se, et ex motivo virtutis, propriam vitam immolare, pro aliena servanda. « Tradere seipsum morti propter amicum, ait *D. Thomas* (3. Sent., D. 29, a. 5, ad 3), est perfectissimus actus virtutis: unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam propriam corporalem. — Dictum est id licere *per se;* nam per accidens aliquando non licet, v. gr. si quis liberis, uxori, parentibus est necessarius. Cfr. n. 753.

Digitized by Google

483. — III. **Ordine caritatis tenemur quandoque bonum proximi procurare, posthabito bono proprio.** Dicitur *ordine caritatis;* nam ex titulo justitiae, pietatis vel officii, intervenire possunt peculiares obligationes, suis locis discutiendae (2. 2, q. 26, a. 5).

Ut autem caritatis obligationes pressius definiantur, certae statui possunt REGULAE. Hae tamen non valent nisi *positis ponendis:* i. e. *a*) ut aeque certa spes successus adsit; — *b*) ut alius non adsit qui possit et velit succurrere; — *c*) ut gravius malum inde non timeatur (II, 27).

REGULA 1ª *In extrema necessitate publica* (i. e. propriae communitatis), etiam *temporali,* quisque tenetur incommodum quodcumque, imo et vitae jacturam subire.

Hoc patet ex eo, quod membrum ordinatur ad corpus, pars ad totum, privatus ad communitatem. — Hinc, tenetur homo privatus propriam vitam periculo exponere, pro vita salvanda viri, qui Reipublicae est necessarius. Pariter, in bello non licet civi, ne mortis quidem vitandae causa, indicare hosti media quibus possit urbem capere, etc. (2. 2, q. 26, a. 3).

REGULA 2ª *In extrema necessitate privata spirituali,* succurrendum est proximo, etiam cum periculo vitae; in eadem necessitate *corporali,* succurrendum est cum magno incommodo.

Primum sic declarat *S. Augustinus* (de Mendacio, c. 6, n. 9): « Temporalem vitam suam pro aeterna vita proximi non dubitabit christianus amittere; hoc enim praecessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Ad hoc enim ait: *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos* ». — Unde, si proximus non esset salvandus absque nostro auxilio, urget illud (1. *Joann.,* 3, 16): *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* — *Secundum* patet ex eo, quod urget obligatio proximo benefaciendi, quando hic in necessitate versatur (n. 482 et 485, 2°); et consequenter eo magis urget, quo major est necessitas: quin tamen teneamur, pro proximo salvando, nos in eamdem necessitatem conjicere.

Hinc: 1° Teneris cum vitae tuae periculo infantem moriturum baptizare; item, absolvere moribundum habituatum in peccatis, si sit adeo rudis, ut nesciat actum contritionis elicere. Tenetur mater subire operationem periculosam, ut infans extrahi et baptizari possit. — 2° Non teneris salvare vitam privati cum maximo tuo incommodo. Sic, v. gr., potes, sed non teneris ex caritate, tueri vitam innocentis, cum timore inimicitiarum, publicae justitiae, etc. (III, 390).

REGULA 3ª *In gravi necessitate,* sive *spirituali* sive *temporali,* proximo succurrendum est ex caritate, cum mediocri tantum incommodo.

Ratio est, quia quando proximus absolute potest se a periculo liberare, non videtur caritas nos obligare ad illi subveniendum cum magna difficultate, utpote in casu strictae necessitatis non constituto.

Hinc: 1° Non teneris cum periculo vitae, famae, vel fortunae, alios etsi proxime morituros, retrahere a peccatis, a quibus ipsi possunt se liberare per seipsos. Neque teneris ad Indos convertendos navigare, cum alii sint qui hoc facere possunt, et alias fructus sit incertus. — Teneris tamen ex caritate sub-

Digitized by Google

venire proximo, gravi animae necessitate laboranti, si possis sine gravi incommodo, et speres fructum.

2° Non tenetur sacerdos simplex, cum periculo vitae, sacramenta ministrare in gravi necessitate constituto, nisi sit necessitas publica, v. gr. tempore pestis aut belli, et populus sit omni sacerdote destitutus. Tunc enim praesumitur adesse pro pluribus necessitas extrema. — Item, si quis haeresim alicubi spargat, teneris cum periculo vitae eum impedire, si id efficaciter possis, et nemo alius impediat (II, 27).

REGULA 4ª *In communi* seu *ordinaria necessitate utriusque ordinis,* succurrendum est proximo cum incommodo levi.

Sane succurrendum est; sed cum incommodo levi, quia ipse proximus satis facile ab illa necessitate sese expedire potest; vel etiam quia non est ipsi nimis molesta. — Nec teneris *omnibus* in communi necessitate positis opitulari: hoc enim impossibile, vel saltem nimis grave foret.

§ 2. De ordine caritatis inter ipsos proximos.

484. — PRINCIPIA. I. **Amore complacentiae prae ceteris diligendae sunt creaturae excellentiores ac sanctiores.** « Qui melior est, inquit *S. Alphonsus* cum Busenbaum, magis diligendus est, et ea dilectione, quam comitatur gaudium circa bona possessa, item honor, cultus et reverentia. Sic plus diligendi sunt viri sancti quam parentes improbi, parentes quam filii vel uxor, benefactores quam ii quibus benefacimus » (cfr. n. 479).

II. **Amore benevolentiae magis diligendi sunt qui nobis sunt propinquiores.** Hi autem aliis praeferri debent, secundum ea bona, in quibus conjunctio vel amicitia fundatur. — Ratio est, quia propter specialia vincula, quibus Deus illos nobis devinxit, debemus majus studium adhibere, ad providenda ipsis bona nondum possessa, et ad praecavenda mala impendentia. — Unde sic Apostolus (1. *Tim.*, 5, 8): *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

Corollaria. A. *Quoad applicationem regularum.*

1° In bonis pertinentibus ad naturam et vitam corporalem conservandam, si necessitas sit utrobique *extrema,* vel *quasi-extrema,* parentes, cum vitam dederint, praeferendi sunt uxori et liberis. — Si necessitas utrobique sit tantum *gravis* vel *mediocris,* succurrendum est: *a*) uxori, quia una caro est cum viro; — *b*) filiis, quippe quibus jure naturali parentes plus tenentur providere, quam filii parentibus; — *c*) parentibus, et quidem patri prae matre, quia pater excellentiorem principii rationem habet; — *d*) fratribus et sororibus; — *e*) demun propinquis, domesticis et familiaribus.

2° « In rebus pertinentibus ad *civilem* communicationem, praeferendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. — Bannez tamen probabiliter docet, parentes carnales etiam in spiritualibus, aliis omnibus praeferendos: quia conjunctio carnalis est fundamentum aliarum conjunctionum ».

Digitized by Google

3° Per accidens fieri potest, ut alteri sit praeferendus is, qui naturaliter esset postponendus, quia non solum ad conjunctionem personarum, sed etiam ad necessitatem et bona procuranda attendendum est. Sic mater bona et proli utilis praeferri potest patri malo et proli nocivo. Item filius rei domesticae necessarius, uxori inutili et clamorosae (*Kon.*, n. 279). Pariter plus diligendus est amicus, qui te a morte eripuit, quam frater, qui illam tibi inferre volebat.

B. *Quoad inversionem ordinis et culpae gravitatem.*

1° Inversio ordinis quantum ad *necessitatem*, si de gravi vel extrema necessitate agatur, grave peccatum continet; quia caritatem in gravi materia laedit, auferendo ipsum ordinem.

2° Inversio ordinis quantum ad *conjunctionem personarum*, grave peccatum est, si notabilis est excessus; v. gr. si in materia gravi, extranei vel remote conjuncti proxime conjunctis praeferantur. Leve peccatum est, si exiguus est excessus; v. gr. inter proxime conjunctos, ut inter parentes, conjuges, et filios, inter quos neque aperte constat quis revera praeponendus sit (*Aertnys*, tr. 3, n. 45).

ARTICULUS II.

De actibus caritatis erga proximum.

Caritatis praeceptum, ut supra dictum est (n. 470), obligat ad actus tum internos, tum externos.

485. — PRINCIPIA. I. **Actus internus eliciendus est ex motivo supernaturali, saepius in vita.** Si non fieret nimirum propter amorem Dei, vel ut praecepto Christi pareamus, non esset locus praecepto: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (*Joann.*, 13, 34). — Eliciendus est autem, sicut actus caritatis erga Deum, *saepius in vita* quia ambo regulis iisdem subjacent. Cfr. n. 472.

Sed praecepto jam satisfacit qui preces fundit pro omnibus, v. gr. recitando orationem Dominicam. Item, hi actus caritatis bene exercentur occasione vitandi odium, aut largiendi eleemosynam. Et cum hujusmodi occasiones frequenter occurrant, hinc est moraliter impossibile, ut fideles christiane viventes huic praecepto abunde non satisfaciant.

II. **Obligatio eliciendi actus externos caritatis determinanda est ex variis circumstantiis.** Determinatur autem pro necessitate proximi, et nostra illi subveniendi facultate. Constat ex dictis n. 483 seqq.

Actus externi quibus alienae necessitati, sive ex praecepto, sive ex consilio, subvenitur, vocantur OPERA MISERICORDIAE [1].

Opera misericordiae *corporalia* numerantur septem, nempe: visitare infirmos, potum dare sitientibus, cibare esurientes, captivos redimere, vestire

[1] *S. Thom.*, 2. 2, q. 30-32; cfr. *S. Alph.*, Inst. cat., P. I, c. 1, n. 43, et Vera Sposa, c. 12, § 3. « Misericordiae virtutem religio christiana potissimum nos docuit. Quamvis enim lex naturae ex commiseratione inclinet hominem ad sublevandam alienam miseriam, misericordiae tamen notio apud gentiles ita obscurata ejusque exercitium adeo neglectum erat, ut Plato pauperes e republica relegare voluerit, et Seneca misericordiam animi vitium putaverit ». Ita *Noldin*, II, n. 86. Cfr. *Ami du Clergé*, 1897, p. 562, 978; *Kirchenlexicon*, v. Armenpflege.

Digitized by Google

nudos, colligere hospites et sepelire mortuos. — *Spiritualia* similiter septem recensentur, nempe: dare consilium dubitanti, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari afflictum, injurias condonare offensori, ferre molestos et fastidiosos, orare pro omnibus. — Hinc duplex ille versiculus:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Hic agemus de duobus operibus praecipuis misericordiae: 1° de eleemosyna stricte dicta; — 2° de eleemosyna spirituali, quae est correctio fraterna.

§ 1. De eleemosyna.

486. — Definitio. Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti, ex compassione, propter Deum. — Sic definita, *eleemosyna* est actus misericordiae, imperatus a caritate. — Potest etiam imperari ab alia virtute.

Principia. I. **Datur praeceptum per se grave erogandi eleemosynam.** Constat tum ex ratione, quae jubet alteri facere, quod nobis in eadem conditione positis fieri vellemus; tum ex verbis Christi (*Matth.*, 25, 41): *Discedite a me, maledicti...; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare...;* ex 1. *Joann.*, 3, 17: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?*

487. — II. **Ut praeceptum eleemosynae urgeat, duo requiruntur: necessitas ex parte accipientis et superfluitas bonorum ex parte dantis.** *Primum* constat ex ipsa definitione; *secundum* ex ordine caritatis. Qui enim non habet nisi vitae necessaria, illa elargiri nequit, quin propriae vitae alienam anteponat. Consonant verba Domini Salvatoris: *Quod superest, date eleemosynam* (*Luc.*, 11, 41). Cfr. 2. 2, q. 32, a. 1; *Bouquillon,* de Carit., n. 483-90.

Porro, sicut necessitas indigentis distinguitur triplex, ut supra dictum est (n. 480, 3°), ita etiam ex parte dantis, bona sunt triplicis generis: *a*) *necessaria vitae,* i. e. bona sine quibus vitam propriam, vel nostrorum, servare non possumus; — *b*) bona *superflua vitae,* sed *statui necessaria,* i. e. sine quibus vitam quidem servare possumus, at non eo modo vivere, qui nostrum statum deceat; — *c*) tandem bona simpliciter *superflua,* i. e. quae nec vitae, nec statui sunt necessaria. — Et hic notandum, quod per necessaria ad *decentiam status,* generatim intelligenda sunt ea omnia, quae requiruntur, non solum ad filios et famulos et hospites sustentandos, sed etiam ad honestas donationes, convivia et moderatas magnificentias exhibendas (II, 31; confer *Kon.*, n. 484).

488. — Quomodo autem, pro diversitate sive necessitatis, sive superfluitatis bonorum, eleemosyna facienda sit, sequentibus regulis stabilietur, *positis semper ponendis,* i. e.: *a*) quod non sufficiat solus rei

Digitized by Google

usus; — *b*) quod media requisita non sint extraordinaria, quae communiter homines adhibere non solent; — *c*) quod bonum communitatis seu publicum non periclitetur (II, 31, resp. 3° et 4°; *Gén.*, I, 222).

REGULA 1ª *In extrema necessitate,* proximo succurrendum est ex bonis vitae superfluis, licet statui necessariis. Ratio patet ex ordine caritatis (n. 483, Reg. 2).

Unde nemo tenetur dare eleemosynam ex bonis sibi ad vitam necessariis, nisi pauper esset talis, ex quo penderet salus reipublicae.

REGULA 2ª *In gravi necessitate,* proximo succurrendum est ex superfluis statui, sed cum mediocri tantum incommodo. Ita communiter, et ratio iterum patet ex ordine caritatis.

Obligatio autem urget *sub gravi,* nisi prudenter judicetur alium esse subventurum; nam, « cum in Scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera misericordiae, haec non sunt restringenda ad extremam et raram necessitatem » (II, 31). Et videtur clare inferri ex damnatione propositionis 12ae ab *Innocentio XI:* « Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui, et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui ».

REGULA 3ª *In communi* seu *mediocri necessitate,* proximo subveniendum est ex superfluis statui, sed cum levi tantum incommodo. Id quoque requirit ordo caritatis. — *An vero sub mortali?* — Negant multi cum *S. Antonino;* pauperum enim communis miseria solet esse levis et tolerabilis. Affirmat vero cum communiori *S. Alphonsus* (II, 32; 1. El. qq. ref., n. 4) si de *pauperibus in genere,* et non de aliquo particulari agatur. Ratio praecipua est, quia si divites absolutam non haberent obligationem subveniendi communiter mendicis, possent isti ab omnibus in sua necessitate relinqui, et ita necessitas eorum fieret gravis. Ideo verbis Domini (*Luc.*, 11, 41): *Quod superest, date eleemosynam,* exprimitur praeceptum per se grave, ut SS. Patres communiter interpretantur (*Sylvius*, 2. 2, q. 32; *Bellarmin.*, de Bonis Oper., l. 3, c. 7).

Non tenentur quidem divites erogare *totum superfluum;* sed nec sufficit erogare tam modicum pro quantitate suae substantiae, ut, si alii divites eadem parcimonia uterentur, pauperibus subsidium deesset. — Communiter censentur satisfacere divites, erogando in pauperes communes *quinquagesimam partem redituum* qui supersunt (sive 2 aureos ex 100); sed non in eadem proportione, si divitiae multum excedant [1]. — *Excipe beneficiatos,* qui tenentur totum superfluum pauperibus aut locis piis distribuere, ut suo loco videbitur (n. 2249).

[1] Alii AA. abstinent a mathematica determinatione quoad statui necessaria aut superflua. « Talis enim decentia, ait *S. Thomas* (4. D. 15), non consistit in aliquo indivisibili: quia multis additis homo non excedit status sui conditionem, multis etiam abstractis, conditio status decenter conservatur ». Nihilominus, ob diversitatem opinionum, S. Alphonsus normam ut supra statuendam censuit. Quidquid dicat Ballerini, ista regula nullo modo sonat quid absurdum (*Vind. Alph.*, I, p. 186).

Digitized by Google

Atvero, « si quis dives et abundans diu neget omnes eleemosynas, cum proposito dandi meliore et commodiore loco ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium usum convertendi, is non peccat, cum habeat justam causam negandi. Si vero talis, sine rationabili causa, omnes a se pauperes inhumaniter repellat, eum dicit Laymann versari in malo statu ». Cfr. II, 32; H. Ap., IV, 19; Conf. dir., IV, 11; Istr., IV, 19.

Ex his deduces: 1° Excepto casu, quo ex publicis stipendiis pauperes aluntur, peccat mortaliter *dives,* qui statuit *nullam dare eleemosynam* in communibus necessitatibus, vel qui in hoc est notabiliter negligens, et superflua omnia accumulat ad altiorem statum assequendum. — Quin imo, etiam casu, quo ex publicis stipendiis multa ad levandos pauperes attribuantur, non recte agit dives, qui ex proposito nihil amplius dare vellet. Quoad non pauca enim deficit practice Status sollicitudo: unde in detrimentum multorum vergeret hujusmodi divitis denegatio. — Nec certe modicae eleemosynae quemquam impediunt, quominus honeste ad superiorem statum ascendat.

2° Tenentur *medici, advocati,* etc., operam pauperibus gratis impendere, quando hi sunt in vera necessitate, nec ab aliis adjuvari possunt (2. 2, q. 71, a. 1).

3° « Homines *privati* non tenentur inquirere pauperes. Si tamen dubitent de extrema alicujus indigentia, tenentur inquirere veritatem » (II, 31, resp. 4, ad 1).

489. — Quaesita. QUAER. 1° *Quibus pauperibus eleemosyna danda sit?*

Resp. Danda est omnibus *vere indigentibus,* sive sint fideles, sive infideles, sive indigenae, sive alienigenae; ita tamen ut, ceteris paribus, senex praeferatur juveni, nobilis ignobili, invalidus valido, fidelis infideli, catholicus haeretico, bonus malo, indigena extraneo, etc. Id enim requirit ordo caritatis.

Nulla est obligatio dandi eleemosynam, et aliquando illicitum esset, eam dare pauperibus *laborare nolentibus.* Cavendum tamen, ne illi voluntarie otiosis annumerentur, qui ob laboris defectum in miseriam inciderunt. His porro consultius esset subministrare laborem, ex quo vivant (II, 32, ad 5).

QUAER. 2° *Ex quibus bonis dari debeat, aut possit, eleemosyna?*

Resp. 1° Ex propriis, quorum quis liberam habet administrationem.

Dicimus: *ex propriis.* Igitur non licet ex bonis restitutioni obnoxiis; nec licet cum damno creditorum; nec licet filiis ex bonis parentum; famulis ex bonis herorum. — Dicimus: *quorum quis liberam habet administrationem.* Hinc uxor non potest dare extraordinarias sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis, quorum ipsa scilicet dominium et administrationem habet et fructus percipit. Ordinarias tamen et valde communes dare potest ex bonis domesticis, juxta morem uxorum suae conditionis; id vero, etiamsi maritus foret invitus, quia consuetudo hoc jus ei tribuit (II, 33; III, 540).

2° Ex alienis, si vel pauper sit in necessitate extrema et tu non possis dare ex tuo; vel dominus consentiat, aut consentire rationabiliter praesumatur.

Hinc, filii possunt largiri eleemosynas tenues, et famuli panem et similia. Similiter possunt tutores et curatores, ex bonis sibi commissis, dare modicas

Digitized by Google

illas eleemosynas, quas dare deberent ii, quorum bona administrant, cum personam eorum gerant (II, 33, 2°, 3°).

Nota. 1° Confessarius divitum meminerit verborum Apostoli (1. *Tim.*, 6, 17): *Divitibus hujus saeculi praecipe... bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

2° Non facile tamen absolutio neganda est diviti mendicis communibus eleemosynam neganti: tum ob dubium et dissensum Doctorum; tum quia divites, quasi semper, rationes excusantes proferunt, quas in praxi confessarius non facili ut inanes rejicere poterit (II, 32, 3°).

§ 2. De correctione fraterna.

490. — Definitio. Correctio fraterna est conveniens admonitio, ex caritate proximo data, eo fine, ut a peccato emendetur, vel a committendo removeatur (II, 34 et 39, quaer.).

Differt tum a correctione *judiciali,* quae procedit a judice, ad reorum castigationem, propter bonum commune; tum a *paterna,* qua Superior, absque forma judicii, reprehendit delinquentem, ad eum emendandum, et ad tollendum scandalum. De hac inferius pauca dicemus; de illa alibi (n. 2256).

491. — Principia. I. **Datur fraternae correctionis praeceptum.** 1° Ex lege enim caritatis obligamur ad subveniendum animae proximi indigenti. — 2° Lex evangelica praecipit (*Matth.*, 18, 15): *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum.* Dicitur: *in te,* i. e. contra te, vel coram te, seu te sciente, ut explicat *S. Augustinus* (Sermo 82, c. 7, n. 10).

Hoc praeceptum obligat sub *gravi* vel sub *levi* secundum materiam. Materia gravis intelligitur quodlibet peccatum mortale, in quod proximus, aut lapsurus est, aut jam lapsus est et in quo perseverat. — In praxi, privatus vix tenetur animadvertere in materia levi, nisi facillime possit (II, 34, 35).

Materia autem in hoc, sicut in ceteris praeceptis, potest esse gravis, sive ex se, sive ob circumstantias. Sic, v. gr., si in ordine aliquo religioso, per leves regularum violationes, vigorem disciplinae relaxatum iri praevideatur, gravis incumbit obligatio correctionis, non praelatis modo et confessariis, sed etiam privatis (IV, 13).

492. — II. **Praeceptum correctionis obligat omnes, strictius tamen Superiores.** Officium enim caritatis, ex se, ad omnes sese extendit. — Strictius tamen tenentur Superiores, quia ipsis specialis cura incumbit, providendi spirituali suorum subditorum saluti (II, 40).

Ex his deduces: 1° Etiam *inferiores* teneri obligatione monendi Superiores; cum modestia tamen, discretione et reverentia, ut dicit Apostolus (1. *Tim.*, 5, 1): *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Hinc, filii tenentur admonere parentes, cum advertunt eos retinere aliena, curam suae salutis aeternae non gerere, etc. — 2° Etiam *peccatores* hoc praecepto teneri. Correctio enim, dicit *S. Thomas* (2. 2, q. 33, a. 5), pertinet ad aliquem, in quantum viget in eo rectum

Digitized by Google

judicium rationis: hoc autem per peccatum non destruitur. Si tamen est peccator *publicus*, ordinarie abstinere debet a correctione; dicitur enim (*Rom.*, 2, 21): *Qui alios doces, te ipsum non doces; qui praedicas non furandum, furaris... Nomen enim Dei blasphematur per vos inter gentes.*

493. — III. Ut praeceptum urgeat, oportet ut proximi necessitas spiritualis id postulet, et adsit spes fundata emendationis, quin grave incommodum immineat. Ita DD. communiter.

Dicitur 1° *Proximi necessitas spiritualis id postulet;* ad quod tria requiruntur: *a*) Ut sibi, de proximi peccato, vel de ejus proximo peccandi periculo, *certo constet.* Caritas enim non est temeraria, non cogitat malum; nec in dubio inquirere teneris, nisi sis Superior, vel nisi de malo communi aut de gravissimo avertendo malo, v. gr. de homicidio agatur. — *b*) Ut correctio *necessaria* judicetur ad emendationem rei; nam, si aliunde speretur rationabiliter emendatio, vel si reus jam resipuit, patet non dari obligationem. — *c*) Ut non adsit alius *aeque* vel *magis idoneus,* qui correpturus credatur; quia tunc non adest vera et absoluta necessitas.

2° *Adsit spes fundata emendationis:* quia, desperato fine, nulla est ratio adhibendi media. Hinc corrigere non teneris, si correctio certius non sit profutura.

In dubio autem *an profutura* vel *obfutura sit,* non teneris; nisi corrigendus versetur in periculo mortis, vel timenda sit aliorum infectio in fide, vel in moribus. — Suadet plerumque prudentia, ut eorum omittatur correctio, quorum indoles est penitus ignota, ne scilicet iniquo animo eam accipientes, fiant deteriores.

3° *Quin grave incommodum immineat.* Nam cum tanto incommodo caritas non obligat, nisi extrema sit proximi necessitas spiritualis, vel nisi accedat obligatio justitiae, ut in praelato, pastore, magistratu, erga subditos (II, 38, 39).

Hinc resolves: 1° Privati inter se *raro* ad correctionem tenentur, saltem sub gravi, nisi sint familiariter inter se conjuncti: quia raro omnes requisitae conditiones adesse reperiuntur. — *Rarius* adhuc erga Superiores, propter habilitatis defectum. Qua eadem ratione scrupulosi etiam, saltem ordinarie, excusantur. — Vide etiam n. 1202, ubi de correctione detrahentis.

2° Leviter peccare videtur qui ex timore, pusillanimitate aut verecundia se reputat non ita stricte obligatum, vel minus idoneum ad corripiendum fratrem suum. — Graviter autem delinquit, qui, cum facile possit impedire peccatum mortale proximi, ob vanum mali temporalis timorem, id facere omittit (II, 37; H. Ap., IV, 21).

494. — IV. Ordo ille in correptione servandus est, quem Christus Dominus praescripsit (*Matth.*, 18, 15). Unde 1° Correptio fiat secreto: *corripe eum inter te et ipsum solum.* — Quod si non prosit, fiat 2° coram testibus: *adhibe tecum unum vel duos* (testes). — 3° Culpa

Digitized by Google

referatur ad Superiorem : *quod si non audierit eos, dic Ecclesiae.* — Hic ordo obligat *per se* sub gravi, cum agatur de consulendo famae proximi. Nec Superior ab eo eximere potest, quia fundatur in lege caritatis (II, 41).

Diximus *per se:* nam, *per accidens,* omissa praevia monitione, res statim ad Superiorem ut ad *patrem* deferri POTEST: 1° Si peccatum sit publicum, vel mox publicandum, quia cessat ratio servandi delinquentis famam. — 2° Si delinquentis emendatio, quae est praecepti finis principalis, facilius vel efficacius obtineri posse speretur: qui casus est frequentior in communitatibus religiosis. — 3° Si proximus cesserit juri suo, ut est apud quosdam religiosos; quae tamen cessio ita intelligitur, ut crimen reveletur praelato tanquam patri, non vero tanquam judici (IV, 240, 245).

Res vero ad Superiorem statim deferri DEBET, si per hanc evangelicam denuntiationem optatus speretur fructus, qui aliter aut non posset obtineri, aut solum cum gravi incommodo. Id maxime valet, si proximi peccatum vergat in damnum tertii vel communitatis, ut conjuratio, haeresis, juvenum corruptio, etc. Ratio est, quia tunc non est tantum adhibendum remedium ei qui peccavit, sed etiam aliis in quorum damnum crimen vergit. — Hinc, in communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc., si agatur de re magni momenti, *plerumque expedit,* ut correctio fiat via denuntiationis ad Superiorem ut patrem.

495. — Corollaria. Distinguenda sunt officia denuntiantis, officia Superioris in genere et officia Superioris ex stipendio obligati.

1° Si certo constet fratrem perfecte emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse ullum periculum relapsus, vel damni ipsi aut alteri, *non licet denuntiare* patri vel praelato, nisi frater expresse in istam denuntiationem consentiat (II, 42; IV, 244, 245, q. 4).

2° Non licet deferre delictum *ad Superiores mediatos,* si Superior immediatus potest per se corrigere, et nulla sit probabilis suspicio fore ut hic officio suo desit; famae enim proximi, quoad ejus fieri potest, consulendum est (II, 42, 3°; IV, 247 fin.).

3° Superior, vi notitiae per simplicem denuntiationem sibi ut patri factam obtentae, non potest *judicialiter procedere;* quia delictum non fuit sibi manifestatum ut judici (IV, 246).

4° Tenentur Superiores *advigilare* suis subditis, in eorum aliquando peccata inquirere, eorumque malis etsi dubiis *occurrere;* non tamen multum et curiose de aliquo peccato in particulari interrogare, nisi quis speciale ejus signum dederit. — Spontanei vero accusatores non facile admittendi sunt; quia illi, specie boni communis, saepe se quaerunt (II, 42, 4°).

5° Tenentur delinquentes *corrigere,* etiamsi parva spes emendationis affulgeat, sive ad omnem conniventiae speciem declinandam, sive ad injiciendum, si publica sit correctio, ceteris timorem. Ubi tamen nihil boni ex correctione sperari potest, omittenda erit; nam Ecclesia multa tolerat, quae minime probat. — Ita similiter concionatores tenentur peccata publica reprehendere, ratione boni communis, tametsi non speretur emendatio delinquentium, modo fructus in populo ocius tardius sperari possit.

Digitized by Google

6° Si sint *stipendiati,* ut Episcopi, parochi, magistratus, tenentur tum ex officio, tum ex justitia, corripere et monere subditos, adhuc cum periculo vitae, in eorum necessitate non solum extrema, sed etiam gravi, ut communiter docetur cum *D. Thoma* (2. 2, q. 185, a. 5).

7° Alii autem, ut parentes, confessarii, domini, mariti, magistri, tutores, curatores, non tenentur cum magno sui detrimento: quia non obligantur ex justitia stricta, sed officio tantum pietatis (II, 40; H. Ap., IV, 22).

496. — Quaesita. QUAER. 1° *An corrigendus sit, qui peccat* EX IGNORANTIA?

Resp. Dist. 1° Si peccat ex ignorantia *vincibili,* certe corrigendus est, quia tunc est in mala fide, neque excusatur a peccato.

2° Si delinquit ex ignorantia *invincibili,* monendus est: *a*) cum agitur de necessariis ad salutem, vel de scandalo aliorum avertendo. Nec praetereunda est correctio, tametsi delinquentis emendatio vix sperari possit, ne alii forte id pro licito judicent, quod non corrigitur; — *b*) cum violatur, etsi solum materialiter, lex divina, naturalis aut positiva, et sperari potest monitionis profectus; cognitio enim et observantia legis certae est semper bonum maxime optandum. Ita communiter (Conf. dir., IV, 12).

Utrum vero monendus sit qui ignoranter transgreditur legem humanam, v. gr. *de jejunio, de Officio recitando,* utrinque probabiliter disputatur. Probabilior tamen et communior est sententia affirmativa (II, 36; 1. El. qq. ref., 5); quia transgressio illa, licet materialis et non intrinsece mala, posita tamen lege adhuc est mala, et facile formalis evadit, aut habitum pravum inducit, ideoque per monitionem, si fieri possit, est impedienda. Certo autem in delinquentem hujusmodi animadvertere debent, qui *ex officio* subditos docere tenentur, ut *praelati,* confessarii, magistri (VI, 610, Obj. 1, et 616).

QUAER. 2° *Utrum alumni a confessario sub gravi obligandi sint ad denuntiandos occultos corruptores?*

Resp. Dist. 1° Si tantum timetur *unius vel alterius damnum,* obligatio non videtur urgenda cum *gravi incommodo* denuntiantis, v. gr. si fateri exinde debeat proprium scelus, vel infamiam delatoris incurrere. Ratio est, quia, cum non sit necessitas extrema proximi, caritas non obligat cum tanto incommodo.

2° Si adest grave *damnum commune,* plurium videlicet corruptio vel domus infamia, fere in omnibus casibus, urgenda est obligatio denuntiationis, *non obstante gravi incommodo* poenitentis, etsi confessarius praevideat monitionem suam non esse profuturam vel denuntiationem fore sine efficacia. Ratio est, quia hic urget bonum commune. Confer *S. Alph.,* Regole pei Sem., § 1, n. 5; *Berardi,* de Recid., II, n. 273; *Lehmkuhl,* I, 971; *Génicot,* I, 221. En verba S. Doctoris: « Advertendum est, quod, cum agatur hic de malo communi, multoties a gravi incommodo, vel damno, minime excusarentur ».

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De peccatis caritati proximi adversis.

497. — Peccata, quae caritati proximi specialiter adversantur, sunt sequentia: *odium, invidia, maledictio, schisma, discordia, contentio, rixa, seditio, bellum, duellum, scandalum et cooperatio ad peccata aliena.*

De duello et bello erit sermo in tractatu *de V° praecepto.* — De ceteris hic agemus, in triplici articulo, nempe: 1° de odio, cui *scholium* adnectemus de peccatis affinibus; — 2° de scandalo; — 3° de cooperatione ad peccata aliena.

§ 1. De odio proximi.

498. — Notiones. Odium est actus voluntatis, quo quis fertur in aliquid cum malevolentia. — Duplex est: 1° odium *inimicitiae* (seu personae), quo aversamur aliquem, ipsique malum volumus, quatenus ipsi malum est; — 2° odium *abominationis* (seu qualitatis), quo proximum non secundum se, sed secundum aliquam suam qualitatem nobis disconvenientem, aversamur. Cfr. n. 475, nota 2°.

Odium ordinarie oritur ex *offensa,* et manifestat se externe per *signorum* dilectionis negationem.

Signa autem dilectionis alia sunt communia, alia specialia. — *Communia* dicuntur ea, quae aliis ejusdem status exhiberi solent; v. gr. christiano a christiano, concivi a concive, cognato a cognato. *Specialia* sunt, quae exhibentur ob titulum specialem, v. gr. amicitiae, quae non est eadem ad omnes ejusdem conditionis (II, 28). — Vide inferius dicenda n. 501.

499. — Principia. I. **Datur praeceptum diligendi inimicos, quo prohibetur odium inimicitiae ut peccatum grave ex genere suo.** Constat ex verbis Domini (*Matth.*, 5, 44): *Diligite inimicos vestros...*, et ibidem (6, 15): *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Unde (1. *Joann.*, 3, 15): *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.*

Diximus 1° *Inimicos,* quo nomine significantur illi qui nos odio persequuntur, aut offensa vel injuria affecerunt.

2° *Odium inimicitiae,* nam odium *abominationis,* seu *aversionis,* per se indifferens est, et speciem suam moralem a natura qualitatis, quam aversamur, desumit. Sic, v. gr., si in proximo malas ipsius qualitates, superbiam, etc., odio persequeris, odium bonum est, potestque ad caritatem pertinere, juxta illud (*Ps.* 138, 22): *Perfecto odio oderam illos* (peccatores). Vigilandum vero, ne odium qualitatis in odium personae transeat. — Si odisti in eo qualitates simpliciter bonas et honestas, justitiam, pietatem, etc., odium ita malum est, ut ex natura sua sit peccatum mortale, ut de invidia diximus (n. 368).

3° *Ut peccatum grave ex genere suo;* nam odium admittit materiae parvitatem: in actu *interno,* v. gr. si inimico optes malum leve, vel de illo

Digitized by Google

gaudeas postquam acciderit; in actu *externo,* si prodat odium leviter offensivum, aut leve scandalum inducat; ut saepe contingit inter eos, qui simul convivunt (*Kon.*, n. 282).

500. — II. Praeceptum diligendi inimicos non imponit specialem obligationem; i. e. diversam ab illa, qua erga omnes homines tenemur. Id tantum requirit, « ut quis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi, inimicos suos non excludat ». Ita omnes cum *S. Thoma* (2. 2, q. 25, a. 8; cfr. *S. Alph.*, II, 28, 1°). — Specialis igitur dilectio non est de necessitate caritatis, nisi secundum *praeparationem animi,* qua scilicet homo sit paratus ad hoc, ut in singulari inimicos diligeret, et, exigente necessitate, specialia ipsis beneficia praestaret.

Hinc: 1° Peccant qui proximo malum optant, quatenus ipsi malum est, sive id fiat ex vindicta, sive ex aversione erga ipsius personam. — Licet autem aliquando optare proximo malum temporale, quatenus ei bonum est, ut diximus n. 349.

2° Peccant, per se graviter, qui veniam inimico recusant; vel satisfactionem convenientem non acceptant, aut majorem aequo exigunt; qui reum in judicium deferunt ex odio et vindicta, vel de inimici malo laetantur. — Non autem teneris condonare satisfactionem, quae tibi debetur pro injuria et damno: hanc enim, non quidem ut malum inimici, sed ut bonum tibi debitum, sublato omni odio, ac salva caritate, exigere potes. Nec confundi cum odio debet sensus indignationis vel memoria injuriae (II, 29).

3° « Privatus, qui aversus ab alio fugit illum, si id faciat, ut eum suo colloquio et solatio privet, atque ita contristet, et male illi sit, est odium inimicitiae, et peccatum. — Si vero nihil mali optando tantum fugias, quia tuae naturae est difformis, vel tibi solet esse molestus, est odium aversionis, et peccatum, si sit sine ratione: quale non erit, si sit persona valde aspera, modo absit contemptus, scandalum et vindictae cupiditas » (II, 30, 3°).

501. — III. Debentur, per se, inimicis signa dilectionis et beneficia communia: non autem specialia. Ratio *primi* est, quia illa, quae omnibus debentur inimico negare, esset manifestum signum odii atque vindictae. Talis negatio erit peccatum grave vel leve, secundum quod, ex circumstantiis, contemptus adest vel reputatur gravis vel levis. — Ratio *secundi,* quia signa specialia, quae sunt indicia restitutae amicitiae pristinae seu perfectae *reconciliationis,* non ex debito, sed ex liberalitate procedunt (*Ami du Cl.*, 1913, p. 203).

Ex his deduces: 1° Tenemur, *per se loquendo,* inimicum salutantem resalutare [1], interroganti vel scribenti respondere, emere volenti expositas merces vendere, a communibus orationibus et eleemosynis non excludere, communia

[1] Nota haec imponi, solum casu quo inimicus prior salutat. — Si agitur de salutatione, *ab offenso prius facienda,* dicendum quod haec est *specialis* dilectionis signum. Non teneris ergo, regulariter loquendo, inimicum salutare. Per accidens tamen, ad id aliquando teneris, v. gr. si ille sit tuus Superior, vel reperitur intra alios plures, quos omnes salutas; si salutatio, in aliquo loco, ut signum commune recepta est, *modo alter respondeat,* etc. (II, 28).

Digitized by Google

obsequia ei praestare, damnum ejus, si facile possumus, avertere, etc. — Haec enim omnia numerantur inter signa communia.

2° *Per accidens* ad haec non tenemur, quando caritas vel justitia aliud postulat, vel rationabilis cau a excusat. — Et quidem *a*) *Caritas,* ut si, ex signis vel beneficiis denegatis, speretur inimicus emendandus; si credatur ex iisdem concessis pejor futurus, aut illa male interpretaturus; si ex alloquio timeatur, ne iterentur jurgia, contemptus, etc. — *b*) *Justitia,* ut si parentes aut Superiores, ad justam punitionem et correctionem filii, aut subditi (v. gr. ob delictum infame, indignum matrimonium), denegent ei aspectum, alloquium, ingressum domus, etiam post petitionem veniae; modo tamen talis poena non excedat gravitatem delicti, et solum ad tempus duret, quousque scilicet videbitur expedire ad emendationem. — *c*) *Rationabilis causa,* puta, si omittantur ad breve tempus, non ex odio, sed in significationem justi doloris, vel tristitiae, ob recens acceptam injuriam; si signis caritatis inimicus non respondeat. Semper tamen cavendum est tum odii periculum, tum aliorum scandalum (II, 28, 2°).

3° Non tenemur *per se,* inimicum hospitio vel convivio excipere, maestum consolari, aegrotum invisere, ad familiare colloquium admittere, obvium salutare, ab illo non exigere *reparationem damni illati,* illum immunem relinquere a *publica* vindicta delicti, non citando eum coram judice *ob bonum commune* [1]. — Haec enim sunt signa specialia, quae sub solo consilio cadunt.

4° *Per accidens* illa signa specialia aliquando debentur: quando nempe vel ratione circumstantiarum fiunt communia: ut si quis debeat, qua medicus visitare infirmos, aut qua caupo excipere mensa et hospitio peregrinos, etc.; vel quando aliunde accedit ratio obligans, v. gr. ad vitandum scandalum. — Quare, *nefas est* hujusmodi *signa specialia omittere: a*) Si omissio esset aliis scandalosa, vel obfirmaret odium inimici. — *b*) Si per aliquod dilectionis signum posses, sine tuo gravi incommodo, inimicum tibi et Deo reconciliare. — *c*) Si inimici gravis necessitas, corporalis vel spiritualis, speciale beneficium exigat, etc. — *d*) Si inimicus veniam petat, vel congruam satisfactionem exhibeat; tunc enim externe significanda est offensae remissio, ad quod, ordinarie, non sufficiunt signa communia, sed aliquod speciale signum requiritur. — *e*) Si prius consueveras inimico peculiaria signa exhibere: tunc totalis omissio cujuscumque signi specialis, prae se ferre videtur contemptus vel odii speciem, ideoque non licet: nisi significes id non ex odio fieri, et sic scandalum removeas.

502. — QUAERITUR. *Quaenam sint* REGULAE *in reconciliatione inimicorum observandae?*

Resp. 1° Si *ex una tantum parte* interfuerunt injuriae, offendens tenetur, quoad ejus fieri poterit, veniam et reconciliationem per se vel per alium petere, et ex injuria secuta damna resarcire; quo enim modo caritas destructa fuit, eodem etiam restituenda est.

[1] Citatio coram judice, ad meram *justitiae conservationem* valde periculosa est, et hallucinationi nimis obnoxia, praesertim si offensa fuerit omnino personalis, nec in aliorum damnum redundet, et occasionaliter illata sit ab homine, qui ceteroquin est bene morigeratus. — Si autem offensa in detrimentum commune, v. gr. religionis, publicae securitatis, vergat, vel ab homine illata sit, qui omnium jura laedere solet: valde utilis erit publicae vindictae petitio, ad emendationem peccantis, vel ad *cohibitionem ejus, et quietem* aliorum; in tali enim casu, facile excluditur periculum agendi ex odio (II, 29; III, 985; H. Ap., IV, 17; *S. Thomas,* 2. 2, q. 108, a. 1).

Digitized by Google

Excipe, nisi legitima ratio excuset, v. gr. si offensio non fuit gravis, vel offensus sit absens, aut veniae petitionem non curet, non accipiat, vel ob aliam rationem ipsi jam satisfactum esse censeatur. — Item, si inter duos offensores alter altero *gravius,* vel *prior* offendit, ipse prior tenetur reconciliationis signa exhibere.

2° Si injuriae *ex utraque parte* fuerunt moraliter aequales et simultaneae, uterque inimicus tenetur, data occasione, reconciliationem inchoare per salutationem, colloquium, invitationem, beneficium, etc. — Porro, generaliter loquendo, inter aequales is debet prior salutare et alloqui, qui coram altero stante vel sedente transit, vel inopinato supervenit.

3° Tempus *opportunum* quaerendum est; nam etsi teneatur offensus ab initio condonare offensam, non tenetur tamen (saltem sub gravi) eam ita oblivisci aut aequo animo pati, ut statim paratus sit ad reconciliationem. Id enim videtur violentum et supra fragilitatem humanam, ut communiter docent. — « Ordinarie, advertit *Gousset* (Theol. mor., I, 365), res non succedit, nisi per mediationem amicorum et prudentum ». — Quod si de restitutione boni temporalis agatur, rite distinguatur jus reale ab injuria personae; secus reconciliatio parum prospere succedere poterit.

503. — *Nota.* 1° Ad dijudicandum odium ipsum, confessarius potius credat *factis* quam *dictis* poenitentis, et quoad odii *gravitatem* attendat ad tria: utrum adfuerit contemptus gravis, tristitia magna illata, notabile damnum secutum.

2° Ordinarie odii suspicionem injiciunt illi qui, quamvis dicant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui vel ei respondere; a fortiori, qui asserunt se ne verbum quidem illi unquam dicturos esse: nisi id perturbationi et horrori recentis injuriae ignosci possit. — Quare caute procedat *confessarius,* ne praeproperanter hujusmodi poenitentes absolvat.

3° Non statim arguendi sunt de peccato, praesertim gravi, *poenitentes* qui de odio se accusant: saepe enim confundunt odium proprie dictum seu inimicitiae, cum odio abominationis seu qualitatis aut defectus, vel etiam cum aliqua animi aversione naturali et invincibili. Hic juvabit quaestio: *Cur* proximum odio habes? et quid exinde fecisti?

Scholium.

De peccatis odio affinibus.

504. — Septem numerantur peccata odio affinia: invidia, maledictio, schisma, discordia, contentio, rixa et seditio.

1° Invidia est vitium capitale, de quo egimus n. 368 seqq.

2° Maledictio est imprecatio mali, quatenus malum est. Procedit ab ira vel odio. — Tria requiruntur ut maledictio sit mortalis, nimirum: *a*) ut malum prolatum vere optetur; — *b*) ut optetur cum perfecta deliberatione; — *c*) ut malum optatum sit grave (V, 83). Cfr. *S. Thomam,* 2. 2, q. 76, a. 3.

3° Schisma est voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiae catholicae. — Ait Angelicus (2. 2, q. 39, a. 1): *Schismatici* dicuntur qui subesse

Digitized by Google

renuunt Summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusant (in doctrina, cultu, sacramentis, etc.): ex quo patet schisma esse peccatum gravissimum, sive sit purum, sive conjunctum cum haeresi ». — Vide n. 1317.

4° Discordia est dissensio *voluntatum* circa bonum Dei et proximi, in quod tenemur ex caritate consentire. Est mortalis vel venialis, pro ratione materiae (V, 66). — Multum differt a *dissensione* intellectus; quae non est peccatum, si obtineat circa opiniones quarum usus est licitus: ut fuit dissensio inter Paulum et Barnabam (*Act.*, 15, 36-40).

5° Contentio est inordinata pugna *verborum*, quae obtinet dum veritas vel impugnatur, vel indebito modo propugnatur. « Est mortalis, quando, animo contradicendi, altercaris circa veritatem pertinentem ad fidem, vel salutem animae aut corporis » (ib., in fin.).

6° Rixa est pugna *manuum et verborum*, inter privatos; cum scilicet ex ira unus alterum injuste invadit. « Rixae si modum non excedant, ut et leviculae pugnae, veniales sunt; secus si progrediantur ad seditiones, vulnera, caedes. Suntque haec communiter peccata ex parte incipientis rixam; alter enim potest se defendere cum moderamine inculpatae tutelae » (V, 83, fine). Cfr. n. 734.

7° Seditio est bellum aggressivum, quo una pars reipublicae injuste contra aliam assurgit. Si sit contra principem legitimum, dicitur *rebellio*. — De his recole dicta n. 148 et n. 150, q. 2.

§ 2. De scandalo.

505. — Notiones. Scandalum graece idem est ac latine *offendiculum* in via positum, ad quod viator incaute offendens prolabitur. Unde scandali nomen, e physicis translatum ad mores, significat *id omne quod proximo praebere potest ansam ruinae spiritualis, tum ipsam ruinam spiritualem inde ortam*.

Igitur *essentia scandali* non est quaerenda in admiratione causata, nec in stimulata cognitione, nec in irritatione producta; sed in eo quod praebere potest, seu capax est praebendi *ansam*, seu causam occasionalem peccandi, v. gr. si ad minimum sequeretur judicium temerarium, suspicio injusta, rumor. — Differt ab *inductione* positiva seu seductione, quae est potius *cooperatio* ad peccatum seu actio externa qua alius explicite et directe ad peccandum provocatur (II, 58). Cfr. *Noldin*, II, n. 110.

Divisio. Duplex est scandalum: activum scilicet et passivum.

I. **Scandalum activum** est: « Dictum vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis » (2. 2, q. 43, a. 1).

Dicitur: 1° *dictum vel factum*, quo nomine venit etiam omissio externa, v. gr. omissio sacri die qua urget praeceptum; — 2° *minus rectum*, i. e. quod vel in se malum est (ut si loquaris turpia coram adolescentulo), vel in oculis aliorum mali speciem habet (licet in se sit bonum), ut si justa de causa, coram aliis eam ignorantibus, omittas sacrum die festo, parentes relinquas ad consilia evangelica sequenda, carne die vetito vescaris; — 3° *praebens alteri occasionem ruinae spiritualis:* ad rationem enim scandali non requiritur, ut

Digitized by Google

spiritualis ruina proximo reapse inferatur; sed sufficit ipsi occasionem lapsus seu ansam peccandi ita praebere, ut, attentis circumstantiis, ejus lapsus probabiliter timendus sit.

Scandalum *activum* subdividitur in directum et indirectum. 1° Est DIRECTUM, si alterius ruina seu peccatum intenditur. Potest autem intendi sive formaliter, si nempe ideo aliquid fit, ut proximus in peccatum labatur, et tunc scandalum appellatur *diabolicum;* sive materialiter, si nempe proximus peccato ideo exponitur, ut ejus peccatum utilitati vel voluptati intendentis inserviat, et tunc scandalum dicitur simpliciter *directum.* — 2° Est INDIRECTUM, si peccatum proximi non quidem intenditur, sed tamen probabiliter secuturum praevidetur, ex dicto vel facto (sine justa causa) posito (II, 43).

II. **Scandalum passivum** est ipsa spiritualis proximi ruina, seu peccatum ad quod proximo occasio praebetur. — Similiter bipartitur: 1° Scandalum est DATUM, si oritur ex scandalo activo, scilicet ex facto quod in se malum est vel saltem mali speciem habet. — 2° Scandalum est ACCEPTUM si ex activo scandalo non oritur. Et hoc postremum dupliciter contingere potest, nempe: *a*) si oritur ex sola infirmitate vel ignorantia. Tunc vocatur *pusillorum,* quia ex facto quod nec malum, nec mali speciem continet, ansa sumitur peccandi unice ob infirmitatem vel ignorantiam, v. gr. si juvenis ex ornatu modesto puellae occasionem sumit eam turpiter concupiscendi; — *b*) si oritur ex sola malitia et tunc dicitur *pharisaicum.* Sic pharisaei odium in Christum, occasione ejus dictorum vel factorum, susceperunt; sic etiam qui sacerdotem videt deambulantem, et ex hoc ansam malitiose sumit dicendi Ecclesiae ministros pigritia laborare [1].

506. — *Ex his colliges:* 1° Quandoque simul reperiuntur scandalum activum et passivum, cum nempe aliquis ex occasione peccandi, quam proximus sibi praebuit, reapse in peccatum incidit. — Quandoque est scandalum activum sine passivo, cum nempe aliquis inducit alterum verbo vel facto ad peccandum, quin subsequatur effectus. — Quandoque est scandalum passivum sine activo, ut evenit v. gr. in scandalo pharisaico.

2° « Non semper est scandalum, si peccas coram aliis; sed tantum quando, attentis circumstantiis tam personae agentis, quam eorum coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum qui alias peccaturi non essent » (II, 43, 3°). Quapropter non sunt rei scandali ii, qui, conviventes cum homine prono ad blasphemias, actiones ponunt leviter malas, v. gr. verba impatientiae, aut etiam indifferentes, ex quibus praevideri possunt novae blasphemiae; eo magis quod moraliter impossibile est ab his omnibus abstinere (*Aertnys,* l. 2, tr. 3, n. 62).

3° « Non censetur dare scandalum, qui licet publice peccet, facit tamen id coram iis, qui vel sunt ita viles, vel infames aut improbi, vel qui sunt ita

[1] In hac ultima divisione explicanda cum discrepent AA., apud singulos videndum quid per scandalum passivum et pusillorum intendant.

Digitized by Google

probi, ut nemo moveatur ad peccatum: v. gr. si quis fornicetur coram aliis, qui sunt parati idem facere, nec ejus exemplo moventur; vel si coram mansuetis quis contendat, rixetur, vel alium caedat (II, 44, 6°; VI, 257).

His positis, consideremus: 1° malitiam; — 2° permissionem; — 3° reparationem; — 4° frequentiam scandali.

1. *De malitia scandali.*

Scandalum passivum non habet specialem malitiam; nihil enim aliud est quam ipsum peccatum scandalizati. — Solum hic agitur *de scandalo* ACTIVO, et quaeritur qualis et quanta sit ejus malitia.

507. — PRINCIPIA. I. **Omne scandalum habet malitiam saltem duplicem: alteram contra caritatem, alteram contra virtutem, ad quam laedendam proximus exponitur.** Quoad scandalum *directum,* theologi generaliter consentiunt. — Quoad scandalum *indirectum,* alii dicunt, per illud peccari tantum contra virtutem laesam; alii putant, peccari tantum contra caritatem. Praeferenda tamen, cum *S. Alphonso,* sententia affirmans utroque scandalo peccari, tam contra caritatem, quam contra virtutem. Contra *caritatem* quidem, quia si ex caritate tenemur, cum possumus, impedire proximi peccatum, multo magis tenemur non esse proximo occasionem illud patrandi. — Contra *virtutem* vero, quia quaelibet virtus prohibet, ne quis sit causa aut occasio aliis, eam laedendi. Et ratio valde urgens contra primam sententiam haec est, quia, ubi de consensu in peccatum agitur, voluntarium directum et indirectum ad eamdem speciem pertinent [1].

Diximus *saltem duplicem;* quia scandalum directum diabolicum laedit quandoque etiam caritatem erga Deum. Praeterea, omne scandalum plures malitias continere potest: — vel propter qualitatem personae *scandalizantis,* v. gr. si pater scandalizat filios, Superior subditos, magister discipulos; hi enim, non solum ex caritate, sed etiam ex officio, ruinam suorum subditorum praecavere tenentur; — vel propter qualitatem personae *scandalizatae,* ut si quis personam conjugatam, aut voto castitatis ligatam, ad turpia inducit. — Quae omnes malitiae, specie diversae, etiam numero plures esse possunt: tot enim sunt peccata scandali, quot sunt personae scandalizatae (cfr. n. 331). — Vide *S. Alph.,* V, 46; Selva, P. I, c. 8; P. II, c. 2.

508. — II. **Scandalum est peccatum mortale ex genere suo.** Ratio, quia opponitur praecepto caritatis erga proximum, cum ipsi maximum damnorum inferatur. Unde Christus dixit in *Matth.,* 18, 7: *Vae homini illi per quem scandalum venit.*

[1] Ita II, 45; H. Ap., IV, 25; 1. El. qq. ref., n. 6; cfr. *Lugo,* disp. 16, s. 4, n. 159; *Salmant.,* tr. 21, c. 8, n. 53. — Moderni AA. generaliter dicunt in scandalo indirecto laedi *solam caritatem.* Ratio eorum est, quia relate *ad virtutem* adest mera permissio voluntatis, volitio potius interpretativa (*Lehmkuhl,* I, 789). Haec ratio tamen non placet. Etenim, in scandalo indirecto, voluntas non solum non impedit violationem virtutis, sed fit causa (utique moralis) hujus violationis. — Ceterum desideratur responsio sufficiens ad nostrum argumentum, petitum ex similitudine specifica voluntarii directi et indirecti.

Digitized by Google

Gravitas vero scandali dimetitur: 1° ex intentione plus minusve explicita ruinae proximi; unde gravius scandalum directum indirecto; — 2° ex majori influxu in proximi ruinam; quare sacerdotis aut religiosi scandalum regulariter gravius est quam laici scandalum; — 3° ex gravitate peccati cujus est occasio. Ratio est, quia hujus peccati malitiam participat, ut constat ex dictis (n. 507). Hinc fieri potest, ut peccatum secundum se grave sit veniale ratione scandali, v. gr. si tuum furtum grave sit occasio alteri committendi furtum leve. E converso, peccatum secundum se leve potest esse grave ratione scandali, v. gr. si religiosus verbum minus honestum proferat coram feminis, vel iis, qui inde occasionem peccati mortalis sumere possunt (II, 44).

509. — Corollaria. 1° Petere ab alio aliquid, quod ipse non praestabit sine peccato, *si jam* PARATUS *sit ad peccandum, est peccatum scandali,* si res, quae petitur, sit *intrinsece mala,* ita ut nullo modo praestari possit sine peccato, v. gr. fornicatio cum meretrice certe est peccatum scandali, etsi alter jam paratus sit ad peccandum. Ratio est, quia sic ansa datur ruinae majori (II, 47; 1. El. qq. ref., n. 8 et 16).

Reus tamen non erit scandali qui, *ex justa causa,* petit rem in se *bonam* vel *indifferentem,* licet alter eam praestando committat peccatum. — Sic, v. gr., fas est, necessitatis vel utilitatis causa, petere mutuum ab usurario, sacramenta a sacerdote sacrilego, actum conjugalem a conjuge abutente. Cfr. n. 315. — Deficiente vero causa justa et proportionata, non licet, sine reatu scandali, haec facere (II, 47, 77, 79).

2° *Suadere* MINUS MALUM, *ut vitetur majus,* ad quod exsequendum alter jam est determinatus, *per se* licet, juxta sententiam probabiliorem (sive *ejusdem* sive *diversae* speciei sit hoc minus malum, quod suadetur); quando scilicet operans ita firmiter determinatus est ad malum exsequendum, ut alio modo ab exsecutione averti nequeat. Ratio est quia tunc suadens non quaerit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali. Hinc, parato occidere inimicum licet suadere, ut potius eum percutiat, vel quidpiam ei furetur (II, 57). Cfr. *Stimmen aus Maria-Laach,* 1911, p. 380.

Per accidens tamen, ex ratione justitiae, hoc non licet: si nempe suadeatur, ut *alii* determinatae personae inferatur minus malum, quod ipsa hic et nunc pati non tenetur (III, 565). Cfr. n. 980.

3° *Occasionem peccandi* (de se non malam) PERMITTERE, *licet;* etiamsi alterius lapsus inde praevideatur, vel probabiliter timeatur; si nempe adsit causa, v. gr. ut delinquens corrigatur. Permissio enim per se non est inductio, est mera volitio indirecta.

Hoc modo, pater et herus possunt non auferre occasionem furandi filiis aut famulis, quos ad furtum noverint propensos, ut deprehensi puniantur et resipiscant; rationabiliter enim permittitur furtum unum, ut evitentur plura. Sic etiam licet custodibus agrorum, vinearum, silvarum se abscondere, ut damnificantes deprehendant, et punitos avertant ab ulteriore damno inferendo.

Digitized by Google

Sic demum vir habens uxorem suspectam potest ei insidiari et deprehendere in crimine, ut provideat. Ita *S. Thomas* et alii satis communiter. Cfr. II, 58; H. Ap., IV, 30.

4° Probabiliter etiam licet occasionem APPONERE, si justa adsit causa; nam ponitur tantummodo actus indifferens, et permittitur malum cum sufficienti ratione.

Hinc, probabiliter non peccat dominus, qui consulto apertam relinquit arcam, in qua pecunia asservatur, eo fine ut dubiam famuli fidelitatem experiatur. *S. Thomas* (2. 2, q. 78, a. 4) hanc regulam dat generalem: « Inducere hominem ad peccatum nullo modo licet: uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est ».

5° In peccatis, quae necessario COMPLICEM habent, *circumstantia inductionis non est in confessione explicanda,* juxta sententiam sat probabilem. Etenim, cum in istiusmodi peccatis mutua caritatis laesio reperiatur, circumstantia inductionis non est nisi circumstantia aggravans, intra eamdem speciem, contra caritatem, ideoque non est in confessione necessario aperienda. Peccatum vero scandali sufficienter accusat, qui confitetur peccati speciem, v. gr. fornicationem, adulterium, incestum, etc. (II, 46; H. Ap., IV, 26; 1. El. qq. ref., n. 7). — Excipe, nisi inducens ad malum minis usus fuisset, aut precibus ita importunis, ut vi aequiparari possent.

510. — *Ex his resolves:* 1° Poenitens in confessione non satisfacit, cum dicit: *dedi scandalum;* sed debet exprimere praeter peccatum proprium, per quod scandalum dedit, speciem peccati mortalis, ad quod, malo suo exemplo, laude, vituperatione, etc., ansam dedit; — insuper, numerum personarum, quibus ad tale peccatum occasionem praebuit, vel probabiliter praebere potuit; — item, qualitatem sui ipsius et personae scandalizatae, quoties inde nova species habetur; — similiter, modum injustum, si vim aut minas adhibuerit. — Quoad illos vero poenitentes qui, relate ad scandalum indirectum, adhaerent opinioni AA. modernorum (cfr. n. 507), agat confessarius secundum principia n. 1789 statuenda.

2° Confessarius et concionator graviter reprehendant scandalizantes, exemplo Christi dicentis: *Vae homini illi, per quem scandalum venit (Matth.,* 18, 7). Eorum enim opera, peccatis mundus repletur, et animabus infernus (Inst. cat., P. I, c. I, n. 46).

2. *De permissione scandali passivi.*

Status quaestionis est, *an liceat ponere actum bonum sed speciem mali habentem, vel actum omnino bonum vel indifferentem, ex quo scandalum passivum oriturum praevideatur.* — Quod hoc liceat quando interveniant debitae conditiones, jam constat ex dictis *de voluntario indirecto* (n. 315). Restat igitur ut ostendamus quandonam inveniantur debitae conditiones, et cum, relate ad tres priores nulla sit difficultas, trutinandum remanet quandonam verificetur quarta conditio, nempe, QUANDONAM DATUR RATIO SUFFICIENS permittendi

Digitized by Google

scandalum proximi. — Praemonemus tamen, hic praecipue agi de scandalo *gravi;* quanquam quae dicturi sumus etiam valent, in debita proportione, de scandalo in materia levi.

511. — PRINCIPIA. I. **Grave incommodum est ratio sufficiens permittendi scandalum datum vel scandalum pusillorum.** Constat ex eo quod caritas non obligat ad grave subeundum incommodum ne proximus damnum capiat, quod a sua libera voluntate pendet, cum tunc in stricta necessitate non sit constitutus (cfr. n. 480 et 519). Tenemur autem cum levi incommodo, quia ex caritate debemus proximi peccata impedire cum facile possumus (cfr. n. 493). Major vero requiritur causa si timeatur peccatum gravius, si plures sint scandalizandi, si certius praevideatur secuturum scandalum (II, 48, 49).

Porro, *in praxi,* scandalum vitare possumus, vel actionem occultando vel ad aliud tempus differendo vel eam prorsus omittendo; et speciatim, ad scandalum datum quod spectat, seu quando opus ex quo scandalum praevideatur mali speciem prae se fert, removenda est quantum est in potestate agentis (non tamen cum gravi incommodo) ruinae occasio per admonitionem factam proximo de actionis rectitudine, v. gr. ob dispensationem, causam excusantem, etc. Si autem post datam admonitionem perduret scandalum, pharisaico jam aequiparari potest (II, 52).

II. **Quaecumque rationabilis causa est ratio sufficiens permittendi scandalum pharisaicum.** Ratio, quia oritur hoc scandalum ex *sola* proximi *malitia.* Patet insuper exemplo Christi qui scandalum pharisaeorum contempsit: *Sinite illos; caeci sunt et duces caecorum* (*Matth.,* 15, 14). Quocirca si adest ratio quaedam utilitatis sive propriae sive alienae, de hoc scandalo non est amplius curandum. — Requiritur tamen ratio quaedam, quia postulat caritas ut sine ulla causa occasionem etiam remotam peccati non offeramus etiam ei qui ex sola malitia peccaturus est (II, 52).

512. — **Corollaria.** 1° *Praecepta quae hic et nunc obligant* nunquam sunt omittenda ad vitandum quodcumque scandalum. Ratio, quia tunc illa praetermittere peccatum est, ac proinde illicitum. Consonat, in eo casu, regula Juris: « Utilius scandalum nasci permittitur quam veritas relinquatur » (Reg. 3, l. 5, tit. 41).

Istiusmodi sunt: *a*) Praecepta quae sunt *de necessariis ad salutem,* ut praeceptum suscipiendi fidem et baptismum, et consequenter etiam praeceptum ministrandi Sacramentum ad salutem necessarium.

b) Praecepta *legis naturalis* hic et nunc urgentis, nec ob mutatas circumstantias cessantis. Sic ob nullum scandalum vitandum licet mentiri (II, 50).

c) Praecepta *legis positivae,* quando praevidetur *scandalum pharisaicum;* quia si non obligarent et omitterentur, daretur depravatis hominibus occasio aliorum bona malitiose impediendi. — An vero obligent ac proin servanda sint quando praevidetur *scandalum pusillorum,* controvertitur. Alii probabi-

Digitized by Google

liter affirmant, quia praecepta etiam positiva et humana non cessant obligare quando scandalum non est datum sed acceptum. Alii probabilius negant, quia adest conflictus legum, in quo praeceptum naturale (impediendi scilicet alterius peccatum) tollit obligationem praecepti positivi, quod ideo est omittendum, non tamen cum magno incommodo. Haec sententia *suadenda est* pro una alterave vice tantum, cum frequens omissio grave induceret incommodum (II, 51, 53; cfr. H. Ap., IV, 28; Conf. dir., IV, 14). — Unde, in praxi cum utraque sententia sit probabilis, mulier ad peccatum vitandum mariti, qui inde blasphemandi occasionem sumeret, bene potest sed non tenetur praeceptum audiendi sacrum, servandi jejunium, semel vel iterum omittere. — Similiter puella, ne se offerat conspectui juvenis a quo scit se turpiter amari, recte semel et iterum omittit sacrum, ut sic alter advertere possit se ab ea vitari.

2° *Opera de consilio* vel *indifferentia* aliquoties omittenda sunt ad vitandum scandalum pusillorum. — Sic, v. gr., mulier quae praevideret, se *cuidam* determinato fore causam ruinae, teneretur una vel altera vice, modo commode fieri possit, ejus conspectum fugere, adeundo, v. gr., aliam ecclesiam, incedendo per aliam viam, non accedendo ad fenestram, et similia.

Ad longum autem tempus hoc facere minime teneretur, cum hoc esset valde onerosum. « Sufficit enim, ordinarie loquendo, ad eam excusandam saltem a mortali, causa, *ne ipsa sua libertate privetur* ...; cum esset res valde incommoda mulieri, et scrupulis obnoxia, si expendere deberet semper, an habeat justam causam egrediendi, vel non ». — Nec tenetur abstinere a publica deambulatione, ob scandalum *aliorum;* hoc enim nimis grave ipsi reputandum est. — Nequiret tamen puella a mortali excusari, si vanitate ducta, etsi scandalum illius viri non intendat, data opera, ejus aspectui se offerret. Item si peteret aliquem locum, quem non adiret, nisi sciret ibi amasium adesse (II, 58).

3° *Bona temporalia,* si sint propria, licite quidem dimitti possunt, ad aliorum vitandum scandalum ; sed non necessario dimitti debent.

Hinc, non teneris solvere plus aequo alicui operario, licet praevideas eum blasphematurum esse; quia incommodum illud, licet in se leve, *saepe* occurrere potest, et apud *multos;* unde in complexu fit grave. — Similiter parochus, per se, non tenetur remittere jura stolae sibi debita, quamvis parochianus de obligatione sua satis conscius, in varias erumpat obtrectationes, etc.; inde enim grave incommodum obveniret tum ipsi parocho, tum ejus successoribus (II, 52; *S. Thom.*, 2. 2, q. 78, a. 4).

Nota. Diximus *si sint propria;* nam si bona sint aliena, ne licite quidem dimitti possunt, nisi ex consensu domini, saltem rationabiliter praesumpto.

3. *De obligatione reparandi scandalum.*

Reparatio scandali duo generatim sibi exposcit: alterum, quandoque sub gravi, ut ulterior scandali influxus, quoad ejus fieri potest, tollatur ; alterum, quod ordinarie non videtur urgere sub mortali, ut efficaciter consulatur emendationi illius qui passus est scandalum.

Digitized by Google

513. — PRINCIPIA. I. **Qui proximum in peccatum, vel in noxium errorem, ex scandalo induxit, tenetur ex caritate hoc malum pro viribus reparare.** Et re quidem vera, si quilibet, ex caritate, peccantem aut peccaturum corripere tenetur, a fortiori hac obligatione, etiam cum majori incommodo quam ceteri omnes, adstringitur, qui dando scandalum auctor fuit, cur proximus in peccatum vel in periculum peccandi inciderit. — Idem *a fortiori* dicendum est de eo qui per *inductionem proprie dictam,* suasionem vel consilium, alium peccare aut errare fecit.

Hinc: 1° Qui aliis scandalum dedit per iniqua *consilia,* quae sunt *adhuc efficacia,* debet ea inefficacia reddere, per sedulam revocationem iisdem, sive per se, sive per alium, notificandam. — Sic auctor, qui per scripta haeretica, obscoena, aliis causa fuit peccandi, tenetur librorum suorum diffusionem impedire, scripta sua publice retractare, novaque, si possit, in aedificationem christifidelium, componere et pervulgare.

2° Qui proximum in *stabilem* perversionem, v. gr. concubinatus vel irreligiositatis, induxit, tenetur sub gravi ejus conversioni allaborare, ita ut eum, sive per se, sive per alios, in virtutis tramitem reducat. — Dicimus *sive per alios;* aliquando enim praestat aliorum opera uti, praesertim cum agitur de conversione complicis in materia turpi: quo in casu, peccandi occasio facile reduci posset.

3° Quoad scandala *ordinaria,* quae non plenam perversionem, sed peccata solum *transeuntia* pariunt, haec regulariter reparari non possunt, nisi generali illa reparatione, quae continetur in ipsa cessatione a scandalo, in bono exemplo, in oratione pro scandalizato, et similibus.

514. — II. **Publicum scandalum obligat reum ad publicam reparationem.** Secus enim non tollitur sufficienter ulterior scandali influxus, nec omnes scandalizati monentur de malo, quod passi sunt.

Quapropter, concubinarius, usurarius, aliusve id genus peccator, ad publicam, si fieri possit, scandali reparationem constringendus est: puta, ut *publice,* relicto prius commercio, aut negotio suo nefando, cum devotione accedat ad sacramenta.

III. **Superioris scandalum, datum subditis, ex officio debet ab ipso reparari.** Sic, v. gr., paterfamilias, qui scandalizavit domesticos, ordinarie ad reparandum scandalum, si hoc adhuc efficax censetur, adstringendus est, ut iisdem domesticis manifestet displicentiam de malo suo exemplo, eosque paterne adhortetur, ne illud in posterum sequantur.

IV. **Scandalum injuste illatum debet ex justitia reparari.** Dicitur: *injuste illatum,* i. e. fraude, vi, dolo, metu injusto. Reparari debet coercendo influxum actionis. Ratio est, quia quisque habet jus ne injuste laedatur in bonis spiritualibus.

Sublatis vero mediis injustis, scandalizans probabiliter *ex caritate* tantum tenetur scandalum reparare. Quando enim jam cessavit vis aut fraus, et alter scit se fuisse deceptum, potest se, si velit, ipsemet a peccato expedire, et ideo, si sese non emendet, hoc ipsi imputatur (III, 661).

Digitized by Google

4. *De scandalis frequentioribus.*

515. — Scandali multum perniciosi *rei habendi sunt:*

1° Retinentes consuetudinem *blasphemandi,* praesertim coram junioribus, maxime si coram filiis.

2° Delatores gravis *detractionis,* rem aliis renuntiantes; inde enim oriuntur odia et jurgia.

3° Nuntii *amoris* alicui mulieri, sive nuptae, sive innuptae, absque matrimonii fine. Ita peccant praesertim *servi* et *ancillae,* qui filiisfamilias auxilium praestant ad turpes amores fovendos (Inst. cat., P. I, c. 1, n. 45).

4° Divulgantes libros nocuae lectionis, qui nempe eos spargunt, vendunt, vel aliis legendos tradunt. — Item, qui conficiunt, spargunt, vel publice canunt *cantilenas,* vel carmina turpia.

5° Inducentes in *scholas* perniciosam docendi rationem, aut libros periculosos. — Sine scandalo non possunt in puerorum manus tradi libri anatomici et chirurgici, vel etiam libri auctorum paganorum non sufficienter expurgati (cfr. Const. *Officiorum ac munerum,* n. 10).

6° Proferentes sermones lascivos, sive verbis claris, sive aequivocis (ab audientibus tamen satis intellectis). — Hoc est, ait *S. Alphonsus* (l. c.), « scandalum ordinarium: viri inhoneste loquuntur coram mulieribus, juvenibus et quandoque vel coram pueris innocentibus. Et heu, quam ruinam faciunt! . . . ».

7° Repraesentationibus illecebrosis addicti. Ita auctores, actores et actrices *comoediarum,* in quibus nec religioni parcitur, nec virtuti, nec matrimonii sanctitati: vel *saltationum theatralium,* in quibus, ratione vestitus saltatricum, ratione obscoeni saltationum modi, aut lascivae gesticulationis, apparet turpitudo (III, 428). Cfr. n. 835. Item auctores *exhibitionis cinematographicae,* quae juvenum praesertim mentem inficit, phantasiam excitat, imo voluntatem provocat ad crimina, ad quae homo minus certe pronus exstaret, nisi viderit ea impunita manere, eorumque auctores laudari ob astutiam ac dexteritatem suam. — An autem et quatenus *spectatores* talium exhibitionum (qui ordinarie se coinquinant multis peccatis internis) etiam rei sint gravis scandali, resolvi debet ex principiis postea statuendis *de cooperatione* (III, 427). Cfr. infra n. 519, 525, 836.

8° Pictores, sculptores, photographi et alii, qui domi vel in hortis aut museis, etc., exhibent omnium aspectui *statuas* aut *imagines obscoenas,* in quibus scilicet nudatae, aut tenui tantum velo coopertae, apparent illae corporis partes (non dicimus infantis, sed grandioris personae), quae ubique gentium verecundia velandas docet. — « Secus si, detectis aliis partibus, pudenda tegantur » (II, 56). Nemo tamen est qui nesciat, imagines et statuas vere posse esse obscoenas, quando, licet omnia tegantur, ex gestu, modo se tenendi, apparet mens libidini addicta.

9° Personae, quae *speciali titulo* alios a peccato removere debent; ita peccant: *a*) *Parentes* et domini, qui filiabus, vel ancillis suis, permittunt conversationes in locis abditis cum sponsis et amasiis. — *b*) *Uxores,* quae venustulos suos amasios ad familiaria colloquia admittendo, offensioni sunt maritis suis aliisque, sicut docet experientia. — Et idem dicendum de *marito,* qui retinet ancillam, uxori non sine ratione suspectam. — *c*) *Clerici,* qui, domi personam populo suspectam retinentes, ansam praebent peccatis detractionis, calumniae et contemptus status clericalis, etc. etc. (Conc. Trid., Sess. 25, c. 14, de Ref.).

Digitized by Google

516. — QUAERES. *Quid sit sentiendum de* ORNATU MULIERUM?

1° Ornatus *moderatus,* pro decentia status, est per se licitus, quia non dat ansam peccandi. Hinc nullum est peccatum, si femina decenter se ornat ut viro suo placeat, vel ut sponsum reperiat. — Quod si agat ex levitate aut vanitate, peccat venialiter (II, 54).

2° Ornatus *excessivus,* qui nimirum conditionem proprii status excedit, est per se venialis, quia per se alios ad parem luxum non movet graviter. Fit autem mortalis: *a*) si ipsi indulgeatur ad provocandam virorum lasciviam; — *b*) si praevideatur lapsus alicujus viri in particulari. — Mulieres quae fuco, pigmentis utuntur, praeciso scandalo, non nisi venialiter peccant; nullatenus vero, si corporis tantum defectus ita celare intendant (II, 54, 55; III, 425).

3° Ornatus *immodestus*, qualis in solemnibus prandiis, et vespertinis conventiculis, non raro explicari solet, est illicitus pro gradu immodestiae [1].

Hinc: a) si nudatio est ita immoderata, ut ubera pene tota ostendantur aut velo tenuissimo cooperiantur, est per se grave scandalum, quia talis immodestia incitat per se ad luxuriam; — *b*) si vero non est ita immoderata, ut brachia tantum, vel ex parte ubera detegantur, non excusantur quidem a mortali illae mulieres, quae talis vestitus usum, ubi non viget, *introducunt;* sed aliae quae jam introductum sequuntur, quamvis severe increpandae sint, non tamen, per se, de mortali damnandae sunt; quia consuetudo efficit, ut concupiscentia multo minus exardescat. Ceterum, denudatione pectoris, feminae non raro quaerunt inhoneste appeti a viris, in quo casu aderit scandalum directum. — Quare, mos iste pessimus a praedicatoribus et confessariis, quantum fieri potest, coercendus atque exstirpandus est; — *c*) quod de denudatione pectoris dictum est, dicendum etiam videtur de *vestibus* ita studiose confectis, arctis et tenuibus, ut tota conformatio corporis appareat.

§ 3. De cooperatione ad peccata aliena.

Agemus: 1° de cooperatione in genere; — 2° de variis cooperandi modis, seu de casibus qui frequentius occurrere solent.

1. *De cooperatione in genere.*

517. — DEFINITIO. Cooperari, in genere, et vi vocis, idem est ac operari cum alio.

Potest autem aliquis cum alio operari, tum inducendo eum ad agendum, tum ferendo ei ad agendum jam determinato auxilium, quo opus suum perficere valeat.

De primo cooperandi modo, qui fit per *inductionem* et qui comparatur SCANDALO, in superiori disputatione tractavimus. Superest igitur ut et de secundo modo disseramus, qui fit per *praestitum auxilium.*

[1] Juvat transcribere quae *S. Alphonsus* (II, 55, Quaer.; ed. G., I, p. 351) suae sententiae super hac materia praemittit: « Cum ego munus concionatoris gessi, pluries etiam hunc perniciosum usum conatus sum exprobrare; sed cum hic officium agam scriptoris de re morali, oportet ut dicam quod juxta veritatem sentio et quod a DD. didici ». Cfr. *Berardi,* de Occas. (ed. 6), II, n. 149, 160; *Lehmkuhl,* I, 796.

Digitized by Google

Proprie igitur COOPERATIO appellatur et definiri potest: *Concursus ad pravam actionem alterius principaliter agentis.*

DIVISIO. Cooperatio, pro variis modis quibus cooperans ad pravam alterius actionem concurrit, multiplex distinguitur:

I. Ratione actus mali, est *formalis,* vel *materialis:* 1° Cooperatio FORMALIS ea est, quae concurrit etiam ad malam voluntatem principaliter agentis, seu est concursus quem quis ea intentione (sive explicita, sive implicita) praestat, ut principaliter agenti sit auxilio ad opus malum exsequendum.

Haec duplici modo fieri potest, nempe: *a*) per operam, quae concrete sumpta, *suapte natura,* id est *ex fine operis,* ad pravam actionem ordinatur, v. gr. in opere scenico, quo religio deridetur, agere partes actoris; — *b*) vel per operam indifferentem, quae non quidem ex se, sed *ex speciali cooperantis intentione,* i. e. ex fine operantis ad istiusmodi pravam actionem dirigitur: v. gr. si quis alteri pecuniam subministrat, ad spargendum errores corrogatam; vel si quis alterum ad turpitudinis locum comitatur, ut ita eum reddat ad peccatum animosiorem.

2° Cooperatio MATERIALIS est ea, quae praestat *materiale* peccati; quae ergo, praeter intentionem et cum mera permissione cooperantis, concurrit ad malam alterius *actionem.* Praestatur per operam, quae nec *per se,* nec ex determinatione *cooperantis,* ad hanc malam actionem ordinatur, et *qua principaliter agens sine peccato uti potest;* quamvis, ob suam malitiam, ea abutatur ad peccandum. Hujusmodi cooperatio foret; v. gr. subministratio vini ei, qui se inebriare vult; traditio clavium ei, qui ingreditur ad furandum (II, 63; H. Ap., IV, 31; cfr. III, 571; Conf. dir., IV, 16).

II. *Cooperatio materialis* subdistingui potest:

1° Ratione auxilii praestiti, est *immediata,* vel *mediata.* — Dicitur *immediata,* quando cooperans agit cum principaliter agente, in ipso actu pravo, v. gr. adjuvando furem auferentem rem alienam; *mediata* vero, cum cooperans quid praestat, quod principaliter agenti ad opus pravum exsequendum inservit, v. gr. tradendo scalam furi invasuro domum.

2° Ratione connexionis cum actu pravo, est *proxima,* vel *remota:* prout nempe ex natura sua, aut ex circumstantiis, censetur habere, vel non habere, moralem connexionem cum principaliter agentis peccato. Sic, v. gr., cooperatio proxima est dare occisuro gladium; remota autem, materiam subministrare, ex qua gladius conficiendus est (cfr. n. 313, 2°).

Nota. 1° De cooperatione, quae formalis fit *ex intentione cooperantis,* vix difficultas unquam esse potest; quia taliter cooperans actionem peccaminosam *directe* intendit et malitiae principaliter agentis evidenter fit particeps. *Utrum* vero et *quandonam* debeat haec prava intentio MANIFESTARI *principaliter agenti,* ad hoc ut cooperator etiam ad reparationem damni teneatur, est quaestio quae expendetur in tr. de VII° Praecepto (cfr. n. 976 seqq.).

Digitized by Google

2° De cooperatione autem, quae formalis est *ex natura sua,* et objective nunquam materialis reputari potest, frequenter fit disputatio ; quia ad definiendum utrum aliqua opera ad pravam alterius actionem *ex se* et ex operis fine *intrinseco* ordinetur necne, attentissima saepe consideratione et multa sagacitate opus est.

Ad elucidandam hanc materiam sequentia addere juvat :

a) Actio *ex se* ad pravum finem ordinata sic est consideranda, ut finem bonum *nec habeat, nec habere possit.* Hoc verificari potest sive de actione speculative sumpta, sive de actione concrete apprehensa, i. e. talibus circumstantiis vestita. Sic, pingere, in templo haereticorum, imaginem fundatoris sectae, cum aureola; cum alio sclopetum in aliquem explodere, sunt actiones ex se unice ad malum finem ordinatae.

b) Actio, quae pro principaliter agente est *conditio sine qua non* posset operari, non eo ipso fit actio unice ordinata ad malum finem; v. gr. humeros subjicere, ait *S. Alphonsus* (III, 571), praebere scalam domino ascendere volenti ad explendam libidinem, non est cooperatio de se ordinata ad peccatum.

c) Ex eo quod principaliter agens ad consecutionem finis intenti animosior fit, non semper ipso facto dici potest quod *cooperatio* alterius sit formalis; v. gr. in exemplo humeros subjicientis, haec verificantur ; et tamen, qui subjicit humeros, praestat cooperationem mere materialem. — Si autem cooperans, qui principaliter agentem reddit animosiorem, actione sua, quasi personam ejus agit et partem operis mali in se recipit, reus fit cooperationis formalis : v. gr. qui pro hero scribit litteras vere amatorias, turpia continentes ; qui furi, ad peccandum parato, oratu suo, tempus et modum indicat, ut securius suum scelus patrare possit ; qui dum aliquis in cubiculo libidini indulget, excubias agit, formaliter peccato cooperantur.

d) Cooperatio formalis non est synonyma illicitae cooperationis : nam omnis cooperatio formalis est illicita, at non vice versa ; v. gr. qui, *ob rationem malo non proportionatam,* praestat cooperationem materialem, utique peccat, sed non evadit reus cooperationis formalis. — Numerus actionum, quae *ex se,* ex fine operis, sunt cooperationes formales, non est tam magnus.

518. — PRINCIPIA. I. **Nunquam licita est cooperatio formalis.** Formalis enim cooperatio, cum aliquem includat consensum voluntatis in alterius peccatum, qua peccatum, est intrinsece mala, et sine culpa esse nequit. Nulla igitur ratione, ne mortis quidem metu, excusari potest (H. Ap., IV, 31).

Quin immo, non secus ac scandalum, habet duplicem saltem malitiam : alteram contra caritatem, alteram contra virtutem quae laeditur (cfr. n. 507).

Hinc, nunquam licitum est praestare operam, quae, *ex natura sua,* ad solum peccatum, qua tale, ordinari potest : ut esset, v. gr., conficere instrumenta solum ad generationem impediendam apta, praeparare remedia solum ad abortum procurandum destinata, quaerere domino concubinam, scribere pro concubinario ad concubinam litteras amatorias ac turpes, invitare mulierem ad crimen cum domino committendum, etc. (II, 67). Pariter, juxta *S. Alphonsum* (II, 64, 65, 68; 1. El. qq. ref., 11), nunquam licet famulo deferre litteras amatorias

Digitized by Google

concubinae domini, vel deferre munuscula et esculenta meretrici; quia et hoc servitium, ex natura sua, quoad hunc actum concrete sumptum, fovet turpem amorem, nec alium, per se, effectum producere natum est [1]. — Et idem dicendum de puella, *si libenter* acceptet munera amasii eam turpiter concupiscentis. Sic enim fovet turpem illius amorem, in quem saltem implicite consentit (II, 76).

Si autem, ob peculiares circumstantias, actio cooperantis non involvit hujusmodi consensum, potest esse absque peccato; v. gr. si puella acceptans munera coram aliis oblata, recusare nequeat quin suspiciones moveat, atque infamiae periculum incurrat. Tunc ejus acceptatio fit moraliter alia actio; inquantum simpliciter suae famae consulit. — Sic etiam officiales postarum qui deferunt litteras, quas, ex certis indiciis, sciunt esse amatorias, simpliciter munus publicum, nomine Status, implent.

519. — II. Licita est aliquando cooperatio materialis. Licita est nempe, *si tres adsint conditiones,* ex voluntario indirecto, id est: 1° si actio cooperantis de se bona, aut saltem indifferens est; — 2° si recta est ejusdem intentio; — 3° si adest causa justa, et proportionata tum ad gravitatem peccati alterius, tum ad proximitatem concursus, qui praestatur ad peccati exsecutionem [2].

« Ratio, quia cum tu praestas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad suum peccatum exsequendum, non teneris nisi ex caritate illud impedire; et quia caritas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum justa causa, non peccas: tunc enim peccatum illius non provenit ex cooperatione tua, sed ex malitia ipsius, qui tua actione abutitur. — Nec valet dicere, quod tua actio, etsi indifferens, conjuncta tamen cum circumstantia pravae intentionis alterius, evadit mala; nam revera, actio tua non est *per se* conjuncta cum mala voluntate illius, sed ille conjungit suam malam voluntatem cum actione tua; unde, tua actio non erit tunc causa per se influens in peccatum, sed tantum occasio, qua ille abutitur ad peccandum » (II, 63).

Porro, ad judicandum, quando CAUSA sit *justa* et *proportionata,* ante omnia pro regula sit observare quod dicunt DD.; quia, cum hoc pendeat a prudentum aestimatione, sententia in hac materia communior erit etiam probabilior. — Generatim igitur dici potest, « *tanto graviorem* requiri causam: 1° quanto gravius est peccatum, cujus occasio datur; — 2° quanto probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum, aut quanto certior est effectus peccati; — 3° quanto propinquius tua cooperatio peccatum attingit; — 4° quanto minus juris habes ad tale opus; — 5° denique, *quanto magis peccatum cum justitia pugnat,* idque propter damnum tertii » (II, 59; H. Ap., IV, 32). Cfr. supra n. 314.

[1] Imo addit S. Doctor (l. c.) cum Sanchez, servum non posse talia servitia praestare, quando, certus de turpi amore, dubitat an litterae contineant amatoria (*Vind. Alph.*, I, p. 202). — [2] Si ex delectu harum conditionum cooperatio materialis evadit illicita, duplex saltem peccatum committitur et contra caritatem, et contra virtutem laesam, ut pro cooperatione formali notavimus.

Digitized by Google

520. — Exinde eruuntur sequentes REGULAE SPECIALES:

1° Licet semper ad peccatum alterius cooperari materialiter, *ob majus malum vitandum;* fert enim axioma: « Ex duobus malis minus est eligendum ». Sic, v. gr., licite praebes vinum sese inebriaturo, ne in blasphemias prorumpat (II, 69; V, 77).

2° Licet materialiter cooperari *ad minus damnum* proximi, *ut* IPSE *a majori liberetur*, si aliud medium desit; cum enim dominus de re sua disponere possit, id rationabiliter velle censetur. Sic, licet hostem adjuvare ad vastandam domum, ad furandum, etc., ne dominus occidatur (II, 74).

3° Licet materialiter cooperari, etiam IMMEDIATE, damno tertii, v. gr. fores effringendo, *ut vitetur damnum* PROPRIUM *superioris ordinis*. Sic fas est incendere domum, ad vitandam mortem. In tali enim necessitate constitutus supponere potest consensum domini, qui irrationabiliter esset invitus. — MEDIATE autem cooperari licet, si agatur de vitando damno proprio *aequali*. Sic licet reddere gladium occisuro, ut ita propriae vitae consulatur. Ratio est, quia ex ordine caritatis non tenemur impedire damnum alterius (etiamsi hic sit in extrema necessitate), cum aequali proprio detrimento (II, 76; III, 571; Istr., X, 56).

4° Causa, quae sufficit ad excusandum cooperatorem *privatum*, non sufficit ad excusandum *Superiorem*, magistratum, aut quemvis alium, qui non solum ex caritate, sed *vi muneris sui*, tenetur arcere malum, vel impedire peccata aliena; ubi enim duplex est obligatio, ibi causa excusans moraliter duplex sit necesse est. — Sic, v. gr., parentes impedire debent peccata filiorum, parochi peccata parochianorum, magistratus delicta civium, etc. Sic etiam mercatores quandoque, ex speciali lege, tenentur ad non vendenda arma quaedam periculosa, potiones venenatas, etc. (H. Ap., IV, 32).

5° Causa quae te excusaret, si principaliter agens aeque facile suum finem attingeret, non sufficit ad te excusandum, si, denegato tuo concursu, alter non peccasset.

2. *De variis cooperationibus.*

Cum recensio omnium casuum, in quibus cooperatio intervenit, sit plane impossibilis, satis erit recensuisse illos, qui frequentius occurrere solent, et ex quibus ceteri dijudicari poterunt [1]. — Prudens autem

[1] De cooperationibus ad falsos ritus jam sermo fuit n. 432, ubi de communicatione cum acatholicis. — Addere juvat quae S. Off., die 26 Aprilis 1894, pro Imperio Russiaco statuit: Magistri religionis, a discipulis non interrogati (super communicatione in sacris), attentis gravissimis rerum circumstantiis, remoto scandalo, possunt dissimulare, si pueri sunt in bona fide... Idem facere possunt confessarii relate ad discipulorum parentes, si non interrogantur, et parentes sunt in bona fide. — Vide totam Instructionem apud *Lehmkuhl*, I, 809.

Digitized by Google

confessarius ADVERTAT: 1° bonam fidem saepe, in hac materia, excusare; — 2° pro variis locis et temporibus, multum attendendum esse ad communem aestimationem; — 3° in dubio, non favendum esse libertati, ubi obstat ratio scandali, periculum perversionis, peccati formalis, etc.; et si de re publica agatur, non omittendum ad Superiores et ad prudentiores recursum (cfr. *Konings*, 312; *Aertnys*, l. II, n. 79).

I. — De cooperatione famulorum.

521. — 1° *Ad violationem legis abstinentiae.* *a*) Si constet de peccato heri legem violantis, non licet famulo praeparare aut ministrare vetitum cibum, ex sola ratione famulatus, quia agitur de cooperatione proxima; licet tantum ob notabile detrimentum. — *b*) In dubio, praesumitur herus justa causa excusari. — In praxi autem, raro deerit sive dubium, sive notabile detrimentum (II, 68).

2° *Ad usuram.* *a*) Qui adjuvat usurarium tantum in numerandis pecuniis, scribendis rationibus, aut in deferendo pignore, potest excusari sola ratione famulatus. — *b*) Secus, si exigat usuras: quia exactio est cooperatio proximior ad peccatum usurarii, etsi amicabiliter exigat. — *c*) Quod si exigeret per vim aut minas, non solum peccaret, sed insuper teneretur, deficiente domino, ad restitutionem.

3° *Ad libidinem.* Tria hic distinguenda sunt servitiorum genera: *a*) servitia, quae ex natura sua ad turpitudinem determinata sunt; — *b*) servitia de se indifferentia, quae proxime ad heri turpitudinem concurrunt; — *c*) servitia, quae eodem remote tantum concurrunt. — Jamvero

Servitia PRIMI generis nulla ratione excusantur; cum veram constituant cooperationem formalem (cfr. n. 518).

Servitia SECUNDI generis, quia sunt cooperationes proximae, non possunt excusari ex sola ratione famulatus; sed tantum ex alia causa, sive gravi, sive gravissima, pro diversitate casus. — Sic, v. gr., ex mente *S. Alphonsi* (II, 64), non sufficit sola ratio famulatus, sed insuper requiritur saltem *metus gravis damni*, ut famulus licite possit comitari herum ad locum turpitudinis; vel sternere equum ei proficiscenti (etsi herus non reddatur ex his animosior); vel concubinam rheda adducere in domum heri concubinarii, si inter ipsum et concubinam jam conventum erat; humerum praebere ascendenti ad non invitam, etc., etsi famulus in his operam praestet mere materialem. — Causa vero *gravissima*, quinimo metus mortis, requireretur, ut licite posset adjuvare herum, scalam deferendo, vel humeros subjiciendo, vel januam vi aperiendo, dum herus vult ascendere ad virginem stuprandam.

Servitia TERTII generis, cum cooperatio sit remota, excusari poterunt ex sola ratione famulatus. — Hinc, v. gr., licebit famulo, more solito, ostium aperire concubinae vel meretrici, si ipso non aperiente, alius sit qui aperiat. Si autem multoties famulus ad talia servitia compelleretur, enixe monendus esset, ut famulatum deserat (II, 66).

QUAERITUR. *Quid de aurigis publicis alios ad lupanar vehentibus?*

Resp. 1° Est cooperatio proxima; ideo non excusantur ratione mercedis, sed solummodo ob grave damnum vitandum; v. gr. si auriga publicus timeret, ne dimittatur, non facile alium herum inventurus (II, 75; 1. El. qq. ref., n. 15). — Item, si lege civili tenentur aurigae, conducere viatores, quocumque isti velint.

Digitized by Google

2° Nunquam possunt operam suam exhibere ad quempiam securius occultiusve ducendum, aut ignaro indicare ubi sit prostibulum. Est enim cooperatio formalis (II, 64, 75; *Kon.*, n. 311).

II. — De cooperatione cauponum.

522. — 1° *Ad violationem legis abstinentiae.* *a*) Cauponibus per se non licet, die vetito, ministrare carnes proprio motu: quia esset vera et saltem remota cooperatio ad peccatum alienum, sine justa causa (II, 80; 1. El. qq. ref., n. 17). — Licitum vero videtur (saltem ubi viget usus), universaliter ministrare carnes hospitibus id petentibus, modo eorum petitio non fiat in contemptum religionis (III, 1030, q. 3).

b) Caupones illi, qui mensam instituunt communem (*table d'hôte*), in qua hospites conjunctim assident, vel qui viatores per rhedas publicas aut viam ferream advenientes hora determinata exspectant, experientia docti, multos carnem aut jusculum ex carne petituros esse, possunt licite haec habere parata, ut dein petentibus apponant; vel etiam mensam cibis licitis et illicitis struere, eos offerre, in charta notare, ut unusquisque, quod sibi placuerit, eligat. — Ratio est, tum quia inter tantos multi praesumuntur legitime excusari aut in bona fide versari, quos singulos interrogare grave vel periculosum esset; talis cooperatio non videtur esse nisi remota, et si quandoque esset proxima, dicendum quod in praesenti rerum statu impossibile est, saltem multis in locis, officium cauponis aliter exercere (*Kon.*, 310).

c) Qui aliquos catholicos pacto pretio in convictum acceperunt (*pension*), non debent ita facile diebus vetitis carnes praebere; quia est cooperatio proxima, et in privata domo leges Ecclesiae facilius servantur, nec occurrit plerumque tam gravis cooperandi ratio (ib.). — Facilius tamen excusantur, qui diebus jejunii, mane et vespere, cibos ratione qualitatis non prohibitos subministrant. Plures enim a jejunio quam ab abstinentia excusantur, ob laborem gravem, vel valetudinem haud firmam. Ideo cooperatio est potius remota, et res tuto remittitur conscientiae singulorum convictorum.

2° *Ad ebrietatem.* Non licet cauponibus dare vinum eis, de quibus praevident fore ut inebrientur, nisi ob metum gravis mali, v. gr. ad praecavendas blasphemias, rixas, vel etiam si ex denegatione timeant, ne notabiliter laedantur, ob diminutionem hospitum: est enim cooperatio proxima. — Pensanda etiam sunt alia mala, quae saepe ex ebrietate sequuntur, ut bonorum dilapidatio, uxoris infortunium, filiorum scandalum, etc. (II, 69).

3° *Ad luxuriam.* *a*) Gravissimi peccati rei sunt et absolutione indigni caupones, qui, formaliter cooperando, secreta cubicula ad libidinem praebent; vel qui apud se ducunt choreas omnino turpes ac lascivas, nisi turpitudo vel lascivia accidentaliter eveniret: v. gr. in choreis nuptiarum. — *b*) Universim, a choreis instituendis caupones quam maxime deterrendi sunt, quia *choreae* plerumque minus honeste fiunt, et ansam praebent innumeris peccatis. Porro, ad dijudicandum an eas instituere volentibus deneganda sit absolutio, inspiciendae sunt circumstantiae, et modus quo saltationes fieri assolent (*Kon.*, n. 310). Cfr. n. 829.

4° *Ad noxiam lectionem.* *a*) Caupones non possunt legenda exponere ea folia publica, quae *evidenter* et *ordinarie* sunt religioni vel moribus adversa, aut *positive* ab Episcopo prohibita, etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant; agitur enim in posteriore casu de cooperatione proxima in malo

Digitized by Google

publico. — Idem dicendum de iis foliis, quae *generatim* et *evidenter* clero sunt adversa, et in causa sunt cur fideles ei debitam venerationem detrectent. Ratio sufficiens hujusmodi folia exponendi esse posset sola particularis necessitas, pro hospitibus, ex iis aliqua cognoscendi, v. gr. nuntia ad mercaturam spectantia, quae frustra alibi quaererentur. Hoc autem in casu, dominus hospitii, meliori quo fieri poterit modo, debet significare se, ob praedictam solummodo rationem, talia folia exponere, nec eorum argumenta probare. Ipsi etiam advigilandum est, ne citra necessitatem exponantur, utque quamprimum destruantur. — *b*) Communiter adest ratio sufficiens admittendi ea folia, quae de rebus mere politicis tractant. Nec videntur caupones teneri ad respuendam ephemeridem, quae aliquid *subinde* minus rectum, ratione fidei vel morum, contineat; modo generatim religioni vel bonis moribus non adversetur (*Kon.*, n. 310, *d*). Cfr. n. 453.

III. — De cooperatione opificum et mercatorum.

523. — *Ad abusum rerum quas tradunt.* 1° Si res de se sit *ad malum determinata,* nec ullum habeat usum bonum, ut, v. gr., idolum pro paganis in regione infidelium; vestis theatralis manifeste turpis; ornatus muliebris de se obscoenus; larva scenica, quae alium finem non habet quam ut religionem ejusque ritus et ministros ludo vertat; insignia sectae massonicae alteriusve ejusdem generis distinctiva; pharmacum unice ad abortum procurandum destinatum, etc.; patet hujus rei confectionem atque venditionem generatim esse prorsus illicitam[1]. — Unde *S. Alphonsus* (II, 72): « Venditio veneni — inquit — quod non servit nisi ad hominis occisionem, simpliciter est mala ». Venena autem quae prodesse possunt, non licet vendere nisi iis, qui bene usuri putantur, v. gr. ad confectionem colorum, vel ad medicinam.

2° Si res est de se *indifferens,* ex circumstantiis autem constat emptorem duci *intentione mala,* non licebit eam conficere, locare aut vendere, nisi ex causa gravi seu proportionata; etsi apud alios aeque emeretur. Sic non licet vendere ornamenta puellae iis abusurae, nisi venditor alioquin notabile pateretur incommodum (II, 71; 1. El. qq. ref., 14; cfr. *Vind. Alph.*, P. II, q. 8). — Dicitur: *etsi apud alios aeque emeretur;* quia tenemur, saltem citra grave incommodum, ad monendum peccantem, et praesertim scandalum dantem, cum opportunitas datur. Jamvero, « meae cooperationis negatio — ait *Sanchez* (Decal., l. 1, c. 7, n. 16) — est quoddam monitionis genus, quo proximus, si non a peccato praesenti, potuisset saltem a futuro revocari, ex hujus negationis memoria ».

3° Non sunt inquietandi catholici qui, ad *grave damnum* vitandum, judaeorum synagogas et haereticorum templa aedificant vel restaurant, dummodo non adsit scandalum nec sit in contemptum religionis. Ob defectum hujus conditionis tenentur ab opere se abstinere: *a*) ubi hujusmodi opus communiter habeatur pro signo protestativo falsae religionis; — *b*) vel aliquid in ipso contineatur quod per se directe ac unice exprimat reprobationem cultus catholici et approbationem damnati cultus haereticorum; — *c*) aut constet, artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab haereticis in contemptum ca-

[1] Dicimus *generatim;* etenim in fere omnibus casibus concretis confectio vel praeparatio talium rerum dirigitur ad finem malum, nec habere potest bonum. Dari tamen possunt aliqui casus, ubi potius adesse poterit cooperatio materialis: v. gr. ornatus muliebris inhonestus, quamvis de se nondum honeste corpus tegat, aliis tamen vestimentis superadditis corrigi potest: ex quo fit, ut potius ex malitia ementium oriatur periculum. Vide *Lehmkuhl*, I, 831; cfr. ib., I, 814 seqq.

Digitized by Google

tholicae religionis (ex declar. S. Officii 17 Aug. 1613; 14 Jan. 1818; 7 Julii 1864)[1]. Idem edixit S. O. 27 Julii 1892[2], de cooperatione cremationi cadaverum (cfr. n. 1388bis). Eadem existente causa, catholicis licet ad usum haereticorum fabricare et vendere organa, cathedram, mensam coenae, altaria, calicem, paramenta sacerdotalia, etc. A fortiori, licet theatra aedificare, ornare, etc., modo ornamenta in se non sint impia, vel inhonesta. — Facilius datur causa sufficiens ad excusandos operarios, quam quae valeat excusare architectos, conductores et opificum dominos, quippe qui non in eadem, qua operarii, versantur necessitate [3].

4° Gravior requiritur causa, ut liceat fundum vendere haereticis ad templum aedificandum, sectae massonicae adscriptis locare aut vendere domum eorum conventiculis destinatam, etc. [4].

5° Gravissima autem requiritur causa, puta periculum *mortis*, durissimi *exilii*, vel periculum aequivalens, ut operam praestare liceat ad templa falsorum numinum aedificanda vel restauranda, etc. Alii id nullo modo licere dicunt, ex decretis S. Inquisitionis, anni 1629 et 1699. Sed memorata decreta lata esse videntur ob peculiares circumstantias, ex quibus catholicorum concursus fuisset cooperatio formalis, et, ex natura concreta rei, signum falsae religionis protestativum (*Coll. Miss. Ext.*, n. 1070 et 1089; *Gallo*, l. c., p. 251).

6° Si non constet de pravo fine petentis, licet opificibus, mercatoribus, locatoribus, etc., *solo titulo commercii*, res indifferentes cuilibet petenti tradere; quia in dubio nemo praesumitur malus. Sic, v. gr., licite venduntur liquores fortes, aleae, chartae pictae, pigmenta, etc., etsi multi generatim iis abutantur (II, 71).

IV. — De cooperatione typographorum et bibliopolarum.

524. — 1° *Ad impressionem librorum aut foliorum pravorum.* Cooperatio est vel *proxima*, in eis nempe qui sunt domini officinae typographicae, editores librorum; in eis qui typos ordinant, chartam typis imponunt, prelum torquent, impressionem dirigunt; vel *remota*, v. gr. in illis qui atramentum vel chartam praeparant, libros jam impressos corrigunt aut ordinant, ignem machinae in recentioribus typographeis admovent, aliave exercent ministeria remote tantum ad impressionem pertinentia.

His praemissis: *a*) In typographeo ad malum finem unice vel principaliter erecto, nulla de causa, ne mediate quidem, licet cooperari. Sic, v. gr., nequeunt catholici ulla ratione occupari circa typographea protestantica, quae ex professo adversantur religioni catholicae. Cfr. *Lehmkuhl*, I, 825. — *b*) In typographeo communi, si raro et quasi per accidens liber pravus prodeat, aut in ephemeride quaedam interdum contra fidem, aut bonos mores, publicentur, cooperatores mediati ex gravi causa excusari poterunt. Quinimo notat *Kenrick*: « Qui prelo torquendo vacant, quin typos componant, non censentur nosse quae imprimuntur, ideoque in typographeo communi, ubi omnis generis libri eduntur, non tenentur ad discrimen faciendum. Sed qui jus directionis habent, debent procul facere quae fidei bonisque moribus repugnant » (tr. XIII, n. 157).

[1] Cfr. *Gallo*, Suppetiae, I, p. 266 seqq.; item *Coll. Miss. Exter.* (Parisiis, 1880, n. 1089). — [2] *Can. Cont.*, XVIII, p. 162. — [3] Cfr. Instr. Em. Card. Vic. pro parochis Romae (*A. S. S.*, vol. XI, p. 175). — [4] Cfr. *Scav.*, II, n. 1017, q. 6 (ed. 11). S. POENITENTIARIA interrogata *an catholicis liceat pecuniam pro aedificando templo haeretico contribuere*, anno 1822, respondit: « Affirmative, sed tantum ad se, suaque templa, ab incommoda illa ac scandalosa cum protestantibus simultaneitate liberandum ». Quod responsum prudens confessarius etiam aliis casibus accommodabit.

Digitized by Google

2° *Ad propagationem sive divulgationem eorumdem.* *a*) Libros omnino obscoenos aut turpes exponere, vendere, dare, commodare, domino petenti procurare, etc., est cooperatio proxima, a qua excusat sola pergravis necessitas (*Lehmkuhl*, ib., 4°). Prava diaria ad annum aut ad menses ementes per se graviter peccant, eo quod sua pecunia efficaciter ad ea edenda concurrunt. — *b*) Non licet indiscriminatim vendere *omnibus*, aut procurare libros haereticales, v. gr. biblia protestantica; vel alios libros noxios, v. gr. qui propugnant errores in *Syllabo* confixos; vel libros acatholicorum, qui ex professo de religione tractant. Non videntur tamen damnandi procurantes hujusmodi libros, vel alios lege Indicis prohibitos, alicui qui *specialiter* eos quaerit, et qui non certo noscitur debita ad eos legendos licentia carere: de quo bibliopola saltem inquirere non tenetur. Vide CONST. *Officiorum*, n. 3 et 46. — *c*) Qui in pravis ephemeridibus, aut chartis in publico affigendis, annuntianda deferunt ea, quae in fidei aut morum detrimentum natura sua vergunt, ut, v. gr., concionem haereticam habendam, libros ex professo nocivos, choreas inhonestas, spectacula turpia, etc., si scienter ita agant, a cooperatione formali excusari non posse videntur. Etenim, peccati opportunitatem indicant. — Licitum vero est libros nocivos in foliis scientificis annuntiare, ut cognoscantur ab eis, quorum interest (*Kon.*, 315, 317). — *d*) Qui vero in pravis ephemeridibus solum nuntiant res vendendas, locandas; vel qui tantum scribunt articulos scientificos, de sola cooperatione materiali remota sunt culpandi. Excipitur casus, in quo cooperatio scriptoris hisce ephemeridibus notabilem praestaret favorem (*Génicot*, I, 240). Si Episcopus, *ob bonum commune*, insertionem omnino prohibeat, standum est ejus decisioni.

V. — De cooperatione in rebus illecebrosis.

525. — 1° *Ad choreas inhonestas* cooperari, sive musica, sive locatione loci est cooperatio proxima. — Ratio tamen gravis damni excusabit *musicum* non edentem ejusmodi sonos, qui unice ad inhonestam saltandi rationem pertineant; hoc enim in casu, choreae ex sola saltantium malitia inhonestae evadunt. Ita Suarez, Palaus, Giribaldus. Sunt tamen qui id nullomodo permittunt, quia sonus nimium influit et intimius incendit ad choreas inhonestas (*Scavini*, II, 957). Cfr. n. 829.

2° *Ad choreas lascivas* v. gr. cum meretricibus, eodem modo concurrere, est cooperatio formalis, ubi illae, qua tales, instituuntur. Ast, ubi lascivia solum casu occurrit, ratione privatae malitiae, aderit cooperatio mere materialis.

3° Mortalis peccati rei sunt omnes, qui sine justa causa, plausu, aut pecunia ad *spectacula notabiliter turpia* concurrunt, etiamsi sine ipsis repraesentarentur: proxima enim adest cooperatio. Item, qui ex officio illa impedire tenentur, et possunt absque gravi et notabili damno; aut qui aliter ea impedire commode possunt, et non impediunt; a fortiori actores illa repraesentantes (III, 427, 428). Cfr. n. 834.

4° In civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa, permissum est *meretrices* degere, licet ex causa rationabili domum eis locare, quia cooperatio ista est materialis remota: nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam majorem darent peccatis (II, 70).

5° Pingere, conficere pro amasio imaginem *personae ab eo turpiter amatae* est cooperatio proxima, quam non excusat nisi pergravis necessitas. — Imo pingere *res obscoenas* non est semper cooperatio formalis, modo res istae bonum finem, i. e. studium artis anatomicae haberi possint (*Lehmkuhl*, I, 827).

Digitized by Google

VI. — De cooperatione in rebus politicis.

526. — Ad hanc materiam spectant plurimae SS. ROMANARUM CONGR. responsiones, datae occasione sacrilegae invasionis Status Pontificii, necnon separationis Status et Ecclesiae in Gallia peractae.

I. *Occasione invasionis Status Pontificii.*

1° Potest tolerari, quod dentur suffragia ad *consilia* et *municipales repraesentativas personas,* modo municipales non adigantur ad ea quae adversentur legibus divinis et ecclesiasticis, et abstineant a juramento juxta formam a gubernio invasore propositam.

2° Licet ad *magisteria* concurrere, oblata suscipere, semoto scandalo, nulla data adhaesione nec approbatione, quoad gubernium intrusum.

3° Tolerari potest, quod, sub intruso gubernio, *officia retineantur* et *suscipiantur,* modo non directe et proxime influant in spoliationem, in spolii manutentionem et exercitium, et absit periculum laedendi leges divinas et ecclesiasticas. — In praxi praestat ut in singulis casibus consulatur Ordinarius.

4° *Inventarium* reddituum Ecclesiae, si gravibus sub poenis expostulatur, gubernio tradere possunt administratores bonorum ecclesiasticorum, emissa tamen in scriptis protestatione, ante vel post traditionem (S. Poenit., 10 Dec. 1860).

5° Suffragia in politicis electionibus ferre, *non expedit,* i. e. juxta interpretationem S. Sedis, *prohibetur* (S. Off., 30 Jul. 1866).

6° Peccatum illius qui *politicis interfuerit electionibus,* judicetur in casibus particularibus, juxta conscientiam et prudentiam, perpensis omnibus adjunctis, ita ut incurratur aut non incurratur censura pro adjunctis facti et dispositionibus subjecti, juxta normas ab AA. traditas (S. Poenit., 1883).

7° Locus dari potest *dispensationi* legis in casibus particularibus — ex ratione boni supremi societatis — agnita necessitate ab Episcopis et petita dispensatione ab ipsis. Litt. Enc. ad Ep. Ital., 17 Junii 1905 (*A. S. S.*, 37, p. 741).

II. *Occasione separationis Status et Ecclesiae in Gallia et alibi.*

1° *Deputati* et *Senatores,* qui legem separationis constituerunt, sunt ipso facto excommunicati et sepultura ecclesiastica privandi, si in peccato decedunt (S. Poenit., 30 Maii 1908).

2° Clericis, sive saecularibus sive regularibus, in Gallia, in praesentibus adjunctis, non licet *candidatos se sistere* in electionibus ad deputatorum comitia, absque consensu proprii Ordinarii et Ordinarii loci ubi se candidatos sistere cupiunt (S. Congr. a neg. eccl. extr., 2 Apr. 1906). — Similiter, non licet sacerdotibus, in Italia, munus suscipere consiliarii in rebus administrativis sive municipiorum sive provincialium civilium et ad hunc finem acceptare ut candidati in electionibus proponantur, nisi praevio consensu tum Ordinarii proprii, tum Ordinarii loci in quo mandatum administrativum est exercendum. S. C. Cons., 8 Jun. 1914 (*A. A. S.*, VI, p. 313). Item iis non licet nomen dare consociationibus sindicalistis (*A. A. S.*, VI, 349).

3° *Associationes Cultus,* ex lege Gallica constituendae, nullo pacto condi possunt, eo quod ab ipsis sanctissima jura, quae ad vitam ipsius Ecclesiae pertinent, violentur. Enc. *Gravissimo,* 10 Aug. 1906 (*A. S. S.*, 39, p. 385).

4° *Mutualitates,* sic dictae, approbatae (*mutualités approuvées*), quibus fundationes missarum tribuantur, sed sine interventu auctoritatis ecclesiasticae, sunt improbandae (Litt. 7 Maii 1908).

Digitized by Google

5° *Locatarii,* occupantes bona ecclesiastica (*secus vero de liquidatore,* nomine gubernii agente sed nullam partem bonorum pro se retinente; secus etiam de notario tribunalis), excommunicationem incurrunt et ad restitutionem tenentur. — Emptores fructuum naturalium publice venditorum tenentur solum ad eleemosynam erga Congregationem spoliatam et pro pretio quo justo minus emerunt (S. Poenit., 5 Aug. et 7 Sept. 1907).

6° *Consiliarii* et *Major civitatis,* qui acquisiverunt bona spoliata in *communes usus civitatis,* non incurrunt excommunicationem. In casu necessitatis vel utilitatis, petenda est facultas a S. Sede vel ab Ordine religioso (S. Poenit., 3 Jan., 8 Mart., 9 Maii 1906).

7° Dantes operam venditioni bonorum religiosorum in Gallia (cooperatores secundarii) non incurrunt excommunicationem; in particulari casu tamen privari possunt sepultura ecclesiastica. — Quoad ipsos, sicut et quoad *liquidatores,* non constat de obligatione restituendi (S. Poenit., 17 Sept. 1906) [1].

527. — Notat *S. Alphonsus* (II, 74, ex Busenbaum): « Incolae urbis vel provinciae, quam tyrannus occupavit, licite manent inter iniquos possessores, eosque, cogente imperio, juvant excubiis, fossione, contributione; idque ex legitimi principis praesumpto consensu; ex quo etiam talia obsequia promittunt cum juramento, ad majora mala sua et legitimi principis declinanda ». — Alia vide in PARTE IV, n. 2287 et 2292. — Cfr. *Rev. des sciences eccl.,* t. II, p. 256; item *Nouv. Rev. Théol.,* 1882, p. 582; ubi de variis cooperationibus.

[1] Vide haec diversa responsa ap. *Ami du Cl.,* 1907, p. 265 seqq.; 1908, p. 631, 793; *Nouv. Rev. Théol.,* 1907, p. 215, 217 seq.; 1908, p. 473.

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA.

DE SINGULIS DECALOGI PRAECEPTIS

PROOEMIUM.

528. — DECALOGUS complectitur DECEM praecepta. Horum praeceptorum ORDO sic exponitur ad mentem D. Thomae (1. 2, q. 100, a. 5): Sicut praecepta legis humanae ordinant hominem ad quamdam communitatem humanam; ita praecepta legis divinae *ordinant hominem ad quamdam communitatem sub Deo.* — Ad hoc autem, quod aliquis in aliqua communitate bene commoretur, DUO requiruntur: quorum *primum* est, ut bene se habeat ad eum qui praeest communitati; *aliud* autem est, ut bene se habeat ad alios communitatis consocios et comparticipes. Unde Decalogus continet praecepta ordinantia hominem ad Deum et ad proximos.

DEO PRINCIPI communitatis *tria* debentur: *fidelitas, reverentia, famulatus.* — FIDELITAS debetur, ut honor principatus ad alium non deferatur: ideo primo dicitur: *Non habebis deos alienos.* — REVERENTIA exigitur, ut nihil injuriosum in eum committatur; unde secundum praeceptum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* — FAMULATUS praescribitur, in recompensationem beneficiorum, praesertim mundi creationis; et ad hoc pertinet tertium praeceptum *de sanctificatione sabbati.*

Ad PROXIMOS autem aliquis bene se habet, et *specialiter* et *generaliter.* — SPECIALITER quidem quantum ad illos quorum est debitor; unde quartum praeceptum *de honoratione parentum.* — GENERALITER autem quantum ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque *opere,* neque *ore,* neque *corde.* — OPERE quidem infertur nocumentum proximis, quandoque quidem in *propriam* personam, quantum ad consistentiam personae, et hoc prohibetur per verba: *Non occides;* quandoque autem in personam *conjunctam,* quantum ad propagationem prolis, unde dicitur: *Non moechaberis;* quandoque autem in *rem* possessam, ideo dicitur: *Non furtum facies.* — Nocumentum autem ORIS prohibetur cum dicitur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* — Nocumentum autem CORDIS prohibetur, cum dicitur: *Non concupisces.*

Digitized by Google

Ex his concludes: 1° *Nulla ponuntur praecepta quae hominem directe* AD SEIPSUM *ordinent.* Hujus praetermissionis, teste *D. Thoma* (l. c. ad 1), ratio est, quia dilectio sui ipsius in dilectione Dei et proximi includitur. Cfr. superius dicta n. 476.

2° *Omnia Decalogi praecepta spectant* AD JUSTITIAM et ad virtutes *justitiae annexas,* nimirum, tria prima praecepta se referunt ad RELIGIONEM, quartum ad PIETATEM, et reliqua ad JUSTITIAM COMMUTATIVAM (ib., a. 11, ad 3).

His praemissis, tractemus per ordinem de singulis praeceptis.

TRACTATUS I.

De primo Decalogi praecepto

Non habebis deos alienos coram me...
(*Exod.*, 20, 3).

529. — Primum praeceptum, vetando ne falsum numen colatur, praescribit cultum, qui vero Deo debetur. Hoc praeceptum est ita generale, ut duo sequentia jam in se includat. Haec tamen *explicite* proposita fuerunt, quia, pro rei gravitate, sanctificatio Nominis divini, et indictio diei divino cultui singulariter consecrandae, specialem promulgationem sibi postulabant (*Cat. Rom.*, de 1° et 3° praec., n. 1).

Hic autem tractandum venit: 1° de virtute religionis in genere; — 2° de actibus religionis primo praecepto imperatis; — 3° de peccatis eidem praecepto oppositis.

CAPUT I.

De virtute religionis.

S. Thomas, 2. 2, q. 81; *S. Alphonsus*, III, tr. 1; ed. G., p. 370; *Suarez*, de Virt. Relig.; *Lessius*, de Just., l. 2, c. 34; *Aertnys*, I. III, tr. 1; *Lehmkuhl*, I, n. 459; *Noldin*, II, n. 131; *Piscetta*, II, tr. 2; *Berardi*, tr. 2, n. 312; *Huby*, Manuel d'Hist. des Relig.

530. — NOTIO. RELIGIO, prout hic sumitur, *definitur:* Virtus moralis, inclinans hominem ad debitum cultum Deo, ut primo omnium Principio et supremo Domino, exhibendum.

Objectum MATERIALE religionis est cultus Deo debitus. — Objectum FORMALE est specialis honestas, quae in illo cultu deprehenditur, ob summam nempe Dei excellentiam.

Virtus religionis tenet inter virtutes morales primum locum, quia, post virtutes theologicas, magis ad Deum accedit. Religionis vinculo unitur homo

Digitized by Google

cum Deo, sed non eodem modo ac in virtutibus theologicis, inquantum homo, exercendo actus religionis, inprimis proclamat se esse a Deo distinctum, Deo Creatori subjectum.

Virtus religionis est specifice una. Habet quidem *varia officia,* continet eminenter *pietatem, observantiam* et *gratitudinem,* habet etiam *varios actus,* ut vovere, orare, etc.: sed haec omnia producit ex uno motivo formali *colendi Deum* (*Lessius,* de Just., l. 2, c. 36, n. 14).

His praemissis, dicemus: 1° de notione cultus; — 2° de cultus sacri speciebus; — 3° de distinctione actuum religionis, quibus debitus Deo cultus exhibetur.

ARTICULUS I.

De notione cultus.

531. — DEFINITIO. Cultus, in genere, est *honor cum submissione praestitus.* Et quoniam honor est signum aestimationis nostrae de excellentia aliena, *cultus* definiri potest: testimonium excellentiae alienae et submissionis propriae (*Polm.,* 2. 2, n. 780 et 781). — HONOR exhibetur non solum Superioribus, sed etiam aequalibus, imo inferioribus, juxta illud Apostoli (*Rom.,* 12, 10): *Honore invicem praevenientes.* Et ipse Deus Sanctis suis honorem praebet. — CULTUS vero tribuitur solis Superioribus, quia includit congruam sui submissionem ad alienam excellentiam. Cfr. n. 554.

DIVISIO. 1° Ratione objecti quod colitur, cultus est *civilis* vel *religiosus,* prout excellentiam naturalem vel supernaturalem respicit.

Cultus civilis dicitur *filialis,* si parentes; *politicus,* si personas in dignitate constitutas respicit. — Cultus religiosus dicitur simpliciter talis, si respicit excellentiam supernaturalem hominis adhuc viatoris, v. gr. sacerdotis, Episcopi, vel etiam singularem sanctitatem demonstrantis. Dicitur autem cultus SACER (strictiori sensu), si respicit excellentiam divinam, sive in se sive inseparabiliter communicatam, uti est beatorum qui cum Deo sunt indivisibiliter conjuncti.

2° Ratione finis intenti, cultus est: *absolutus,* si alicui tribuitur, ob ei inhaerentem excellentiam: v. gr. Deo, vel Sanctis ob eorum dignitatem; *respectivus* seu *relativus,* si tribuitur vel personae, vel rei inanimatae, ob relationem quam habet cum aliqua persona honore digna: v. gr. famulo, intuitu domini; statuae vel imagini, intuitu prototypi.

3° Ratione modi quo tribuitur, cultus est *internus* vel *externus,* quatenus vel internis animae potentiis, vel externis corporis actibus exhibetur.

Cultus autem externus est vel publicus, vel privatus. *a*) PUBLICUS, seu *liturgicus,* ille est, qui exhibetur nomine et auctoritate Ecclesiae, et in forma ab ea praescripta. — *b*) PRIVATUS, cui una ex his conditionibus deest. Sic, v. gr., laicus Officium divinum recitans cultum tantum privatum exhibet: quia, licet formam ab Ecclesia praescriptam servet, non tamen agit nomine et aucto-

Digitized by Google

ritate Ecclesiae. Nec cultus privatus esse desinit, si omnes laici alicujus parochiae, conjunctim in sacra aede, orationes ab Ecclesia probatas recitent: quia non agunt nomine Ecclesiae. Contra, est publicus, licet subdiaconus Officium divinum privatim persolvat: quia hic agit nomine Ecclesiae, et in forma ab ea praescripta (*Kon.*, n. 322).

Nota. Forma ab Ecclesia praescripta duo comprehendit: 1° VERBA, quae sunt vel a Deo, vel ab Ecclesia; — 2° RITUM, seu actionem liturgicam, quae iterum est vel a Christo Domino, ut ritus essentialis sacrificii missae et materia sacramentorum; vel ab Ecclesia, ut varii gestus, inclinationes capitis, etc. — Utrumque ex libris liturgicis et ex decretis S. C. Rituum petendum est, et *nunquam lingua vulgaris* adhibenda est. Vide n. 1742 [1].

ARTICULUS II.

De cultus sacri speciebus.

532. — Duplicem cultus sacri speciem distinguimus, *latriae* scilicet et *duliae,* pro increata vel creata excellentia quam spectat. Quare agemus: 1° de cultu latriae; — 2° de cultu duliae (*Salmant.*, tr. 21, c. 10).

§ 1. De cultu latriae.

DEFINITIO. Cultus LATRIAE (seu *adoratio*) est honor Deo exhibitus propter ejus summam et omnibus superiorem excellentiam, cum protestatione omnimodae nostrae erga eum submissionis.

533. — PRINCIPIA. I. **Solus Deus cultu latriae est colendus.** Constat 1° ex *Matth.*, 4, 10: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies;* — 2° ratione, quia Deus, et ipse solus, habet excellentiam summam et infinitam, nulli creaturae communicabilem.

II. **Sanctissima Christi Domini humanitas, considerata ut conjuncta Verbo, colenda est cultu latriae, absoluto quidem, sed simultaneo cum Verbo.** Idem dicendum est de *speciebus panis et vini* in Eucharistia, quae, ut sacramentaliter unitae Christo Domino, coadorantur. — Vide dogmaticos.

III. **Sanctissimum Christi Nomen, guttae SS. Sanguinis relictae, Crux et alia Passionis instrumenta sunt etiam cultu latriae, sed respectivo, adoranda:** cultu *latriae,* quia Christum repraesentant, vel ei fuerunt aliqualiter conjuncta; *respectivo,* quia solum habent excellentiam extrinsecam.

Idem est de vasis et ornamentis sacris, de ecclesiis, aliisque rebus, aut locis, ad Dei cultum specialiter deputatis. « Eorum cultus reducitur ad cultum latriae, ratione sacrificii, ad quod ordinantur » (III, 132).

534. — Notentur PRO PRAXI sequentia:

I. **Sanctissimus Sanguis,** qui in quibusdam ecclesiis tanquam insignis reliquia servatur, non colitur adoratione absoluta, quia non retinet de facto

[1] Cfr. Conc. Trid., Sess. 22, c. 8, et can. 9; Prop. 86ª damn. Quesnel; Bull. *Auctorem fidei,* XXXIII.

Digitized by Google

unionem hypostaticam (*S. R. C.*, n. 2660; *Collius*, de Sang. Christi, l. V, disp. 8, c. 6).

II. **Vera Crux** duplici titulo adoratur: 1° ut insignis reliquia Christi, etsi in partes minimas minuta; — 2° ut imago Christum crucifixum repraesentans. — Aliae cruces factae ad similitudinem verae Crucis, adorandae sunt ratione repraesentationis tantum (*Salmant.*, tr. 21, c. 10, n. 24).

Quod speciatim *particulam e ligno* SS. CRUCIS attinet, haec sunt animadvertenda: 1° Si loco principe super altari fuerit exposita, transeuntes ante illam unico genu flectere debent, et Missa coram ea tanquam coram incluso Sacramento celebranda est. Sin autem in custodia sit recondita, transeuntes ante eam caput inclinent. — 2° Ubi immemorialis usus id fert, processionaliter sub baldachino, incensantibus duobus thuriferariis, detectoque capite deferri potest. — 3° Post processionem vel expositionem, antequam recondatur, officians eam stans triplici ductu incensat; dein, assumpto humerali et facta unius genu flexione, populo cum ea, nihil dicens, benedicit (*Kon.*, n. 327). — 4° Non licet Feria VI in Parasceve post caeremonias exponere reliquiam S. Crucis, ut maneat exposita usque ad functionem crastinae diei (*S. R. C.*, n. 2740).

535. — III. **Res sacrae**, *lato sensu*, dicuntur omnes res ad Dei cultum pertinentes, licet non sint benedictae, sed quatenus sunt profano hominum commercio subtractae, Deique servitio addictae. Hujusmodi sunt candelabra, lampades, baldachinus, urceoli, vas pro aqua benedicta, etc.

RES *stricte* SACRAE illae sunt, quae per specialem benedictionem (constitutivam scilicet), vel consecrationem (in qua intervenit unctio), ad Dei cultum destinantur. Hujusmodi sunt ecclesiae vel capellae benedictae (loca sacra), altaria, calices, corporalia, vestes sacerdotales, etc. Item biblia sacra, missalia, et similia, quae per se, absque benedictione, sunt sacra (III, 40). Vide infra n. 1444.

1° Res sacrae *cujuscumque generis* reverenter tractari debent. Igitur: *a*) neque ad superstitiosos, neque ad indecentes usus inserviant; — *b*) sint praescriptionibus liturgicis consentaneae, saltem decentes et nitidae. Vide n. 1630 seqq.

2° Res *stricte sacrae* debent cum *speciali reverentia* tractari; nec possunt ad usus profanos, *etsi honestos*, adhiberi. « Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum » (Reg. Jur. in 6°). Vide n. 583.

Cessat haec regula: *a*) Si agatur de rebus *non stricte* sacris, v. gr. de candelis, ramis, aqua, incenso, agno Paschatis et similibus benedictis, quae licite adhibentur ad usum profanum; modo eis non semper et indifferenter sic utaris. — *b*) Si res stricte sacra *totaliter immutetur*, ita ut ad communem materiam redeat: v. gr. si calix igne vel ferro ad communem massam argenti reducatur (III, 40, 41; VI, 94, 371). Cfr. *Gennari*, Consult. mor. can., n. 33.

Quae usui, ad quem destinata sunt, non amplius inservire possunt, *modo decenti* eidem subtrahenda sunt, et quidem: *a*) Ecclesiae dirutae, neque amplius reparabiles, possunt in profanos quidem, sed non in sordidos usus converti; erecta tamen ibi cruce, ut praescribit Tridentinum (Sess. 21, c. 7): nisi timeatur sacrilegium; quo casu ponatur saltem commemorativum epigramma. — *b*) Comburenda sunt (et cineres in sacrarium projiciendi) singulis annis olea sacra; item, paramenta, postquam detrita sunt, nisi forte ad alia conficienda aut resarcienda adhibeantur. — 3° Aqua baptismalis, Sabbato sancto et in vigilia Pentecostes, postquam nova benedicta fuit, effundenda est in sacrarium.

Digitized by Google

§ 2. De cultu duliae.

536. — Definitio. Cultus duliae (seu *veneratio*) significat cultum, quo contestamur nostram reverentiam et submissionem erga creaturas sanctas, ob excellentiam supernaturalem gratiae et gloriae, ipsis intrinsecam (*S. Alph.*, in Trid., Sess., 25, de Invoc. SS.).

Nota. Personis sanctis convenit quidem reverentia duplex: 1° ***latriae respectivae,*** ob earum excellentiam extrinsecam, quia excellentiam divinam (melius quam res aut loca sacra) repraesentant et continent; — 2° ***duliae absolutae,*** ob earum excellentiam intrinsecam. — In praxi vero, ob periculum erroris, nec Sancti, nec ipsa B. Virgo adorantur, saltem explicite, cultu latriae respectivo (*S. Thom.*, III, q. 25, a. 5). Irreverentia tamen erga ipsos, et maxime blasphemia, redundat in ipsum Deum, cujus sunt servi, amici, filii, etc. (cfr. n. 596). Similiter veneratio Sanctis exhibita implicite et virtualiter Deum honorat; et sic pertinet, late loquendo, ad virtutem religionis.

Divisio. Ratione gradus excellentiae participatae, distinguitur dulia dupliciter. Datur *dulia simplex,* quae respicit excellentiam supernaturalem creatam, omnibus Sanctis quasi *communem.* — Datur ***hyperdulia,*** quae respicit excellentiam creatam quidem et finitam, sed *singularem* et valde eminentem.

537. — Principia. I. **Beatissima Virgo Maria veneranda est cultu absoluto hyperduliae.** Est communis catholicorum sententia. Habet enim B. V. Maria singularem ac prorsus ineffabilem dignitatis et sanctitatis eminentiam, « quam, praeter Deum, nemo assequi cogitando potest » (Bulla *Ineff.* Pii IX). Unde Ecclesia frequentius, instantius, majori cum solemnitate B. V. Mariam quam Sanctos et angelos deprecatur. Cfr. *Müller,* l. 2, § 46.

538. — II. **Sancti et angeli venerandi sunt cultu duliae simpliciter dictae.** Est enim de fide definitum a Concilio Nicaeno II et a Tridentino, omnes Sanctos esse veneratione aliqua colendos.

Adest tamen aliqua differentia in cultu qui ipsis tribuitur (cfr. n. 531). Et quidem:

1° Sanctis canonizatis debetur cultus sacer et publicus; quia, per infallibile Ecclesiae testimonium, jam certificati sumus eos cum Christo in coelis regnare; ideoque ipsorum animas et corpora, tanquam vere et proprie sacra, colere debemus.

2° Beatificatis exhibetur idem cultus sacer et publicus, sed magis limitatus, qualis nempe determinatur, vel consuetudine, si eorum cultus sit immemorabilis, vel Indulto Pontificio, si via ordinaria procedatur. Si quis autem, in aliis ecclesiis aut locis a S. Pontifice non designatis, de Beato celebraret, peccaret graviter, quia loci mutatio est transgressio decreti in re gravi (*Bened. XIV*, de Beatif., l. I, c. 39, n. 12).

3° Viris aut feminis cum opinione sanctitatis mortuis, nondum tamen beatificatis, nullum publicum cultum exhibere licet; cultus tamen *privatus*

Digitized by Google

religiosus ipsis licite defertur. « Imagines eorumdem (Decr. auth., n. 3835).... neque altaribus utcumque imponi possunt neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis, aliisque sanctitatis signis; possunt tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus Ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quid profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni ». Insuper, ex novo decreto, 13 Aug. 1913, solum post recognitam virtutum heroicitatem, Servus Dei titulo *Venerabilis* est ornandus. — Orationes vero in honorem Servi Dei semper approbatione Ordinarii indigent (*A. A. S.*, VI, p. 192).

III. **Sanctorum reliquiae, statuae, etc. eadem veneratione colendae sunt ac personae, quarum sunt reliquiae, etc., sed cultu respectivo.** Constat ex Trid., Sess. 25, ubi de cetero subjungitur: « Illud diligenter doceant Episcopi..., ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi ».

Pro praxi, notentur sequentia:

539. — I. De SS. Reliquiis. 1° Reliquiae Sanctorum sunt: *a*) *Strictiori sensu,* eorum corpora et corporis partes, etiam minimae; item oleum aliusve liquor ex iis quandoque fluens; — *b*) *latiori,* omnia, quibus Sancti in vita usi sunt, ut vestes, libri, instrumenta poenarum et mortificationum; — *c*) *latissimo,* omnia quae vel corpus, vel sepulchrum, aliasve reliquias Sancti tetigerint; itemque oleum e lampade ante sepulchrum appensa, et pulvis e loco ubi asservantur.

2° Reliquiae *insignes* Sanctorum sunt, praeter corpus integrum, caput, brachii pars anterior vel pars superior; aut cor, lingua, manus si ex miraculo intactae conserventur, crus (non ossa femoris) aut illa pars corporis, in qua martyr passus est, modo sit integra et non parva (*S. R. C.*, n. 430, 555, 4041).

3° Reliquiae Sanctorum, non *religioso* tantum, sed *sacro* etiam cultu venerandae sunt; non vero *publico,* nisi ab Ordinario loci, ubi colendae sint, earum authenticitas probata fuerit, idque, licet Romae aut ab alio Episcopo jam recognitae fuerint [1].

4° Asservandae sunt reliquiae solummodo in ecclesia, nunquam tamen in tabernaculo. Si agatur de reliquiis parvis ac thecis inclusis, etiam privatis hodie usus concedi solet.

5° Exponi possunt reliquiae venerationi fidelium. *Collocandae autem non sunt: a*) supra tabernaculum, in quo SS. Sacramentum asservatur, ita ut tabernaculum eis pro basi inserviat; — *b*) ante ejusdem tabernaculi ostiolum, aut alio modo, quo simplices induci possint ad reliquias pro SS. Sacramento adorandas; — *c*) cum Sanctissimo ubi in eodem altari exponitur. — Si exponuntur, continuo ardeant in altari duo lumina. Exponens et reponens, superpelliceo sit indutus, nec non humerali, si populo cum reliquiis benedicat. Benedictio autem fieri debet sine cantu, sine formula benedictionis, incensatis, thure non benedicto, duplici ductu reliquiis.

6° In processionibus, reliquiae Sanctorum canonizatorum deferri possunt; at: *a*) non sub baldachino; — *b*) aperto capite (Episcopus tamen cum mitra); — *c*) non in processione SS. Sacramenti, nisi vi indulti, aut consuetudinis.

7° De Sancto, cujus certo habetur insignis reliquia, potest fieri Officium et celebrari missa, dummodo reperiatur in Martyrologio Romano.

[1] Omnes norunt, quandoque defuisse, quoad certas reliquias Christi vel Sanctorum, prudentem et criticam recognitionem. Cfr. *Bolland.*, 1 Jan.; *Grisar,* Christusreliquie.

Digitized by Google

540. — II. De SS. Imaginibus. 1° Inter sanctas imagines, specialius coli possunt: *a)* benedictae; — *b)* illae quae una reliquiae sint, ut imago B. V. M., quae a S. Luca dicitur depicta; — *c)* quae miraculis sint clarae, earumque copiae.

2° In ecclesiis *exponi non licet* imagines ab Ecclesiae sensu et decretis difformes (*Bened. XIV*, Const. *Sollicitudini*). — *Ecclesiae sensui adversantur* tum imagines rudibus periculosi erroris occasionem praebentes, quales tamen generaliter non sunt imagines SSmae Trinitatis; tum imagines in quibus profanum aut inhonestum aliquid appareat.

3° Quo efficacius hae leges serventur, Conc. Trid. (Sess. 25) statuit nullam insolitam imaginem exponi posse nisi ab Episcopo approbata fuerit. Et Leo XIII Const. *Officiorum* (tit. 1, c. VI, n. 15), de imaginibus quibuscumque etiam privata tantum devotioni inservientibus haec edixit: « Imagines quomodocumque *impressae* D. N. J. Chr., B. M. V., Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes *omnino vetantur*. Novae vero, sive preces habeant adnexas sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur ». Quod si novae imagines, hac lege non servata, imprimantur, peccat quidem editor, ast fideles earum usu non prohibentur.

4° Coluntur SS. Imagines eodem modo ac reliquiae, excepto quod cum ipsis non datur benedictio; nec de iis, nisi specialiter concessum fuerit, Officium fiat aut missa celebretur. In processione cum SSmo Sacramento, extra casum indulti vel consuetudinis, non deferantur (*Salmant.*, tr. 21, c. 10, n. 81).

ARTICULUS III.

De distinctione actuum religionis.

Actus religiosi a virtute religionis vel eliciuntur, vel imperantur.

541. — I. Actus ELICITI seu *proprii* religionis sunt: devotio, oratio, adoratio, sacrificium, oblationes, primitiae, decimae, votum, juramentum, adjuratio, laus Dei (2. 2, q. 82 seq.; q. 87, a. 1, ad 5).

Convenienter enim assumuntur ad Dei cultum ea *quae sunt hominis* (bona corporis et animae, bona externa) et ea *quae sunt Dei* (auctoritas, fidelitas et perfectio Dei infinita). Cfr. *Grassi*, de Virt. Relig.

II. Actus IMPERATI religionis sunt omnes actus, qui ab alia virtute eliciuntur, et simul ex motivo religionis perficiuntur. Sic, v. gr., jejunia in honorem Dei vel Sanctorum suscepta, aut ab Ecclesia in praeparationem ad solemnitates ordinata, sunt actus a temperantia eliciti, imperati autem a religione.

Ad actus imperatos religionis etiam referri possunt *actus eliciti* a FIDE, SPE et CARITATE; nam religio recte potest ad cultum Dei dirigere actus, qui ad hunc finem jam ex se tendunt, juxta illud *D. Augustini* (Enchir., c. 3, n. 1): « Colitur Deus fide, spe et caritate ».

Digitized by Google

CAPUT II.

De actibus religionis primo praecepto imperatis.

S. Thomas, 2. 2, q. 82; *S. Alphonsus*, H. Ap., App. 4; Op. de magno Orationis medio (ed. Walter, II, p. 633); *S. Franc. Sales*, Philothea; *Polman*, 2. 2, n. 815; *Herrmann*, Inst. dogm., 942, 1226; *Tanquerey*, I, n. 862 seqq.; *Vermeersch*, Quaest. de Virt. Relig., n. 9 seqq.

542. — Ad primum Decalogi praeceptum spectant illi religionis actus, quibus Deo FIDELITAS praestatur (n. 528), seu quibus profitemur supremum Dei in nos dominium et omnimodam nostram ab eo dependentiam, ei subjiciendo animam, corpus et bona externa. Jamvero animam Deo subjicimus per DEVOTIONEM et ORATIONEM, corpus per ADORATIONEM, cetera bona per SACRIFICIUM, OBLATIONES, PRIMITIAS et DECIMAS. De sacrificio alibi dicemus. Quare agemus: 1° de devotione; — 2° de oratione; — 3° de adoratione necnon de oblationibus, primitiis et decimis.

ARTICULUS I.

De devotione.

543. — DEVOTIO sumitur in duplici sensu: 1° pro generali conditione omnium actuum religionis, et sic est promptitudo voluntatis se trahendi ad Dei famulatum; — 2° pro speciali actu, sic est interna sui *oblatio* et *traditio* ad Dei famulatum. Devovere enim idem est ac consecrare seu offerre, et mancipare se alteri.

Obligatio actus devotionis quandoque urget *per se;* actuum vero frequentia difficillime determinari potest, cum nullum tempus sit ad ejus obligationem assignatum. — Haec obligatio urget *per accidens:* 1° quando adest grave periculum vitii oppositi scilicet acediae in rebus spiritualibus; — 2° quando alios actus virtutum elicere tenemur, ad quos eliciendos necessaria est ipsa devotio, ut sunt actus fidei vel adorationis, auditio sacri, etc. (*Salmant.*, tr. 21, c. 9. n. 7).

544. — FONS devotionis, ex parte nostri, est meditatio: *a*) Bonitatis divinae: ex hac enim consideratione excitatur dilectio, quae est causa proxima promptitudinis voluntatis. — *b*) Miseriae nostrae, quam si consideramus, erumpimus in orationem ferventem et efficacem, eo magis quod hujusmodi consideratio excludit praesumptionem.

545. — EFFECTUS devotionis duplex est. Primus est spiritualis *laetitia*, ex consideratione Bonitatis divinae et beneficiorum ejus; juxta illud (*Ps.* 76, 4): *Memor fui Dei, et delectatus sum.* — Alter effectus est salutaris quaedam *tristitia* secundum Deum, ex consideratione nostrae miseriae (2. 2, q. 82, a. 4).

Digitized by Google

Nota. Laetitia (delectatio) *substantialis* et *intellectualis* adest semper in omni actu fervido devotionis. Laetitia vero *sensibilis* et *accidentalis* saepe deest. — « Male faceret, ait *S. Alphonsus* (Prat. d'amar G. C., c. 17, § 2), qui consolationes spirituales (laetitiam sensibilem) respueret; ut faciendum esse docebant quidam pseudomystici ». Cfr. *S. Franc. Sales,* Philot., P. IV, c. 13.

ARTICULUS II.

De oratione.

546. — DEFINITIO. Oratio, late sumpta, prout comprehendit etiam meditationem, laudem, gratiarum actionem, etc., est *elevatio mentis in Deum* (IV, 117; *Polm.,* 2. 2, n. 819).

Stricte sumpta, seu PRECATIO, est « petitio decentium a Deo » (*S. Joann. Dam.*, de Fide orth., l. 3, c. 21; *Billuart,* de Relig., d. 2, a. 2). *Petitio,* i. e. explicatio desiderii ad aliquid impetrandum; *decentium,* i. e. rerum quae honestae sunt, et quas Deum nobis tribuere decet; *a Deo,* vel immediate, vel mediate, quando scilicet ad Sanctos nostra oratio dirigitur. — Precatio igitur imperatur a spe, elicitur a virtute religionis.

DIVISIO. Distinguitur oratio: 1° ratione modi, in *mentalem* et *vocalem:* prior fit sola mente; posterior peragitur mente et verbis: nam si solis verbis fiat, non est oratio; — 2° ratione precantis, in *publicam* et *privatam:* publica est, quae fit nomine Ecclesiae, pro salute populi, a ministro ad id deputato; privata, quae fit ab unoquoque separatim, sive pro se, sive pro alio (cfr. 531, 3°).

547. — PRINCIPIA. I. **Oratio (qua precatio) omnibus adultis necessaria est necessitate praecepti, quin etiam necessitate medii.** 1° NECESSITATE PRAECEPTI. Constat ex innumeris S. Scripturae locis, v. gr. (*Marc.,* 14, 38): *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem;* et (*Luc.,* 18, 1): *Oportet semper orare et non deficere.* — Ipsa natura docet nos orare, cum sumus in necessitate: et ideo qui nunquam Deum orat, peccat contra legem naturalem. — 2° NECESSITATE MEDII. Etenim, sine oratione, juxta divinae Providentiae ordinationem, salus obtineri nequit. Nam, una ex parte, nihil possumus in ordine ad salutem, absque auxilio gratiae, dicente Domino (*Joann.,* 15, 5): *Sine me nihil potestis facere;* altera ex parte, Deus nonnisi rogatus gratias suas elargitur, juxta illud (*Joann.,* 16, 24): *Petite et accipietis;* et (*Iac.,* 4, 2): *Non habetis, propterea quod non postulatis* (Gran mezzo, c. 1 et 3, § 3).

En igitur *lex* et *oeconomia* NOSTRAE SALUTIS. Primae gratiae (ut sunt gratia vocationis ad veram fidem, gratia conversionis, et ipsa gratia precandi) saepe numero sine praevia precatione tribuuntur; sed ulteriores gratiae, quibus difficiliora Dei praecepta observari et graves tentationes superari possunt, et praesertim auxilia illa *efficacia,* a quibus nostra finalis perseverantia dependet,

Digitized by Google

nonnisi orantibus, et quidem assidue, perseveranter et fiducialiter, conceduntur. — Errant igitur, qui, cum fautoribus Americanismi, totam fiduciam ponunt in virtutibus, quas *activas* nuncupant, et virtutes *passivas* (orationem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem) despiciunt. Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, 1899, p. 165.

548. — II. Oratio, debitis praedita conditionibus, habet infallibilem efficaciam, ex Dei promissione. Verba Domini clara sunt: *Petite, et accipietis* (*Joann.*, 16, 24). Et passim similia. — Nec refert utrum orans sit justus, an peccator: *Omnis enim, qui petit, accipit* (*Luc.*, 11, 10). Quando igitur peccatores non exaudiuntur, hoc evenit, quia *male*, i. e. praetermissis debitis conditionibus, orant. Unde S. Jacobus (4, 3): *Petitis, et non accipitis: eo quod male petatis.*

CONDITIONES autem, ex parte orantis requisitae, sunt quatuor[1]:

1° *Ut petat pro se ipso;* dicit enim Dominus: *dabit vobis;* et ratio est, quia orans pro se, eo ipso quod bene orat, est jam dispositus ad recipiendam gratiam. Quod non semper dici potest de proximo, pro quo quis orat. Ita *S. Thomas* (2. 2, q. 83, a. 7, ad 2). — Multi tamen DD. censent, orationem, etiam vi divinae promissionis, infallibiliter efficacem esse, etsi factam pro peccatoribus, modo non sint ita obstinati, ut intendant vivere in peccato usque ad mortem.

2° *Ut petat conducentia ad salutem.* Ait enim Dominus: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo...* (*Joann.*, 16, 23). Porro, juxta *S. Augustinum* (tr. 102 in Joann., init.): « Non petitur in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis ». — Licet quidem *bona temporalia* petere ac desiderare, at conditionate, supposito nempe quod sint nobis salutaria[2].

3° *Ut pie petat,* i. e. cum *humilitate* et *fiducia.* Scriptum est enim (*Jac.*, 4, 6): *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et (*Eccli.*, 2, 11): *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* — Unde *S. Thomas:* Oratio habet vim merendi a caritate, efficaciam vero impetrandi a fide et fiducia (l. c., a. 15, ad 2).

4° *Ut petat perseveranter;* juxta illud (*Luc.*, 18, 1): *Oportet semper orare et non deficere.* Et c. 11, 9, docemur, non tantum esse petendum, sed et quaerendum et pulsandum, donec aperiatur. Unde *D. Thomas:* « Effectus orationis potest impediri, si in petendo quis non perseveret » (ib., ad 2). — Signanter, ad impetrandam FINALEM PERSEVERANTIAM, perseverantia in orando necessaria est; quia catenae gratiarum, quibus Deus vult nos salvos fieri, ex parte nostra, precationum catena respondere debet.

Duo notanda sunt: *a*) Quamvis ad impetrandam gratiam efficacem oratio fervida requiratur, tepida tamen oratione impetramus spiritum ferventioris orationis (Verità della fede, P. II, c. 17, n. 19). — *b*) Orationi publicae promittitur specialis efficacia; dicitur enim (*Matth.*, 18, 20): *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

549. — QUAERITUR. *Quandonam obliget orandi praeceptum?*

Resp. Oratio considerari potest, ut actus virtutis in se eximiae. Saepius tamen consideratur ut actus virtutis quae relate ad bona salutis

[1] *S. Alph.*, Gran mezzo, c. 1; Op. in Trid., Sess. 6, n. 142 seqq.; Vera Sposa, c. 20; Inst. cat., P. I, c. 1, n. 32, etc. — [2] Ordinem petendorum perfecte exprimit Oratio Dominica; cfr. *S. Thom.*, 2. 2, q. 83, a. 9.

Digitized by Google

est *medium* a Deo constitutum. Unde dicimus: 1° Obligat PER SE: *a*) initio usus rationis; — *b*) in articulo mortis; — *c*) saepius in anno, imo *frequenter;* unde *S. Alphonsus* cum Suaresio et Lessio aestimat esse peccatum per se grave, si quis per notabile tempus, i. e. per unum, aut certe per duos menses, Deo sese commendare omittit (Inst. cat., P. I, c. 1, n. 32; Gran mezzo, P. I, c. 3, § 3).

2° Obligat PER ACCIDENS: *a*) in statu peccati mortalis, ad impetrandam gratiam poenitendi sicut oportet; — *b*) quando gravis insurgit tentatio, quae aliter vinci nequit; vel si urget aliquod praeceptum, ad quod implendum necessaria est oratio; — *c*) in magna calamitate proximi, vel populi (III, in princ.).

Hinc patet, omissionem ***precum matutinarum*** ac *vespertinarum* nullum per se peccatum constituere, licet vel ab ipsius Ecclesiae exordio sacrosancta haec precandi consuetudo increbuerit. — Verum, animarum pastores debent magnam eo conferre diligentiam, ut christifideles hujus consuetudinis sint retinentissimi. Nisi enim sancte retineatur, brevi eveniet ut anima, speciali Dei auxilio destituta, viam perditionis ingrediatur. — Imo non vacaret culpa, si quis ex proposito statueret, nec mane nec vespere orare. Talis enim homo quando orabit? Cfr. *Lehmkuhl,* I, 484.

Notentur sequentia: 1° Verba Domini: OPORTET SEMPER ORARE, significant frequenter orandum esse, tempore opportuno, et nunquam cessandum ex animi dejectione; vel etiam, actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas (cfr. n. 307).

2° *Distractus voluntarie in oratione* per se peccat venialiter, nisi forte justa causa excuset. Irreverenter enim se habet erga Deum (*Elbel,* de Orat., n. 419). — Ast « nullum peccatum est, si quis non tam intendat orare, quam verba precum recitando, pio exercitio se occupare; quia non formaliter, sed materialiter tantum orat: v. gr. quum quis manibus laborans psalmos aliasve preces recitat aut cantat, non animo orandi, sed cavendi cogitationes vanas, vel se recreandi » (V, 84). Attamen, cum oratio sic facta etiam quoddam religionis exercitium sit, patet quod non destituatur omni merito.

3° Praeter Deum, orare possumus *Sanctos,* et multum probabiliter privatim invocare animas quae in Purgatorii flammis expiantur; pie enim credi potest nostras orationes ipsis manifestari. Et pariter invocari possunt infantes baptizati, qui, ante usum rationis, in beatam Patriam commigrarunt (Gran mezzo, P. I, c. 1; Opus in Trid., Sess. 25, n. 32).

4° Invocatio Sanctorum est de praecepto *respectu communitatis* (seu Ecclesiae): cum jubeatur in Officio publico et in Missa. Nulla autem lege positiva praecipitur singulis fidelibus. — Non est tamen improbabile, eam praecipi lege naturali aut divina: « quia lege naturali tenemur eum ordinem observare, quem Deus instituit; at constituit Deus, ut ad salutem inferiores perveniant, implorato superiorum subsidio » (Gran mezzo, l. c.).

5° Invocatio B. V. MARIAE in specie est unicuique, non absolute quidem, sed *moraliter necessaria* ad salutem; « quia sic est voluntas Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam » (cfr. Glorie di Maria, c. V). Docet insuper *S. Alphonsus,* « moraliter impossibile esse, ut anima multum in perfectione proficiat, sine particulari quadam et tenera devotione erga Sanctissimam Dei Genitricem » (H. Ap., App. I, in fine).

Digitized by Google

6° Orandum est, de se *ex caritate,* pro omnibus qui oratione juvari possunt, et quos diligere jubemur (cfr. n. 476). Debemus igitur orare etiam pro animabus, quae in Purgatorii igne expiantur. — Huic obligationi satisfit orando *privatim.* — Quod spectat ad orationem *publicam,* vide dicenda n. 1600 seqq.

ARTICULUS III.

De adoratione necnon de oblationibus primitiis ac decimis.

550. — I. ADORATIO, *generice sumpta,* idem fere sonat ac ipse CULTUS, et dividitur ut supra n. 531. — In sensu strictiori (ut saepe in catechismis), pro solo cultu latriae usurpatur. — In *sensu proprio,* est specialis religionis actus, sive internus sive externus, quo Deo latriae cultus exhibetur (2. 2, q. 84, a. 2).

Duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quae consistit in interiori mentis devotione, et corporalem, quae consistit in exteriori corporis humiliatione.

Externa adorationis signa non sunt ejusmodi ut necessario cultum latriae significent; quare, ex intentione adorantis, ad latriae, vel hyperduliae, vel duliae cultum determinari debent. Porro talis intentio simul cum actu externo, v. gr. genuflexione, praecipi potest. — Unum tamen, nempe sacrificium, est signum quod adorationi latriae est proprium.

551. — II. OBLATIONES, *in sensu lato,* sunt id omne quod offertur Ecclesiae; quo sensu etiam primitiae et decimae comprehenduntur. — *Stricte sumptae,* sunt res, quas fideles, intuitu religionis, immediate offerunt Deo, ut in usum Ecclesiae vel Ecclesiae ministrorum cedant.

a) Istae oblationes sunt natura sua voluntariae, juxta illud *Exodi,* 25, 2: *Ab omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas.* — *b*) Possunt fieri *obligatoriae:* vel ex promissione aut voto; vel ex indigentia ministrorum Ecclesiae; vel ex consuetudine legitima; vel ex praescriptione, ut si parochus longo tempore (puta decennio) hujusmodi oblationes tanquam sibi debitas bona fide exegerit, parochianis non reclamantibus. — *c*) Potest Episcopus *sub gravi* adigere parochos ad colligendas, sive per se, sive per alios, oblationes fidelium, imo inobedientes punire et a paroecia removere. S. C. Cons., 22 Apr. 1911 (*A. A. S.,* III, p. 277). Cfr. *Ami du Clergé,* 1911, p. 690; 1913, p. 166; *Nouv. Rev. Théol.,* 1912, p. 36. — Alia vide infra, n. 1642, 2°.

Nota. Ut sciatur *ad quem pertineant oblationes,* attendendum est ad usum locorum, et maxime ad intentionem offerentium.

552. — III. PRIMITIAE sunt primi fructus, ex terris noviter cultis provenientes, Deo, ut largitori omnium bonorum, ejusque Ecclesiae ministris, semel tantum offerendi.

Olim erant solvendae ex praecepto juris ecclesiastici, ut constat ex canone *Praeter,* dist. 32; sed hodie fere ubique obsoleverunt.

Digitized by Google

553. — IV. DECIMAE sunt decima vel alia quota pars fructuum et proventuum juste acquisitorum, Deo in testimonium supremi ejus dominii debita, et ministris Ecclesiae solvenda.

1° In nova lege, decimae, *quoad substantiam* spectatae, id est quatenus sunt necessarium stipendium ministrorum Ecclesiae, debentur jure naturali et divino, juxta illud (*Luc.*, 10, 7): *Dignus est enim operarius mercede sua;* — spectatae vero *quoad determinationem quantitatis,* sunt juris duntaxat ecclesiastici (*S. Alph.*, de Privil., n. 87-84).

2° Solutio decimarum, quatenus fit ob Dei cultum atque in signum supremi ejus dominii, est actus *religionis.* — Quatenus autem spectatur tanquam debita Ecclesiae ministris, nobis spiritualia praebentibus, est actus *justitiae* (Conc. Trid., Sess. 25, c. 12, de Ref.). — Hinc qui fraudant decimas (vel pensiones loco decimarum a gubernіis assignatas), peccant tum contra religionem, tum contra justitiam, etsi non sint sacrilegi (III, 31, q. 4).

3° Decimarum obligatio potest *cessare: a*) Privilegio Pontificis aliquos eximentis. — *b*) Consuetudine legitima; modo secus tribuatur pars congrua, quae debetur jure naturae. — *c*) Remissione facta ab eo, cui debentur, modo renuntiare valeat. — *d*) Transactione, seu compositione pontificia, pro futuris decimis.

4° In plerisque regionibus, obligatio solvendi decimas *praediales* de facto CESSAVIT, vel consuetudine, vel compositione sive cum privatis sive cum gubernіis, v. gr. per concordata, imposito convenienter sustentandi clerum onere. — In Italia, sustentatio, quam praestat gubernium, toleratur ut retributio laboris personalis, non vero ut compensatio peractae usurpationis.

5° Loco decimarum *personalium,* quae jamdudum obsoleverunt, vigent nunc JURA STOLAE, v. gr. quarta funeraria (cfr. n. 2279).

Nota. Decimis comparanda est *taxa cultus,* quae hodie in Gallia fidelibus imponitur. Cfr. *A. S. S.*, vol. 41, p. 39; *Ami du Clergé,* 1909, p. 254, 631, 1150.

In Americae Septent. Statibus prohibitum est, ad portas ecclesiae ab introeuntibus pecuniam per modum taxae percipere (*Conc. Plenar. Baltim.*, III, n. 397; *Nouv. Rev. Théol.*, 1912, p. 36).

CAPUT III.

De peccatis primo praecepto oppositis.

S. Thomas, 2. 2, q. 92 seqq.; *S. Alphonsus*, III, n. 1-29; ed. G., I, p. 370; *Salmanticenses*, tr. 21, c. 11; *Billuart*, Diss. VII, VIII; *Aertnys*, l. 3, n. 7; *Lehmkuhl*, I, n. 488; *Tanquerey*, I, n. 894; *Ami du Cl.*, Etude sur le Démonisme, 1902, 1904; *Walter*, Der Aberglaube; *Linz. Quart. Schr.*, 1907, p. 517; *Schneider*, Der neuere Geisterglaube.

Sicut per primum praeceptum actus praescribuntur, quibus Deo *animam, corpus* et *bona,* tanquam supremo Domino subjicimus: ita per illud, ex contraria parte, PROHIBENTUR tum actus quibus honor principatus ad alium defertur vel nimius evadit, uti fit per varias *superstitiones;* tum illi *irreligiositatis* actus quibus talis honor Deo debitus simpliciter *deficit.* — Unde tractemus: 1° de superstitione; — 2° de irreligiositate.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De superstitione.

554. — NOTIONES. *Superstitio* definitur: Vana seu falsa religio, exhibens Deo cultum indebitum. — Opponitur religioni per excessum, « non quia plus exhibet cultum divinum quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet » (2. 2, q. 92, a. 1). Sic cultus excedere potest tum ex parte *modi,* tum ex parte *objecti;* unde duplex superstitio *distinguitur,* videlicet: 1° superstitio *cultus indebiti;* — 2° superstitio *rei cultae* (III, 2).

I. Superstitio CULTUS INDEBITI est cultus, qui vero quidem Deo exhibetur, sed modo incongruo; quia nimirum cultus qui defertur vel falsus est vel superfluus.

Cultus *falsus* ille est, qui habet significationem falsam, ut si quis Deum coleret per caeremonias veteris Legis, v. gr. circumcisionem, immolationem agni, etc., quia haec significant Christum adhuc venturum et nondum venisse; vel si quis ad augendam populi devotionem falsa miracula narraret, aut falsas reliquias proponeret. — Istiusmodi cultus est *peccatum per se grave;* quia fundat religionem in mendaciis, imo vera miracula, etc. dubio exponit.

Cultus vero *superfluus* ille est, quo Deus colitur modo ab Ecclesia non approbato, vel ab ejus praxi plane alieno. Ita, v. gr., si nolles orare, aut Missam audire ante solis ortum; vel si in Missa aut in Officio canonico aliquid adderes a rubricis non praescriptum; vel si cerei certo ordine deberent disponi; vel si jejunares die dominica cum non jejunas aliis diebus, aut a quibusdam indifferentibus operibus die sabbati abstineres, etc. Talis cultus superfluus, seclusis scandalo, contemptu vel vana observantia, *non excedit culpam venialem,* quia materia est levis, nec actiones illae in se malae sunt.

555. — II. Superstitio REI CULTAE, seu *cultus falsi numinis,* habetur cum cultus Deo debitus falso deo, vel creaturis, defertur.

Haec superstitio, secundum diversos cultus divini fines, in *diversas species* subdividitur. Cum enim, teste *D. Thoma* (2. 2, q. 92, a. 2), divinus cultus eo spectet, ut homo Dei *excellentiam, scientiam, auxiliarem interventum practice agnoscat,* triplex ille finis triplici superstitionis specie perverti potest, nimirum: 1° *idololatria,* quando reverentia excellentiae, Deo soli debita, exhibetur creaturae; — 2° *divinatione,* quando scientia investigatur apud daemonem; — 3° *vana observantia,* quando, adjutorii causa, ad eumdem daemonem recurritur. — Et quoniam ad eum etiam recurri potest, ad nocumentum proximo inferendum, hinc propter adjunctam malitiam injustitiae, habetur: — 4° *maleficium.*

De singulis nunc sermo instituendus est.

Digitized by Google

§ 1. De idololatria.

556. — Definitio. Idololatria est superstitio, qua tribuitur honor creaturae tanquam Deo.

Id vero fit quovis signo honoris, quo quis creaturae, tanquam Deo, se submittere intendit, v. gr. genuflexione, suffitione, detectione capitis coram idolo. Sic idololatria gentilium erat daemonum cultus, ut dicitur (*Ps.* 95, 5): *Omnes dii gentium daemonia.*

Divisio. Idololatria, ratione affectus, est duplex: altera materialis sive *simulata,* ut cum quis sine interno affectu, ex metu mortis, cultum idolo exhibet; altera formalis ac propria, haecque est vel *perfecta,* ut cum quis adorat idolum, quod *ex infidelitate* putat esse Deum; vel *imperfecta,* cum quis, vel *ex odio Dei,* vel ex affectu aliquid a daemone aliave creatura obtinendi, ipsi quasi Deo cultum defert.

Hinc deduces: 1° Idololatria, etiam materialis et ficta, est grave et mortale peccatum; quia est mendacium perniciosum, et contra religionem, ac saepe etiam contra praeceptum fidem externe profitendi (cfr. n. 429). — 2° Idololatria imperfecta, ob malitiam voluntatis, est peccatum gravius quam perfecta (III, 12, 13).

§ 2. De divinatione.

557. — Definitio. Divinatio est species superstitionis qua quis scientiam daemonis invocat, ut noscat res contingentes et libere futuras, aliterve occultas, soli Deo pervias.

Cum autem divinatio (qua cultus daemonis) ex pacto quodam *expresso* vel *tacito* cum daemonibus procedat, operae pretium erit disserere: 1° de pacto hominis cum daemone; — 2° de variis divinationibus in particulari. — Cfr. 2. 2, q. 95, a. 2 ad 2, et a. 3.

1. *De pacto hominis cum daemone.*

Pactum cum daemone est conventio seu omne id quo quis utitur ad cultum daemonum, i. e. ad agnoscendam eorum excellentiam et sui submissionem.

558. — Principia. I. **Homo plura, ope daemonis, quam solis propriis viribus, potest.** Angeli enim hominibus praestantiores sunt, tum facultate cognoscendi, tum potestate operandi; et angelica natura in daemonibus quidem per peccatum depravata, non vero ablata vel imminuta fuit (1, q. 64, a. 1). — Attamen id quod obtinetur, ope daemonis, est tantum praeternaturale.

Hinc: 1° Quoad cognitionem, daemones in mentem hominis facile revocant *praeterita;* manifestant *praesentia occulta,* quae exterius prodita sunt,

Digitized by Google

etiam multum distantia; imo, praenoscunt *futura* innumera, tum per conjecturam, tum etiam cum certitudine ex causis naturalibus. Non tamen cognoscunt cogitationes et volitiones secretas et occultas animae nec mysteria gratiae (1. 2, q. 57, a. 5; *Müller*, l. 2, § 69, 4°).

2° Quoad OPERATIONEM, possunt movere corpora; sibi corpora assumere, vel ex aere et vaporibus formata, vel etiam vera, quae non vivificant quidem formaliter, sed gerunt ut motores. — Possunt excitare hominis vim imaginativam, aut vim appetendi sensitivam, sicque homines concitare ad odium, vel libidinem: imo, possunt mutare sensus nostros, v. gr. oculos, ut aliquid aliter videatur quam est. Uno verbo, possunt innumera efficere, ad hominum deceptionem et perniciem (1. 2, q. 80, a. 2). Attamen, ait *S. Augustinus:* « Nec daemones aliquid operantur nisi ille permiserit, cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla » (de Civit. Dei, l. 18, c. 18, n. 2).

559. — II. Effectus praeternaturales obtineri solent per pactum cum daemone. Pactum cum daemone esse potest: 1° *explicitum,* quando quis verbis eum invocat, vel facto aliquid usurpat, per quod scit aut putat illum cooperari; — 2° *implicitum* seu *tacitum,* quando quis mediis vanis et naturaliter improportionatis utitur, ad aliquid cognoscendum, vel efficiendum.

« Neque requiritur ut daemon aliquando pactus sit, se ad talis vani medii adhibitionem concursurum; eo enim ipso, quod quis vanitatibus iis utitur, daemon se immiscet, licet praeter intentionem utentis sit eum invocare » (III, 8).

560. — III. Omne pactum cum daemone est, per se, peccatum gravissimum. In eo enim est participatio seu commercium cum hoste Dei jurato, et honor divinus tribuitur creaturae, eo quod ab ipsa exspectatur, quod a solo Deo exspectari debet. — Fieri tamen potest, ut pactum implicitum culpam *venialem* non excedat; si nempe adsunt simplicitas, ignorantia (non tamen crassa vel affectata), defectus certae fidei, absentia intentionis seriae, v. gr. quando, per modum joci, consuluntur divini publici, in diebus festis et nundinis. In hisce generatim actus imperfectio excusat (III, 5, 7).

NOTETUR: 1° Pactum implicitum et explicitum, probabiliter *specie non differunt;* per accidens tamen, saepe adest obligatio explicandi in confessione, an pactum sit explicitum; quia invocatio expressa daemonis saepe adjuncta sibi habet alia peccata, v. gr. haeresim, idololatriam, etc., et quia non admittit materiae parvitatem.

2° In dubio *an aliquis effectus proveniat a causa naturali, vel a superstitione,* praesumitur potius a causa naturali provenire [1]. Ita DD. communiter docent cum *D. Thoma* (2. 2, q. 60, a. 4): « Ubi non apparent manifeste indicia certa de malitia alicujus, debemus id ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est ». Recte tamen consulunt Doctores, ut tunc praemittatur protestatio contra effectum, si qua subsit superstitio. Idem etiam declaravit S. Off., 26 Jul. 1899, quoad dubia experimenta hypnotismi (n. 570*bis*).

[1] Supponimus dubium niti *ratione probabili,* puta analogia; et non *ratione generali,* quod scilicet multa nos in natura latent: id enervaret vim miraculorum.

Digitized by Google

3° Si certo probabiliter constat, effectum non provenire a causa naturali, in dubio *unde proveniat,* censetur potius provenire a daemone quam a Deo; cum divina promissio de illo non habeatur (III, 20).

561. — *Ex his resolves: a)* « Non excusatur a peccato qui, utendo talibus rebus, quas *constat* esse naturaliter improportionatas effectui intento, *protestatur* se nullum cum daemone commercium intendere, quia reipsa agit contra suam protestationem. Cum enim nec Deus nec angeli boni talibus se immisceant, daemon implicite iis invocatur » (III, 8, 3°).

b) « Neque is excusatur, qui *talia* media utilia credit *propter experientias;* quia has daemon procurat, ut homines paulatim illaqueet, et ad similia usurpanda inducat » (III, 8, 4°).

c) « Non est illicitum uti virtute *rei naturalis,* quae per superstitionem cognita est, modo ejus observatio, aut operatio, non pendeat ab ope daemonis. Ratio est, quia licet illa cognitio male parta sit, peccatum tamen transiit, neque virtus naturalis ex eo quidquam mali contraxit » (III, 20, 3°).

2. *De variis divinationibus in particulari.*

562. — PRINCIPIA. I. **Omnes divinationes ad unam reducuntur speciem;** quia omnes innituntur pacto saltem implicito cum daemonibus. Vide supra n. 560, 1°.

Divinationes obtinent varias denominationes, secundum invocationis indolem:

1° Divinatio per EXPRESSAM daemonis invocationem dicitur: *oraculum,* si fit per idola; *necromantia,* si per apparentem mortuorum resuscitationem; *pythonismus,* si per homines vivos ab eo arreptos; *oniromantia,* si per somnia; *praestigium,* si per fictas figuras; *aruspicium,* si per signa in extis animalium; *geomantia,* si per figuram in terra; *hydromantia,* si per figuram in aqua; *aeromantia,* si per figuram in aere; *pyromantia,* si per figuram in igne.

2° Divinatio per TACITAM invocationem dicitur: *astrologia judiciaria,* si fit ex situ et motu astrorum; *auspicium,* si ex volatu avium; *augurium,* si ex earum garritu; *omen,* si ex casu fortuito, v. gr. ex occursu funeris; *chiromantia,* si ex lineamentis manus; *physiognomia,* si ex lineamentis vultus; *sortilegium,* si ex vanis sortibus, v. gr. ex apertione libri, ex jactu taxillarum. Nomine tamen *sortilegii* (vel necromantiae) omnia superstitionum genera designari solent (III, 6 et 9). Quoad *cristallomantiam,* cui hodie multi indulgent, cfr. *Bessmer* (*Stimmen aus Maria-Laach,* 1908, p. 165).

563. — II. **Omnes divinationes sunt per se graviter illicitae.** Constat iterum ex dictis n. 560.

Hinc: 1° « Peccant, qui Aegyptios (vates aut sortilegos) de fortuna consulunt: et quidem, si fiat cum firma fide, vel scandalo, etc... per se mortaliter; si vero causa curiositatis vel risus, ut fit communiter, venialiter tantum ».

2° « Si quis ab astris, somniis, similibusque ita dependeat, ut omnes pene actiones suas et vitam juxta ea regulare velit, eum mortaliter peccare (communiter) docent ».

3° Ex talium observatione semel atque iterum aliquid omittere, ad quod alioqui sub mortali non teneris, solum veniale videtur; uti et subinde timere leviter, ne ita sit aut eveniat quod portendunt (III, 8 et 10).

Digitized by Google

564. — III. Non sunt illicitae simplices conjecturae ex causis naturalibus deductae. Etenim, ut loquitur *S. Thomas* (2. 2, q. 95, a. 1), « quaedam causae producunt suos effectus in pluribus, raro tamen deficiunt. Et per hujusmodi causas possunt praenosci effectus futuri, non quidem per certitudinem, sed per quamdam conjecturam »; v. gr. si quis, ex aliquo cantu et volatu avium, tempestatem, pluviam aut serenitatem conjiciat.

Licita est ergo *physiognomia,* qua conjecturamus internas animi dispositiones, modo vitetur judicium temerarium. — Licita pariter *astrologia naturalis,* qua divinamus quosdam effectus naturales, ut tempestates, sterilitates, etc.; et si in ejus certitudine aliquando exceditur, tantum committitur peccatum mendacii aut imprudentiae: quod est, per se, peccatum leve (III, 9, 8°).

565. — Quaesita. QUAER. 1° *An liceat credere* SOMNIIS?

Resp. a) Si somnia sint certo vel probabilius a Deo, possumus, imo tenemur eis credere, cum Deus promiserit aliquando per somnia loqui. E converso, grave peccatum esset credere somniis diabolicis, nisi excuset simplicitas vel actus imperfectio, si quis nempe eis solum tenuiter credat. Jamvero, ut quae a Deo sunt ab aliis discernantur, videndum est utrum ad bonum excitent an ad malum, utrum expergefactum turbent an quietent, utrum ad opera bona alacrem reddant an segnem.

b) In dubio, utrum proveniant a Deo, an a diabolo, vel a causa naturali, standum est pro causa naturali, vel diabolica, ideoque fides eis non est adhibenda; Deus enim si immittat somnia, certo de se testatur.

QUAER. 2° *An semper illicitus sit* USUS SORTIUM?

Resp. a) Sortes *divisoriae,* quae adhibentur ad bona dividenda, ad lites dirimendas, ad honeste ludendum, etc., *licitae* sunt, quia omni prorsus superstitione vacant. — Prohibitae tamen sunt quoad electiones ecclesiasticas, ex c. *Ecclesia, de sortilegiis.* — Permittuntur in quibusdam codicibus, v. gr. Cod. Germ., 659, 720.

b) Sortes *divinatoriae,* quibus rei occultae manifestatio inquiritur, v. gr. detectio furis ex jactu taxillarum, sunt *illicitae,* nisi fiant ex inspiratione divina (cfr. *Josue,* VII, 14); quia tacitam saltem daemonis invocationem continent, ex improportione medii ad cognitionem.

c) Sortes *consultoriae* (ut in electione Saulis et S. Matthiae), quibus inquiritur, quid in hac vel illa re agendum sit, « *sunt aliquando licitae,* quando causae necessitas et honestas exigit, aptiorque modus dubium vincendi non apparet: dummodo fiant praemissa oratione cum debita reverentia, et indicium non exspectetur nisi a solo Deo: v. gr. si quis haerens in bivio, aliter quoad viam se determinare non possit; vel si divino instinctu aut jussu fiant... » (III, 10, 11°).

QUAER. 3° *Quid sentiendum sit de usu* VIRGAE DIVINATORIAE?

Resp. a) Si adhibeatur ad reperiendum *res amissas,* translatos *agrorum limites, fures* ac *homicidas,* certum videtur, istiusmodi actus esse superstitiosam divinationem.

b) Si adhibeatur ad inveniendas *aquarum* aut *metallorum* venas, non desunt qui affirmant hoc non esse necessario habendum ut rem superstitiosam, eo quod motus virgae, si a personis physica quadam dispositione praeditis teneatur, effectus sit pure naturalis. Requiritur tamen, ut virga in omni casu

Digitized by Google

aeque moveatur, sive quaerantur venae, sive non. — Consulto autem fiat protestatio contra diabolicam operationem, quae forte adesse potest (III, 8, 4°). Cfr. *Vind. Alph.*, II, n. 32.

Nota. Sunt tamen nonnulli periti, qui usum virgae divinatoriae praestigias esse existimant (*Nat. u. Offenb.*, 1900, p. 600).

SCHOLIUM.

De spiritismo.

566. — *Praenotanda.* Spiritismus est spirituum consultatio, praesertim de rebus alterius vitae. — In spiritismo distingui debent: ipsum commercium cum spiritibus, et mira phaenomena quae eorum evocationem et consultationem comitantur. — Ex effectibus productis alii sunt spiritismo et hypnotismo communes (hos vide n. 569); alii sunt *spiritismo proprii*, et sunt: materialisatio, luminis manifestatio, levitatio, motus in distans, rotatio tabularum quae extremis circumstantium digitis tanguntur et solo imperio voluntatis moventur, vel etiam, jussu interrogantium, responsa per ictus (vel alio modo) communicant. — Adhibentur ad haec producenda plerumque mulieres, quae ideo *media* vocantur [1].

PRINCIPIA. I. **Spiritismus, ut est actio consulendi spiritus, prorsus illicitus est;** et quidem, etsi haec sit tantum externa, modo seria. Constat 1° EX AUCTORITATE. Non raro evocatio spirituum damnata est, tam in Scriptura Sacra (*Deut.*, XVIII, 9-12; *Levit.*, XX, 6, 27) quam ab Ecclesia (praesertim in Concilio Lateranensi, V). Die 4 Aug. 1856, S. Off. declaravit: Animas mortuorum evocare, responsa accipere... reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis (*A. S. S.*, I, p. 177). Die 2 Apr. 1864, eadem Congr. omnia spiritismo faventia scripta gravissime proscripsit. — In Const. *Officiorum ac munerum* (tit. I, c. V, 12) legitur: Nefas est libros edere, legere, aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, *evocatio spirituum* docentur vel commendatur. — Constat 2° EX RATIONE: patet quod evocatio spirituum est mera, germana divinatio. Spiritus enim, qui censentur consuli: *a*) *non sunt boni spiritus*, i. e. angeli; blasphemum foret asserere spiritus bonos ad puerilia libita hominum se accommodare, et fieri praecones doctrinae exsecrabilis et impiae, qualis promulgatur in conventiculis spiritistarum; — *b*) *non sunt animae defunctorum:* ipsis enim, corpore exutis, nulla, sine speciali Dei permissu, cum hominibus communitas. Ergo in aperto est hos spiritus esse daemones; et aliunde ipsimet hoc saepe confessi sunt.

Ex his sequitur: ipsam artem producendi phaenomena spiritismo propria, et generatim artem producendi effectus, qui viribus naturae certo adscribi nequeunt, esse prorsus illicitam.

[1] Cfr. *Antonelli*, Med. past., II, c. 1; *Berardi*, Theol. mor., II, n. 364; *Perrone*, de Virt. Relig., P. II, sect. 2, c. 6; *Génicot*, I, n. 270; *Surbled*, Spiritualisme et Spiritisme; *Lapponi*, Hypnot. et Spirit.; *Schneider*, Der neuere Geistergl. (1913); *Ami du Cl.*, 1900 et 1902, in h. mat.

Digitized by Google

Magna quaestio est, utrum, in sessionibus spiritistarum (praescindendo a consultatione), talia phaenomena non debeant potius astutiae et malae fidei *mediorum* adscribi.

a) Non desunt AA. qui admittunt miras operationes, ope spiritistarum, saepe *revera* produci, et fas non esse omnia a priori fraudibus attribuere. Cfr. *Schneider* (Der neuere Geisterglaube, VII, p. 334); *Lapponi,* Hypnot. et Spirit., p. 153.

b) Alii vero AA. affirmant, in permultis casibus (paucis forsan exceptis) coryphaeos spiritismi (celeberrima *media*) fraude et mala fide fuisse convictos. Ita *Gutberlet* (*Nat. u. Offenb.,* 1897, p. 738). Eamdem sententiam tuetur *Von Cyon,* professor psychologiae, qui ipse fraudis coarguit celeberrima hujus aetatis *media* (cfr. *Gott u. Wissensch.,* 1911, p. 206; *Nat. u. Kultur,* 1911, P. I, Spiritismus). Ita etiam alii periti.

II. **Licet, excluso scandalo medii et assistentium, ex ratione sufficienti, provocare phaenomena, ubi quis certo scit, nullum effectum praeternaturalem esse oriturum.** *Ratio sufficiens* est, ut error reliquorum experimento corrigatur. Diximus: *excluso scandalo* medii; quia invitatio non liceret, si medium clare (etiam externe tantum) praetenderet se spiritus consultare posse; secus, si ex seriis indiciis constaret medium se jactare ut talem. Tunc enim nulla datur actio illicita, sed habetur detectio erroris (*Sabetti,* Theol. mor., 209; *Génicot,* I, n. 271, IV; *Jaugey,* de Virt. Relig., 440).

Conclusiones practicae. 1° Protestatio, quam quis praemitteret ante actum consultationis vel artis exercitium, excludendi nempe quamlibet interventionem daemonis seque ad angelos dirigendi, non mutat naturam actus qui objective seu ex fine operis refertur ad cultum daemonis ex pacto implicite habito. In hoc sensu facta est responsio S. Off., 1 Apr. 1898 (*Nouv. Rev. Théol.,* 30, p. 397). — 2° Peccant graviter *agentes officium medii, petentes* serio a mediis evocationem, *tenentes sessiones* spiritismi, hisce saepius *assistentes* vel *active* vel *passive,* etiam curiositatis causa; quia scandalum et periculum propriae salutis (i. e. perversionis in fide et moribus) nunquam penitus absunt. Ita juxta responsionem S. Poenit., 1 Febr. 1882 (*Bucceroni,* Enchir. mor., n. 505).

Nota. Mera tabularum rotatio non est evidenter illicita, quia non constat de causa *unice* praeternaturali; illicita evadere potest ratione scandali, vel periculi. — Diximus: *mera rotatio,* quia, si eam comitatur *consultatio,* etsi de rebus indifferentibus, *omnino illicita* evaderet; cum tabulae responsa per ictus repetitos (si vere dantur), nonnisi praeeunte pacto cum daemone fierent (*Noldin,* II, 167).

§ 3. De vana observantia.

567. — Definitio. Vana observantia « est superstitio, qua *medio* aliquo *improportionato,* et a Deo non instituto, *procuratur aliquis effectus,* v. gr. sanitas, scientia » (III, 14). Dicitur *observantia,* quia est aliqua veneratio, seu cultus respectu daemonis; et vocatur *vana,* quia effectus illi vel non obtinentur, vel saepe sunt nocivi potius quam salutares.

Digitized by Google

Quia vero non desunt qui putent hypnotismum, ad quosdam curandum morbos adhibitum, inter vanas observantias esse recensendum, dicemus: 1° de vana observantia in genere; — 2° de hypnotismo in particulari.

1. *De vana observantia in genere.*

Vana observantia non differt specifice a divinatione; quia in genere morum nihil refert, utrum a daemone quaeratur cognitio rei occultae, an aliquis effectus externus. — Ratione objecti materialis, est triplex: 1° *ars notoria* seu ars acquirendi scientiam sine labore; — 2° *ars sanitatum,* seu ars sanandi variis signis vel rebus sacris, tanquam ex opere operato ad id efficacibus; — 3° observantia *eventuum,* qua ex consideratione alicujus eventus fortuiti conjicitur, quid faustum vel infaustum futurum sit (III, 14, resp. 2).

568. — PRINCIPIUM. **Vana observantia est peccatum mortale ex toto genere suo.** « Non potest excusari a mortali ex parvitate materiae: quia simpliciter et in omni materia usurpatur virtus Dei propria » (III, 15). Excusari tamen potest a mortali *ex imperfectione actus* (cfr. n. 560, 563).

Ex variis signis vana observantia perspicitur: 1° Ex insufficientia causae adhibitae ad effectum producendum; si nimirum nec habeat naturalem vim ad effectum intentum, nec de supernaturali legitime constet. — 2° Ex adjectione falsae vel vanae circumstantiae, v. gr. verborum apocryphorum, certae norae, certi numeri, characterum peregrinorum, etc. — 3° Ex ipso effectu si hic statim evanescat. — 4° Ex infallibili exspectatione effectus, posita causa insufficienti.

Illud potissimum observari potest in quibusdam *modis curandi morbos* (medicina magica). Remedia adhibita sunt communiter attrectationes, unguenta quorum elementa et vis curandi sub mysterio latent; quandoque adduntur orationes, adjurationes ridiculae; denique etiam sola adhibetur illa sympathia, vel vis magnetica quae ex operante in infirmum transire dicitur. Nequit dici *a priori,* in his omnibus adesse vanam observantiam. Certum est enim in quibusdam familiis secretam remanere cognitionem aliquarum plantarum, simul ac compositionem alicujus remedii. Certum est etiam *gratiam sanitatum* etiam homini rudi a Deo conferri posse: est enim una ex gratiis gratis datis. Haec autem gratia sanitatum est *personalis,* et non utitur *mediis vanis.* Si ergo ille, qui praetendit se istam gratiam possidere, dicit se artem ab aliis accepisse, mira adhibet signa et firmiter credit ipsis signis inesse virtutem curandi, illi non est accredendum. Cfr. *Ami du Cl.,* 1909, p. 1146, Tabl. génér., v. *Guérisseurs; Noldin,* II, 159 et 162.

Ex his resolves: 1° *Vanae observantiae rei sunt: a*) Qui gestant amuleta aut ligaturas, quibusdam characteribus consignatas. — *b*) Qui certa invocant nomina ignota, aut certum adhibent numerum crucium vel orationum, ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos, etc. — *c*) Qui divulgant quasdam orationum catenas propria manu describendas et aliis mittendas, vel gestant certas orationes ad S. Birgittam, aut alias preces, effectum omnino infallibilem ex ipsis exspectantes. — *d*) Qui dies aliquos habent tanquam faustos, alios vero infaustos, ut, v. gr., diem Martis vel Veneris, et secundum hanc cre-

Digitized by Google

dulitatem actiones suas ordinant. — *e*) Qui recusant numero tredecim in mensa sedere, quasi id mortis signum esset; etc. (III, 17; *Croix*, l. 3, P. I, n. 29).

2° *Vana observantia vero non est: a*) Observare lunam aut tempora colligendis herbis, cedendis arboribus aptiora. — *b*) Nec res sacras aut verba S. Scripturae gestare in honorem Dei vel Sanctorum. — *c*) Nec parvas imagines chartaceas B. V. M. in aqua liquefactas vel ad modum pillulae involutas, ad sanitatem impetrandam deglutire. — Ab hoc usu practice removetur omnis vanae observantiae species si monentur fideles, honorem et amorem in Matrem Dei sic exprimi, nec agi ullo modo de communione B. V. M. suscipienda, vel de effectu infallibiliter obtinendo (cfr. *Decr. S. Off.*, 2 Jul. 1903, ap. *A. S. S.*, 37, p. 237; *Linz Quart. Schr.*, 1906, p. 361 et 1907, p. 253; *Ami du Cl.*, 1899, p. 359; 1908, p. 574.

REGULAE PRACTICAE. 1° Superstitio est *contagiosa*; quare prudens parochus vel catechista de illis tantum superstitionibus sermonem habeat, quae in regione notae sunt.

2° In multis vanis observantiis habetur *bona fides*, et idcirco rudes aliquando in sua simplicitate sunt relinquendi; cum difficulter abducantur ab eo, quod bona fide a suis majoribus receperunt.

3° Videat parochus, num res *in bonum sensum detorqueri* possit, vel *mutari* in alium usum quasi similem, sed pium et bonum. — Multum apposite ad rem: « Cum miseriis et aerumnis premeris, inquit *S. Alphonsus* (Inst. cat., P. I, c. 1, n. 54), recurre ad SS. Sacramentum, ad Crucifixum, ad Mariam Virginem, ad B. Antonium Patavinum, ad B. Vincentium Ferrerium; lampadum eorumdem adhibe oleum; utere chartulis Mariae Immaculatae aut alicujus Sancti figuris; et in hunc modum, quin pecces, poteris gratiam obtinere. Si secus egeris, gratiam non obtinebis, et peccabis ». Cfr. *Linz. Quart. Schr.*, 1907, p. 517.

2. *De hypnotismo.*

Cfr. *Coconnier*, L'hypnotisme franc; *Antonelli*, Med. past., II, c. II; *Lehmkuhl*, I, n. 502; *Génicot*, I, n. 272; *Schneider*, L'hypnotisme; *D'Annibale*, *Noldin*, etc.

Hypnotismus nomine tantum a *magnetismo* differt. Hic inventorem habet Mesmer († 1815), a quo etiam *mesmerismus* quandoque dicitur, et est ars producendi certa phaenomena, quae eatenus prodigiosa videntur quatenus effectibus proportionata causa assignari non potest.

569. — NOTIONES. Hypnotismus, in genere consideratus, definitur: Ars producendi somnum in quo hypnotizatus hypnotizatori obediendo res plane singulares efficit.

DIVISIO. Ratione comparationis institutae cum viribus naturae, recte dividi solet hypnotismus in *scientificum*, si nempe dubium positivum adesse potest, quod omnia a causa naturali proveniunt; — et in *prodigiosum*, quando scilicet tale dubium non datur.

1° *Hypnotismus scientificus* definiri potest: Ars producendi somnum in quo hypnotizatus hypnotizatori obedit in his *tantum* quae ei suggeruntur per suggestionem *oralem*, seu, est ars obtinendi somnum quo quis aptus fit ut *imagine*, verbis ei suggesta, ita afficiatur ut tanquam objectivam illam habeat, quodque illa repraesentatur, in praxim

Digitized by Google

plus minusve perfecte traducat (*Coconnier,* l. c., p. 257). — Vocatur *scientificus* quia tanquam remedium in scientia therapeuthica ab iis medicis adhibetur, qui solo ducuntur « licito studio scientiae » ut habent Litt. Enc. S. O., 4 Aug. 1856 (*A. S. S.,* I, p. 177).

Duo ergo distinguenda sunt: somnus et phaenomena quae illum comitantur. — Quoad SOMNUM, magna inter peritos fervet controversia utrum dicendus sit simplex somnus artificialis, an morbus nervosus. Certum est tamen, quod in isto somno functiones cerebri interrumpuntur, cessat conscientia sui, obedientia caeca facile praestatur. — Quoad PHAENOMENA, en praecipua quae communiter et certo notantur, non omnia tamen in quovis subjecto nec in eodem gradu omnia: *a*) *absoluta relatio* hypnotizati ad hypnotizantem cui ille credit omnino et obedit, dum ceteros adstantes nec oculis, nec auribus percipere, nec ullo modo ab iis affici videtur. Hoc factum semper evenit; — *b*) *hallucinationes,* sive positivae si hypnotizatus imaginatione videt quae non sunt, sive negativae si ea quae praesto sunt non videt; — *c*) *illusiones,* hypnotizatus nempe objecta confundit unum pro alio sumendo, vel, quae desunt qualitates aut proprietates in illis considerat; qua ratione possunt omnes sensus perturbari, obtineri potest immobilitas, membrorum insensibilitas sive partialis sive totius corporis; dari etiam possunt quoad personam hypnotizati suggestiones quas ille habet ut verum referentes, v. gr. se esse militem, presbyterum, senem, juvenem, etc.; — *d*) *suggestiones* quae nonnisi *post statutum tempus*, v. gr. post plures menses effectum sortiri debent; — *e*) effusio sanguinis, vel humoris, in ea corporis parte quam hypnotizans suggesserit, etc.

2° *Hypnotismus prodigiosus* definiri potest: Ars producendi somnum in quo hypnotizatus hypnotizatori non tantum in his obedit quae ei oraliter suggeruntur, sed et alia praestat quae, omissa suggestione, per modum consultationis ab eo petuntur et *certo* vires naturae praetergrediuntur.

Hypnotismo scientifico addit facta portentosa ad divinationem certo pertinentia prout, ex. gr., ad nutum hypnotizatoris futura praevidere, ignota ac longinqua detegere, solvere arduissimas quaestiones de physiologia, de mathesi, loqui lingua ignota, aliaque id genus quae vires naturae certo superant. — Dicimus: *quae certo superant*, nam facta tantum dubie praeternaturalia, donec de eorum natura non constet, hypnotismo scientifico sunt adscribenda et, praemissa protestatione, licite produci possunt, sicut diximus n. 560, 2°.

570. — PRINCIPIA. I. **Hypnotismus prodigiosus prorsus est illicitus.** Phaenomena enim quae continet sunt prorsus praeternaturalia et nonnisi daemoni tribuenda. — Unde S. Officium in Litt. Enc., 4 Aug. 1856, adversus magnetismi abusus: « Hinc somnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis mulierculae illae... se invisibilia quaeque conspicere effutiunt..., ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt... In hisce omnibus quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, *reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis* ». — Et die 26 Jul. 1899: Hypnotismi experimenta,

Digitized by Google

« si agatur de factis quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere » (*Nouv. Rev. Théol.*, 31, p. 699).

II. **Hypnotismus scientificus, cum debitis conditionibus exercitus, est licitus.** Ita sententia communior, quam praeter medicos fere omnes, etiam catholicos, tuentur multi theologi. Cfr., praeter allegatos, *Tanquerey*, II, n. 133, 906; *Ami du Cl.*, a. 1899, 1900; *Willems*, Inst. phil., II, n. 322.

PROBATUR: Hypnotismus enim *scientificus* nec superstitionem, nec aliud quid intrinsece malum involvit; et aliunde, quae timeri possunt incommoda, per appositas conditiones prorsus removentur. Nihil est ergo quo fiat illicitus.

1° *Nullam involvit superstitionem:* Haec certo probari deberet. Idvero hucusque factum non est.

Contendunt adversarii [1] superstitionis notam demonstrari ex defectu nexus causalitatis media inter et effectus. Hypnosis, aiunt, mediis oritur et desinit prorsus ineptis, diversissima et portentosa phaenomena producit quae videntur causae efficaciam transcendere. — *Respondetur: a*) Licet ratio intrinseca somni hypnotici nondum perfecte cognoscatur, varia tamen indicia innuunt eum vi praeternaturali non procedere. Siquidem producitur aliquando absque interventu hypnotizatoris et facilius in aliquibus quam in aliis inducitur, quae indicia nihil certo praeternaturale prae se ferunt [2]. — *b*) Phaenomenorum causam verisimilem DD. assignant *phantasiam* a verbis hypnotizatoris vehementissime excitatam [3]. Plura vide apud *Antonelli* (Med. past., II, n. 22). — Neque ex eo quod in phaenomenis hypnotismi quandoque miscentur facta praeternaturalia, deduci potest *causam omnium phaenomenorum* esse praeternaturalem.

2° *Nec aliud quid admittit intrinsece malum.* Ex variis enim elementis quae in hypnotismo distinguuntur, nullum potest malum dici: nec suggestibilitas, nec suggestio, nec exaltatio phantasiae, nec pariter suspensio momentanea usus rationis et libertatis; secus illicita esset chloroformizatio quae a nemine reprobatur.

Difficultatem movere posset dependentia absoluta hypnotizati a voluntate hypnotizantis, quae rectae rationi repugnare videtur. Atvero respondetur: *a*) Haec dependentia, juxta quosdam, non est tam absoluta: « *Plerique* ex hypnotizatis resistunt suggestionibus sibi displicentibus. Inclinatio naturalis aut acquisita est quasi suggestio primordialis, quae subsequentes suggestiones impedit » (*Schneider*, l. c., p. 376). — *b*) Sola dependentia quae in hypnosi habetur est dependentia phantasiae, non vero libertatis. Ast non tenetur homo semper dominium in propriam imaginationem exercere; secus non liceret somno naturali vacare, quippe in quo phantasia frequenter plures efformat imagines quae varios inducunt motus animi et actiones etiam omnino insolitas, prout in somnambulis.

[1] *Franco*, L'ipnotismo tornato di moda; *Touroude*, L'hypnotisme, ses phénomènes, ses dangers; *Moreau*, L'hypnotisme, etc. — [2] Cfr. *Berardi*, Exam. Conf., n. 2668. — [3] De stupenda vi imaginationis, vide *Bened. XIV*, de Serv. Dei beatificatione, l. IV, P. I, c. ult.

Digitized by Google

3° *Pericula omnia removentur.* Pericula inhonestatis removentur per conditiones infra indicandas; — pericula sanitatis non ea sunt quae ab aliquibus exaggerantur. Cfr. *Antonelli* (l. c., 44, 51) [1].

CONDITIONES REQUISITAE, cautelae adhibendae plures sunt: 1° *Ex parte causae,* requiritur ut haec sit relative gravis; quia in hypnosi habetur privatio usus rationis et quaedam abdicatio propriae voluntatis, quod ut liceat, gravis exigitur causa. Hujusmodi erit: *a*) morbus qui nequit alio modo curari, aut talis est naturae ut per hoc remedium solamen obtineri possit, ut est, juxta *Willems,* hysteria, rheumatismus; — *b*) mala propensio quae hominem ad facinora impellit plus minusve necessario (v. gr. alcoholismus, masturbatio), et quae per hypnotismum tolli vel minui potest; — *c*) progressus scientiarum, v. gr. medicinae vel psychologiae, his experimentis promovendus. Non licebit, de se, joci vel lucri causa, hypnotismi facere experimenta vel eis assistere. — 2° *Ex parte hypnotizati,* requiritur plenus consensus; nam neminem invitum licet usu rationis et libertatis privare. — 3° *Ex parte hypnotizatoris,* medicus sit hac in re peritus, ad praecavenda incommoda quae secus hypnotizati sanitati obvenire possent; sit probitate conspicuus ad removenda pericula moribus instantia, et insuper, si agatur de factis quae naturae vires dubie praetergrediantur, protestationem praemittat nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, ut decrevit S. O., 26 Jul. 1899. — 4° *Ex parte hypnotizationis,* requiritur ut hypnosis mediis licitis et honestis obtineatur; ut suggestiones honestae sint et fini licite intento accommodatae; utque hypnotizatio et suggestiones fiant coram tertia persona honesta et fida, v. gr. coram parente, qua cautela omnia inhonestatis pericula prorsus depellentur. — Quandoque tamen haec assistentia supervacanea esse potest, si nempe de medici probitate certo constet.

CONFIRMATUR TOTA THESIS: 1° *Ex Litt. Enc. S. O.,* 4 Aug. 1856. Nam S. Congr. bene distinguit inter licitudinem et illicitudinem, usum et abusum magnetismi; damnat eos qui, neglecto *licito studio scientiae,* curiosa sectantes, divinandi principium quoddam se nactos glorientur; innovat regulam jam die 28 Jul. 1847 traditam: « Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus ». Atqui ita se habet hypnotismus scientificus.

2° *Ex Responso* ejusdem Congr., 26 Jul. 1899 dato, ubi dicitur: hypnotismi experimenta, si de factis agatur de quibus dubitatur an vires naturae praetergrediantur, praemissa protestatione toleranda esse. Ergo S. O. implicite agnoscit quaedam in hypnotismo dari phaenomena, quae vires naturae haud certo transcendunt.

[1] Sanitati sive operantium sive assistentium praecipue nocent *experimenta publica.* Unde sapienter in quibusdam Statibus illa prohibentur. Cfr. legem in **Belgio latam** 30 Maii 1892.

Digitized by Google

§ 4. De magia et maleficio.

571. — Magia est *nomen genericum* et designat artem mira et insolita efficiendi.

Alia est *naturalis* seu *alba,* quae mira per causas naturales, v. gr. chymicas, operatur. Non est cur diu in hoc haereamus, cum *per se* sit licita. — Alia vero est *diabolica,* sive *nigra,* et est, uti diximus, superstitio vel *divinationis* (magia divinatrix), vel *vanae observantiae* (magia operatrix), et, ubi fit ad nocendum, dicitur *maleficium.*

Notio. *Maleficium* est vis nocendi aliis, ex pacto et cooperatione daemonis. — Qui maleficiis utuntur, vulgo vocantur *sortilegi.*

Divisio. Maleficium aliud dicitur *amatorium,* seu *phyltrum,* cujus finis est carnalem amorem, vel odium excitare, daemone hominis phantasiam et humores commovente. — Aliud dicitur *veneficum,* quo alicui personae, vel ejus bonis, damnum infertur (III, 23).

Nota. Maleficio infectus non amittit libertatem; sed divina gratia confortatus potest resistere tentationi. Si ergo consentit, v. gr. libidini, peccat mortaliter, quamvis, ratione vehementis passionis, facilius sit venia dignus.

572. — Principium. **Duplicem malitiam continet maleficium, et quandoque poenis ecclesiasticis subest.** In maleficio enim adest peccatum grave contra religionem, quatenus est superstitio; et contra justitiam, ob injuriam quae infertur proximo. — Plectitur excommunicatione latae sententiae, si ipsi adjungatur haeresis formalis. Confer n. 1314. Vide S. Doctorem (III, 27).

573. — Modus tollendi maleficium; regulae practicae.

I. *Modus tollendi.* 1° Maleficium non potest tolli per aliud maleficium ab alio viro vel a mago inferendum. — 2° Tolli vero potest utendo: *mediis naturalibus,* v. gr. medicina, destructione signi quo daemon nocet, usu signi contrarii, modo sit honestum; — vel *mediis supernaturalibus,* oratione, exorcismo, sacramentis Ecclesiae (III, 24, 25). Cfr. n. 622.

II. *Regulae practicae.* 1° Quoad maleficia et magiam, caveat sacerdos ne in hac materia excedat, aut *nimia credulitate* aut *nimia incredulitate,* et curet primum ne quis perdat suam famam ex falsa suspicione sortilegii; ac deinde prudenter personas sortilegio oppressas reconciliet cum Deo, per bonam confessionem, preces quotidie recitandas, etc.

2° Interrogandi sunt opiliones, fabri ferrarii, rustici qui sanant jumenta vel pecora; item, vetulae quaedam jure suspectae. « Examinandi sunt, praeterquam de variis superstitionibus: *a*) *quo fine* tali superstitioni se addixerint: v. gr. an ratione vehementis passionis, tristitiae, vindictae, avaritiae, aut sanctitatis nomen conciliandi; quae esset sacrilega hypocrisis; — *b*) de *apostasia, idololatria* et *haeresi:* abnegant enim Christum et Deum et renuntiant sacramentis; habent daemonem pro Deo vel Sancto, nec damnatum putant aut miserum, et consequenter illius asseclas non esse damnandos; — *c*) de *blasphemiis*

Digitized by Google

in Deum et Sanctos, et de *sacrilegiis:* abutuntur enim rebus sacris, ut aqua benedicta, Eucharistia, etc.; — *d*) de *luxuria* et commixtione cum daemone; — *e*) de *damnis* proximo illatis (III, 28, resp. 1).

3° « Monendi sunt, eos TENERI: *a*) Pactum expressum, si quod habent cum daemone, aut commercium *abjurare* et dissolvere. — *b*) Libros suos, schedas, ligaturas, aliaque instrumenta artis *comburere.* — *c*) Comburere *chirographum,* si habent; si vero solus daemon id habeat, non necessario cogendus est, ut reddat; quia pactum sufficienter dissolvitur per poenitentiam. — *d*) Damna illata *resarcire* » (III, 28, resp. 2).

4° Maxime, etsi prudenter, avertendi sunt fideles a superstitionibus quibuscumque; nam illae sunt VELUT SACRAMENTA DIABOLI. Porro, notant doctores, societatem inire cum diabolo esse probabile signum reprobationis aeternae; quia, sicuti ad initium felicitatis aeternae spectat conversatio in hac vita cum Deo et angelis per preces, etc., ita ad initium damnationis spectat societas et conversatio cum daemonibus (*Laymann,* l. 4, tr. 10, c. 3, n. 4).

Cfr. *Janssen,* Gesch. des deutsch. Volkes, B. VIII, Hexenwesen; *Surbled,* Le secret des sorciers (Science cath.), 1902; *Paulus,* Rom u. die Blütezeit der Hexenprozesse (Hist. pol. Bl., B. 141, p. 241); *Spee,* Cautio criminalis.

ARTICULUS II.

De irreligiositate.

574. — Irreligiositas, seu *impietas,* est irreverentia specialis, quae Deo, vel immediate in se, vel mediate in personis aut rebus sacris, irrogatur. — Irrogatur Deo *immediate* per tentationem Dei, per blasphemiam, per perjurium et perfidiam in promissis; *mediate* vero per sacrilegium et simoniam.

Porro, ex his variis speciebus irreligiositatis tres pertinent ad secundum Decalogi praeceptum, quatenus est negativum: blasphemia nempe, perjurium et perfidia in promissis; ceterae tres, quibus Deo debita subjectio, seu fidelitas negatur, spectant ad *hoc primum.*

Agendum est igitur: 1° de tentatione Dei; — 2° de sacrilegio; — 3° de simonia.

§ 1. De tentatione Dei.

575. — DEFINITIO. Tentatio Dei est dictum, vel factum, ad capiendum de Deo experimentum, per extraordinarium effectum ab eo temere exspectatum.

Dicimus: 1° *Per effectum exspectatum,* quia tentatio requirit, ut, desiderio et intentione, auxilium divinum saltem tacite imploretur. — 2° *Temere,* i. e. absque justa causa; nam si causa gravis accedat, scilicet necessitas, vel pia utilitas, vel divina inspiratio, talem effectum humiliter petere non erit Deum tentare, sed potius actu fiduciae eum honorare (III, 29 et 31).

DIVISIO. Tentatio Dei, ratione perfectionis actus, *non vero ratione speciei,* duplex est: 1° *Formalis* (seu *explicita*), cum quis, expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, eam vult experiri: v. gr. si quis ex

Digitized by Google

turri se dat praecipitem, ut experiatur an Deus sit misericors et potens, servando eum a laesione immunem. — 2° *Interpretativa* (seu *implicita*), quando quis, etsi non expresse intendat Deum tentare, id tamen petit vel agit, quod suapte natura eo referri videtur: ut si quis sese committat periculo, a quo, vel nullo modo, vel vix possit eripi nisi miraculose; vel si media naturalia omittat, sperans a solo Deo effectum (III, 29, 32; cfr. H. Ap., IV, 38).

576. — PRINCIPIA. I. **Tentatio Dei formalis est peccatum mortale ex toto genere suo.** Includit enim *dubitationem* de perfectionibus divinis, quae in gravem contemptum Dei redundat, imo habet malitiam haeresis, si dubium sit positivum; vel saltem *curiosius* agit cum Deo, quasi cum ludione: quod est magna erga Deum irreverentia (III, 29, 1°).

II. **Tentatio Dei interpretativa est peccatum mortale ex genere suo.** Ratio est, quia qui sic Deum tentat, ipsi etiam reverentiam ac debitam subjectionem, per se, negat. — Fieri tamen potest, ut deordinatio in exspectante absque justa causa auxilium Dei non sit gravis. Constat ex illis verbis (*Eccli.*, 18, 23): *Ante orationem praepara animam tuam: et noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Sic enim orans censetur velle experiri, an etiam male oranti Deus subvenire possit et velit: quod tamen communiter, *ob levitatem materiae,* solum veniale esse censent doctores.

Hoc etiam docent plures AA., quod si quis, in re levi et sine gravis damni periculo, tentaret Deum, *ex sola curiositate* spectandi aliquod opus supernaturale, hic similiter venialiter tantum peccaret (cfr. III, 30; ed. G., I, p. 389).

577. — *Ex his resolves:* 1° Peccat graviter, qui absolute petit a Deo vel offert miraculum, ad conversionem haereticorum, cum sufficiant fidei nostrae testimonia. — Secus vero, si petit sub conditione *si Deo placuerit,* ob gravem utilitatem, ad suam vel aliorum salutem, aut divinam voluntatem adimplendam.

2° Item peccat, qui sine justa causa sese offert martyrio, periculo mortis vel mutilationis. — Secus, in casu necessitatis, v. gr. si alias fides aut salus multorum periclitetur, vel ad vitandas blasphemias; et in casu utilitatis, ad exaltandam fidem aut Dei gloriam promovendam.

3° Leviter tantum peccat, qui in morbo levi, rejectis remediis, sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis deordinatio. — Imo, ab omni culpa excusatur, si speret se sine remediis, naturaliter, Deo adjuvante, ab hujusmodi levi morbo liberatum iri (H. Ap., IV, n. 38).

4° Peccat venialiter sacerdos qui, extra casum necessitatis, concionari vult absque praeparatione confidens Dei auxilio (III, 32); sed non peccat qui, fidens bonae fortunae, examini se subjicit; quia nihil a Deo exspectat.

§ 2. De sacrilegio.

578. — DEFINITIO. Sacrilegium (sacri laesio) late sumptum dicitur quodlibet peccatum contra religionem; stricte sumptum est violatio rei sacrae.

Digitized by Google

Violatio, i. e. vis illata seu indigna tractatio, quae non solum actione, sed etiam omissione reverentiae sacris debitae committi potest; — « *rei* (lato sensu, quo venit etiam persona et locus) — *sacrae*, i. e. Deo dicatae, et qua talis consideratae » (III, 33 et 45).

Ad dignoscendum igitur, utrum aliqua actio *sit sacrilega necne*, pensandum est: 1° *ex quo capite* res sit sacra et specialiter reverenda (sive ex divina institutione, sive ex lege ecclesiastica); — 2° utrum actio specialiter laedat *hanc rei sanctitatem*; secus enim non erit sacrilegium. Sic, v. gr., religiosus est per votum castitatis Deo consecratus quoad munditiam carnis, et ideo si fornicetur, est sacrilegus; secus vero, si inebrietur, si superbiat, si mentiatur, etc., quia ad haec vitanda non censetur consecratus.

DIVISIO. Sacrilegium, ratione rei violatae, est triplex: *personale*, quo persona sacra; *locale*, quo locus sacer; *reale*, quo res sacra (a personis et a locis distincta) violatur; — ratione modi, est *directum* vel *indirectum* secundum quod rei sacrae violatio vel intenditur, vel solum advertenter committitur.

579. — PRINCIPIA. I. **Sacrilegium est peccatum, nunc ex genere suo, nunc ex toto genere mortale.** Irreverentia enim erga personas sacras, loca sacra, vel res sacras redundat in Deum. — Si sacrilegium est *directum*, nunquam datur in eo materiae parvitas. Si est *indirectum* tantum, est grave vel leve, pro ratione irreverentiae, quae committitur (III, 33). Cfr. *Vind Alph.*, P. III, q. 3, a. 1, fin.

580. — II. **Sacrilegium specie differt, prout est personale, locale, aut reale.** Ratio, quia formaliter diversa est sanctitas, quae laeditur in persona, in loco et in re sacra. — Etenim sanctitas est in *personis sacris* formaliter, tanquam in subjecto; in *loco sacro* est, tanquam in contentivo personarum sanctarum, et in quo Deo cultus exhibendus est; in *rebus* autem *sacris*, quatenus causant vel significant sanctitatem, aut ad *Sanctos* ordinantur *alio modo* (*Salmant.*, tr. 21, c. 12, n. 16).

Notetur. 1° Tres praefatae species sacrilegii, probabilius, non sunt species subalternae, ut quidam dicunt, sed SPECIES INFIMAE; ideo *aliae circumstantiae* sunt solummodo aggravantes, ut probabilius censet *S. Alphonsus* cum S. Thoma (contra Suarez, Busenbaum et alios). — Hinc, v. gr., « si quis violat sanctimonialem verberando, aut cum ea concumbendo, unum sacrilegium formaliter committit » (III, 34). Quare sufficit, in utroque casu, dicere in confessione: commisi sacrilegium in personam sacram; ac deinde confiteri separatim peccatum contra justitiam, vel contra castitatem (III, 224).

2° In sacrilegio, eo est gravior violationis culpa, quo intimior est consecratio, et ideo sacrilegium personale gravius est sacrilegio reali et locali, sicut inter realia sacrilegia, gravius peccatum est indigna communio.

3° TEMPUS non est sacrilegii objectum: v. gr. non est sacrilegus, qui peccat die festo, uti communiter docent. — Excipe, nisi notabilis irreverentia irrogetur *cultui divino*, ut si quis in Parasceve exhiberet comoedias, ludos publicos, etc. (III, 46 et 273).

Digitized by Google

1. *De sacrilegio personali.*

581. — Sacrilegium PERSONALE est actus, quo persona sacra violatur. — Porro, personae *sacrae* dicuntur, quae sunt Deo dicatae, sive per sacram ordinationem, sive per professionem religiosam.

Sacrilegium personale committitur quatuor modis : 1° percussione clerici vel religiosi, seu qualibet vi, quae iisdem infertur, contra privilegium *canonis* (cfr. n. 1329) ; — 2° traductione clerici, vel personae religiosae, ad tribunal saeculare, contra privilegium *fori* (n. 1321) ; — 3° impositione servilis oneris (v. gr. militiae, tributi) facta clerico, contra vigens privilegium *immunitatis* personalis (n. 201) ; — 4° violatione luxuriosa personae Deo per votum *castitatis* sacratae (cfr. n. 787). — Proinde, non est sacrilegium detrahere de sacerdote, quia ejus tantum persona sacra est, non vero fama. Secus vero, si personae sacrae in ludibrium ponantur, ut saepe fit in bacchanalibus (de Privil., 18-24 ; *Kon.*, n. 347).

Quaesita. — QUAER. 1° *An violatio cujulisbet voti sit sacrilegium ?*

Resp. Controvertitur. *Affirmant* Salmanticenses, quia per quodcumque votum, persona Deo dicatur in ordine ad votum solvendum. *Negant* vero Suarez et alii, dicentes esse tantum peccatum perfidiae, seu contra fidelitatem Deo debitam (III, 47 ; *Vind. Alph.*, P. III, q. 2).

Nota. Multi AA. violationem votorum, in genere, sacrilegium nominant. Hoc minus recte dicitur si notionem sacrilegii *stricte* sumimus.

QUAER. 2° *An violatio voti castitatis sit sacrilegium ?*

Resp. 1° *Affirm.*, si agitur de voto conjunctim cum ordine sacro vel cum professione religiosa in aliqua Congregatione emisso ; per tale enim votum, quod recognoscit Ecclesia, persona certe et publice fit Deo sacra. — Hoc valet etiam pro votis, quae *ad tempus* emittuntur ante definitivam professionem.

2° Si agitur de voto privatim emisso, alii *negant*, quia nullus, nisi interveniente Ecclesia, fit Deo sacer ; alii, forte probabilius, *affirmant*, quia per tale etiam votum corpus Deo dicatur et peculiarem sanctitatem contrahit. Cfr. *Ami du Cl.*, 1910, p. 378.

Nota. 1° Voti violatio, ex omnium sententia, est circumstantia in confessione declaranda, eo quod peculiare ei *infidelitatis* peccatum inest (III, 47).

2° Si quis est simul *sacerdos* et *religiosus* et votum castitatis violat, unum tantum sacrilegium committit, quia duplex obligatio ex *eodem motivo formali* ipsi imponitur. Cfr. n. 627, 787, 2160, 2199, ubi utilia, quae ad hanc materiam pertinent, adduntur.

3° Qui sacrilege votum castitatis violat, non committit duplex peccatum contra religionem : unum sacrilegii, perfidiae alterum, quia malitia perfidiae (infidelitatis) a sacrilegio absorbetur (*Vind. Alph.*, I, p. 228).

Digitized by Google

2. *De sacrilegio locali.*

582. — NOTIONES. Sacrilegium LOCALE est violatio loci sacri.

Loca sacra, *in sensu stricto,* sunt illa quae, auctoritate Episcopi per consecrationem vel benedictionem sollemnem, ad cultum divinum publicum deputata sunt. Hujusmodi sunt practice: 1° ecclesia et oratorium publicum (a tecto interiori usque ad pavimentum); — 2° coemeterium publicum (III, 38, 460).

Quoad oratoria semi-publica, quaestio est utrum sint loca sacra in stricto sensu (*Noldin,* II, 178).

Loca sacra, in *sensu latiori,* prout *jus asyli* eis competit, sunt ea quae auctoritate ecclesiastica ad cultum divinum deputantur, ut coemeteria (etsi polluta), ecclesiae nondum consecratae aut benedictae, sacristia, turris, atrium, ambitus ecclesiae contiguus; item loca *religiosa,* i. e. monasteria, palatium Episcopi, domus parochialis, hospitia auctoritate Ecclesiae erecta. — Secus vero de oratoriis privatis (III, 460).

Sacrilegium locale committitur quatuor modis: 1° Peccatis omnibus, quibus ecclesia vel coemeterium *polluitur* de jure canonico (etsi maneant occulta et ecclesia reconciliatione non indigeat), scilicet homicidio voluntario, effusione sanguinis humani injuriosa et copiosa, effusione seminis humani voluntaria et illicita, et sepultura excommunicati vitandi, aut infidelis [1] (cfr. n. 1629). — 2° Peccatis omnibus, quae fiunt contra sanctitatem loci sacri *stricte dicti,* ut sunt: actus externi graviter turpes (III, 459, 461), spoliatio, furtum, rixae, stabulationes equorum, hisque similia, jam ipso jure naturae prohibita. — 3° Actibus profanis, qui lege *immunitatis* prohibentur, ut sunt deambulationes in loco sacro (stricte dicto), mercatus, comestiones, conclamationes, strepitus judiciorum saecularium; nisi justa *excuset* causa, ut, v. gr., si desit alius locus opportunus. Aliqua autem moderata deambulatio in ecclesia, aut privata comestio, etiam sine necessitate, non videtur grave peccatum, si absit scandalum, clamor et contemptus. Item venditio cereorum vel imaginum in coemeterio vel ad portas templi [2]. — 4° Violatione *juris asyli,* i. e. si violenter, aut fraudulenter (v. gr. impediendo ne alii cibos deferant), e loco sacro (etiam late sumpto, vel interdicto aut polluto) extrahantur personae eo confugientes et legitimo refugio gaudentes (III, 36, 38; de Privil., n. 25, 28). Cfr. n. 201.

Ex his videtur, locum minus stricte sacrum, solum modo sub 4° indicato violari.

« Per *meros actus internos* non violatur sanctitas loci; ideoque non committit sacrilegium qui in ecclesia habet voluntatem occidendi hominem extra

[1] Verbum *infidelis* intelligi debet de paganis, judaeis aliisque infidelibus, quorum sepultura in loco sacro efficit, ut polluatur. — Quoad *infantes fidelium,* qui sine baptismo decedunt, probabiliter eorum sepultura non inducit loci sacri pollutionem (*Noldin,* de Praec., n. 178, 2; *Schmalzgrueber* in l. 3, tr. 40, n. 47). — [2] Exercitia litteraria, productio operum musicae (oratorio), imo exhibitio theatralis, si ad pietatem fovendam conducunt etiam in ecclesiis in quibus sacrum fit, tolerari possunt, remoto semper Sanctissimo (*Tanquerey,* I, 933). Cinematographicae exhibitiones vero sicut et projectiones ibi omnino prohibentur. S. C. Consist., die 10 Dec. 1912.

Digitized by Google

illam. Secus, si quis extra ecclesiam proponit occidere in ecclesia » (III, 43). — Nec est locale sacrilegium, *furtum* commissum in sacristia, in claustris, in oratorio domus privatae.

QUAERITUR. *An furtum rei profanae, in* ECCLESIA, *sit sacrilegium?*

Resp. Controvertitur. Negant *probabiliter Lugo* et alii, nisi res sit ecclesiae commodata, aut in custodiam recepta. *Probabilius* affirmant alii multi, quia dicitur absolute in jure canonico (Can. *Quisquis,* caus. 17, q. 4): « Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro » (III, 39). Cfr. n. 903. — In praxi, quia res dubia est, non est urgenda illius circumstantiae accusatio.

3. *De sacrilegio reali.*

583. — NOTIO. Sacrilegium REALE est actus, quo violatur res sacra: quae hic intelligitur ceu distincta a personis et locis sacris (III, 40). — Sacrilegium reale etiam *mera omissione* fieri potest, et quidem grave, v. gr. si ea quae ad sacrificium spectant, ut corporalia et similia, sunt valde immunda. Raro tamen per hanc negligentiam graviter peccabitur (III, 48).

Quatuor autem sunt rerum sacrarum genera, et inde quatuor gradus sacrilegii realis, *intra eamdem speciem* (2. 2, q. 99, a. 3).

Primum et summum locum obtinent SACRAMENTA.

Ad primum igitur sacrilegii gradum pertinet omnis injuria, omnisque abusus sacramentorum, cum nempe scienter invalide conficiuntur, indigne administrantur, recipiuntur, aut aliter indigne tractantur, ut si oleum sacrum adhiberetur ut profanum. — Et quoniam inter omnia sacramenta praecipuum est Eucharistia, ideo inter sacrilegia realia omnium gravissimum est illud quo hoc sacramentum violatur, v. gr. si sacra hostia conculcatur. — Dicimus *inter sacrilegia realia,* quia non inter personalia recensendum est. Nam etsi Christus Dominus sit realiter praesens, non tamen se exhibet per modum personae, vel in forma rei animatae, sed per modum cibi et potus (*Sylv.*, 2. 2, q. 99, a. 3; *Lessius,* c. 45, de Irrelig., d. 3, n. 16).

Secundum locum obtinent VASA SACRA, ad ministerium et usum sacramentorum, sub quibus etiam comprehenduntur *corporalia.*

Sacrilegium proinde est, calice consecrato uti ad potandum, sicut fecit Baltassar de vasis templi Salomonis. — Vasis sacris accensentur *cruces, imagines sacrae, reliquiae Christi* et *Sanctorum, sacrae aedes,* et *altaria;* nam secundum usum Ecclesiae, aestimantur ut instrumenta divini cultus. — Huc etiam pertinet *aqua benedicta, oleum benedictum.* Item, *sacra nomina* Christi et sanctorum, *SS. Evangelia,* et tota Scriptura sacra, *hymni, caeremoniae ecclesiasticae,* etc.; ita ut eorum indignae tractationes sint sacrilegae, plus minusve, secundum quod res sunt plus minusve sacrae, et prout tractatio est plus minusve indigna. Sic, v. gr., grave esset abuti Scriptura sacra ad jocos inhonestos, mendacia, haereses, aliave peccata; veniale vero, eadem uti subinde ad jocum etiam honestum, si aliqua irreverentia ibi continetur (*Salmant.*, tr. 21, c. 12, n. 32; *Lehmk.*, I, 524).

Digitized by Google

Tertium locum tenent *omnia quae pertinent ad ornatum altarium et ministrorum,* et solent *consecrari* vel saltem *benedictione constitutiva benedici.* Cfr. n. 535.

Si violentur indigne, v. gr., si vestibus sacerdotalibus utaris ad usus profanos, aut ad ludicra, istiusmodi violatio est sacrilega. Item, *tangere nuda manu* (quod tamen omnibus tonsuratis licet, ex Decr. S. R. C., 23 Nov. 1906) *calices, patenas, aras chrismate inunctas,* nisi causa rationabilis adsit sicut pro regularibus et monialibus sacristis (*Jaugey,* de Relig., n. 476; *Gén.,* I, 282, 3°).

Quartum denique locum obtinent JURA et BONA ECCLESIASTICA, i. e. bona, sive mobilia, sive immobilia, quae deputata sunt ad sustentationem *ministrorum* ecclesiae, ad *templorum* fabricam, et ad *pauperum* sustentationem.

Huc pertinent deposita in ecclesia, pia legata jam ab ecclesia possessa, etc. — Haec qui inique *usurpat* (supprimit, detinet, occupat, defraudat, destruit) injustitiam qualificatam committit, quae passim in jure canonico *sacrilegium* nuncupatur (III, 40 et 42).

QUAERITUR. *An laesio quorumcumque bonorum ad clericos pertinentium sit sacrilegium?*

Resp. Negative; sed tantum laesio bonorum, quae clerici possident non suo, sed Ecclesiae nomine, et de quibus disponere nequeunt; quia haec tantum sunt sacra, ut communiter docetur (III, 42).

Nota. Poenae in sacrilegos latae in tr. *de Censuris* recensentur (vide n. 1319, 1320, 1321, 1324, 1325, 1326, 1329, 1332, 1342, 1347, 1348, etc.).

§ 3. De simonia.

Ad sacrilegium reale pertinet simonia, ut probat *Suarez* (de Relig., l. 3, c. 1). Fuse de hac materia agitur in jure canonico. Nos hic breviter agemus: 1° de simoniae natura et gravitate; — 2° de causis ob quas cessat; — 3° de casibus simoniae frequentioribus; — 4° de poenis in simoniacos statutis et de obligatione restituendi acceptum.

1. *De natura et gravitate simoniae.*

584. — DEFINITIO. Simonia est studiosa voluntas emendi aut vendendi, pretio temporali, aliquid spirituale vel spirituali annexum. Ita *S. Thomas* (2. 2, q. 100, a. 1).

Dicitur: *studiosa,* i. e. deliberata voluntas qua inchoatur saltem *pactum;* — *emendi* aut *vendendi,* quibus significatur natura contractus vigentis; sed satis est si sit virtualiter talis; — *pretio temporali,* i. e. quovis bono temporali; — *aliquid spirituale...* hoc indicat materiam circa quam versatur pactum.

DIVISIO. Simonia, ratione materiae, bipartitur: 1° Alia est *juris divini,* quae prohibetur jure naturae, *ob malitiam suam intrinsecam;* et est ipsa venditio vel emptio rei spiritualis, qua talis. — 2° Alia est *juris ecclesiastici*

Digitized by Google

tantum, quae ideo mala est, *quia vetatur jure canonico;* et est quaevis pactio, datio et acceptatio prohibita ab Ecclesia, quatenus simoniacam labem redolet, vel simoniae habet periculum.

Utraque haec simonia triplex est: *a*) *mentalis,* si fiat mere interne, vel si quid externe offeratur cum *intentione* simoniaca, sed absque pacto externe manifestato; ut accidere potest, si famulus Episcopo inserviat; — *b*) *conventionalis,* si pactum externum, saltem implicitum, intervenerit, sed a neutra parte exsecutioni mandatum est; — *c*) *realis,* si pactum effectu completum sit, saltem inchoate, ex utraque parte. Quod si pactum ex una tantum parte sit datum exsecutioni, simonia adhuc dicitur conventionalis, sed *mixta,* quatenus de reali participat (III, 49, 67, 106 fin.).

In materia beneficiaria, datur *d*) simonia *confidentialis,* cum quis nimirum procurat vel resignat alteri beneficium, sub certa confidentia, i. e. cum pacto saltem implicito, ut illud sibi vel alteri in posterum cedat, vel pensionem aut partem fructuum absque legitima auctoritate ex eo solvat. Haec simonia, ut patet, est casus particularis simoniae conventionalis, vel realis (III, 85, 90).

585. — PRINCIPIA. **I. Ad simoniam constituendam tria necessario requiruntur: materia invendibilis, pretium temporale, voluntas commutandi unum pro altero.**

1° MATERIA circa quam versatur hic sacrilegus contractus, est res spiritualis vel temporalis spirituali annexa.

a) *Res spiritualis,* quo nomine intelligitur res supernaturalis ad salutem ordinata; sive sit *formaliter talis,* ut gratia et dona Spiritus Sancti; sive *causaliter,* producens gratiam, ut sunt sacramenta, concio, preces et sacramentalia; sive sit *effective* spiritualis, i. e. *effectus* et usus potestatis supernaturalis, ut consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, praesentatio, confirmatio, collatio beneficii, aliique actus jurisdictionis ecclesiasticae. — *b*) *Res temporalis spirituali annexa* (et ad ipsam sua natura vel institutione Ecclesiae ordinata): sive *antecedenter,* ut ecclesiae, vasa sacra, quae praeexistunt consecrationi, vel jus patronatus respectu beneficii; sive *concomitanter,* ut tempus et labor, quae functionibus sacris intrinsece et inseparabiliter adnectuntur; sive *consequenter,* ut jus percipiendi redditus ecclesiae, quod praesupponit officium spirituale tanquam sui causam et radicem (III, 49).

Nota. Patrimonia ecclesiastica, legata pia, patrimonia laicalia, laicales capellaniae et pensiones *non sunt materia simoniae.* Attamen pensiones ecclesiasticae et ecclesiastica praestimonia, vicariae et coadjutoriae, item beneficia manualia, seu amovibilia ab Ecclesia inducta, etsi beneficii naturam non induant, *sunt materia simoniae:* quia sunt annexa clericali officio, et postulant ministerium spirituale. Sed qui talia vendit vel emit, non incurrit poenas simoniae; quia poenae sunt latae pro veris beneficiis (III, 112). Cfr. n. 1325, 1335 seqq.

2° PRETIUM, seu id quod habet rationem pretii, in emendo spirituale, denominatur in jure canonico munus a manu, munus ab obsequio, munus a lingua:

a) *Munus a manu,* per quod intelligitur pecunia et quodcumque temporale pretio aestimabile, v. gr. remissio debiti, concessio juris, mutuum, aut ejus promissio, pensio etiam alicui tertio solvenda. — *b*) *Munus ab obsequio,* i. e. omne quod ad servitutem pertinet, ut est famulari, docere, etc., ad finem

Digitized by Google

obtinendi aliquid spirituale. — *c*) *Munus a lingua,* seu patrocinium, quo nomine veniunt laudes, favores, intercessio etsi mediata, preces, et similia pretio aestimabilia (III, 56-66).

3° VOLUNTAS commutandi unum pro altero constituit vere simoniam sive haec voluntas sit externe manifestata, sive non; sive sit manifestata ex sua et altera parte, sive ex sua tantum (III, 51, 53).

Ex his conclude: 1° *Simonia est,* temporale dare aut accipere, sive formaliter sive virtualiter, sive pacto explicito sive implicito, pro ipsa re spirituali, et *in ejus commutationem,* ex *motivo* scilicet *primario,* unum pro altero seu pretio, aut justa compensatione habendi. « In hac materia, QUODCUMQUE PACTUM, *quodcumque onerosum*, est simoniacum, etiamsi non obliget rigorose ex justitia ». — 2° *Nequit excusari* a simonia mentali, is qui Episcopo gratis inservit, animo eum obligandi, quamvis ex gratitudine tantum, et non ex justitia, ad retribuendum beneficium (III, 51, 53). — 3° *A fortiori,* esset simoniacus qui deduceret in pactum obligationem antidoralem seu donationis ex gratitudine; nam tale pactum inducit saltem obligationem fidelitatis, quae cum sit aliquo pretio aestimabilis, reddit certe pactum simoniacum (III, 53 et 764; 1. El. qq. ref., n. 18.

Simonia vero *non est:* 1° Si spirituale pro spirituali detur, v. gr. reliquia pro reliquia, missa pro rosario, vel si quis Episcopo in spiritualibus (in audiendis confessionibus) inserviat, ad obtinendum beneficium. — 2° Si interveniat aliquod motivum honestum, v. gr. eleemosyna, stipendium, vi cujus temporale et vicissim spirituale tribuantur; siquidem unum non esset amplius alterius motivum, sed solum ejus causa impulsiva (III, 55). Sic, v. gr., « qui dant pecuniam pauperibus, ut pro eis orent, orationem non emunt, sed animos pauperum ad orandum alliciunt » (4. D. 25, q. 3, a. 2, ad 2). — 3° Si quis vendit vasa sacra *pro valore materiae.*

586. — II. Simonia est peccatum gravissimum, inter peccata religioni opposita. Patet: 1° Ex verbis S. Petri ad Simonem Magum (*Act. Ap.,* 8, 20): *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* — 2° Ex sacris canonibus, ubi simonia vocatur *exsecrabile vitium, flagitium piaculare, pestis,* etc. — 3° Ex ratione: malitia hujus peccati principaliter consistit in irreverentia, quae committitur, cum res sacra vel spiritualis ut profana vilipenditur. — Saepe etiam accedit injustitia, ob tituli defectum in accipiendo temporale; accedunt et alia mala innumera ex indignorum ministrorum electione, etc. (III, 49).

587. — III. Simonia juris divini non admittit parvitatem materiae; eam vero admittit simonia juris ecclesiastici. Ratio *primi* est, quia quantumvis parva sit res spiritualis, quae venditur aut emitur, gravis Deo injuria ex commutatione infertur. — Quoad *secundum* vero, non datur nisi Ecclesiae prohibitio, in qua utique parvitas materiae exsistere potest (III, 50).

Nota. Simonia juris divini et juris ecclesiastici sunt peccata *ejusdem speciei.* Etenim Ecclesia praecipit et prohibet haec pacta circa res spirituales ex motivo virtutis religionis.

Digitized by Google

2. *De causis ob quas cessat simonia.*

88 5. — Quamvis nunquam liceat aliquid temporale tanquam pretium pro spirituali dare aut accipere, fieri tamen potest, ut occasione rei spiritualis quae praestatur, aliquid temporale licite recipiatur, ex titulo nempe *extrinseco,* qui omnem simoniam tollit. — Hujusmodi TITULI seu CAUSAE sex recenseri possunt, videlicet:

1° PURA LIBERALITAS, aut GRATITUDO. Si quis enim, post spirituale concessum, ex grato animo temporale praestat, sine ullo pacto antecedente, nihil exspectans in posterum, non dat temporale, pro acquirendo spirituali.

Hinc, labe simoniaca carent dona a fidelibus praestita occasione baptismi, primae communionis ac matrimonii; item, munus pro jam obtento beneficio, etc. Nec est simonia conferre alicui beneficium ob carnalem affectionem, modo non intendatur aliquod temporale emolumentum (III, 52).

2° HONESTA OPERANTIS SUSTENTATIO, seu *stipendium.* Ministri enim Ecclesiae non tenentur propriis stipendiis militare; et ideo habent jus recipiendi a fidelibus, unde congruenter vivant, etiamsi sint divites.

Ex hoc titulo, beneficiarius recipit sui beneficii redditus, parochus jura stolae occasione matrimonii et exsequiarum; sacerdos stipendia pro celebrandis missis et pro sacris, quas ad populum habet, concionibus. — Quin etiam, a simonia probabilius *excusandus est,* qui officium spirituale implet principaliter ob emolumenta temporalia: modo haec habeat, non pro pretio et unico fine actionis sacrae, sed pro stipendio ad propriam sustentationem; quamquam non facile excusandus est a culpa *veniali,* cum sit quaedam inordinatio dirigere spiritualia ad temporalia (III, 55, q. 6; H. Ap., IV, 45).

3° REMUNERATIO LABORIS INDEBITI. Hoc effatis virtutis justitiae respondet.

Nihil quidem accipi potest *pro labore* functioni sacrae *intrinseco,* tametsi magnus sit: v. gr. pro onere deferendi ultima sacramenta ad infirmos multum distantes; hoc enim pastorali officio inhaeret. Vide infra n. 589, 4°. Pro labore autem *extrinseco* qui non debetur, licet accipere aut stipulare pretium: v. gr. pro missa tali hora celebranda, pro longiori Officio, pro missa binationis cantata, ubi datur excessus stipendii dioecesani et accedit hujusmodi labor (S. C. C., 17 Junii 1905, et 24 Mart. 1906). Item qui ad obtinendum alicui beneficium damnum passus est faciendo itinera, negligendo propria negotia, potest compensationem exigere (H. Ap., IV, 45).

4° REDEMPTIO INJUSTAE VEXATIONIS. Id etiam justitiae principiis consentaneum est. Circumspecte tamen procedi debet.

Duas hic regulas ponit *S. Alphonsus* cum Angelico: *a*) Si jus habeas *in re,* seu jus acquisitum et certum, bene potes redimere vexationem dando aliquid temporale, non tamen spirituale. Sic parochus canonice institutus et a magistratu civili vexatus, potest pecunia se liberare. Sic etiam fidelis potest, gravi de causa, dare pecuniam sacerdoti nolenti, sine illa, administrare sacramenta

Digitized by Google

(Exam. ord., n. 21). — *b*) Si jus habeas *ad rem*, v. gr. ad beneficium acquirendum, semper potes redimere vexationem a valentibus obesse, sed non prodesse ; ut nempe abstineant tibi nocere, sive minis aut calumniis contra justitiam, sive etiam donis ac precibus contra caritatem. Non potes autem, regulariter loquendo, redimere vexationem etsi injustam, quae provenit a valentibus *simul obesse et prodesse*, v. gr. ab electore, qui suffragium negare vel dare potest; ratio est, quia pecunia de facto semper inflecteret erga te animum electoris. — Excipe, si elector fraudibus et vi moliretur alios electores subornare, ut tibi suum quoque suffragium negent; tunc enim, ut satis probabile est, pecuniam dare posses cum expressa protestatione, quod nihil ab ipso petitur, nisi ut a vexatione desistat. — Item, potes pecunia impedire electionem indigni: Ecclesia enim habet jus ne sibi detur minister ineptus; non potes autem emere suffragia, nec impedire ne alius concurrat, qui potest jure concurrere (III, 98-104; H. Ap., IV, 49).

5° Dispositio S. Pontificis. Potest enim Pontifex simoniam juris ecclesiastici *directe* tollere, mitigando aut etiam abrogando legem.

Simoniam autem juris divini potest tollere *indirecte*, assignando titulum extrinsecum: v. gr. titulum sustentationis onerum Summi Pontificatus, ut in dispensationibus ab impedimentis matrimonii; vel titulum compensationis, ut in votis, quae commutantur in eleemosynas; vel titulum poenae, ut fit in dispensationibus tum ab irregularitatibus, tum ab impedimentis matrimonii ob crimen contractis (III, 95, 96; H. Ap., IV, 46).

6° Consuetudo non reprobata; nam et haec legem Ecclesiae abrogat vel mitigat.

Sic, v. gr., in quibusdam ecclesiis cathedralibus, usus invaluit contra jus commune, ut aliquid accipiatur in distributione sacri chrismatis, ad compensandas expensas factas pro materia comparanda. Item, pro confectis actis ordinationum, aliquid notariis ex usu conceditur (III, 110, fin.; *A. S.S.*, 13, p. 180).

3. *De casibus simoniae frequentioribus.*

589. — I. Contra jus divinum: 1° Simonia est dare vel accipere aliquid temporale *tanquam pretium* aut compensationem, *pro sacris muneribus quibuscuis*, v. gr. pro sacramentis aut sacramentalibus, pro sacris reliquiis, pro concione aut catechismo, pro applicanda indulgentia, pro dispensatione voti, juramenti, impedimenti matrimonii; item pro collatione, electione, praesentatione, confirmatione ad *beneficium* ecclesiasticum, pro collatione ordinum, sepultura ecclesiastica, dispensatione... Sic enim res temporalis cum spirituali commutatur (III, 55, 93-96). — Pro docenda Theologia, aut Scriptura sacra, licet recipere pecuniam; quia doctrina ordinatur primario ad bonum temporale discipulorum (III, 94).

2° Simonia est dare vel accipere temporale principaliter, etsi non unice, ad *obtinendum* vel *procurandum* spirituale. Motivum enim quod adjicitur, quantumvis honestum sit, prioris motivi, propter quod principaliter datur temporale, malitiam et impietatem non destruit (III, 51). — Licet, per se loquendo, dare aliquid temporale, primario ad captandam benevolentiam, secundario ad obtinendum spirituale ex benevolentia. In praxi autem, quoties datur temporale solo intuitu rei spiritualis, facile praesumenda est intentio saltem virtualiter simoniaca. Excipe, nisi constet de opposito, vel aliud colligatur ex cir-

Digitized by Google

cumstantiis, v. gr. ex parvitate muneris, vel ex pietate aut opulentia dantis (III, 51, 62; H. Ap., IV, 44). — Item, dare aliquid mediatori, non tanquam pretium ut intercedat, sed ob laborem aut damnum subeundum, non est ex se illicitum; est tamen periculosum (III, 64, 65).

3° Simonia est, *carius* vendere rem temporalem *antecedenter* annexam spirituali: v. gr. calicem consecratum, rosarium benedictum, fundum cui jus inhaeret patronatus, etc. — Dicitur *carius;* quia haec licite emi aut vendi possunt ratione valoris intrinseci, nisi id ab Ecclesia prohibeatur (III, 71; H. Ap., IV, 47; *Ami du Cl.*, 1910, p. 207).

4° Simonia est, vendere rem *concomitanter* et *intrinsece* annexam spirituali: v. gr. laborem intrinsece necessarium ad missam celebrandam [1].

5° Simonia est, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, vendere rem *consequenter* annexam spirituali, v. gr. jus percipiendi reddítus ecclesiasticos. Ratio est, quia haec res non potest acquiri, nisi ratione officii spiritualis; ergo nec vendi potest, nisi vendatur spirituale ei necessario praesuppositum (III, 70).

Hinc, nefas est in ingressu in Religionem emere vel vendere jus vivendi de bonis monasterii sat opulenti; hoc enim jus necessario conjungitur cum professione religiosa, quae est spiritualis (1. El. qq. Ref., 58). Cfr. n. 591, 2°. — Licet tamen, occasione ingressus in Religionem, dare vel accipere ob alios titulos, v. gr. doni gratuiti, eleemosynae. Item pro alimentis tempore novitiatus, etsi monasterium sit dives; pro sustentatione religiosi, si monasterium sit inops, vel si recipiendus sit infirmus, senex, hebes ingenio (III, 91, 92). — Monasteriis autem monialium concessum est, ut semper possint accipere dotem, ratione periculorum, quibus sunt generatim obnoxia. — Imo, si agatur de choristis in Ordine regulari, plures extant decisiones S. C. Episcoporum et Regularium, vi quarum non licet eas absque dispensatione pontificia admittere, nisi sufficientem et legitimam dotem afferant (*Anal. jur. pont.*, ser. 4, col. 1525).

6° Simonia est, dare aliquid, ut alter *omittat rem spiritualem*, « si omissio est de re directa a potestate spirituali, et adest obligatio eam ponendi, uti esset omissio absolvendi, dispensandi, eligendi, etc. (ita ex c. *Nemo presbyterorum, de simonia*) »; non vero, « si omissio esset alicujus actus spiritualis pendentis a libertate, ut esset omissio orandi, celebrandi, largiendi eleemosynam, dummodo omittens non teneatur ex justitia ad id praestandum » (H. Ap., IV, 48).

590. — II. Contra JUS ECCLESIASTICUM simonia committitur:

1° Beneficia ecclesiastica commutando, in alterius favorem resignando, circa ea transigendo, pensionem reservando, vel quocumque modo paciscendo, etiam ad imponendum onus spirituale, absque legitima licentia (III, 60, 69-90, ubi multa).

2° Vendendo, vel emendo officia temporalia ad res sacras canonice instituta, ut officia procuratoris, oeconomi, sacristae, thesaurarii, etc. (H. Ap., IV, 42).

3° Vendendo partem coemeterii sacri (et hoc est simonia juris divini, si vendatur uti locus sacer). — Potest tamen emi jus sepulcri, ratione oneris alios ibi non sepeliendi (III, 71).

[1] Ita S. Doctor (H. Ap., IV, 45). — *Noldin* (II, 198) in aliam sententiam abit quando dicit, laborem, functioni sacrae inhaerentem, considerari posse ut pretio aestimabilem, et ideo, citra culpam simoniae, fieri posse objectum contractus. Haec tamen (ut ipse fatetur) dicuntur contra sententiam communem. — Ex altera vero parte, non constat de *simonia*, si quis exigit pro functione sacra (quae retribui debet) compensationem justo majorem (*Lehmkuhl*, I, 534).

Digitized by Google

4° Vendendo oleum benedictum, vel sacrum chrisma, etiam secundum suam speciem physicam (sed cfr. n. 588, 6°). Item, vendendo vel venales exponendo coronas benedictas, numismata, et alia hujusmodi benedicta cum applicatione indulgentiarum; in quo casu et ipsae indulgentiae, ex decreto Sacrae Congr. Indulg., amittuntur (S. C. Ind. et Reliq., 12 Jul. 1847) [1]. Potest tamen venditor in se curam assumere ut res benedicatur, et postea accipere pretium (S. C. Ind., 1896).

5° Accipiendo aliquid, etiam sponte oblatum, equidem titulo gratitudinis, occasione collationis ordinis, vel etiam primae tonsurae (ex Tridentino, Sess. 21, c. 1, de Ref.). — Verum S. C. Conc., 9 Oct. 1678 permisit, ut Episcopi candelam reciperent ab ordinandis, et etiam mappam a presbyterandis. Imo, eadem Congregatio deputata ab Innocentio XI taxavit emolumenta, quae pro dimissoriis et testimonialibus exigi possunt, etc.

6° Dando vel accipiendo aliquid, etsi exiguum (v. gr. aliquos flores, paucos fructus, modica esculenta), occasione examinis pro parocho per concursum eligendo, sive ante, sive post examen; id enim prorsus vetitum est a Tridentino (Sess. 24, c. 18, de Ref.), sub poenis post sententiam incurrendis, ad amovendum omne humanae affectionis periculum in examinatoribus. — Imo, si quis daret pro examine ipso, ut illud nempe prospere procedat, committeret simoniam juris divini, ut palam est.

7° Accipiendo aliquid pro erectione, institutione, communicatione vel aggregatione confraternitatum, contra Bullam *Quaecumque* Clementis VIII, in qua decernuntur tum invaliditas actus, tum privatio officiorum et inhabilitas ad illa et alia in posterum obtinenda. — Haec poena a solo R. Pontifice remitti potest, sed nonnisi mediante sententia criminis declaratoria incurri videtur.

8° Committendo aliis celebrationem missae ex stipendio debitae, retenta parte ex pacto mutuo (*Noldin*, II, n. 185, 7°).

4. *De poenis in simoniacos latis, necnon de obligatione restituendi acceptum.*

591. — PRINCIPIA. I. **Poenae non incurruntur, ipso facto, nisi per simoniam sive realem sive confidentialem.** Id vero evenit tantum in casibus qui respiciunt rem beneficiariam, ingressum Religionis, missarum stipendia et indulgentias, simoniacam electionem Papae.

Haec sunt ordine explicanda: 1° IN RE BENEFICIARIA. Simonia *realis* plectitur: *a*) excommunicatione Papae simpliciter reservata, quae extenditur etiam ad complices, i. e. quorum cooperatione contractus perficitur (cfr. n. 1335); — *b*) nullitate electionis, praesentationis et canonicae institutionis; ita ut sic promotus et institutus nequeat fructus beneficii facere suos; — *c*) inhabilitate perpetua *ad idem* beneficium; et post sententiam saltem declaratoriam, inhabilitate etiam *ad alia* beneficia obtinenda. — Simonia *confidentialis*, etiam incompleta, praeter easdem poenas, quas incurrunt praelati cujuscumque dignitatis, etiam Cardinales et Episcopi (non autem complices, n. 1336), punitur ad hoc privatione pensionum et beneficiorum prius obtentorum; sed non nisi post sententiam criminis declaratoriam (III, 111, 112; H. Ap., IV, 53).

[1] Non solum tunc amittuntur indulgentiae, si quis requirat pretium post benedictionem, sed etiam si quis aliquid accipiat, etiam titulo gratitudinis vel eleemosynae, pro rebus benedictis quas ipse spontanee dederit. *A. S. S.*, 20, p. 63; *Beringer*, P. II, n. 32

Digitized by Google

Quinimo, quamvis Pontifex confirmet, v. gr. Episcopi electionem, nesciens vitium simoniae, et quamvis in Bulla dicat se supplere omnes defectus, non tamen valet confirmatio; quia illud intelligitur de aliis defectibus, non vero de simonia (III, l. c. et 120).

2° In ingressu religionis stricte talis, per professionem. Simonia *realis* plectitur excommunicatione S. Pontifici simpliciter reservata, in praesumentibus dare vel accipere. — Accipientes suspendebantur olim ab officiis capitularibus omnique actu jurisdictionis. Sed haec poena videtur abrogata ex Const. *Apost. Sedis* (cfr. n. 1337). — Professus vero (cujus professio quidem valet) in arctius monasterium, post sententiam, transferri debet (III, 108; H. Ap., IV, 50).

3° In stipendiis missarum et indulgentiis. Feriuntur eadem excommunicatione reservata: *a*) Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis et ex eis lucrum captantes, eas celebrari ratione minoris stipendii faciendo. — *b*) Omnes qui (sive *concedendo,* sive *publicando,* sive *publicari jubendo*) quaestum faciunt ex indulgentiis et aliis gratiis spiritualibus (cfr. n. 1338, 1339). — His adde quae diximus n. 590, 7°, de confraternitatum erectione.

4° In simoniaca electione Papae (vide n. 1312, 3°).

Nota. Hodie nulla est censura *in simoniaca collatione et receptione* ordinum. Excipe *suspensionem,* quam incurrit per triennium Episcopus ordinans aliquem, absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus ab ipso non petat alimenta (vide n. 1362). — Excipe quoque *privationem* spei ascendendi ad alios ordines. Quae poena est species irregularitatis Papae speciali modo reservata, ex Const. *Sanctam* Pii V.

Ceterum, contra quamlibet simoniam notoriam, sive ex judicis declaratione, sive ex facti divulgatione, statuitur *infamia juris,* ac proin *irregularitas* (cfr. n. 1938).

592. — II. Spirituale simoniaci acceptum, si sit beneficium ecclesiasticum, semper restitui debet; pretium vero temporale simoniace acceptum restituendum est quando in conventione justitia laesa fuit. Ratio *primi* est, quia collatio hujusmodi beneficii, ipso jure et ante sententiam judicis declaratur irrita. Ratio *secundi:* quia si deest laesio justitiae, restitutio nullo alio jure cavetur. Secus post sententiam judicis (III, 114).

Hinc: 1° Beneficium est *ipso facto* dimittendum cum fructibus injuste perceptis, iis solis retentis, quae correspondent labori. — Restitutio fiat Ecclesiae; sed probabile est, fructus posse etiam restitui pauperibus, vel successori in beneficio. Potest etiam *compositio* obtineri a Papa, si subsit causa (III, 113, 114).

Si vero spirituale simoniace acceptum, sit *alia res* a beneficio, nihil restituendum est. Ratio, quia cetera vel restitui nequeunt, uti sunt sacramenta; vel non sunt restituenda ante judicis sententiam, uti reliquiae sacrae; cum canones illud non statuerint.

2° Si, accepto pretio temporali, res spiritualis non fuerit tradita vel praestita, pretium restitui debet illi qui dedit, cum dederit ex titulo falso.

3° Si utrinque *secuta sit traditio,* in hoc casu, juxta alios, pretium adhuc reddendum est danti, ob nullitatem contractus; juxta alios, ecclesiae, ubi est beneficium, in poenam utriusque commutantis; juxta alios demum, potest etiam dari pauperibus. — Hae tres sententiae sunt probabiles, sed secunda et tertia probabiliores (H. Ap., IV, 53; Conf. dir., IV, 28).

Digitized by Google

TRACTATUS II.

De secundo Decalogi praecepto

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.
(*Exod.*, 20, 7).

593. — Sicut per *primum* praeceptum imprimis *fidelitas* erga Deum praescribitur, seu propria ad ipsum submissio: ita per *secundum* praescribitur imprimis reverentia, seu illa altera pars cultus qua jubemur nihil injuriosum in Deum committere, et nomen, i. e. excellentem potestatem Dei honorare (*S. Thomas*, Op. de praec. Decal., c. 13).

Jamvero, divinum nomen honoratur: 1° per confessionem et *laudem;* cujus contrarium est *vana assumptio* et multo magis *blasphemia;* — 2° per *juramentum* (jurando enim profitemur Deum esse primam veritatem), item per *adjurationem* (hac enim divini nominis potentiam profitemur): quorum oppositum est juramentum *falsum, injustum* et *indiscretum*, sicut et *indiscreta adjuratio;* — 3° per *votum* (vovendo enim profitemur Deum esse omni servitio dignissimum); huic opponitur *votum indiscretum* et voti *violatio.*

Hinc de tribus agendum est, nimirum: 1° de laude Dei, deque irreverentia erga ejus sanctum nomen; — 2° de juramento et adjuratione; — 3° de voto.

CAPUT I.

De laude Dei deque irreverentia in SS. ejus Nomen.

S. Thomas, 2. 2, q. 13, et 97-100; *S. Alphonsus*, III, 121 seqq.; ed. G., I, p. 439; *Suarez*, de Virt. Relig., tr. III, l. I, III; *Lehmkuhl*, I, n. 506: *Génicot*, I, n. 291 seqq.; *Gury-Ferreres*, I, n. 299 seqq.; *Vermeersch*, Quaest. de Virt. Relig., n. 159.

Praenot. « De Deo, ait Doctor Angelicus, duplici modo loqui possumus. Uno modo, *quantum ad ejus essentiam:* et sic, cum sit incomprehensibilis et ineffabilis, « major est omni laude »; et sub hoc respectu debetur ipsi reverentia et latriae honor. Altero modo, *secundum effectus* ipsius qui in nostram utilitatem ordinantur; et sub hoc respectu debetur ei laudatio; unde dicitur (*Isai.*, 63, 7): *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quae reddidit nobis Dominus* » (2. 2, q. 91, a. 1 ad 1).

594. — PRINCIPIA. I. **Ad honorandum Deum non sufficit laus cordis, sed requiritur etiam laus oris.** Laus *cordis* est honor Deo sensibus internis seu ratione et voluntate praestitus. Atqui haec laus non sufficit, propter ipsum laudantem, cujus in Deum affectus ex ipsa

Digitized by Google

laude excitari debet, secundum illud (*Ps.* 49, 23): *Sacrificium laudis honorificabit me; illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* — Prodest etiam laus *oris* ad hoc, quod aliorum affectus in Deum provocetur.

Ad Dei laudem insuper pertinet, Deum fidenter *confiteri* in conspectu omnium, Christumque salutis nostrae auctorem *praedicare*. Dicit enim Dominus (*Luc.*, 9, 26): *Qui me erubuerit, et meos sermones: hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua.* Item *divinam Providentiam agnoscere et celebrare* in omnibus eventis, tum prosperis, tum adversis, dicendo cum *Job* (1, 21): *Sit nomen Domini benedictum.*

II. **Laus oris imponitur omnibus negative, quibusdam vero positive.** Dicitur *negative*, in quantum omnes abstinere debent ab iis quae Deo irreverentiam infligunt. — Officium *positive* laudandi Deum imponitur religiosis et clericis, ut videbitur n. 2203 seqq.

Cum irreverentia in SS. Dei Nomen committatur: 1° per vanam illius usurpationem; — 2° per blasphemiam, ideo de hisce nunc in duplici articulo agemus.

ARTICULUS I.

De vana divini nominis usurpatione.

595. — Definitio. Vana usurpatio divini nominis est omnis, vel Dei, vel D. N. J. Christi, nominis appellatio, facta absque justa causa, vel absque debita reverentia.

Hoc autem fieri solet ex triplici causa: ex *impatientia*, ex *admiratione*, ex *superfluo modo* seu *consuetudine loquendi*. — Quod si cum debita reverentia, et per modum invocationis, Dei nomen usurpetur, est actus bonus et meritorius.

Principia. I. **Vana usurpatio nominis Dei est peccatum contra religionem.** In ea enim sanctum et terribile nomen Dei instar rei profanae habetur. Unde (*Exod.*, 20, 7) praecipitur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

II. **Hujusmodi tamen appellatio, per se, culpam venialem non excedit.** Etenim in ea non apparet gravis offensio divinae majestatis. Saepe autem *culpa vacat*, propter inadvertentiam.

Hinc: 1° Vana usurpatio nominum *Sanctorum*, aut verborum Scripturae Sacrae, est peccatum ejusdem speciei contra religionem, eo quod irreverentia, Sanctis irrogata, in Deum redundat.

2° In ira usurpare *daemonem* sine imprecatione, non est per se peccatum contra religionem, quia ipsi nulla reverentia debetur. Assidua tamen ejus nominatio non decet christianum, et ratione scandali potest esse gravis, si nempe clerici, religiosi hoc faciunt (III, 131, 11°).

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De blasphemia.

596. — DEFINITIO. Blasphemia est locutio contumeliosa in Deum.

Dicitur: 1° *locutio,* quia ordinarie fit verbis, licet etiam sola cogitatione fieri possit, vel scriptis, vel etiam factis, v. gr. spuendo in coelum. Dicitur etiam locutio, quia ad blasphemiam non requiritur sicut ad infidelitatem, assensus mentis; sed sufficit, ut dicatur de Deo aliquid per modum convicii; — 2° *contumeliosa,* qua scilicet aliquid de excellentia divinae majestatis detrahitur: sive id fiat attribuendo ei falsa, sive negando vera; sive tribuendo creaturis quae Deo debentur; sive etiam dicendo vera, sed quae ad ejus inhonorationem tendunt, ut fit per modum ei indignantis, contemnentis, etc.; — 3° *in Deum;* quia convicium in Sanctos, res sacras, etc., in quantum specialem relationem habent ad Deum, ultimatim, in ipsum Deum refertur (III, 121; H. Ap., V, 1). Cfr. n. 546 [1].

DIVISIO. 1° Ratione objecti, alia est *immediata,* quae Deum in se inhonorat; alia *mediata,* quae Deum inhonorat in Sanctis, vel in aliis nobilioribus creaturis, quae peculiarem ad eum relationem connotant.

Blasphemia immediata a mediata probabiliter non differt specie; etenim « qui blasphemant Sanctos, verius (communiter loquendo) eos injuria afficere intendunt, non ob praecisam propriamque ipsorum excellentiam, sed *quatenus ad Deum mediate referuntur:* ideo... non contra duliam sed *contra latriam* peccant; et propterea non tenentur explicare (in confessione) an Deum vel Sanctos blasphemaverint » (III, 132; cfr. *Viva,* Decal., q. 6, a. 2, n. 6).

2° Ratione intentionis, alia est *directa,* quae nempe Deum directe et formaliter aggreditur, ex intentione ipsum inhonorandi (haec dicitur etiam *diabolica*); alia est *indirecta,* quae advertenter quidem, v. gr. in motu irae, profertur, sed absque directa intentione inhonorandi Deum.

Blasphemia *directa* procedit persaepe *ex odio Dei:* quae circumstantia, ut patet, est in confessione exprimenda (III, 126; *Vind. Alph.,* VI, c. 1, § 1, n. 1). — Blasphemia *indirecta,* licet specifice sit idem peccatum contra latriam ac blasphemia directa, gradu tamen inferior est.

3° Ratione verborum, blasphemia est vel *haereticalis,* vel *imprecativa* vel *dehonestativa.* — Quae distinctio est specifica, quia praeter religionem, primus modus blasphemandi laedit etiam fidem, et secundus caritatem.

Blasphemia HAERETICALIS est illa, quae continet haeresim seu falsitatem contra fidem. Blasphemia hujusmodi est dicere, v. gr.: *Deus non exsistit; Deus non vult aut non potest nos juvare, non gerit curam hominum, est tyrannus, non bene disponit res humanas; B. Virgo est mulier sicut ceterae* (si nempe subaudiatur eam non esse virginem, aut Dei matrem); item attribuere creaturae quod

[1] Si reservatur peccatum blasphemiae, haec reservatio non incurritur, nisi adsit locutio (externa) contumeliosa.

Digitized by Google

soli Deo competit, v. gr. appellare diabolum « sanctum, omnipotentem » (III, 122; cfr. *Togni*, Instr., II, c. 1, § 5). — Quod si proferens haec ore, vel scripto, *credit* etiam corde pertinaciter, habetur malitia haeresis *externatae*, ob quam excommunicatio specialiter reservata incurritur (cfr. n. 1314).

Blasphemia IMPRECATIVA est, qua quis Deo malum exoptat, v. gr. si quis dicat: *Pereat Deus! Utinam Deus non esset! Maledictus Deus!* etc. — Si talis imprecatio procedit ex odio Dei, tunc proprie dicitur blasphemia imprecativa; secus, reducitur ad blasphemiam dehonestativam (Inst. cat., P. I, c. 2, n. 1).

Blasphemia DEHONESTATIVA, seu *simplex*, est, qua quis per modum contumeliae et irrisionis aliquid de Deo pronuntiat. Talis fuit illud Juliani Apostatae: *Vicisti, Galilaee*, et istud irrisorum Christi: *Ave, Rex Judaeorum.* — Item, si *mors, caput, sanguis, viscera Christi* ex ira, vel joco, contumeliose nominantur. — Item, velle aliquid agere, invito Deo, spuere in coelum, conculcare sacras imagines, coronas, etc. (III, 124, 125).

597. — PRINCIPIA. I. **Blasphemia est peccatum mortale, ex toto genere suo, et quidem gravissimum.** Probatur: 1° ex verbo Dei (*Levit.*, 24, 16): *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur;* — 2° ex ratione: blasphemus enim, aperto quasi marte, Deum ipsum aggreditur. Unde *S. Hieronymus* (in *Isai.*, l. VIII, 18): « Nihil horribilius, inquit, blasphemia, quae ponit in excelsum os suum ». Et *S. Chrysostomus* (Hom. ad pop. Antioch., n. 12) fideles hortabatur, ut blasphemos etiam verberibus cohiberent, ne civitas periret. Cfr. *S. Thom.*, 2. 2, q. 13, a. 2 et 5.

Diximus *ex toto genere suo;* et sic non admittunt materiae parvitatem illae blasphemiae in Sanctos, quae in Deum redundant. Si autem Sancti, *qua homines*, contumelia afficiuntur, v. gr. si quis ex joco Sanctos *Crispinum* et *Crispinianum* appellat *sutores, Joannem* et *Paulum eunuchos*, etc., hoc utique esset veniale (contra *duliam*); « grave vero erit si contemptim, vel ex odio aut indignatione contra Sanctos, haec dicas » (III, 125).

Potest etiam blasphemia VENIALIS fieri ex imperfectione actus. Sic, v. gr., qui dicit: « *Deus est mei immemor;... quare Deus me creavit?* » venialiter tantum peccat, si ita ex doloris impetu loquatur. — Imo, non blasphemat formaliter, si talia proferens tantum dicere intendit: miser sum, quasi Deus mei oblitus esset.

II. Ad blasphemiam sufficit virtualis et implicita intentio Deum inhonorandi. Talis habetur in illo, qui ex joco « aut ira in creaturas » profert advertenter (in actu, vel in causa) locutiones vere blasphematorias (III, 124; cfr. *Reuter*, n. 442). Sic enim gravis irreverentia in Deum committitur. — Excipe, nisi jocus tollat omnino rationem seu significationem contumeliae in Deum, v. gr. jurando, irrisionis causa, per falsos deos. Cfr. *Ami du Cl.* (1913, p. 729), ubi de eo qui blasphemias psittacum docet.

Digitized by Google

598. — REGULAE SEQUENTES dari possunt ad discernendum quibusnam, inter varias locutiones, verae blasphemiae ratio insit:

1° Si qua locutio, vel ex propria significatione, vel ex communi aestimatione, vel ex modo proferendi, *habet* SENSUM CONTUMELIOSUM *in Deum,* semper erit blasphemia.

Hinc blasphemat, qui dicit: *perdat te Dei sanguis, vulnera, mors Dei, caput, passio, sacramenta, chrisma,* et similia sacra. Ceterum communiter in his apprehendunt homines magnam Dei, earumque rerum, vilipensionem contineri (III, 126).

Utrum sit blasphemia haec nimis usurpata locutio gallica: *Sacré nom de Dieu,* nuperrime valde disputatum est [1]. Etenim, juxta quosdam, in hujusmodi acceptione, vox *sacré,* secundum communem apprehensionem, idem sonat ac exsecrabile, despiciendum, contemptu dignum [2]. Quare, si haec vox in eadem acceptione usurpatur, ad exprimendum contemptum in res vel personas sacras qua tales, etiam blasphemia erit (*Jaugey,* de Relig., n. 456). — Sunt tamen alii, ut *Gousset, Scavini, Valentini, Frassinetti* (traduct. *Fourez*), *Gridel, Tanquerey* et alii (apud *L. Manise*) qui vocem *sacré* conjunctam cum SS. Dei Nomine a blasphemia excusant, hac ducti ratione, quod ista vox non idem significet ac maledictum, quippe quod derivata ab antiquis juramentis, in quibus significat *Sanctum Dei Nomen.* — Putamus, igitur, cum locutio de se et ex acceptione erronea sit ambigua, locum dari principio a *S. Alphonso* enuntiato, ubi de maledictione mortuorum (Theol. mor., III, tr. II; ed. G., I, p. 456) et cum *Bucceroni* dicendum esse: « In praxi, non sunt facile de peccato mortali arguendi ii omnes, qui hujusmodi verba proferunt, nisi fiat cum ira in Deum » (Inst. mor., I, n. 456). — Eodem modo ratiocinandum est de formula flandrica: *G. V. D., Deus damnet me,* quae de se nonnisi dira imprecatio esse videtur [3]. — Item, sed ex defectu significationis, de formula germanica: *Tausend Sakrament, Tausend Herr Gott* (*Noldin,* II, n. 206, *b*).

2° Si locutio *non habet sensum* COMPLETUM, non est blasphemia, nisi indignatio directa sit contra Deum (III, 124).

Unde gravi culpa vacant hae locutiones: *Nom de Dieu! Sacré nom!* sine addito, etc. Non vacant tamen culpa levi, tum propter impatientiam, tum propter vanam divini Nominis usurpationem; imo, propter periculum incidendi in blasphemiam culpa posset fieri gravis (III, 128). — Similiter, est solummodo vana usurpatio Nominis divini, nude proferre verba sacra, v. gr. *mortem Dei, vulnera, sacramentum,* etc., si iracundia tantum in hominem vel jumentum tendat; quod quidem ex adjunctis colligendum est. — Nec est blasphemia, verba dimidiata aut corrupta proferre, ut, v. gr., *jourdedié, mordié, ventredié, morbleu; nego Di... Santo Di...* (*Diana*); aut dicere contra homines: *Sangue di Dio, Corpo di Dio,* nisi indignatio sit directa contra Deum (III, 124, 128). — Vox germanica *fluchen* saepe idem sonat ac proferre in iracundia nomina sancta (v. gr. *Himmel, Herrgott*) sine imprecatione vel contumelia.

[1] Cfr. *Manise,* Etude de quelques locutions françaises censées blasphématoires. — [2] Cfr. Lexica Academ., Bescherelle, etc. Vox latina *sacer* eamdem etiam significationem subinde habet. Vide Totius latinitatis Lexicon, auctore *Aegidio Forcellini,* v. *Sacer,* ubi plura exempla afferuntur. — [3] *Brahm,* Diss. de formula *G. V. D., Deus damnet me.* Instr. Episc. Belgii, 1906.

Digitized by Google

3° Maledicere CREATURIS non est blasphemia, nisi *in quantum habent specialem relationem ad Deum.*

Hinc: *a*) blasphemia est maledicere Sanctis, sacramentis, diebus vel rebus sacris, fidei catholicae, Ecclesiae Dei, aut etiam sacerdotibus, quatenus sunt ministri Dei; — *b*) maledicere autem creaturis, *in quantum sunt creaturae,* non est blasphemia, nisi addatur vocabulum *Dei,* v. gr. *maledicta pluvia Dei;* aut nisi divina potentia modo peculiari in eis reluceat, prout sunt anima, coelum, totus mundus, etc.; quo in casu Deus in ipsis indirecte contemneretur; — *c*) maledicere homini, *vivo* vel *defuncto,* quin proferatur verbum *anima,* non est blasphemia, nisi dicentis intentio maledictionem in animas referat; quapropter dicere: *damnet me, damnet te Deus* non est per se blasphemia, sed *dira imprecatio* [1]; — *d*) maledicere *daemoni,* ut auctori malorum, non est blasphemia; — *e*) in ira *imprecari sibi* vel *aliis* daemonem, fulgura, etc. est pariter dira IMPRECATIO; quae plerumque, ob defectum seriae voluntatis, non est nisi culpa venialis. — Gravis tamen est irreverentia, si subditi Superioribus, filii parentibus (licet materialiter tantum) sic maledicant, praesertim in faciem (III, 129, 131).

4° IN DUBIO utrum aliqua locutio sit blasphematoria, non est, per se, ut talis habenda; sed attendendum est ad proferentis conscientiam.

Nota. Locutiones juratoriae (etsi vanae) generatim inter blasphemias non recensentur; v. gr. *per Deum, per Christum, per Sanctos, per sacramenta,* etc. — Nec blasphemia est jurare per membra honesta Christi. Secus, si juretur irrisorie, vel per membra ejus inhonesta. — Similiter, non est blasphemia dicere: *nego Deum, si te non percussero;* « neque dicere: *hoc est verum sicut Deus;* quia tunc solum indicatur similitudo quaedam, mixta cum aliqua hyperbole » [2].

599. — REGULAE PRACTICAE. I. Sedulo INTERROGANDI sunt poenitentes: 1° Cujusmodi verba protulerint, saltem in genere; et insuper constare debet confessario, an blasphemia processerit ex infidelitate, desperatione aut ira in Deum vel Sanctos. — 2° Quoties, et qua occasione blasphemaverint, an in ludo, in caupona, etc., et a quanto tempore versentur in hoc vitio. — 3° An blasphemaverint coram filiis, famulis aut aliis; tunc enim adest scandalum (Praxis, n. 27-31).

II. Non facile adhibenda est fides blasphematoribus CONSUETUDINARIIS, qui, dum consuetudinem non retractaverint, inadvertenter se in blasphemias erumpere dicunt; quia hi mali habituati licet habeant cognitionem minus vivacem aliis, qui usum blasphemandi non contraxerunt, semper tamen eam habent actualem cognitionem, sufficientem ad hoc ut actus sit deliberatus (V, 4; Praxis, l. c.). Cfr. n. 319, 3°. — Secus dicendum de iis, qui consuetudinem jam retractaverunt, et ob naturalem impetum, v. gr. irae relabuntur (Inst. cat., P. I, c. 2, n. 7-14).

III. REMEDIA praescribat confessarius, tum ostendendo blasphemiae enormitatem, horrendosque ejus effectus, tum suadendo poenitenti, ut pro singulis blasphemiae actibus, forsan futuris, poenitentiam sibi imponat. Suadendae sunt

[1] Cfr. *Aertnys,* Diss. de impr. *Deus damnet me; Lehmkuhl,* I, 313. — [2] III, 124; vide, pro diversis locis, *Sarnelli,* Op. contro la bestemmia, l. I, aggiunta; *Salmant.,* tr. 21, c. 3, n. 121; *Sporer,* de 1° Praec., c. 10, sect. 1, n. 19; *Gobat, Voit, Elbel,* etc.

Digitized by Google

demum preces jaculatoriae, aut quaedam aliae voces innocuae, quarum usu blasphemiae excludantur.

IV. Caveat CONCIONATOR, ne de peccato certo damnet, quod in se dubium est. Curet ne relinquantur in suo errore, qui versantur in statu conscientiae erroneae. Melius est permittere innumera peccata venialia, quam unum mortale[1].

CAPUT II.

De juramento et adjuratione.

S. Thomas, 2. 2, q. 89; *S. Alphonsus*, III, 133; ed. G., I, p. 460; H. Ap.. V, 12; *Billuart*, de Relig., Diss. V; *Suarez*, de Relig., Diss. V; *Aertnys*, l. III, n. 68; *Göpfert*, der Eid; *Schindler*, II, p. 158; *Génicot*, I, n. 298; *Koch*, Moraltheol., § 109; *Waffelaert*, Étude sur le serment (1884).

ARTICULUS I.

De juramento.

600. — DEFINITIO. Juramentum venit a *jure*, quia attestatio sub juramento fundat jus, et definitur: invocatio Dei, in testimonium veritatis.

Dicitur: INVOCATIO, i. e. in auxilium vocatio, ut distinguatur a voto, quod est promissio; — DEI: invocatur Deus, prima Veritas, ut testis omni exceptione major, rogaturque, ut infallibili suo testimonio assertum manifestet tanquam ab ipso cognitum et verum, quando et quomodo ipsi placuerit, sive in hac sive in altera vita; — IN TESTIMONIUM, ut sic distinguatur juramentum ab aliis actibus, per quos Deus invocatur in auxilium; v. gr. ab adjuratione (n. 618); — VERITATIS, quo nomine venit etiam promissio, cujus Deus quasi fidejussor adhibetur (III, 133; *S. Thom.*, 2. 2, q. 89, a. 1).

DIVISIO. Multipliciter distinguitur juramentum:

1° Ratione modi, aliud est *implicitum*, cum per creaturas, in quibus *speciali* ratione attributa Dei elucent, Deus invocatur, v. gr. per coelum, per Evangelia. Aliud est *explicitum*, quando Deus directe invocatur.

2° Ratione formae, aliud est CONTESTATORIUM (seu *invocatorium*), quo Deus simpliciter ut testis invocatur; aliud EXSECRATORIUM (seu *imprecatorium*), quo Deus non solum invocatur ut testis, sed etiam ut vindex.

Sic habetur *juramentum exsecratorium*, cum jurans, se, vel aliquid sui aut suorum, subjicit Deo puniendum, si falsum dicat, v. gr.: *Si verum non dico, Deus me puniat, nec conjugem nec liberos vivos hodie intuear*, etc. — Huc etiam pertinet invocatio Dei, ut largitoris bonorum, v. gr.: *Sic me Deus adjuvet et sancta ejus Evangelia*. In hisce quippe formulis intelligitur contraria exse-

[1] III, 130, v. fin.; Ep. de maled. mort. (a. 1746); cfr. *Sarnelli*, op. cit., l. 2 et 3.

Digitized by Google

cratio, quasi jurans diceret: pro veritate asserti et fidelitate in promissis, Deus me adjuvet, et auxilio suo me destituat, si mentior, vel infidelis sunt (III, 140, 143).

3° Ratione materiae, dividitur in ASSERTORIUM, quo praeterita vel praesentia affirmantur, aut negantur; et PROMISSORIUM, quo aliquid futurum promittitur.

Hoc iterum duplex est: unum *simplex* et per se stans, quo quis jurat se facturum, vel omissurum aliquid, absque promissione erga alterum, v. gr.: juro me jejunaturum: alterum *confirmatorium* promissionis, quo nempe firmatur promissio Deo vel homini facta (III, 141; *Bill.*, de Relig., Diss. 5, a. 2).

4° Ratione circumstantiarum, aliud est JUDICIALE, aliud EXTRAJUDICIALE; — aliud est SOLLEMNE, quod fit cum quadam sollemnitate, ut coram notorio, testibus, Evangeliis; aliud SIMPLEX, quod caret ejusmodi caeremoniis.

Nota. Sunt omnia haec juramenta *ejusdem speciei*, quia in omnibus adducitur Deus ut testis veritatis.

601. — PRINCIPIUM. **Juramentum per se licitum est et laudabile.** Est enim actus religionis, quo profitemur Deum esse potiorem rerum testem et confirmatorem. — Constat insuper propositio tum ex definitione Concilii Constantiensis, Sess. 8ª, contra Wicleffum, et ex Bulla *Auctorem fidei*, n. 75; tum ex praxi universali Ecclesiae et populorum, nec non ex variis S. Scripturae locis, v. gr. (*Deut.*, 6, 13): *Dominum Deum tuum timebis... ac per nomen illius jurabis* (III, 114).

602. — PRIMARIUS tamen *juramenti* FINIS non respicit cultum Dei, sed fidem faciendam, corrigendumque vitium incredulitatis et infidelitatis inter homines. — Et ideo ait *S. Thomas* (2. 2, q. 89, a. 5): « Juramentum est habendum, non inter ea quae sunt per se appetenda, sed inter ea quae sunt huic vitae necessaria », sicuti medicina, qua non habitualiter, sed raro et caute utendum est. Sic dicere possumus: *Omne quod plus est* (quam simplex affirmatio vel negatio), *a malo est* (*Matth.* 5, 33).

His praemissis, disserendum venit: 1° de validitate juramenti; — 2° de juramenti liceitate; — 3° de juramento promissorio.

§ 1. De validitate juramenti.

603. — PRINCIPIUM. **Ad validum juramentum requiruntur: intentio jurandi et formula juratoria.** Haec duo sunt essentialia; primas tamen partes tenet intentio, ita ut, licet *interne* tantum Deus ut testis invocetur, adsit juramentum.

I. Requiritur INTENTIO JURANDI, saltem *virtualis;* quia sine tali intentione juramentum, prout invocatio Dei, non est actus humanus (III, 134).

Digitized by Google

Hinc: 1° Si deest *animus jurandi* (sive *ex inadvertentia,* ut in eo qui nescit aut non advertit verba, quibus utitur, esse juratoria, aut qui ea ut juratoria usurpare non intendit, sed expressius tantum vult affirmare quae dicit; sive *ex malitia,* ut in eo qui ficte jurat, positive excludendo intentionem invocandi Deum ut testem), nullum est juramentum. — 2° Idem dicendum probabilius de juramento promissorio, si deest *animus se obligandi ex juramento,* seu ex religione; quia contradictorium est velle jurando promittere, et nolle obligationem religionis contrahere. — 3° Si desit tantum *animus implendi* promissionem, valet juramentum, cum intentio adsit vere jurandi; sed committitur perjurium, ob defectum veritatis, ut n. 606 dicetur. Cfr. *S. Alph.*, III, 172.

II. Requiritur FORMULA JURATORIA, qua *expresse* vel *tacite* manifestatur Deum in testimonium invocari. Secus quomodo posset modo sensibili Deus tanquam testis adhiberi coram aliis? (III, 134).

Porro: 1° EXPRESSA est invocatio, quoties Deus vel ejus attributa ad fidem faciendam in medium proferuntur. Hujusmodi sunt sequentes formulae: *Deum attestor, contestor; testis sit mihi Deus; juro per Deum, per Christum, per veritatem Dei, per fidem Dei, per ejus misericordiam, justitiam; perdat me Deus, si* etc. (III, 140-143).

2° TACITA est Dei invocatio, cum fit per nobiliores creaturas, inquantum in iis perfectiones divinae relucent, v. gr. *Juro per B. Virginem, per Sanctos, per coelum,* etc.; item, quando adhibentur sola signa, v. gr. levantur manus, tangitur Evangelium, si ex praecedenti determinatione ista signa pro formula juratoria habeantur (III, 135-138). Imo, praesupposita hac determinatione, sufficit *solus manuum contactus,* quo utuntur in aliquibus regionibus officiales Status, sacerdotes (vel etiam qui sectae Mennonitarum adscribuntur), ut sic rei veritatem coram judice asserant.

604. — *Hinc infertur: a*) Si divinae personae vel perfectiones aut praedictae creaturae *simpliciter memorantur* affirmandi causa, et per modum duntaxat *narrationis* vel *similitudinis:* hujusmodi formulae non reputantur juratoriae, nisi aliud constet aut ex circumstantiis arguatur. — Sic *jurare non censetur,* qui dicit: « Coram Deo, angelis, beatis loquor; novit Deus; Deus novit omnia; Deus videt conscientiam meam; hujus mali tam insontem me habe quam angelos Dei; est tam verum quam exsistit Deus; vivit Deus coram quo sto, etc. » (III, 134-138).

b) Formulae exsecratoriae, ut, v. gr., « occidar si hoc non est », communiter non censentur verum juramentum, nisi Deus expresse nominetur, v. gr.: *Deus me perdat, si mentior.* Secus, non continent nisi quamdam sponsionem seu poenae obligationem (III, 143; 1. El. qq. ref., n. 19).

c) Non sufficit, per se, ad juramentum invocatio propriae conscientiae, fidei, vitae, corporis, rerumve nostrarum, aut creaturae communis: v. gr. « juro ex conscientia, per conscientiam, per fidem meam, probitatem, per honorem sacerdotalem, militarem, per caput meum, per honorem, per domum, per filios, etc. ». Secus vero, si juretur *per fidem Christi* aut *fidem catholicam* (III, 134-135). Attamen promissio facta invocando *honorem sacerdotalem* omnino seria est et obligat.

d) Similiter non jurat qui ait: « Juro ita esse; juro me id esse facturum »; nisi ex praevia declaratione jurantis, aut postulantis, manifesta sit intentio praestandi verum juramentum (III, 136).

Digitized by Google

e) Juramentum *laicum* (ut vocant) non est juramentum, cum desit invocatio Dei (*Ami du Cl.*, 1908, p. 870).

REGULAE PRACTICAE. 1° In foro INTERNO, res dijudicanda est *ex intentione*. Qui habet animum jurandi, vere jurat, quibuscumque verbis aut signis utatur. Imo vere jurat, tametsi verbis utatur, quae juramentum non important, si juramentum esse credit. — In *dubio* de jurantis intentione, judicari solet secundum communem acceptationem verborum, quibus usus est (III, 134; *Lehmkuhl*, I, 554).

2° In foro EXTERNO, standum est *formulae* quam jurans usurpavit. Nam, etsi juramentum fortasse nullum sit coram Deo, propter intentionis defectum; attamen, in foro externo jurasse judicatur, qui usurpavit tale verbum vel tale signum, quod vel per se, vel propter circumstantias, verum juramentum attestatur.

Nota. De juramento in significatione reddituum, vide n. 967.

§ 2. De liceitate juramenti.

Ad licitum juramentum tria requiruntur: *veritas, justitia* et *judicium*.

Prima conditio: Veritas.

605. — VERITAS in juramento est conformitas verborum cum cognitione et intentione jurantis. — DUPLEX requiritur: altera, qua excludatur *mendacium in asserendo vel promittendo;* altera, qua excludatur *fictio in jurando*. Deficiente prima veritate, juramentum est falsum, seu *perjurium* stricte dictum; deficiente secunda, habetur juramentum fictum.

606. — PRINCIPIA. I. **Perjurium est peccatum mortale ex toto genere suo.** Ratio: committitur *gravis* in Deum *irreverentia,* cum adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit aut possit decipere. Nec datur hic levitas materiae: quia semper aequaliter repugnat Deo testificari falsum (III, 147). — Unde damnata est ab Innocentio XI haec propositio 24ª: « Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem ».

607. — II. **Juramentum fictum est peccatum grave ex genere suo.** Constat ex prop. 25ª ab Innoc. XI damnata, quae sic sonat: « Cum causa, licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis ». Ratio damnationis est, quia sic jurans *illudit* divino testimonio et profert mendacium, cum dicat se invocare Deum in testem, et tamen non invocat. Cfr. *Viva* (in hanc prop.) contra Tamburinium.

Hinc: 1° Ficte jurare, in confirmationem *falsi,* in materia sive gravi sive levi, est peccatum mortale. Sic enim externe dicitur, Deum vel non cognoscere veritatem, vel falsitatem velle testari: in quo utroque habetur gravis Dei injuria, etsi ficte quis agat. Atque hinc est etiam cur graviter peccet, qui ficte jurat *sine animo implendi* promissionem (*Billuart,* de Relig., Diss. 5, a. 6, § 2).

Digitized by Google

2° Ficte jurare *in confirmationem veri*, v. gr. cum animo implendi quod promittitur, est tantum peccatum veniale. « Recte vero excipiunt DD., si juramentum fiat in contractibus, vel coram judice: quia tunc, licet non sit perjurium, est tamen *gravis deceptio* contra justitiam », cum alter jus habeat, ut jurans vinculo religionis teneatur. — Idem dicendum est de eo, qui jurat *sine animo se obligandi*, cum animo tamen implendi (i. e. qui merum propositum concipit rem implendi), quia hic revera non jurat, ut n. 603 dictum est (cfr. III, 172).

Nota. Si de justa causa *fictionis* constet, fieri etiam potest ut omne peccatum absit (*Lehmkuhl*, I, 556).

608. — Quaesita. QUAER. 1° *An liceat jurare cum* PROBABILITATE *veritatis?*

Resp. Ad licite jurandum, sufficit in *communi* commercio humano *aliqua* certitudo moralis, sive probabilitas, quae, saltem ob defectum rationis oppositae, ad quamdam certitudinem moralem pertingat; dum *in re judiciali* requiritur, quoad personaliter nota, certitudo *plena*, ad arcendum periculum nocendi. Si quis tamen cognoscit rem cum probabilitate, ex testimonio viri honesti, poterit jurare hoc haberi tantum ut probabile (III, 148; *Lehmkuhl*, I, n. 558; *Génicot*, I, n. 302).

QUAER. 2° *An liceat jurare cum* RESTRICTIONE MENTALI?

Praenot. Restrictio mentalis est actus mentis, quo quis, cohibendo vel determinando verborum significationem, suum sermonem ad alium sensum, quam ad naturalem et obvium detorquet. — Alia est *pure mentalis*, quae nullo modo ab aliis percipi potest; alia est *non pure mentalis*, quae ex adjunctis circumstantiis innotescere potest (H. Ap., V, 15).

Resp. 1° Numquam licet jurare cum restrictione PURE MENTALI. Talis restrictio a mendacio excusari nequit; unde, si juramento firmetur, est verum perjurium. Constat ex propositionibus 26ª, 27ª, 28ª ab Innocentio XI damnatis.

2° Non licet cum restrictione NON PURE MENTALI jurare *coram judice* legitime interrogante, aut in *contractibus onerosis*, ubi reticentia esset damnosa bono publico, aut contrahenti; et est peccatum mortale.

3° Licet vero *in sermone communi*, quoties justa habetur causa occultandi veritatem, nempe utilitas aut necessitas ita jurandi, ad servanda bona animae vel corporis, vel liberandi se ab importunis interrogationibus.

Attamen, ob reverentiam juramenti, graviori causa opus est ad aequivocationem *juratam*, quam ad communem, et eo graviori, quo aequivocatio minus obvia est. — Jurare autem cum restrictione non pure mentali *sine justa causa*, probabilius non est nisi veniale: quia in hujusmodi juramento deficit tantum judicium seu discretio, cujus deficentia non est nisi venialis (III, 151). — Cetera vide n. 1181. Cfr. *Junglas*, Der rechtsgeschichtliche Hintergrund für Liguori's Lehre vom Gerichtseid (Festschrift zum 75 Geburtst. Freih. v. Hertling, 1913). Ibi S. Doctoris sententia valide defenditur.

Digitized by Google

Secunda conditio: JUSTITIA.

Justitia aliter intelligenda est in juramento *assertorio,* aliter in *promissorio.* In juramento *assertorio* justitia exigit, ut jurans habeat jus asserendi id quod dicit; in juramento vero *promissorio,* ut res promissa sit justa et honesta.

609. — PRINCIPIA. I. **In juramento assertorio defectus justitiae, quatenus est contra religionem, regulariter est peccatum veniale.** Ita *Suarez* (tr. V, l. 1, c. 2, a. 6) cum communi. — « Hic defectus enim non evacuat directe finem juramenti, nec facit Deum testem mendacii; sed ad summum facit testem rei pravae et indecentis, quod per se non est gravis injuria ». Si quis igitur cum juramento se jactet de aliquo peccato, etiam gravi, nonnisi venialiter peccat *ratione juramenti* seu religionis; nam juramentum eo solo fine pronuntiatur, ut alios de suo peccato certiores reddat; in quo non est nisi quaedam animi levitas venialis (III, 146, 4°).

Dictum est: *regulariter;* nam, « excipiendum videtur, inquit idem *Suarez* (l. c.), *nisi juramentum ipsum assumatur ut instrumentum peccandi,* id est nisi malitia pravae enarrationis per juramentum augeatur: ut si quis, v. gr., infamet proximum contra justitiam narrando veritatem occultam, et, ut probabilior fiat infamia, juramentum adjungat ». Sic enim jurans facit Deum iniquitatis quodammodo cooperatorem: quod est grave peccatum (cfr. 1. El. qq. ref., n. 20; *Vind. Alph.,* P. III, q. 9).

610. — II. **In juramento promissorio, si promissio est de re graviter mala, defectus justitiae est peccatum mortale.** Est enim gravis irreverentia, divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare, ita ut hic duae malitiae concurrant: una, quod jurans velit malum; altera, quod ad hoc abutatur auctoritate Dei, odio habentis omne malum (III, 146). — Maximum igitur culpae reatum involvunt juramenta, praestari solita a recipiendis in *societates occultas;* quia, saltem implicite, ad omnia facinora ipsi se obligant.

Si res promissa est *venialiter mala,* plures tenent ibi levem tantum irreverentiam haberi. — Verum « magis mihi arridet, ait *S. Alphonsus* (ib., 5°), sententia opposita; quia non levis, sed gravis irreverentia videtur invocare Deum in testem ac fidejussorem peccati, quamvis levis », a. v. grave est, juramento talem obligationem assumere, quasi volens sic honorare Deum. — Venialiter autem peccat qui jurat aliquid contra *consilia evangelica,* ut, v. gr., se non ingressurum Religionem, non dare eleemosynam. Ratio est, quia hic potius affirmat se esse sic dispositum.

611. — *Ex his conclude:* 1° « Peccat graviter, qui ab altero juramentum exigit, sciens eum esse pejeraturum. Excipe, nisi justa causa et necessitas exigat; quia tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequitur » (III, 149).

2° Rustici malitiam perjurii non intelligentes, et consuetudinem pejerandi habentes, non statim de gravitate peccati monendi sunt, ne a peccatis

Digitized by Google

materialibus ad formalia transeant; ipsi vero fortiter sunt admonendi, ut ita a mala consuetudine avocentur (III, 150).

3° Non licet praestare *juramentum fidelitatis* a gubernio Romanae Ecclesiae hostili propositum, verbis quibus illimitata obedientia promittitur; tolerari autem potest juramentum *obedientiae mere passivae*, in iis omnibus quae legibus divinis et ecclesiasticis non adversantur, juxta formam a S. Pont. Pio VII approbatam. — Si quae ergo leges gubernii juribus Dei vel Ecclesiae adversantur, addatur clausula restrictiva, et (ut vitetur scandalum) declaretur S. Sedem tale juramentum permittere. Cfr. S. Poenit., 10 Dec. 1860 et 14 Dec. 1866 (*A. S. S.*, I, p. 562; II, p. 676) [1].

Imo, nec tunc necesse erit addere clausulas, si, sive ex indole jurantis, sive ex publica principis declaratione notum sit, juramentum implicite clausulas continere. *Noldin*, II, 252.

Nota. Ad hanc secundam juramenti conditionem referri potest quaestio: *Utrum liceat jurare super Biblia protestantica?* Certum est hoc non licere, si gubernium tale jusjurandum non absolute requirit. Si illud imponitur, poterit catholicus, *praemissa protestatione*, super Biblia haereticali jurare. Saltem praemittat clausulam: *quatenus contineat verbum Dei.* — Confessarii, quoad monitionem, servent regulas approbatas. Non sunt excusabiles qui, data facultate petendi vel secum afferendi versionem catholicam, Biblia corrupta utuntur (*Lehmkuhl*, I, 552, *nota*).

Tertia conditio: Judicium.

Praenot. Judicium postulat, ut juramentum emittatur cum discretione, i. e. cum prudentia et reverentia, nec sine gravi seu rationabili causa (III, 144).

Debet igitur jurans perpendere: 1° an juramentum requiratur vel ratione officii sui, vel ad hoc ut suis verbis fides praestetur; — 2° an notabilis spes affulgeat fore ut fidem faciat; — 3° an rem juramento promissam tempore suo praestare valeat.

612. — Principia. I. **Jurare sine causa sufficienti per se est peccatum veniale.** Sic jurans, affirmando rem veram, vel promittendo id, cujus implendi animum habet, non videtur cum gravi deordinatione nomen Dei invocare.

Diximus *per se;* quia per accidens potest esse mortale, si adsit scandalum aut periculum perjurii. Quod periculum communiter incurritur ab iis, qui jurare assueti sunt, sine attentione sintne vera an falsa, quae jurare solent (III, 145).

613. — II. **Ad licite jurandum sufficit notabilis utilitas.** Patet ex natura juramenti (cfr. n. 602).

Hinc, optimo jure, juramentum ab illis exigitur, qui in aliquam communitatem, v. gr. collegium recipiuntur, ut statutis observandis sedulo incumbant; itemque ab eis, qui alicui publico officio vel ministerio praeficiuntur, ut sunt

[1] Formula, a S. P. (anno 1809) approbata, est tenoris sequentis: « Promitto et juro, me cujuslibet generis coniurationi, sive conventui, sive seditioni contra actuale gubernium operam nunquam daturum; itemque, me eidem subjectum fore atque obtemperantem, in iis omnibus quae *nec Dei nec Ecclesiae legibus* adversentur ».

Digitized by Google

Episcopi, canonici, beneficiati, testes, etc. — Quamobrem, propositio 101ª Quesnelli, qua juramenta in Ecclesia fieri solita, spiritui Dei et doctrinae Christi contraria dicuntur, damnata fuit a Clemente XI, in Bulla *Unigenitus*.

Nota. Ut recte animadvertit *Schindler* (II, p. 164), magna prudentia requiritur in officialibus Status, judicibus, etc., quando petunt ut assertis juramenti sanctitas accedat. Remaneat juramentum, ad inquirendam veritatem, medium extraordinarium, quo non utantur saepius. Ab atheistis vel perjuris, qui ut tales noscuntur, raro jurata assertio exquiratur.

§ 3. De juramento promissorio.

Praenotandum. Specialiter tractandum de juramento promissorio, quia differt ab assertorio eo quod non solum aliquid asserit de praesenti, sed aliquid praeterea affirmat de futuro, scilicet accuratam rei promissae exsecutionem.

614. — Principia. I. Juramentum promissorium, de re licita atque utili, inducit obligationem religionis. Per juramentum enim Deus invocatur, non solum ut testis veritatis in promittendo, sed etiam ut *fidejussor* pro rei promissae fideli exsecutione. Ergo juramentum vere inducit obligationem promissum exsequendi, ob divini nominis reverentiam, seu obligationem religionis (cfr. *Lehmkuhl*, I, 562, not.; *Schindler*, II, p. 165).

Dictum est: 1° *Juramentum de re licita* etc.; quia, si est de re illicita, aut nullius utilitatis, nullam obligationem inducit. Juramentum enim, utpote actus religionis, nequit esse vinculum iniquitatis, aut rei otiosae quae non cedit in honorem Dei. Imo, peccat graviter, qui illicita jurando promittit. — Sed nec juramentum convalescit, etsi talis res illicita et vana, mutatis postea circumstantiis, fiat honesta; cum non firmetur tractu temporis, quod initio non subsistit (III, 176).

Quod si res promissa est *minus bona*, et contra consilia evangelica, distinguendum est: vel promissio facta est soli Deo, vel in utilitatem hominis. — In *primo* casu nulla est obligatio, quia res promissa Deo non debet esse impeditiva majoris boni: sic, v. gr., qui jurasset se nunquam jejunaturum extra dies ab Ecclesia statutos, potest nihilominus jejunare. — In *secundo* casu, si promissio fuerit *acceptata*, et possit absque peccato teneri, juramento standum est. Ratio est, quia quaevis promissio de re licita et possibili, ac tertio utili, ex fidelitate saltem impleri debet (cfr. n. 1062). Sic, v. gr., qui juravit puellae, se cum ea matrimonium initurum, tenetur illam accipere in conjugem, nisi Religionem ingredi velit: quod ipsi, ex *speciali* juris dispositione, conceditur (III, 173; H. Ap., V, 13). Sic etiam sacerdos, qui juravit se dioecesim non relicturum, nequit, sine dispensatione, intrare in Religionem (III, 177)[1].

2° *Inducit obligationem religionis.* Ubi notandum: *a*) Qui hanc obligationem violat, non implendo quod juravit, non committit quidem perjurium stricte dictum, sed peccat irreverentia erga Deum, despiciendo

[1] Sacerdotes, qui titulo Missionis ordinantur, sub juramento promittunt se nulli Ordini religioso nomen daturos, sine praevia licentia S. C. de Prop. Fide. Ita ex Instr. 27 Apr. 1871. Cfr. *Linz. Quart. Schr.*, 1914, p. 44.

Digitized by Google

ejus auctoritatem, quae ad roborandam promissionem adducta fuit. — *b*) Obligatio, quae ex juramento oritur, cum sit obligatio religionis, omnino *personalis* est, neque ad haeredes transit. Quare isti, vi quidem juramenti et ex religione, non tenentur illam implere, etsi alio titulo forte teneantur, v. gr. ex pacto et justitia. — *c*) Juramentum *fictum* non inducit obligationem religionis, cum sit nullum; bene tamen obligare potest, ut vitetur scandalum, vel damnum alterius (III, 172, 177).

II. **Juramentum promissorium obligat sub gravi vel sub levi, pro rei promissae gravitate.** Obligatio juramenti ordinarie minor est quam obligatio voti; votum autem, in materia levi, tantum sub levi obligat. *S. Thomas*, 2. 2, q. 89, a. 8; *Lehmkuhl*, I, 562. Vide *S. Alph.*, III, 173; *Vind. Alph.*, I, p. 227.

III. **Juramentum promissorium eamdem habet conditionem eumdem interpretandi modum ac promissio, vel propositum, cui est annexum.** Accessorium sequitur principale; ideoque quando non obligat promissio, nec obligat juramentum appositum (III, 180).

615. — Cum igitur juramentum easdem sibi conditiones et *interpretandi modum* vindicet, ac promissio, cui adjicitur, DUPLEX haec REGULA statui potest:

REGULA 1ª Obligatio juramenti est *strictae interpretationis*, ita scilicet, ut jurans censeatur voluisse se obligare quam minime potuit. Sic enim interpretandae sunt promissiones et contractus.

Si quis ergo actus, vel contractus, ab initio non subsistit, sive quia est natura sua invalidus, v. gr. propter aequivocationem in promittendo (in contrahendo) adhibitam, sive quia est irritus ex jure positivo, propter bonum commune: sequitur, neque ex juramento ullam obvenire obligationem. Sic non obligat juramentum metu extortum super professione, matrimonio, sponsalibus, renuntiatione fori ecclesiastici, donatione a clerico facta concubinae (III, 177).

REGULA 2ª Omne juramentum interpretandum est *secundum* CONDITIONES quae, *fictione juris*, tacite subintelliguntur.

Sunt autem sequentes: *a*) *Si potuero*, i. e. si promissio impleri potest sine gravi damno. — *b*) *Salvo jure Superioris*, i. e. si Superior exsecutionem non prohibeat. — *c*) *Si status rerum non fuerit notabiliter mutatus.* — *d*) *Si et altera pars fidem servaverit* in mutua obligatione. — *e*) *Si promissarius juri suo non cedat.* — *f*) *Si non cesset causa finalis*, ob quam promissio facta est (III, 180, 187; H. Ap., v. 18).

616. — *Ex his deduces:* 1° Juramentum servandi *statuta alicujus congregationis, collegii*, etc., ita interpretandum est: *a*) ut intelligatur de statutis editis, non edendis; — *b*) ut intelligatur obligare sub gravi, aut levi, vel tantum ad poenam, vel tantum sub consilio, sicut obligat ipsum statutum; — *c*) ut non obliget ad statuta, quae vim obligandi amiserunt, ob impossibilitatem, vel desuetudinem, vel quia sic sunt usu recepta; — *d*) ut neque etiam obliget, si aliquod statutum a majori communitatis parte non observetur (III, 181). — Etiam professio religiosa, si est invalida, non firmatur per juramentum adnexum.

Digitized by Google

2° « Qui juravit se servaturum *secretum,* non peccat contra juramentum, illud detegendo, quando non potest illud celare absque gravi suo vel alterius damno; quia ipsa promissio secreti non videtur obligare, nisi hac conditione: *si non noceat.* Similiter desinit obligatio juramenti, si res aliunde nota evaserit » (III, 183).

3° Qui juravit *judici* se dicturum quae novit, non tenetur revelare occulta, quia praecedere debet saltem semiplena delicti probatio. Excipe tamen casus, qui communiter non admittunt nisi testes singulares, ut, v. gr., casum sollicitationis ad turpia (ib., 5°).

4° Qui promisit cum juramento *se rediturum ad carcerem,* multo probabilius tenetur redire cum probabili timore mortis, vel gravissimi damni injusti; quia, posita promissione, redire est opus virtutis. — Alii tamen negant, quia esset actio mala sponte se morti offerre (cfr. III, 186).

5° « Parentes, aut domini, jurantes *punire filios vel famulos,* raro peccant, si juramentum non impleant; vel quia delinquentes jam sunt emendati; vel quia juramentum fuit de re inutili, aut potius de vindicta inordinata; vel quia plerumque talia juramenta fiunt sine intentione jurandi, sed tantum terrendi » (ib.).

6° Non obstringit, plerumque, mercatores juramentum *non vendendi minoris,* aut *pluris non emendi;* sive quia hujusmodi juramenta, ut plurimum, sunt de re inutili; sive quia isti homines non habent animum jurandi; aut certe quia juramento inest tacita conditio, nisi aliter res melius cedere videantur.

7° Juramentum *fidelitatis* et *obedientiae* respicit tantum ea, quae in officio jurantis comprehenduntur. Unde, vi talis juramenti, non potest inferior teneri neque ad illicita, neque ad impossibilia, neque ad nimis gravia, neque ad suo officio extrinseca. Vide *Lehmkuhl,* I, 568. Cfr. dicta n. 611, 4°.

617. — Quaesita. QUAER. 1° *An obliget aliquando juramentum quo confirmatur promissio jure irrita vel ad promittentis arbitrium irritanda?*

Resp. 1° Obligat si promissio irritatur *in favorem promittentis,* hicque rei conscius nihilominus jurat. Sic enim agens renuntiat juri suo seque religionis vinculo obstringit, quod, licet nullum promissario jus conferat, propter Dei reverentiam servari debet. — 2° Non obligat si promissio irritatur *ob bonum publicum,* quia res promissa tunc fit illicita, neque obligat, si jurans intendit solummodo se, religionis vinculo, ad propriam et connaturalem promissionis obligationem adstringere (III, 172, 3°; 177). Cfr. infra n. 1059.

QUAER. 2° *An obliget in conscientia juramentum ex* DOLO *vel* ERRORE *emissum?*

Resp. 1° Non obligat, si error aut dolus versetur circa rei substantiam, vel circumstantias *essentiales,* aliasve circumstantias satis notabiles, quae, si praecognitae fuissent, juramentum promissorium impedivissent; quia tunc res promissa non censetur satis cognita, ut liber sit consensus. — 2° Obligat autem, si error vel dolus circa circumstantias omnino *accidentales* versetur (III, 175). — Vide n. 1061 seq.

Digitized by Google

QUAER. 3° *An obliget juramentum* METU GRAVI *et* INJUSTO *extortum?*

Resp. 1° In foro EXTERNO, ubi animus jurandi defuisse praesumitur, certe non obligat. — 2° Quoad forum INTERNUM, *disputatur;* sed sententia communior et longe probabilior, quam et D. Thomas cum Suarezio et Lugo amplectitur, dicit illud obligare. Sic, v. gr., obligat juramentum dandi latroni, vel usurario, pecuniam vel usuras. Et ratio est, quia ex religione tenemur efficere, ut verum sit quod juramus, ne Deum testem falsi faciamus. Consonat *regula juris,* ex qua juramentum quodlibet servari debet, quod absque peccato servari potest [1].

Attamen: *a*) Potest metum patiens jurare *cum restrictione mentali,* ita ut nullam contrahat obligationem (n. 608, q. 2° et 615, Reg. 1ª). — *b*) Potest, si vere promisit, *relaxationem juramenti petere* ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente, ut ab obligatione solvendi excusetur. — *c*) Potest, si jam solvit, id quod dedit *in judicio* repetere, vel *occulte se compensare* (cfr. n. 1059, q. 2°). Vide *S. Alph.,* III, 174; ed. G., I, 480.

Dicunt utique adversarii, solutionem, quae repeti vel occulte surripi possit, esse quid ridiculum. Sed respondet *S. Alphonsus,* solutionem non esse illusoriam, quia semper periculum adest ne res, ex metu furi tradita, amplius repeti nequeat.

Nota. 1° Juramenti obligatio cessat *ab intrinseco,* cessatione causae motivae, i. e. cum juramenti materia fit vel impossibilis, vel inutilis, vel noxia, vel cum notabilis mutatio aut circumstantia supervenit, qua praevisa, juramentum non factum fuisset (cfr. n. 615, Reg. 2ª; 625, 4°).

2° Cessat *ab extrinseco,* irritatione, dispensatione et commutatione, *sicut votum,* quia eadem currit ratio. — Cessat quoque remissione obligationis facta ab eo, in cujus favorem promissio jurata emissa est, quia jure suo quisque cedere potest (III, 187-193).

ARTICULUS II.

De adjuratione.

618. — DEFINITIO. Adjuratio est obsecratio sub invocatione Dei, vel rerum sacrarum, aut Sanctorum, ad inducendum aliquem (petendo vel jubendo) ad quoddam agendum, vel omittendum (III, 193, App., n. 1).

Differt *a*) ab *oratione,* quae est petitio a Deo, dum hic petitur ab alio per Deum; — *b*) a *juramento,* quia invocatur Deus non ut testis, sed quia est reverendus et timendus.

DIVISIO. Distinguitur adjuratio: 1° Ratione auctoritatis, est *sollemnis* vel *privata,* prout fit vel a ministris et modis ab Ecclesia institutis, vel

[1] C. *Cum contingat,* de jurejur. in VI°. — Non desunt alii AA. magni nominis, qui idem tenent, ut Salmanticenses, Lessius, Sanchez, Elbel. — Aliqui tamen excipiunt eos contractus, quos jus ob bonum commune reprobat vel irritat (vide *Gaudé,* in n. 174, I, p. 480).

Digitized by Google

sine hujusmodi sollemnitatibus. — 2° Ratione modi, est *deprecativa* vel *imperativa*, prout fit precibus, vel imperio. Aliquando est *deprecativa* et *imperativa* simul.

619. — PRINCIPIA. I. **Ad adjurationem licitam tria requiruntur: veritas, justitia et judicium.** 1° VERITAS, i. e. ut adjurans vere intendat assequi quod petit, et vera sit causa ob quam petit. Carentia autem hujus veritatis raro erit plus quam culpa venialis, ut si fictus pauper per Deum petat eleemosynam. — 2° JUSTITIA, ex cujus carentia certe graviter peccat rem petens graviter malam; imo, juxta opinionem probabiliorem, peccat graviter, petens rem solum leviter malam; quia satis gravis videtur irreverentia inducere alium ad rem malam, ope divinae auctoritatis. — 3° JUDICIUM, i. e. debita discretio, cujus carentia certe non est nisi venialis (III, 193, 2°).

620. — II. **Objectum directum adjurationis est omne ens intellectuale, objectum indirectum est etiam creatura irrationalis.** 1° Deus adjuratur *deprecative* tantum, vel per seipsum (per bonitatem, misericordiam, etc.); vel per merita Christi; vel per intercessionem B. V. Mariae et Sanctorum, quorum merita illi exhibemus. — 2° Beata Virgo Maria, angeli et Sancti Dei etiam *deprecative* adjurantur dum eos exoramus, ut nobis subveniant propter Deum. — 3° Homines viatores adjurantur, sive *deprecative*, puta si subditus adjurat Superiorem, amicus amicum, ut amore Dei, vel B. M. V., aut alicujus Sancti aliquid praestent (ita S. Paulus, II. *Cor.*, 10, 1); sive *imperative*, quando adjurans habet aliquam potestatem super adjuratum.

Daemones pariter adjurare possumus, sed tantum *imperative*, nimirum per virtutem divini nominis eos repellendo et cohibendo, ne nobis noceant spiritualiter vel corporaliter. Ista adjuratio venit sub nomine EXORCISMI (*Müller*, l. II, § 62).

Creaturas irrationales adjuramus indirecte, adjurando vel *Deum*, ut earum usus nos adjuvet; vel *daemones*, ut per eas nocere desistant. — His modis communiter exorcizantur aqua, sal, domus nova, locustae, nubes, tempestas, etc. (III, 193, 3°).

621. — III. **Adjuratio non inducit obligationem praestandi id quod petitur.** Ratio est, quia non est instituta nisi ad excitandum in adjurato timorem vel amorem divini nominis, quo moveatur ad praestandum id quod petitur (*Noldin*, n. 239).

DE REGULIS EXORCISMI.

622. — I. Adjuratio SOLLEMNIS in daemonem a solis Ecclesiae ministris fieri potest, at non sine licentia Episcopi. Eam Episcopus permittere potest etiam in dubio de possessione diabolica, modo gravis adsit causa, omne scandalum praecaveatur, nec res in Ecclesiae contemptum redundet. — De *modo*

Digitized by Google

procedendi, vide *Rituale Romanum,* et *S. Alph.,* l. III, 193, App. Vide etiam formulam jussu S. Pont. Leonis XIII, die 17 Jan. 1902,editam (App. Rit. Rom.).

Duo tantum hic *notamus:* 1° Exorcismum esse adhibendum tantummodo ad amovenda damna et vexationem obsessi. Daemon interrogari potest de iis tantum, quae ad ejus expulsionem conducunt, v. gr. de tempore et causa possessionis. Hinc, peccaret graviter, qui multos sermones inutiles cum daemone obsidente haberet; venialiter vero, si unam alteramve curiosam interrogationem, modo imperativo, faceret. — 2° Exorcismos obtinere effectum infallibilem, et tanquam ex opere operato. Quod si non semper effectum perfectum sortiantur, sortiuntur saltem effectum imperfectum, vires scilicet daemonum attenuando (III, 193, fin.).

II. Adjuratio PRIVATA daemonis omnibus licita est, et praesertim Ecclesiae ministris: neque ad eam requiritur specialis licentia Episcopi. — Ad FORMULAM *exorcismi,* quod attinet, en qualem recitandam suadet *S. Alphonsus* (Prax. Conf., n. 113) super eos quos daemon extraordinariis divexat tentationibus: *Ego ut Dei minister praecipio tibi, aut vobis, spiritus immundi, ut recedatis ab hac creatura Dei.*— Ven. Servus Dei *Vincentius Pallotta* exorcismo etiam privato utebatur, cum adverteret poenitentes de peccatis non dolere, vel peccatum quodpiam reticere; atque illius usum etiam commendabat confessariis, subjungens, exorcismum magna cum fiducia et humilitate esse adhibendum (*Müller,* § 62, n. 5).

Quoad SIGNA *verae possessionis* cfr. *Rit. Rom.,* tit. X. — Sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; distantia et occulta patefacere; vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere: et id genus alia, quae, cum plurima concurrunt, majora sunt indicia.

CAPUT III.

De voto.

S. Thomas, 2. 2, q. 88; *S. Alphonsus,* III, 194; ed. G., I, p. 495; H. Ap., V, 21; *Suarez,* de Relig., tr. VI; *Lessius,* de Just., l. 2, c. 40; *Billuart,* Diss. IV; *Aertnys,* l. III, n. 83; *Lehmkuhl,* I, 575; *Berardi,* Theol. mor. (ed. 1905), I, n. 489; *Vermeersch,* Quaestiones de Virt. Relig. et Piet. (1912), q. 1, c. 4, n. 119 seq.

623. — DEFINITIO. Votum, lato sensu acceptum, designat tum *desiderium* (quo sensu dicitur baptismus suscipi in voto); tum *suffragium,* quod fertur in deliberationibus; tum *propositum,* quod quidem est simplex voluntas aliquid faciendi.

VOTUM, ut actus religionis, est *promissio deliberata Deo facta de bono possibili et meliori.* Est lex privata quam vovens sibi statuit.

Dicitur: 1° *Promissio,* i. e. voluntas se *obligandi,* actus quo vera obligatio suscipitur; et hac ratione distinguitur a simplici proposito, quod denotat quidem praesentem voluntatis dispositionem aliquid faciendi, sed per se nullam, ne sub levi quidem, obligationem inducit; — 2° *deliberata,* procedens nempe ex libera electione, cum debita cognitione, tam rei promissae, quam obligationis susceptae; — 3° *Deo facta;* nam votum est actus latriae soli Deo

Digitized by Google

debitus; quare, dum vovemus quaedam Sanctis, sensus est voveri ea Deo, in honorem Sanctorum, sicut in eorum honorem templa et altaria Deo aedificamus; — 4° *de bono meliori et possibili;* materia enim voti debet esse Deo grata et accepta, ut infra explicabitur.

Nota. a) Vulgus confundit saepe proposita cum votis. « Ad haec distinguenda parum juvabit eum interrogare, ut nonnulli solent, an unquam habuerit intentionem se voto obstringendi sub gravi peccato; siquidem rudes sic interrogati facile negant. Satius erit interrogare, si tunc, cum votum emisit, existimabat *se graviter peccaturum fuisse,* an non, si postea non satisfecisset » (Prax., n. 25).

b) *Votum heroïcum,* ut dicunt, non est votum veri nominis; semper est revocabile ad nutum. Cfr. *Beringer,* P. II, n. 328.

c) Nec vota sunt illae promissiones, quas pueri, peracta communione sollemni, publice faciunt, licet adhibeantur verba: *promitto, voveo,* et tangatur sanctum Evangelium. Deficit enim intentio fidelium novam et specialem obligationem sibi imponendi.

Divisio. Votum distinguitur: 1° Ratione objecti, in votum *personale, reale* et *mixtum.* — Personale est, cum aliqua hominis actio, vel cessatio ab actione promittitur, ut votum peregrinationis, jejunii.— Reale est, cum res externa pretio aestimabilis promittitur, ut calix, eleemosyna. — Mixtum, cum promittitur utrumque, v. gr. peregrinatio ad offerendum calicem in tali ecclesia.

2° Ratione modi, in votum *absolutum* et *conditionatum,* prout fit vel simpliciter, v. gr. voveo elemosynam; vel apposita conditione, v. gr. voveo eleemosynam, si sanitati restituar, etc.

Conditionatum vocatur *poenale,* quando promittitur poena subeunda in vindictam et odium peccati, ut ita vovens timore poenae a peccando retrahatur, v. gr. voveo eleemosynam, si iterum hoc vel illud peccatum commisero.

3° Ratione manifestationis, in votum *expressum* et *tacitum,* prout verbo vel scripto sufficienter declaratur; aut eo ipso fit, quod quis voluntarie aliquid agit, cui votum connexum esse cognoscit: sicut fit in susceptione subdiaconatus, cui ex Ecclesiae lege adnexum est votum castitatis.

4° Ratione durationis, in votum *temporarium* et *perpetuum,* prout ad certum temporis spatium, aut per totam vitam servandum promittitur.

5° Ratione auctoritatis, in votum *sollemne* et *simplex,* prout ab Ecclesia ut sollemne acceptatur, vel seclusa tali Ecclesiae acceptatione, emittitur. — Utrumque eadem, coram Deo, firmitate pollet; differunt tamen quoad effectus (n. 2129). Cfr. *A. S. S.,* III, p. 37; *Ami du Cl.,* 1911, p. 14.

624. — Voti praestantia et regulae servandae. Quam accepta Deo sint vota, ex pluribus S. Scripturae locis colligitur; praecipue ex his verbis (*Isai.,* 19, 21): *Colent eum in hostiis et in muneribus; et vota vovebunt Domino,*

Digitized by Google

et solvent. — Hujus praestantiae triplex ratio assignatur: 1° Quia opera voto promissa, utpote a virtute religionis imperata, jam pertinent ad divinum cultum, quasi quaedam Dei sacrificia. Unde, voti exsecutio, praeter bonitatem quae in ipso opere splendet, sortitur et bonitatem quae ex voto emanat. — 2° Quia qui vovit aliquid et facit, plus Deo se subjicit, quam qui solum facit; subjicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quandoquidem non potest aliud facere. — 3° Quia per votum voluntas immobiliter firmatur in bono; facere autem aliquid ex voluntate firmata in bono, pertinet ad perfectionem virtutis (2. 2, q. 88, a. 6).

Non sunt igitur fideles promiscue a votis nuncupandis avertendi, sed ita sunt moderandi, ut nihil unquam imprudenter voveant: v. gr. jejunia, castigationes corporis, eleemosynas facultatibus non accommodatas. — Haec generatim REGULA tenenda est: facilius temporaria quam perpetua permittantur, v. gr. votum jejunii ad diem in mense, castitatis ad annum, vel melius de uno ad aliud festum, vel etiam adjecta conditione: *donec confessario pro tempore videbitur* (*Scavini,* l. II, n. 214; cfr. H. Ap., tr. ult., n. 40).

Prudenter speciatim aget confessarius, si non facilem se ostendit in permittendo laicis voto paupertatis vel obedientiae erga confessarium. Vide dicenda n. 626 in fine.

His praemissis, agendum est: 1° de requisitis ad votum; — 2° de obligatione; — 3° de cessatione voti.

ARTICULUS I.

De requisitis ad votum.

Conditiones requisitae ad votum referri possunt, vel ad ipsum *ventem,* vel ad voti *materiam.*

625. — PRINCIPIA. I. **Ad validitatem voti requiruntur, ex parte voventis, capacitas vovendi et libera seu deliberata voluntas sese obligandi.** Votum enim est ad *instar legis,* quam homo sibimet imponit. Atqui nemo onus sibi imponere potest, qui non est sui juris; — praeterea nulla lex imponitur sine animo obligandi, neque ullus homo sine libera ac plena deliberatione aliquam obligationem assumere censetur. — Requiritur autem voluntas libera et deliberatio, sive actualis sive virtualis, talis nimirum, quae necessaria est ad voluntarium *perfectum* et *directum;* quia ad actum bonum requiritur volitum in seipso, ut diximus n. 309. Vide *S. Alph.,* III, 196.

Hinc: 1° Defectu CAPACITATIS, valide vovere nequeunt furiosi, semi-dormientes, semi-ebrii (etiamsi antea praeviderint se votum emissuros) et pueri nondum septennes, nisi forte illa jam boni ac mali discretione polleant, quae sufficit ad peccandum mortaliter. Qui enim per peccatum daemoni se obligare potest, potest etiam per votum se obligare Deo. — In dubio autem, utrum puer *ante* an *post* septennium votum emiserit, valet votum: omnis enim actus praesumitur rite factus (H. Ap., V, 22). — Ad votum ingrediendi Religionem quod attinet, ipsum non valet, nisi variae ab Ecclesia positae conditiones (cfr. n. 2137) impleantur. — Nec similiter valent vota impuberum emissa

Digitized by Google

contra voluntatem parentum, nec vota religiosorum emissa contra expressam voluntatem suorum praelatorum.

2° Defectu INTENTIONIS, non valet votum *fictum,* id est emissum vel *sine animo promittendi,* vel *sine animo se obligandi.* — Imo, tale votum regulariter est peccatum veniale, ob quamdam irreverentiam. Sed in professione religiosa et susceptione ordinis sacri esset mortale, quia esset deceptio in re gravissima. — Si quis autem haberet animum vovendi et se obligandi, *non tamen implendi,* votum foret validum; sed committeret peccatum fraudis, grave aut leve, pro quantitate materiae (III, 201). Recole dicta n. 603.

3° Defectu COGNITIONIS, non valet votum factum *cum omnimoda ignorantia obligationis, quam inducit.* — Valet autem, si vovens sit obligationis voti conscius, quamvis *reflexe* ad eam non advertat, aut si ad eam advertat in confuso, v. gr. si voluerit vovere modo ordinario quo alii vovent; tunc enim implicite vult obligationem contrahere (H. Ap., V, 21).

Nec valet votum ita EX ERRORE emissum, ut res sit *moraliter diversa* ab ea, quam quis vovere intendebat. Hoc autem evenit, cum error versatur: vel *circa substantiam rei,* v. gr. si vovisti dare tuum calicem, quem putabas argenteum, cum sit aureus; vel *circa conditionem substantialem,* v. gr. si vovisti peregrinationem ad aliquod sanctuarium, putans tantum distare centum milliaribus, cum tamen distet trecentis; vel *circa causam finalem,* v. gr. vovisti aliquid in gratiarum actionem pro sanitate reddita parenti, qui reipsa non erat aegrotus, vel jam est mortuus. — Valet vero votum, si error versetur circa circumstantias accidentales *minoris momenti,* ita ut, eis cognitis, votum adhuc fuisset emissum (III, 198). Cfr. n. 617. — At *vota Religionis* non sunt irrita, nisi ob solum errorem circa substantiam; et ratio est quia, si secus esset, firmitati, quae est essentialis statui religioso, non satis prospiceretur. — Alia vide n. 635, 4°.

4° Defectu DELIBERATIONIS et LIBERTATIS, non valet votum in tali aestu *passionis* vel *devotionis* emissum, ut impediverit usum rationis ad peccatum mortale requisitum (*Billuart,* de Relig., Diss. 4, a. 1, n. 3) [1].— Similiter, nullum est votum *metu* factum: *a*) si vovens non fuit sui compos, quaecumque fuerit causa metus (cfr. n. 286); — *b*) si votum emissum est ex metu gravi, injuste ab alio incusso ad votum extorquendum; quia Deus non censetur acceptare promissionem per injuriam a quopiam vi extortam (atque hoc est certum ex jure canonico, si agatur de voto sollemni; probabilius vero, si de voto simplici). — Secus vero dicendum, si metus fuerit vel levis, vel juste incussus, vel non incussus ad extorquendum votum (III, 197; H. Ap., V, 23).

626. — II. Ex parte materiae, requiritur, ut votum sit de re honesta, justa, possibili et de bono meliori. Requiri materiam honestam, justam ac possibilem, per se patet; hoc enim in materia cujuslibet obligationis requiritur. Requiri autem materiam *de re meliori,* voto proprium est ac peculiare. — Debet igitur materia esse:

1° HONESTA; quia intrinsecus finis voti est Deum colere. Deus autem non colitur actione indifferenti vel mala; *displicet enim ei infidelis et stulta promissio* (*Eccl.,* 5, 3).

[1] Diximus: *in aestu passionis, qui impediverit usum rationis,* ad peccatum mortale requisitum. Si enim agitur de fervore ordinario, *valet votum,* nec refert quod ventem postea sui voti poeniteat; poenitentia enim sequens potius est signum mutatae voluntatis (*Billuart,* ib.). Attamen, in hujusmodi votis temeritatis peccatum adesse potest (*Berardi,* Prax., n. 106).

Digitized by Google

Hinc, votum de re indifferenti est irritum, nisi ex fine vel circumstantiis res fiat bona; imo, qui rem indifferentem seu vanam vovet, venialiter peccat. — A fortiori, irritum est votum de re mala; et sic vovens per se graviter peccat, quamvis res illa sit tantum venialiter mala, cum de se blasphemia sit velle ut malum in Dei honorem cedat; communiter tamen ob ignorantiam hoc non est nisi veniale (III, 204).

Quando res *accidentaliter* fit mala, *ex fine pravo,* irritum est votum, si malitia finis se tenet *ex parte rei votae,* scil. si res promissa *directe ordinatur* ad finem pravum, v. gr. si quis vovet aliquid in gratiarum actionem ob felicem exitum furti: hoc enim esse virtualiter blasphemia, ac si Deus peccata promoveret. — Si autem malitia finis potius se tenet *ex parte actus solius volentis,* puta si finis malus solum adnectitur, adjungitur voto, illud valet, v. gr. si quis voveat jejunium, et simul speret se ob hoc laudatum iri. Votum remanet in se bonum; deponatur tantum circumstantia mala, quae actum inficit (III, 206).

2° JUSTA; quae scilicet praestari possit, quin ullius jura laedantur.

Sic conjuges, absque mutuo consensu, castitatem perfectam vovere nequeunt, quia neuter habet sui corporis potestatem. Qui separatim vovet, debitum petere non potest, sed reddere tenetur (cfr. n. 2096).

3° POSSIBILIS; ad impossibile enim nulla dari potest obligatio.

Hinc, pro nullo habetur votum vitandi per totam vitam omnia peccata venialia, cum id sine speciali privilegio fieri nequeat. — Valeret autem votum vitandi omnia venialia perfecte deliberata; hoc enim non est impossibile, et perfectionis amantes illa satis evitant. Item generatim valeret votum abstinendi a venialibus, in aliqua materia determinata (III, 203).

Quando votum est de re partim possibili, partim impossibili, serventur regulae infra (n. 634) statuendae.

4° DE BONO MELIORI; nempe de re non impeditiva majoris boni; quia promissio, quae impediret majus bonum, divino cultui quidquam detraheret, ac proinde non posset Deo esse grata. — De bono meliori autem esse potest votum *de re alias praecepta;* quia novum voti vinculum ad majorem fidelitatem et devotionem, in adimplenda lege, conferre potest (III, 207-209).

Corollaria. DE QUIBUSDAM VOTIS IN SPECIE.

1° *Votum nubendi,* per se, non valet, quia coelibatus matrimonio melior est. — Valeret autem, per accidens, si matrimonium esset necessarium ad tollendum scandalum, aut ad reparandum puellae honorem; item, si quis, expertus suam fragilitatem, nollet adhibere alia remedia ut continens fiat: tunc enim matrimonium est de bono meliori.

2° *Votum non vovendi,* per se, est invalidum, quia est de materia inepta; per accidens tamen potest esse de bono meliori, si quis, v. gr., solet esse in vovendo imprudens. Si igitur hujusmodi fidelis voveat se non emissurum vota, nisi *de licentia confessarii,* votum est validum. Si postea, inconsulto confessario, aliquod votum emittat, peccat; at votum sic emissum, dummodo sit de objecto possibili et honesto, est validum. — Excipe, si eliciendo votum non

Digitized by Google

vovendi sine licentia confessarii, intentionem habuisset irritandi subsequentia vota, et hujus clausulae, dum novum votum emittebat, fuerit immemor (III, 210; H. Ap., V, 28).

3° *Votum non petendi dispensationem* (a voto) invalidum est, si emittitur sensu illimitato; dari enim possunt circumstantiae ubi de bono meliori erit petere dispensationem (III, 208).

4° *Votum semper faciendi quod perfectius est,* in quibusdam Sanctis mirabile, non est de bono meliori pro iis, quorum vita speciali virtutum vigore non est probata.

5° *Votum obedientiae erga confessarium* non est de bono meliori, si per illud poenitens promittit, se apud nullum alium confessarium confessionem instituturum. — Potest autem esse de bono meliori in casibus determinatis et raris, v. gr. quando persona saecularis, sub obedientia, religiosorum more, Deo servire cupit. Votum tamen hujusmodi numquam sit perpetuum, semper prudenter determinatum (*Ami du Cl.*, 1906, p. 1026). Vide dicenda n. 1790.

6° *Votum paupertatis, in saeculo observandae,* si certis circumdatur limitibus (v. gr. de non faciendis expensis majoris momenti sine licentia confessarii, etc.) quandoque permitti potest. *Ami du Cl.*, 1913, p. 730.

7° *Votum non adhaerendi rebus creatis,* de se, est de re bona et possibili, ad exemplum Apostoli (*Phil.*, IV, 12). Cfr. *S. Alph.*, Prat. d'amar G. C., c. XI. — Attamen, cum ibi actus mere interni sint materia promissa, nonnisi paucis istud votum erit permittendum (*Ami du Cl.*, ib.).

ARTICULUS II.

De obligatione voti.

627. — PRINCIPIA. I. **Votum validum obligat ex virtute religionis.** *Probatur:* 1° Scriptura (*Deut.*, 23, 21): *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis et facies sicut promisisti Domino Deo tuo* (item *Eccl.*, 5, 3). — 2° Ratione: Omnis promissio valida homini facta obligat jure naturae; ergo a fortiori promissio facta Deo ipsique accepta.

Votorum violationes certo probabilius *sunt omnes ejusdem speciei.* — Unde, si quis habens votum castitatis fornicetur, potest seorsim fornicationem et seorsim violationem voti confiteri (III, 34 et 224). Recole dicta n. 581.

628. — II. **Votum obligat sub gravi, vel sub levi, pro quantitate materiae, et secundum intentionem voventis.** Obligatio enim voti se habet ut obligatio legis; ideoque ponderanda est tum ex natura rei, tum ex voventis voluntate (III, 211). — Si igitur *materia* est in se levis, vovens non potest, tametsi hoc intenderet, sub gravi ad eam sese obligare; materia enim non est tantae obligationis capax. Sic non admitti potest votum sub gravi, de non bibenda guttula meri vini (*Ami du Cl.*, 1905, p. 646).

Si vero materia in se gravis quidem est, vovens autem sub veniali tantum ad eam se obligare *intendit,* votum non nisi sub veniali eum obligat.

Digitized by Google

Quod si de voventis intentione non constet, attendendum est, vel ad verba quibus usus est, vel ad usitatam acceptionem, vel ad materiam voti. Nam censendum est, voventem, in materia gravi, voluisse se obligare sub gravi, nisi contrarium aliunde constet (III, 211-213).

GRAVIS autem censetur materia, quae vel ex se, vel ex adjunctis, notabiliter confert ad Dei gloriam, utilitatemque voventis aut proximi, quaeque in praeceptis Dei vel Ecclesiae pro gravi habetur. — Hinc, votum jejunandi, confitendi peccata, missam audiendi, communicandi etiam semel, notabilem pecuniam erogandi in pios usus, obligat sub gravi. — Secus, votum erogandi modicam pecuniam, invisendi semel aut iterum ecclesiam propriam, brevesque preces recitandi. Cfr. n. 1716, 1°.

Nota. Dictum est: *rem gravem voveri posse* SUB LEVI. Id tamen non valet *quoad vota Religionis,* quae ex intentione Ecclesiae sunt absoluta, ideoque non pendent ex sola intentione voventis; sed vovens intentionem suam intentioni Ecclesiae conformare tenetur; alioquin votum esset irritum utpote ab Ecclesia non acceptatum (n. 2147).

Corollaria. 1° Qui vovit aliquid sub levi, sed *sine intentione illud implendi,* nonnisi leviter peccat. — Aliter res se habet in *juramento promissorio* (cfr. n. 606). *Lehmkuhl,* I, n. 593.

2° Materiae leves ex eodem voto debitae *coalescunt,* si promissae fuerint *per modum unius,* si nempe dies apponatur ad *urgendam* obligationem, ne ultra illam diem differatur exsecutio. Hoc autem, juxta communem sententiam doctorum, praesumitur in votis REALIBUS. — Quare, si vovisti dare quotidie parvam eleemosynam tanquam partem notabilis summae quam erogare intendis, et illam saepius omittis, materiae coalescunt et possunt pervenire ad mortale. Difficulter vero determinatur quanta pars requiratur ad omissionem gravem, cum res a circumstantiis dependeat.

3° Eaedem vero *non coalescunt,* si promissae fuerint *per modum rerum singularium,* ita ut impletio operis tali diei affixa (v. gr. levis mortificatio feria VI in honorem Passionis) sit conditio substantialis; quo casu, dies apponi dicitur ad *finiendam* obligationem: et hoc communiter praesumitur in votis PERSONALIBUS. — Unde, qui vovisset cunctis diebus vitae suae salutationem angelicam recitare, non peccaret nisi leviter, singulis diebus illam praetermittendo (III, 212; H. Ap., V, 29).

629. — III. Obligatio voti solum voventem stringit. Haec enim obligatio ex propria voluntate atque intentione enascitur, et quia nulli jus competit promittendi rem aut actionem alienam. Unde si quis vovet factum alterius, sensus est, se, omni licito modo, curaturum, ut factum illud exsecutionem sortiatur, v. gr. ut filius Religionem ingrediatur, ad quam pater eum devovit. — Fieri tamen potest, ut aliquis votum alienum exsequi teneatur; sed hujusmodi obligatio ex alio titulo, v. gr. ex justitia, exsurgit.

Quoad praxim, sequentes statuendae sunt REGULAE:

1° Vota *personalia* non implentur nisi per voventem. — Unde, qui vovit, v. gr. peregrinationem, non satisfacit, si conducat alium; neque ad id tenetur, si ipse iter facere non possit.

Digitized by Google

2° Vota *realia* solvenda sunt ex proprio. — Unde, qui nequit ex suo non tenetur ab alio mendicare. Quod si possit ex suo, et tamen alius pro ipso velit solvere, id valet; quia tunc quod alter dat, fit ipsius. Imo probabiliter satisfacit voto eleemosynae, qui illam ab alio eo fine praestitam postea ratificat, cum noverit; quia tunc jam adimpletur votum cum consensu voventis (III, 217).

3° Vota realia, cum rei inhaereant, una cum illa *transeunt ad haeredes;* quia ea solvere tenentur, non quidem directe vi voti, sed ex titulo acceptae haereditatis, sicut alia debita; et ideo solvi debent ante legata, sed post debita justitiae (III, 214).

4° Si *communitas* aliquid voverit (parvi refert utrum materia promissa respiciat *actus privatos,* ut esset recitatio rosarii, vel *actus publicos,* ut esset processio facienda), posteri non tenentur ex motivo religionis; tenentur vero ex motivo obedientiae, pacti, vel legitimae consuetudinis (III, 216). — Notandum vero, ex decreto S. R. C. (n. 834, 932), nova festa a Superiore ex voto introducta, non obligare posteros. Ut posteri teneantur, requiritur consensus S. Sedis. Ita ex Const. Urbani VIII, 13 Sept. 1642. Cfr. *Lehmkuhl,* I, 590.

630. — IV. Votum implendum est tempore praefixo; vel, deficiente temporis determinatione, quamprimum commode fieri potest. Dicitur enim (*Deut.,* 23, 21): *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Apponitur autem tempus vel *ad finiendam,* vel *ad urgendam* obligationem. — Si primum, votum per modum unius complectitur et materiam promissam et circumstantiam temporis; ideoque, elapso hoc tempore, jam votum impleri nequit, et cessat obligatio. — Si secundum, circumstantia temporis est pars accessoria; quare, elapso tempore praefixo, votum semper obligat, et implendum est, quamprimum commode fieri poterit. — *Stante dubio,* in votis realibus dies praesumitur appositus ad urgendam obligationem; in votis personalibus praesumitur appositus ad obligationem finiendam (III, 220).

Hinc: 1° Qui jejunium vovit in honorem B. V. M. sabbato servandum, si hac die, sive inculpabiliter sive culpabiliter, non jejunaverit, deinceps ad nihil tenetur, neque tenetur praevenire, si praevidet impedimentum eo tempore superventurum. — 2° Qui autem vovit peregrinationem sine temporis determinatione, tenetur ad eam peragendam, cum primum commode fieri potest; et obligatio, longa mora interposita, non idcirco cessat (III, 220; H. Ap., V, 32).

631. — QUAERITUR. *Quaenam* DILATIO, *in voto implendo, gravis habenda sit?*

Resp. 1° Si tempus appositum fuerit ad finiendam obligationem, v. gr. in voto hac die jejunandi, gravis est *quaelibet* voti graviter obligantis dilatio, ultra tempus determinatum; quia, hoc elapso, votum non potest amplius impleri, cum tempori fuerit affixum.

2° Si autem tempus non determinatum fuerit (aut non nisi ad urgendam voti exsecutionem), dilatio *notabilis* in re gravi est peccatum grave. — Porro, dilatio videtur S. Alphonso notabilis, si impletio voti emissi in obsequium Dei

Digitized by Google

temporarium (v. gr. decorandi ecclesiam) differatur, absque justa causa, ad *duos vel tres annos;* et si impletio voti facti in obsequium Dei *perpetuum*, v. gr. ingrediendi Ordinem religiosum, sine rationabili causa, differatur ultra *sex menses* (III, 221). Cfr. n. 2140. Multum etiam attendendum est ad aetatem voventis.

Notandum. « Si quis aliquod edidit votum, et postea *implet* operam promissam *immemor voti*, non tenetur iterum implere, semper ac pro certo praesumere potest quod, si memor voti fuisset, pro eo operam impletam applicasset. Idque communiter docent (DD.), quia tunc votum impletur per illam primam voluntatem habitam in principio, cum votum fuit emissum » (H. Ap., X, 120, fin.). Vide dicta n. 212.

632. — V. Votum conditionatum non obligat, nisi impleta conditione. Non enim aliter se vovens adstringere voluit. Et hoc valet, etiam si ipse *causa fuerit* cur non impleta sit conditio; imo, juxta sententiam probabiliorem, etiamsi *malitiose* per fraudem, dolum, etc., impedimentum attulisset; etenim, etiam in hoc casu, apposita conditio non impletur. — « At, si *dolose* impedias, *peccas:* vovisti, v. gr., Religionem, si pater approbet: si tu precibus vel rationibus impedis consensum patris, non peccas; secus, si impedias vi vel fraude. Item, vovisti castitatem, si Deus per annum te liberet a mortali: si tu ex fragilitate cadis, non peccas respectu voti. Secus, si studiose peccas, ut solvaris a voto. Et sic de ceteris » (III, 218).

Quoad CONDITIONES autem votorum, *notandum:* 1° Omnes conditiones turpes, aut impossibiles, reddunt vota nulla [1]. — 2° Ad obligationem voti, non sufficit ut conditio impleatur aequivalenter, sed debet impleri specifice: v. gr. vovisti Religionem, si soror tua nupserit; non sufficit, si illa moriatur (III, 219).

QUAERITUR. *Quid censendum de obligatione voti disjunctivi vel poenalis?*

Resp. 1° Conditio essentialis voti DISJUNCTIVI (v. gr. sabbato jejunandi, aut eleemosynam dandi) est electio inter materias aptas. — Hinc: *a*) Si alterutra pars non est materia apta, votum est nullum. — *b*) Si ante electionem altera pars fit impossibilis, votum non obligat, quia electio non est possibilis. Quod si culpa voventis id acciderit, ad alteram partem adstringitur, utpote in quam culpa sua tacite consensit. — *c*) Si, facta electione, pars electa fit impossibilis, vovens ad nihil tenetur; si autem altera pars fit impossibilis, tenetur ad partem electam. — *d*) Post electionem, utraque parte stante adhuc in integro, probabile est voventem semper posse illam, quam malit, eligere partem. Ratio est, quia, non obstante electione facta, votum remanet adhuc disjunctivum; nec vovens, per suam electionem, privavit se libertate alteram eligendi partem (III, 224).

2° Votum poenale est vel *simplex* de solvenda poena, v. gr. si lusero chartis: quo in casu sufficit solvere poenam pro prima vice; vel est *duplex*,

[1] Conditio turpis, ut dicunt *Salmanticenses* (tr. XVII, c. 1, n. 165) solum tunc invalidat votum, quando fit quasi *finis ad quem* ordinatur res promissa (cfr. dicta n. 626, 1°). — Si autem conditio potius est circumstantia ad cujus praesentiam res promissa facienda est, valet votum. Unde S. Doctor notat (III, 206; ed. G., I, p. 504): Impleta conditione posita, honestum est in se votum implere. Ita etiam Laymann, Cajetanus, Bonacina.

Digitized by Google

de non ludendo et de poena solvenda: et in hoc casu, quoties votum violatur, toties solvenda est poena, nisi haec sit gravissima, ut peregrinatio, elargitio magnae eleemosynae, quae non soleat communiter repeti. Excipe etiam, si talis, ludendo, fuerit penitus immemor voti (III, 223; H. Ap., V, 30).

633. — VI. **Interpretatio votorum eadem est ac interpretatio legum.** Votum enim est quaedam lex particularis et privata.

Hinc: 1° Votum indeterminatum *quoad tempus,* v. gr. de rosario diurno, de jejunio singulis sabbatis servando, obligat *perpetuo,* nisi aliud colligatur ex circumstantiis. — In dubio an votum sit temporarium vel perpetuum, aut pro mense vel anno, non teneris nisi ad minus.

2° Qui vovit aliquid *sine determinatione loci,* v. gr. ingressum in Ordinem aliquem, satisfacit intrando quodcumque monasterium ejusdem Ordinis, in quo servantur substantialia regulae; neque tenetur pro admissione adire loca sita extra provinciam, si non fuerit admissus in monasterium provinciae. Cfr. n. 2140.

3° Qui vovit aliquid *sine certa qualitate,* v. gr. calicem, ecclesiam aedificandam, debet implere votum juxta usum communem.

4° Qui vovit aliquid *sine certa quantitate,* v. gr. eleemosynam, pecuniam, frumentum, etc., satisfacit dando quantum voluerit; dummodo non det tam parum, ut videatur potius Deo illudere, quam votum implere.

5° Qui vovit *recitationem rosarii,* satisfacit recitando tertiam partem, quia communiter sic intelligitur; et satisfacit recitando alternatim, et similiter dividendo decades; quia tale votum obligat instar Officii divini.

6° Qui vovit quotidianam *auditionem sacri* per mensem vel annum, probabiliter non tenetur in festis duo audire sacra. Nec tenetur jejunare die dominica, qui per mensem, annum, vel totam vitam *jejunium* vovit; quia sic habet consuetudo Ecclesiae. Excipe, si expresse ad id sese obligaverit.

7° Qui vovit jejunium *pro vigilia* alicujus Sancti, si haec in diem dominicam incidat, potest sabbato juxta consuetudinem Ecclesiae votum suum adimplere (III, 221-224).

8° Votum faciendi id quod perfectius est de se non extenditur ad peccata omittenda. Cfr. *Ami du Cl.,* 1906, p. 59.

Ad solvenda DUBIA circa *existentiam, extensionem* et *cessationem* votorum, standum est regulis stabilitis, ubi de conscientia dubia et probabili (n. 46, 55 et 89).

634. — QUAERITUR. *Quid dicendum de voto rei partim possibilis, partim impossibilis?*

Resp. 1° Votum, cujus materia non potest aut non solet dividi, est nullum. Sic, v. gr., vovisti aedificare templum: si totum non potes, non teneris ad partem, nisi tamen alter perficere voluerit.

2° In materia divisibili, vovens tenetur ad partem possibilem, etsi minorem, dummodo haec non censeatur mere accessoria in voto.

Sic, qui vovit jejunare tota hebdomada, si potest solum aliquot diebus, ad hoc tenetur. Contra vero, qui vovit peragere peregrinationem nudis pedibus, peregrinationis autem est incapax, non tenetur, ut patet, ad nudationem

Digitized by Google

pedum. Tenetur tamen ad ipsam peregrinationem, si solum impeditur nudis pedibus incedere (III, 225).

Hoc demum notandum superest: Qui plura vota *incompossibilia* emisit, debet servare illud quod cetera dignitate praecellit; alioquin prius posteriori praefertur (III, 210, fin.).

ARTICULUS III.

De cessatione voti.

Sicut legis, ita etiam voti obligatio potest duplici modo cessare: 1° *ab intrinseco,* ob materiae mutationem; — 2° *ab extrinseco,* ob humanae auctoritatis interventum (III, 225).

635. — Principia. I. Cessat voti obligatio ab intrinseco ubi supervenit materiae mutatio notabilis. Id valet in omni promissione. — Signum hujuscemodi mutationis datur si vovens dicere potest: Non hoc ego vovere intendi, sed aliud moraliter diversum. — Id vero accidit:

1° Si ratione novae circumstantiae, vel prohibitionis, materia fiat *illicita,* vel *majoris boni impeditiva;* his enim in casibus, votum non est amplius de meliori bono: v. gr. votum promovendi opus quod a principio creditur optimum, sed dein ab Ecclesia non approbatur, uti esset votum coronandi statuam SS. Cordis Jesu (*Ami du Cl.,* 1908, p. 811).

2° Si fiat *impossibilis,* absolute vel moraliter, *etsi culpa voventis,* puta, si status voventis relate ad voti materiam fiat moraliter diversus: v. gr. si quis aedificationem ecclesiae vovisset, sed dein in fortuna talem jacturam fecisset ut, sine status sui notabili detrimento, voto jam satisfacere non posset.

3° Si fiat *inutilis,* relate ad finem intentum: sive *per totalem causae finalis cessationem,* ut si vovisses te eleemosynam tali pauperi daturum, et hic repente factus sit dives; sive *per remissionem debiti* factam a jus habente. Jus autem habet tum ille in cujus favorem votum emissum fuit, tum ille, sub cujus potestate sunt et persona, in cujus favorem votum factum est, et ipsa promissa materia: v. gr. S. Pontifex, si agatur de voto in favorem Ordinis religiosi vel bonorum ecclesiasticorum. Talis enim condonatio aequivalet solutioni debiti, adeo ut haec prorsus inutilis evadat (III, 192 et 255). Cfr. n. 1026.

4° Si superveniat notabilis aliqua circumstantia, *qua praevisa votum non emissum fuisset;* « quia, superveniente circumstantia non praevisa, qua votum onerosius redditur, materia voti fit diversa, quam promissa » (III, 126). Ita etiam *D. Thomas* (4, D. 38, q. 1, a. 3, ad 1).

Excipe: a) Si superveniens incommodum ex ipsa rei natura rationabiliter *praevideri* potuit. — Hinc, *votum castitatis* per vehementes, quae superve-

Digitized by Google

niunt, tentationes minime cessat, cum pauci reperiantur qui ab istiusmodi tentationibus semper sint immunes; contra illas igitur alia remedia adhibenda sunt, vel, si periculum infringendi votum immineat, obtinenda est dispensatio. Item, vovisti inservire in nosocomio: non liberaris a voto, etiamsi per supervenientem pestilentiam mortis periculum tibi immineat; quia cum tale periculum hujusmodi munus per se comitari soleat, illud saltem in confuso praevidisti, et subire implicite voluisti.

b) Si ***bonum publicum*** firmitatem voti sibi expostulat. — Hinc, ob nullas materiae vel circumstantiarum mutationes cessant ipso facto *vota sollemnia* emissa in professione religiosa, vel in susceptione Ordinum; nec *vota simplicia, quae in congregationibus religiosis emittuntur,* maxime si addatur *juramentum perseverantiae:* tunc enim intervenit contractus onerosus. Unde, sicut congregatio nequit alumnum dimittere ob supervenientes mutationes, excepto casu quo congregatus non amplius aedificationi esset (vide n. 2173): ita nec alumnus potest congregationem relinquere (IV, 50).

636. — II. Cessat obligatio voti ab extrinseco tripliciter: per irritationem, per dispensationem, per commutationem. Ratio est, quia humana auctoritas, Deo annuente, attingere potest vel actum ipsius voventis, vel materiam voto dicatam.

Ad hanc cessationem referri potest exstinctio omnium votorum, quae ante religiosam professionem emissa fuerant, et quae per eam totaliter tolluntur (cfr. n. 2150, quaer. 2°). Per professionem religiosam non sollemnem vota antecedentia equidem non exstinguuntur, in multis tamen suspensa manent.

§ 1. De irritatione votorum.

637. — Definitio. Irritatio voti est ejusdem annullatio, vel suspensio, facta ab eo, qui *potestatem dominativam* habet in voluntatem voventis, aut in materiam voti.

Divisio. Irritatio alia est *directa,* seu proprie dicta: haec ipsam voventis voluntatem attingit, hujusque votum ita rescindit, ut voti obligatio nunquam reviviscat; alia est *indirecta,* haecque non praecise in actum voventis cadit, sed in rem ab eo promissam; impeditque voti exsecutionem, ita tamen ut, remoto impedimento, obligatio reviviscat: unde est potius *voti suspensio,* quam irritatio.

638. — Principia. I. **Irritatio directa fieri potest a quolibet Superiore penes quem est potestas dominativa in alterius voluntatem.** Ratio petitur ex ipso jure naturae; etenim inferior, cujus voluntas, vi actus positivi, voluntati Superioris plene subjicitur, non potest, salvo Superioris jure, de seipso disponere [1]. — Unde ejus vota, quae-

[1] Attamen, nec jus naturae, nec voluntatis actus positivus amplitudinem et firmitatem irritationis, quoad forum conscientiae, sufficienter demonstrant, nisi recurramus *ad consensum tacitum Ecclesiae.* Nemo enim jure naturae ita est subjectus, nemo positive ita se subjicit, ut omnes actus etiam mere *interni* a voluntate aliena firmitatem recipiant (*Lehmkuhl,* I, 607).

Digitized by Google

cumque sint, hanc semper conditionem implicant: *nisi Superior contradixerit.* Quamdiu igitur non contradixerit, valida quidem sunt emissa vota, sed infirma, ita ut, Superiore contradicente, deleantur, et suscepta obligatio prorsus exstinguatur. Et sic quidem omnia vota in genere, etiam reservata, vel onerosa, etiam futura, renuente licet inferiore, valide irritari possunt (III, 227, 228, 231).

Nec tamen *directe* irritari possunt vota, de quibus *dubitatur* utrum ante, an post tempus inceptae subjectionis emissa fuerint; sed possunt irritari indirecte, si nimirum eorum materia Superiori subjacet (III, 237).

Hinc: 1° *Regularium* ac *monialium* vota omnia, etiam interna, et Superiori incognita, quae *post professionem* emissa sunt, directe irritare possunt eorum praepositi; quia religiosus totum suum velle ac nolle in praelatum transtulit (III, 233). — Hac proinde potestate pollent: *a*) S. Pontifex, ceu supremus omnium religiosorum praelatus; — *b*) Ordinis Praepositus generalis, Superiores provinciales et locales; imo absentibus his primariis Superioribus, Superiores secundarii, et demum, juxta opinionem probabilem, Abbatissae [1]; — *c*) Episcopus, si domus vel congregatio ab ejus jurisdictione non est exempta. — *Excipienda* tamen sunt vota a praelato superioris gradus approbata, sicut et votum transeundi in Religionem strictiorem. Nullus enim Superior habet a Deo potestatem impediendi majus bonum. — Sed vide n. 642, 3°, et n. 2178.

Nequit vero praelatus irritare vota religiosi, si iste non amplius ei subjicitur (III, 238).

2° Vota *impuberum,* tum personalia (etiam castitatis et Religionis), tum realia (etiam de peculio castrensi vel quasi-castrensi), directe irritare potest pater, et in patris defectu avus paternus vel tutor; imo etiam mater, praesente patre vel tutore, modo pater vel tutor non contradicat, ut patet ex can. *Puella* (Can. 2, caus. 20, q. 2). Ratio est, quia, in tali aetate, deficit perfecta deliberatio ad tantam obligationem. Quare, ad hunc defectum lex naturae prospexit, praebendo parentibus facultatem talia vota irritandi. — Porro, pater vel alius paterna pollens auctoritate potest, *quamdiu dominativam auctoritatem possidet* (cfr. n. 698), irritare votum a filio tempore impubertatis emissum, tametsi filius jam puber factus sit, modo votum non confirmaverit in pubertate, cognoscens illud fuisse infirmum (III, 229, 230; H. Ap., V, 36). — Quid autem pater possit erga puberes, vide infra (n. 639, 3°).

3° Probabilius, secundum *D. Thomam* (2. 2, q. 88, a. 8 ad 3), aliosque multos, *maritus* potest directe irritare *vota uxoris* tempore matrimonii emissa (licet non praejudicent usui matrimonii, vel prolis educationi, vel gubernationi domesticae), etiam vota nunc emissa, sed post mortem mariti exsequenda, v.gr. Religionis, castitatis. Ratio est, « quia expedit valde ad pacem familiae, ad mutuum amorem fovendum, ut uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat, et sic impetus feminarum retundantur » (III, 234; H. Ap., V, 36; Conf. dir., V, 10). — Uxor autem nequit irritare vota mariti, nisi sibi praejudicent, ut votum longae peregrinationis, vel non petendi debitum (III, 235).

Nequit tamen vir irritare vota uxoris, *facto divortio formali.*

[1] *Card. Gennari* (Quest. de Droit can., II, n. 469) non admittit, Superioribus congregationum religiosarum competere jus irritandi directe vota suorum subditorum. — Ita etiam *Ojetti,* Synopsis rer. mor., n. 2533, circa fin.

Digitized by Google

639. — II. Irritatio indirecta fieri potest ab omni Superiore qui habet potestatem in materiam voti. Agitur de votis quibus potestas Superioris laederetur. Vi autem legis naturalis, nemini licet rem aliquam promittere, quae vergit in damnum tertii, qui jus in illam possidet.

Potestas vota indirecte irritandi saepe oritur ex potestate dominativa, quandoque etiam ex potestate jurisdictionis.

Hinc, vota indirecte irritare possunt: 1° *Papa*, vota omnium fidelium, et *Episcopi*, vota subditorum; in quantum ipsis praejudicant (cfr. *A. A. S.*, III, p. 391). — 2° *Superiores Ordinum religiosorum*, vota novitiorum, in his quae regularem observantiam praepediunt. — 3° *Pater*, vota realia puberum, in quantum isti suorum bonorum administrationem non habent (et idem dicendum est de matre, de tutore, de curatore, etc.); sed non potest irritare vota personalia, v. gr. votum servandae castitatis, suscipiendi sacramenta, nisi forte praejudicent domesticae gubernationi: prout foret votum longinquae peregrinationis, votum talem tenendi in jejunio modum, qui a victus ratione in familia servata nimis discreparet. — 4° *Heri*, vota famulorum, quae debitis obsequiis adversantur. — 5° *Maritus*, vota ab uxore ante matrimonium emissa, quatenus ipsius juribus respectu gubernationis obstant. Et pari ratione potest *uxor* indirecte irritare vota mariti juribus suis adversantia (III, 242; H. Ap., V, 36).

Ex dictis patet irritationem INDIRECTAM *non valere*, nisi adsit justa causa. Excipe, si agatur de irritatione indirecta, quae ex potestate dominativa oritur.

640. — QUAERITUR. *An possit fieri irritatio* DIRECTA *sine justa causa?*

Resp. 1° Certum est, pro *valore* irritationis, nullam causam requiri, cum inferioris votum factum sit sub conditione: si Superior consenserit. — Imo, id certum videtur, tametsi Superior vota prius rata habuerit; quia nequit sibi adimere potestatem dominativam, quam habet in subditos.

Si tamen ille, qui irritationem a Superiore vult obtinere, non procedit sincere, circumstantiam voti tacet et solum petit licentiam talem rem peragendi, irritatio ordinarie *non valebit;* quia Superior, per meram licentiae denegationem, non supponitur votum irritare velle, cujus exsistentiam prorsus ignorat.

2° Verius est, talem irritationem, per se, nullum esse peccatum, nisi Superior votum positive approbaverit. — Dicimus: *a*) *Per se*, seu ratione potestatis; nam difficulter aliunde potest excusari a veniali, tum quia sic irritans facit actum otiosum, tum quia irrationabiliter profectum inferioris impedit. Sufficit vero quaevis causa rationabilis ad excusandum a veniali. — Dicimus: *b*) *Nisi Superior votum positive approbaverit;* nam, eo casu, si irritat sine justa causa, certe peccat; sed, secundum sententiam probabiliorem, venialiter tantum, secluso scandalo aut contemptu. Unde patet, graviorem requiri causam ad irritationem votorum, si illa Superior rata habuerit, quam si non approbaverit (III, 239).

Digitized by Google

Ex hac doctrina, aliqui DD. deducunt, posse maritum irritare votum uxoris, etiamsi *mutuo consensu* castitatem voverint; quia vota a se approbata irritare valet. Nec certa ratio apparet, cur haec opinio damnetur. Attamen, cum esset contra communem sententiam, S. Alphonsus sapientioribus rem decernendam remisit (ib., cfr. VI, 944, 948). Jamvero plures hodie AA. hanc opinionem diserte approbant. Ita *Lehmkuhl*, I, 612; *Ballerini-Palmieri*, II, 689; et alii. Vide dicenda n. 2096.

§ 2. De dispensatione votorum.

641. — Definitio. Dispensatio est absoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta, ab eo, qui potestatem jurisdictionis ecclesiasticae habet (III, 250). — Differt ab *irritatione*, quae fit nomine proprio irritantis, et ad sui valorem non requirit aliam causam, quam irritantis voluntatem.

642. — Principia. I. **Ad validam voti dispensationem requiritur potestas legitima.** Cum enim obligatio voti sit acceptata a Deo, et lege ejus consecrata, non nisi divina auctoritate relaxari potest. Haec autem auctoritas illis concessa est, quibus Christus (*Matth.*, 16, 19 et 18, 18) dixit: *Quodcumque solveris..., quaecumque solveritis...*, etc.; iis scilicet, quibus concessa est jurisdictio spiritualis et ordinaria in foro externo (cfr. n. 229). — Talis potestas in Ecclesia necessaria est, ob mutabilitatem voluntatis humanae, et magnum dubiorum numerum, quae solvi debent.

Hinc jure ordinario dispensare possunt:

1° Summus Pontifex, respectu omnium fidelium, in omnibus quibuscumque votis. Nec excipienda sunt vota sollemnia, sive clericorum in sacris, sive religiosorum; nam recte censetur hoc Pontifici concessum, cui concessit Deus totius Ecclesiae regimen; et constat ex praxi Romanorum Pontificum, praesertim Julii III tempore anglicani schismatis, et Pii VII tempore perturbationis gallicae [1] (cfr. n. 2176).

2° Episcopi, Vicarii capitulares, Abbates habentes jurisdictionem episcopalem, cum suis subditis, et Nuntius Apostolicus in sua provincia in votis S. Pontifici non reservatis. — Speciali autem delegatione indigent tum *Vicarius Episcopi*, tum parochus, aliique sacerdotes. — Quid Episcopus in vota peregrinorum possit, vide n. 235, q. 1°.

3° Praelati regulares (non Abbatissae) cum suis subditis, etiam novitiis, licet vota emissa fuerint in saeculo, aut votum fuerit transeundi in strictiorem Ordinem, dummodo utilius noscatur religiosum manere in suo. Novitiorum autem vota etiam a proprio Episcopo dispensari possunt. Cfr. III, 256, 257.

643. — *Notetur:* 1° Omnes Superiores, qui ordinaria potestate gaudent, possunt eam cuilibet prima saltem tonsura initiato delegare. — 2° Qui possunt dispensare cum aliis, id etiam possunt cum seipsis. — 3° Confessarii regulares, ex privilegio, habent jus dispensandi in omnibus votis non reser-

[1] Cfr. H. Ap., V, 42, 50; *Suarez*, de Relig., tr. 6, l. 6, c. 10; *Scavini*, l. 2, n. 227. — Numquam tamen conceditur dispensatio omnino plena. Sic, v. gr., etiamsi presbyter redigatur ad statum laicalem, non conceditur dispensatio a coelibatu (*Lehmkuhl*, I, 621).

Digitized by Google

vatis quorumlibet fidelium, sive intra sive extra confessionem. — 4° Cum conjugibus, valido matrimonio junctis, possunt tam Episcopi quam Mendicantes dispensare a voto simplici castitatis, sive post sive ante matrimonium emisso. De his autem vide n. 1992, 2096, 2191.

644. — II. Ad validam et licitam voti dispensationem requiritur causa justa [1]. Vota enim soli Deo fiunt; ergo homo in iis dispensare non valet, nisi ut Superior secundarius; sed non potest secundarius sine sufficiente causa valide dispensare (n. 239). — *In dubio* tamen, an causa fuerit sufficiens, possessio stat pro valore dispensationis jam concessae (cfr. n. 241, q. 2°).

JUSTAE CAUSAE dispensandi sunt: 1° Bonum communitatis, aut ecclesiae, aut familiae, aut ipsius subjecti: v. gr. si dispensatio ei judicetur esse majori profectui, si grave violandi votum periculum ei immineat, si divexetur scrupulis. — 2° Notabilis difficultas adimplendi votum. — 3° Imperfecta deliberatio et libertas in voti emissione: v. gr. si votum processit ex tristitia, ira, metu intrinseco, puta incendii, naufragii; aut ex metu extrinseco sed levi; item, si votum fuit emissum tempore impubertatis. — 4° Si cessat causa voti impulsiva: quo in casu dispensationi *admiscenda est aliqua commutatio,* ut notat S. Alphonsus. — 5° Si tales circumstantiae occurrunt, ut dubium sit, an votum adhuc subsistat, aut obliget; in tali enim dubio possessio stat pro voto, et dispensatione opus est (III, 251-252). Cfr. supra n. 248.

645. — Quaesita. QUAER. 1° *An Superior possit dispensare in votis quae redundant in utilitatem tertii?*

Resp. 1° *Affirm.,* si agitur de promissione gratuita, vel nondum a promissario acceptata, vel acceptata quidem, sed principaliter in honorem Dei facta. — Ratio est, quia ex sententia probabili promissarius, in tali casu, vel non acquirit verum jus, vel si acquirit, illud acquirit dependenter a Deo, cui praecipue promissio facta est.

2° *Neg.,* si promissio est onerosa seu mutua, ut in voto perseverantiae, quod emittitur in quibusdam congregationibus; vel, si est gratuita quidem, sed facta principaliter in favorem tertii, v. gr. in favorem talis pauperis determinati, ab eoque, vel ab alio ejus nomine, rite acceptata. In his enim casibus, votum sequitur naturam contractus, cui est adnexum, ita ut absque utriusque partis consensu solvi nequeat (III, 225; H. Ap., V, 44). Cfr. n. 615.

Nota. De jure quod religiosa congregatio ratione voti perseverantiae acquisivit, certe disponere potest S. Pontifex.

QUAER. 2° *An quaedam vota sint S. Pontifici* RESERVATA *et qualia?*

Resp. Praeter vota in communitate religiosa emissa (etiam temporaria, quae antecedunt vota perpetua) reservantur quinque: *a*) Votum

[1] De *acceptatione dispensationis* non loquimur, ex eo quod, ex dictis in tractatu de dispensatione in genere, nimis patet hanc esse necessariam. Ceterum, qui oblatam dispensationem respuit, censetur votum sibi denuo imponere (*Génicot,* I, 327).

Digitized by Google

perfectae et perpetuae castitatis. — *b*) Votum ingrediendi Religionem, in qua emittuntur vota sollemnia. — *c*) Votum peregrinandi Hierosolymam, ad sepulchrum Christi. — *d*) Votum peregrinandi Romam, ad limina Apostolorum. — *e*) Votum peregrinandi Compostellam, ad S. Jacobum.

Haec quinque vota, ut sint reservata, debent esse PERFECTA: α) Ratione *libertatis;* quare non sunt reservata, si sint emissa ex metu, etiam levi, ab alio incusso. — β) Ratione *materiae;* quapropter, non est reservatum votum peregrinandi Romam ad limina, etc. etc., nisi sit ex devotione et praecise illorum locorum: unde si quis vovet Romam ire ad visitandam imaginem S. Mariae Majoris, vel alia sanctuaria, votum non est reservatum; nec votum castitatis, nisi sit perpetuum, et excludat omnem actum venereum etiam internum; sic, v. gr., non sunt reservata vota non nubendi, non fornicandi, non petendi debitum, aut servandi virginitatis praerogativam, si vovens non intendit promittere abstinentiam ab omni actu venereo; nec votum ingrediendi Religionem, si vovens intendit institutum ubi vota simplicia emittuntur [1]. — γ) Ratione *formae,* i. e. debent esse facta principaliter in honorem Dei, absoluta et determinata. Unde, non sunt reservata vota *poenalia* aut *disjunctiva,* v. gr. Religionis aut jejunii, et hoc, ex sententia probabiliori, etiamsi jam electa sit pars reservata (nisi utraque pars sit de reservatis); nec vota *conditionata,* i. e. sub conditione de futuro contingenti, v. gr. voveo castitatem, si incolumis evasero. Dicitur: *de futuro contingenti;* quia votum sub conditione de praeterito, vel praesenti, aut de futuro necessario, aequivalet voto absoluto; item votum emissum ex mero affectu ad virtutem, si adjecta fuerit conditio ob solum impedimentum, quo stante, impossibilis est voti exsecutio: v. gr. si quis voveret Religionem cum conditione: *si mater obierit* (id est: *quando* obierit). — δ) Ratione *obligationis:* non enim essent vota reservata, si vovens se tantum sub levi obligare intendisset (III, 258, 261; H. Ap., V, 45-46). — *In dubio,* an vota sint reservata, ab Episcopo et confessariis regularibus sunt dispensabilia (cfr. n. 242, 1°).

Notetur: 1° Vota sunt reservata *quoad substantiam,* non quoad circumstantias. — Hinc, si quis, v. gr., vovisset ingressum in Religionem rigidiorem, Episcopus aut praelatus regularis ita dispensare potest, ut ipsi in mitiorem ingredi liceat. Item, si votum emisisset ingrediendi sine retardatione, Episcopus, cum causa, dispensare potest, ut differatur ingressus (III, 258, not. 3).

2° Facultas dispensandi super uno reservato valet pro aliis reservatis si haec sunt minus nobilia, secus non. Sic, v. gr., qui dispensare potest super votis reservatis *etiam castitatis,* eadem pollet facultate quoad alia reservata

[1] Votum amplectendi *vitam religiosam* de se non est reservatum; vovens potest enim intrare vel in Ordinem stricte dictum vel in Congregationem religiosam. Similiter non est reservatum votum mulieris, cujus intentio respexerit monasteria prout in Gallia exsistunt. *S. Poenit.*, 11 Dec. 1835 (ap. *Ojetti,* Synopsis, v. Dispensatio, n. 1828).

Digitized by Google

inferioris dignitatis, non vero *quoad votum religionis*. Attamen, ob specialem rationem, qui jus habet dispensandi super reservatis, *etiam religionis*, nequit dispensare *super voto castitatis*, quia difficilior est ejus observantia ; qui enim religionem vovet, solum ad tentamen faciendum tenetur. — In formula : dispensandi *a votis, etiam castitatis*, non includuntur alia reservata.

3° In votis reservatis, Episcopi, et similem jurisdictionem habentes, possunt etiam dispensare vel commutare quando et quatenus necessitas urget. — Diximus : *a) quando necessitas urget*, id est, si non sit facilis accessus ad Papam, et in mora sit periculum gravis damni, vel spiritualis vel temporalis, proprii aut alieni ; — *b) quatenus necessitas urget*, quia, si votum suspendi sufficiat, non potest in eo dispensari ; item, si dispensetur in voto castitatis, ut nubat quis cum aliqua, ad reparandum ejus honorem, nequit ille cum alia nubere. — Sunt et aliae facultates, etiam pro voto castitatis, quae Episcopis petentibus concedi solent (ib., not. 2).

QUAER. 3° *An* JURAMENTUM *castitatis, sive Religionis, sit reservatum pariter ac votum?*

Resp. Sententia probabilior negat tale juramentum esse reservatum, si quis scilicet solo juramenti vinculo se obligare voluerit ; juramentum enim minorem, quam votum, obligationem inducit, ut docet *S. Thom.* (2. 2, q. 89, a. 8). — Si vero duobus se vinculis obstringere voluerit, nempe voto et juramento, votum utique est reservatum, sed non juramentum. — In dubio autem an votum juramento adjectum fuerit, valet jam communis regula : votum dubie emissum non obligat (III, 259).

Ex dictis resolves : Concedenti dispensationem constare debet : 1° votum, in casu, non esse certo reservatum Superiori ; — 2° dispensatione non laedi jus tertio acquisitum ; — 3° justam dari causam ; in dubio de sufficientia causae, supplendum est per aliquam commutationem. Ceterum, cuilibet dispensationi aliqua commutatio laudabiliter adjungitur. — Recole dicta *de dispensatione legis* (n. 237).

QUAER. 4° *An delegatam habens facultatem dispensandi in votis, possit etiam dispensare in juramentis?*

Praenot. Non agitur de votis quibus accessit juramentum in eadem materia (vota jurata) ; agitur de juramentis quae in eadem materia independenter a voto emissa sunt.

Resp. Controvertitur. *Prima sententia* probabilis negat, quia vinculum voti et juramenti diversum est. *Secunda sententia* non minus probabilis, cui adstipulantur multi moderni, affirmat, quia, in ordine ad dispensationem, votum et juramentum aequiparantur.

Priori sententiae, quam *S. Alphonsus* (III, 190) dicit omnino tenendam (vi principii possessionis), favet declaratio S. C. de P. F., 19 Maii 1845 : « Facultas dispensandi a votis facultatem dispensandi a jurejurando per se non includit ». Cfr. etiam ejusdem Congr. resp. 3 Maji 1828 (*Coll. Prop. Fide*, n. 2085 et 2087). — Favet etiam huic sententiae vehemens conjectura, ex eo orta, quod ex stylo Curiae facultas quantum ad juramenta *specialiter* concedatur. Cfr. *Vind. Alph.*, I, p. 307.

Digitized by Google

§ 3. De commutatione votorum.

646. — Definitio. Commutatio est substitutio alterius operis honesti loco ejus, quod voto promissum erat sub eadem obligatione.

Divisio. Triplici modo fieri potest commutatio: in *melius*, in *aequale*, in *minus bonum*. — Dicitur autem melius, quod est tale relate ad utilitatem spiritualem voventis, et Deo gratius (III, 243; *Lehmkuhl*, I, 625).

Addere juvat quaedam exempla communicationum in opus aequale (ex *Reuter*, II, n. 374). Commutari potest: jejunium unius diei in unam confessionem; recitatio quotidiana Rosarii in confessionem hebdomadariam; votum vitandi externa peccata luxuriae vel votum non nubendi in confessionem menstruam per vitam; peregrinatio facienda in jejunium, etc. Vide *Lehmkuhl*, I, 632.

647. — Principia. I. **Commutatio voti in opus evidenter melius ab ipso vovente fieri potest, etiam sine speciali causa.** Minus enim in meliori continetur. Constat ex Jure canonico (c. *de Jurej.*): « Non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius illud commutat ».

Hinc, qui, v. gr., vovit cereum offerre in ecclesia, poterit hoc votum, propria auctoritate, mutare in oblationem calicis. — Excipiuntur tamen vota in favorem tertii, et ab illo acceptata; item vota reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum (III, 243).

648. — II. **Commutatio voti in opus aequale vel minus bonum debet fieri ab auctoritate ecclesiastica.** Ratio *primi* est, quia, posito voto, gratius Deo est rem promissam praestari, quam aliam, licet parem, sed non promissam. — Praeterea, in commutatione, ut ait *D. Thomas* (in 4, D. 38, q. 1, a. 4, sol. 4), est quidam contractus qui perfici nequit absque consensu ejus qui vicem gerit Dei in terris, scilicet praelati. — Ratio *secundi* est, quia commutatio in opus minus bonum est species dispensationis (III, 244; H. Ap., V, 38; 2. El. qq. ref., n. 8).

In utroque casu, *causa rationabilis* requiritur. Si haec deficit, invalida fieret sola commutatio in opus minus bonum. Veniale tamen non excederet commutatio in opus aequale facta sine causa. — Si vero commutatio in opus aequale propria auctoritate jam facta fuerit, et jam praestita sit materia commutata, sufficit ut vovens suppleat aliquid.

649. — *Notetur:* 1° Qui potest dispensare, etiam ex delegatione, potest similiter commutare vota: etenim « cui licet quod est plus, licet utique quod est minus »; non autem vice versa; quia major potestas in minori non includitur (Reg. 53 in VI).

2° Qui potest aliorum vota dispensare vel commutare, item potest pro semetipso (III, 249).

3° Qui gaudet facultate commutandi, sed non dispensandi, debet votum commutare in aequale; quia si in minus mutaret, ex parte jam dispensaret. Verumtamen, aequalitas non mathematice sed moraliter aestimanda est; secus enim innumeris difficultatibus ac scrupulis obnoxia res evaderet (III, 247).

Digitized by Google

4° Sicut causa minor requiritur ad commutandum, quam ad dispensandum: ita minor causa sufficit ad votum commutandum in aequale, quam ad commutandum in minus bonum. — De hac re ita *S. Alphonsus:* « Quodlibet rationabile motivum pro causa haberi potest. — Sufficiens est, ut ex commutatione voti sit minus periculum transgressionis... Interroget confessarius poenitentem, quae opera soleat exercere praeter debita ex praecepto, aut ad quae majorem habeat propensionem; et in ea commutet vota (Praxis, n. 26). — *In dubio* autem an causa commutationis fuerit sufficiens, docet D. Thomas, posse voventem commutantis judicio acquiescere (III, 245, fin.).

5° Potest votum personale commutari in reale, et vice versa; item perpetuum in temporarium. — Commutatio autem securior, in omni votorum genere, erit frequentia sacramentorum (III, 247 et 248).

6° Commutato per Superiorem (vel ejus delegatum) voto reservato, materia subrogata probabilius non est reservata, quamvis idem vinculum voti habeat. Ita communiter (III, 249).

7° Aliquando tribuitur facultas dispensando *commutandi,* aliquando commutando *dispensandi.* In primo casu, respicitur potius commutatio in rem minus onerosam; in secundo, dispensatio, non quidem totalis, sed cum aliquo onere.

650. — Quaesita. QUAER. 1° *An, facta commutatione, liceat redire ad primum opus?*

Resp. Affirm., quia voti commutatio a Superiore concessa est favor; nemo autem favore uti tenetur. Attamen, licet vovens ad primum opus redierit, potest ad secundum subrogatum regredi. — Quod si primum aut secundum opus rursus voverit, in hoc casu ad alterutrum novo voti vinculo teneretur (III, 248).

QUAER. 2° *An debeat vovens redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile?*

Resp. 1° *Affirm.,* si vovens, propria auctoritate, commutavit in melius; quia, in hoc casu, voti obligatio non est exstincta.

2° *Neg.,* si commutatio a legitimo Superiore facta est; tunc enim obligationis vinculum in rem substitutam translatum est, ac proinde prima obligatio exstincta est. — Hoc valet, etiamsi res subrogata, voventis culpa, facta sit impossibilis. Peccavit quidem reddendo eam impossibilem, sed ad primum votum vere exstinctum non tenetur redire (III, 249).

Digitized by Google

TRACTATUS III.

De tertio Decalogi praecepto

Memento ut diem Sabbati sanctifices
(*Exod.*, 20, 8).

651. — Remotis, per primum et secundum praeceptum, verae religionis impedimentis, et assignatis variis reverentiae et fidelitatis, quae Deo debentur, obsequiis, tertium jam venit *praeceptum* directe *affirmativum,* quod *cultum externum,* tanquam corollarium priorum praeceptorum, praescribit.

Nemo non videt hunc cultum divinum, moralitatis, ideoque societatis christianae, esse fundamentum. Principum et societatum rectorum ergo nobile et praecipuum officium semper erit, in cultu ordinando et imponendo, Ecclesiae praesides auctoritate sua adjuvare, et jubere populum sacerdotum praeceptis obtemperare (Catech. Rom., de 3° Praec., n. 2).

Agemus: 1° de festis sanctificandis in genere; — 2° de obligatione abstinendi ab operibus servilibus; — 3° de obligatione audiendi sacrum.

CAPUT I.

De festis sanctificandis in genere.

S. Thomas, 2. 2, q. 122; *S. Alphonsus*, III, 263; ed. G., I, p. 545; *Suarez*, de Relig., t. II, l. 2: *Salmant.*, tr. 23; *Aertnys*, l. III, n. 113; *Lehmkuhl*, I, n. 701; *Tanquerey*, I, n. 1006; *Zeitschr. für kath. Theol.*, 1913, p. 563; *Koch*, Moraltheol., § 117; *Vermeersch*, Quaest. de Virt. Relig. et Piet. (1912), q. 1, c. 3, n. 108; *Villien*, Hist. des command. de l'Eglise, ch. 4.

Quatuor sunt inquirenda: 1° Quanam lege praescribatur festorum sanctificatio. — 2° Quosnam haec lex obliget. — 3° Quibusnam diebus lex urgeat. — 4° Ad quid haec lex obliget.

652. — PRINCIPIA. I. **Praeceptum sanctificandi quosdam dies, quatenus vult tempus aliquod impendi cultui divino, est naturale; quatenus autem determinat tempus et modum colendi Deum, est ecclesiasticum.** Ita communiter cum Catechismo Romano (l. c., n. 4) et *S. Thoma* (l. c., a. 4 ad 1).

Dicitur 1° *Est naturale*, seu *morale,* ut explicat *S. Thomas:* « Morale quidem est, inquit, quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum divinis. Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariae deputetur aliquod tem-

Digitized by Google

pus: sicut corporali refectioni, somno et aliis hujusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo. Et sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis cadit sub praecepto morali »: qua ratione ponitur inter praecepta Decalogi.

2° *Est ecclesiasticum* etc. De hoc non videtur dubitandum, et sequimur *D. Thomam* (2. 2, q. 122, a. 4 ad 4); *S. Antoninum* (P. 2, tit. 9, c. 7, v. *Succedit*); *S. Bonaventuram* (in 3, D. 37) et alios, quorum nomina videre est apud *S. Alphonsum* (III, n. 265; ed. G., I, p. 547). Ratio: sanctificatio diei dominicae successit legi *caeremoniali* sabbati, quae, quamvis jure divino instituta, tamen, quatenus erat positiva, abrogata fuit. Recte ergo Catechismus Rom. (de 3° Praec., n. 18) juri ecclesiastico attribuit diei dominicae institutionem. Vide *Lehmkuhl,* I, n. 702. Cfr. quae hac super re tenet *Preseren* (Zeitschr. für kath. Theol., 1913, p. 563 seqq.); *Vermeersch,* l. c., n. 112.

Alteram sententiam tuentur aliqui moderni, quae sic sonat: *Naturale praeceptum* est, quod tempus aliquod cultui divino deputetur; *juris divini* est, quod ex septem diebus unus sanctificetur; *juris ecclesiastici* est, quod Deus tati die et tali modo colatur. Sic *Schmid,* Linz. Quart. Schr., 1900, p. 12; *Noldin,* II, n. 260; *Ami du Cl.,* Tabl. génér., 1899-1908, p. 266. — Negari non potest huic sententiae suffragari textus *Genes.,* II, 2 seq.; *Exod.,* XVI, 23; XX, 8-11. Cfr. *Cornelius a Lapide* in Exod., XII, 16; *Mgr. Pie,* Œuvres, III, p. 352. Haec argumenta vero nequeunt enervare rationes supra propositas; quaestio enim est utrum requies septimae diei sit plus quam exemplar ordinis in hebdomade. Practice huic sententiae non adhaeremus, quia recto tramite eos omnes, qui diem dominicam ratione laboris necessarii sanctificare non potuerunt, ad hoc obligabit, ut *diem ferialem* sanctificent, et sic juri divino satisfaciant. Hoc autem nemo tanquam certum admittet. Vide *S. Alphonsum,* VI, n. 297; ed. G., III, p. 274.

Ex his infertur: a) Peccant contra legem naturae qui nullum tempus per annum divinis impendunt.

b) Papa dispensare nequit, quod nullus sit dies festivus, cultui divino deputatus: sic enim impletio praecepti naturalis inter privatos periculo exponeretur, et praesertim cessaret cultus publicus, Deo a quacumque societate necessario exhibendus.

c) Absolute loquendo, posset Papa decernere, ut observantia diei dominicae duraret tantum per aliquas horas, et licerent opera servilia. Ratio autem sufficiens ut licita evadat talis generalis dispensatio vix datur. — Ceterum historia docet requiem unius diei, post sex dies laboris, et menti et corpori esse necessariam, et ab origine mundi omnia sic ordinata fuisse. Ad haec attendere debet Legislator (*Tanquerey,* II, p. 583).

Nota. Quamvis praeceptum sanctificandi festa sit ecclesiasticum, ex hoc non sequitur ad libitum posse Episcopos festa instituere. Eis commendat *Urbanus VIII* (Const. *Universa,* 13 Sept. 1642, § 3), ob multa quae forte oriri solent incommoda, ut a novis festis introducendis abstineant. Si quae introducere velint, sint de Sanctis, non de Beatis; si quae debeant esse perpetua, accedat cleri populique consensus (III, 266; ed. G., I, p. 547).

Digitized by Google

653. — II. Praeceptum sanctificandi festa obligat, sub gravi, omnes fideles rationis compotes, saltem post septennium. Patet tum ex rei natura, tum ex propositione 52ª ab Innocentio XI damnata: « Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus ».

Ex hoc concludes: 1° Non licet haereticis die festo labores imponere: sunt enim fideles, et agitur hic de lege ecclesiastica quae tuetur religionis socialis exercitium. — Haeretici, de se, tenerentur sacro assistere. Recole tamen quae diximus supra n. 198.

2° Non baptizati, perpetuo amentes, non peccant si legem ecclesiasticam non observant. Licet ergo non baptizatos operibus servilibus onerare, quidquid dicunt aliqui. Cfr. *S. Alphonsum,* III, n. 271; ed. G., I, p. 551; *Ami du Cl.*, vol. 18, p. 1026. Peccaret tamen herus, qui tantos labores ipsis imponeret, ut nullum tempus suppeteret Deum colendi (*Lehmkuhl,* I, n. 702).

654. — III. Praeceptum sanctificandi quosdam dies se extendit ad diem dominicam et omnes dies festos. Certissimum est ex multis documentis et perpetua Ecclesiae traditione. Placuit enim Ecclesiae Dei, ut diei sabbati cultus et celebritas in dominicam transferretur diem: *a*) quia eo die Christus Dominus, lux et vita nostra, surrexit a mortuis; unde et dominicam diem Apostoli dici voluerunt; — *b*) quia eodem die mundi creatio initium habuit, et Spiritus Sanctus discipulis datus est; — *c*) ne christiani cum judaeis in tempore festorum communicarent (Catech. Rom., l. c., n. 18).

Quoad dies festos nunc observandos, sequentia teneto:

1° Festa omnia, quae in aliquo regno per conventionem specialem cum S. Sede statuta fuere, etiamnunc obligatoria remanent in istis regionibus. Indulta particularia promulgaverunt pro Hispania Benedictus XIII, pro Sicilia et Austria Benedictus XIV, pro Bavaria Clemens XIV, pro dioecesibus Borussiae et Poloniae Pius VI, pro Gallia et Belgio Pius VII, pro America Septentrionali Leo XIII.

2° Urbanus VIII, praeter dies dominicos, triginta sex dies festos instituerat, quibus Clemens XI unum adjunxit in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V. — *Nunc autem,* pro toto orbe christiano, post Constitutionem Pii X, *Supremae Disciplinae* (*A. A. S.*, III, p. 306), solummodo sequentes dies tanquam dies festivi sunt considerandi: Nativitas D. N. J. C., Circumcisio, Epiphania et Ascensio; — Immaculata Conceptio et Assumptio; — festum Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum. His ergo diebus viget tertium praeceptum, sicut diebus dominicis. Alia festa, quae suppressa sunt, sine feriatione sunt celebranda [1] (*A. A. S.*, III, p. 351; IV, p. 340).

3° Vigore novissimae legis, a numero festorum cum obligatione sacrum audiendi expuncta sunt festa ex voto vel constituto auctoritate etiam ecclesiastica firmato sancita. S. C. Conc., 8 Aug. 1911 (*A. A. S.*, III, p. 391).

[1] Ex hoc non sequitur parochos jam non teneri, iis diebus quorum festivitas a Constitutione Piana supprimitur, applicare pro populo. Antiqua obligatio remanet, nisi festum suppressum in Dominicam transferatur, vel a festo altioris ritus sit impeditum. Ita S. C. Conc. (*A. A. S.*, III, p. 391; VI, p. 9). Cfr. *Ami du Cl.*, 1911, p. 862, 863. Cfr. dicenda n. 1606, q. 2.

Digitized by Google

4° Si in aliqua regione, petentibus loci Episcopis, S. Sedes antiqua festa concesserit conservari, ita ut *in utroque foro* obligent, huic legi standum [1]. Item, si in aliqua regione, v. gr. in Hollandia, dentur festa *unius praecepti tantum*, quo sola assistentia missae obligat. Cfr. *Sweens*, Theol. mor. fund., p. 276, nota.

5° Si festa supra memorata incidant in diem in qua jejunium vel abstinentia servanda essent, jejunii vel abstinentiae obligatio tollitur. Idem extenditur ad festa patronorum, quae *cum concursu populi* sollemniter celebrarentur, licet ecclesiasticum praeceptum quoad illa nova lege abolitum fuerit (*A.A.S.*, ib.). Imo conceditur Episcopis facultas dispensandi a jejunio et abstinentia in festo suppresso occurrentibus, sed sollemniter celebratis (*A. A. S.*, IV, p. 341). Dispensatio per indultum Apostolicum concessa extenditur ad Religiosos, non vero quoad obligationes propriae regulae (*A.A.S.*, IV, p. 627). Cfr. n. 1243, q. 1°.

655. — Festa suppressa ex pristino catalogo sunt sequentia: Duae feriae post Resurrectionem et Pentecosten, Sollemnitas Corporis Christi, Inventio S. Crucis, — Purificatio, Annuntiatio, Nativitas B. M. V., — festa S. Joannis Baptistae et S. Josephi (19 Mart.), Dedicatio S. Michaelis, festa duodecim Apostolorum, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Laurentii martyris, S. Silvestri et S. Annae, — festa denique SS. Patronorum in regionibus et civitate. — Ex his quaedam ad diem dominicam sequentem usque nunc erant transferenda, sed recenti decreto (23 Oct. 1913) statuitur: nullum festum, ne Domini quidem, die dominica celebrari poterit, excepto festo S. Nominis Jesu (a die primo ad diem quintum Januarii). Festa Dedicationis propriae ecclesiae die ab Ordinario assignato sunt celebranda (*A. A. S.*, V, p. 450 et 458). Instituta religiosa, proprio Kalendario gaudentia, ad sola officia localia Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, nec non festa sollemniora Patronorum principalium tenentur (*A. A. S.*, VI, p. 118 et 382).

656. — IV. **Praeceptum sanctificandi dies festos obligat sub gravi ad duo: ad abstinendum ab operibus servilibus, et ad audiendum sacrum** [2]. Constat tum ex c. 1, *Licet de Feriis*, et can. 64, *Missas*, dist. 1, *de Consecr.*; tum praesertim ex usu et praxi fidelium; quia canones non novam promulgant legem, supponunt potius legem jam vigentem. Ratio horum est, quia, ex una parte, homo abstinens a labore oblationem de bonis terrenis praestat, et sua quiete mentis recollectionem fovet; ex altera vero, christianus sacrum audiens perfecto modo adorationis et propriae sanctificationis obligationem implet.

Unde patet, recte *sub gravi* omnia imposita fuisse, et ab omnibus hanc legem esse implendam [3].

[1] Peregrini tamen hisce legibus particularibus de se non onerantur. Recolantur quae supra (n. 204 seqq.) diximus. — [2] Concilium Laodicense (a. 343-382) abstinentiam ab operibus servilibus inculcat tanquam a majoribus introductam. *Tertullianus* (de Cor., c. 4) loquitur de duplici obligatione. In l. *de Fuga*, c. 14, ait: ne tempore persecutionis quidem omitti posse assistentiam oblationi. — Cfr. *Schindler*, Lehrb. d. Moraltheol., ed. 2, p. 145. — [3] Prop. 52ª ab Innocentio XI damnata (cfr. n. 654), quae nostrae sententiae opponitur, ex aliquibus assertis Cajetani et aliorum prodiit. Unde *Caramuel* ipsis AA. inniti potuit (*Viva*, in h. prop.).

Digitized by Google

Nota. Sacerdotes satisfaciunt per celebrationem in loco debito. Si non celebrant, missam audire debent. — Attamen, die Nativitatis Domini una tantum missa audiri debet. — Tempus implendae obligationis se extendit, secundum antiquam consuetudinem, de media nocte ad mediam noctem.

657. — Corollarium. Vi *praecepti* Ecclesiae, fideles, diebus festis, ad nihil aliud tenentur; sicque fert tum DD. sententia, tum timoratorum persuasio. Attamen diem sabbati (quem *Isaias,* 58, 13, delicatum appellat) perfectum in modum celebrare conabuntur (Catech. Rom., de 3° Praec., n. 10).

Hinc: 1° Fideles non tenentur interesse *concioni.* — Debent quidem Episcopi et parochi populum salutaribus verbis pascere (Conc. Trid., Sess. 24, c. 4, de Reform.); sed exinde non sequitur, omnes et singulos fideles ad audiendam concionem teneri. — Saepe tamen peccant fideles non audiendo concionem aut catechesim, sive ratione scandali, aut contemptus, sive praesertim ratione ignorantiae, qua multi, cum magno suo spirituali detrimento, laborant (III, 269).

2° Nulla est obligatio, per se, assistendi *vesperis,* vel *benedictioni vespertinae* [1]. — Verumtamen, multum fideles adhortandi sunt ut assistant; quia secus tempus illud in Dei offensa transigitur, imminuiturque spiritualis populi fervor.

3° Nulla pariter est, *per se,* obligatio Deum interne colendi actibus fidei, spei, caritatis, etc.; etenim, finis legis, i. e. sanctificatio animae, non cadit sub praecepto, neque ad internum cultum cogimur, sed movemur a Spiritu Sancto. Ita D. Angelicus (2. 2, q. 122, a. 4).

CAPUT II.

De obligatione abstinendi ab operibus servilibus.

S. Alphonsus, III, n. 272; ed. G., I, p. 551; H. Ap., VI, 7; *Génicot.* I, n. 333; *Berardi,* Prax. conf., I, s. III; *Göpfert,* I, § 57; *Benger,* Pastor. Theol., III, § 149; *Ami du Cl.,* Tabl. génér., v. *Œuvres serviles; Villien,* op. cit., c. 3.

In hoc capite agendum est: 1° de operibus quae, diebus dominicis et festis, interdicuntur; — 2° de causis, ob quas opera servilia permittuntur.

ARTICULUS I.

De operibus quae diebus festis interdicuntur.

658. — *Praenotanda.* 1° Triplex genus operum distingui solet, nimirum: *a*) Opera *servilia,* quae corpore exercentur et ad corporis utilitatem immediate ordinantur, ut fodere, suere, etc.: dicuntur servilia, quia a servis fieri solent. — Ex his quaedam sunt minus servilia, ut explicatur n. 659, 3°. —

[1] Sub peccato veniali obligari fideles assistere vesperis, olim quidam affirmarunt; sed (ut bene monet *Ami du Cl.,* 1903, p. 422) haec jam sustineri nequeunt. Cfr. Instr. Pastor. Rmi D. *Freppel,* Ep. Andegav. (Œuvres past., III, p. 281).

Digitized by Google

b) Opera *liberalia,* quae ab anima praecipue procedunt, et ad animum excolendum spectant, ut legere, docere, canere, organa pulsare; vocantur liberalia, quia a liberis exercentur. — *c*) Opera *communia,* seu media, quae a liberis et servis promiscue fieri solent, ut iter facere, venari, etc.

His accedunt *d*) Opera *forensia,* quae ad mercatum spectant, vel ad forum circa causarum decisiones, ut sunt citatio partium, compilatio processus, examen testium, etc., quae speciali jure prohibentur.

2° Ad dijudicandum characterem servilem operis, de quo sermo est, attendi debet primario *ad operis naturam,* et haec est *tessera positiva, primaria* operum die dominica prohibitarum. — Non attendas ad tesseram negativam, utrum nempe opus fiat lucri vel recreationis causa, cum defatigatione vel non, brevi vel longo tempore. Sic, v. gr., manibus texere tibialia, quod *de se est servile,* corpori non tam grave est, quam organa pulsare, quod est liberale. Attendi etiam debet *ad aestimationem communem* quae pro multis operibus dubiae naturae pondus decisivum affert; vel *ad alia adjuncta,* v. gr. ad vilem operis apparatum.

Quadruplex ergo principiorum genus est adducendum: de operibus servilibus, forensibus, liberalibus et communibus.

659. — PRINCIPIA. I. **Interdicuntur, per se, omnia opera servilia, diebus dominicis et festis.** Constat ex dictis n. 656. — Lege quae sapienter monet *S. Alphonsus* (l. c.) ut scias quaenam reputentur tanquam servilia. Consulat etiam quisque quae in periodicis cujusque regionis dantur responsa particularia. Ibi enim multum attenditur ad loci consuetudines.

Hinc interdicuntur: 1° Opera *ruralia,* ut arare, seminare, messem colligere, etc. — Item opera *artium mechanicarum,* ut artis sartoriae, sutoriae, lignariae, caementariae, ferrariae, typographicae, etc. Plures AA. admittunt typographicos characteres licite collocari posse, hac ratione ducti, quod talis occupatio scriptioni similis sit. Attamen, si in opificio publico exerceatur a multis, ratione servilis apparatus (et aestimationis communis), ut servile habetur.

2° Interdicitur similiter *opus molendi,* si mola cum bestiis agatur, et magnam sibi requirat hominis cooperationem; non autem si mola volvatur aqua vel vento vel vi electrica. — Majores bestias *excoriare;* operam *lanionis* exercere; *venari, rete jacere* multis comitantibus, *coquere panem,* casu quo pistor die praecedenti sibi providere possit: numerantur inter opera servilia [1]. — *Mensura agrorum, distillatio* censentur servilia, si cum magno apparatu, ad modum muneris implendi, fiant (*Ami du Cl.,* 1903, p. 637).

3° Interdicitur, *ex natura operis, confectio* rosariorum, imaginum cerearum, florum artificialium (non vero arte concinnatarum: cfr. *Ami du Cl.,* 1902, p. 40), transcriptorum multiplicatio (polycopia) si multum duret, labor cum unco (acu texere, *travail au crochet, häkeln*). Tales autem occupationes sunt minus serviles, et de operum liberalium natura paulisper participant. Ideo, ut habeatur materia gravis, majus temporis spatium requiritur. Quinimo, cum aliqua causa, citra omnem culpam permitti poterunt, si exiguo tempore, aut saltem non ultra duas horas producantur, ait *S. Alphonsus* (l. c.). Imo, accedente *consuetudine,*

[1] Currus ducere onustos, secundum *S. Alphonsum,* III, n. 276; ed. G., I, p. 552, non est servile; et hoc applicat ad muliones et nautas. Vide tamen utrum in tali vel tali regione hoc aeque benigne interpretari liceat.

Digitized by Google

talia, cum minimum apparatum exigant, etiam sine causa licita evadere possunt. Idem dic de decerpendis rosis, de decorticandis pomis, de ducendis lineis musicis, de ingerendis in filum gemmis ad torquem conficiendam et de similibus leviusculis laboribus, saltem si non fiunt aeque longo tempore ac in hebdomade.

660. — II. Interdicuntur opera forensia, i. e. actiones judiciales et mercatus. Constat ex ult. c. *de Feriis*.

Interdicuntur igitur 1° *Actiones judiciales,* illae nimirum quae respiciunt causas quascumque *litigiosas,* ubi processus judicialis, apparatus judicialis et strepitus requiruntur. Hinc, *non licet* citare reum, examinare testes, excipere juramentum judiciale, proferre aut exsequi sententiam, nisi necessitas aut pietas aliud exigat. — Non interdicitur autem exercitium *jurisdictionis voluntariae;* unde licet: excommunicare, dispensare, beneficia conferre; testamenta conficere, advocatum consulere, judicem privatim informare, aliosque similes actus coram notario perficere, qui strepitu judiciali carent (III, 284, 287).

2° *Mercatus,* illi scilicet qui fiunt cum strepitu, aut in officinis publicis; quia multum distrahunt animam et a festorum sanctificatione avertunt. — Permittuntur tamen *nundinae annuae* certo diei affixae, quando in diem festum incidunt. Ad nundinas *hebdomadarias* quod attinet, illae de se prohibentur; excipe in iis locis, ubi viget legitima consuetudo, ut declaravit Benedictus XIV (Const. *Ab eo tempore,* anni 1745; III, 285). Permittuntur etiam venditiones et emptiones domuum, equorum, mercium, etc., inter privatos. Imo, in quibusdam locis tolerantur, peractis divinis officiis, publicae venditiones sub hasta (licitationes); quia aliis diebus pauciores emptores concurrerent. Tolerantur etiam in plerisque locis venditiones in officinis, quae summo mane aperiuntur ut res quotidiano usui necessariae emi possint.

661. — III. Non interdicuntur opera liberalia. Constat ex absentia legis prohibitivae et ex praxi timoratorum.

Hinc: 1° Licet diebus festis studio litterarum vacare, docere, canere, instrumenta musica pulsare, delineare, scribere, imo transcribere, vel machina scribendi uti (III, 278; *Ami du Cl.*, 1908, p. 399).

2° Non videtur illicitum PINGERE; pingere enim (modo non sit labor notabilis in praeparandis coloribus et tabulis) videtur potius opus liberale quam servile, cum mens pictoris magis operetur quam manus (III, 280; H. Ap., VI, 10). — Nec similiter illicita videtur *ars photographica,* nisi multos apparatus requirat. Ita *Berardi* (Prax. conf., 372); *D'Annibale* (III, n. 121).

3° Licet, juxta plures, feminis imagines *acu pingere:* hoc enim, inquiunt, magis refertur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. Alii vero excusant puellas acu pingentes, ut addiscant, vel ut otium vitent.

4° Contra, non licet *sculpere;* ars enim sculptoria, saltem in aestimatione hominum, inter artes mechanicas numeratur. Excipe, si agatur de ultima operis perfectione (III, 281).

662. — IV. Non interdicuntur opera communia, modo non fiant cum magno labore, strepitu vel apparatu. Constat ex universali praxi.

Hinc: 1° Licet iter facere pedibus, equo, curru, vel navi; — unde, etiam ad haec necessaria sunt licita, quamvis forte sint servilia, v. gr. remigare. —

Digitized by Google

2° Licet pariter venari, piscari, aucupari; nisi hoc fiat cum magno labore, strepitu, etc. (III, 274, 283).

663. — Quaesita. QUAER. 1° *Quaenam materia censeatur* GRAVIS *in operibus prohibitis?*

Resp. 1° Si agatur de operibus servilibus, materiam gravem alii dicunt esse tres horas: quae sententia nimis laxa est. Alii unam, quod ex adverso est nimis rigidum. Alii censent duas horas (sive continuas sive interruptas), idque maxime, si labor sit valde servilis, ut fodere terram, caedere lapides, etc. Sunt tamen multi alii, qui amplius quidpiam ad mortale requirunt, nempe *duas horas cum dimidia:* quae sententia, ceu communior et probabilior, ut habet Croix, jam recepta est [1]. — 2° Si agatur de operibus forensibus et judicialibus, gravitas materiae, non tam a quantitate temporis, quam ab operis qualitate, desumenda est; hic enim potius attenditur actus sollemnitas (III, 307).

QUAER. 2° *An peccet graviter, qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per horam?*

Resp. Neg., probabilius, sive simul, sive successive laborent; quia, cum singuli venialiter tantum peccent, etiam dominus eos ad laborem inducens venialiter tantum peccat. — « Secus certo esset, si dominus uni famulo mandaret pluries laborare die festo usque ad materiam gravem ». Item, *ratione scandali,* labor per semihoram protractus potest esse materia gravis (III, 306; ed. G., I, p. 568).

Si agatur de famulis non baptizatis, recole dicta n. 653.

QUAER. 3° *Quid in dubio utrum opus sit servile?*

Resp. Est dubium de extensione, ac proinde de exsistentia legis, unde possidet libertas.

ARTICULUS II.

De causis ob quas opera servilia permittuntur.

664. — Numerantur admodum sex, videlicet; 1° dispensatio; — 2° consuetudo legitima; — 3° pietas erga Deum; — 4° caritas erga proximum; — 5° necessitas; — 6° utilitas.

I. Permittuntur opera servilia OB DISPENSATIONEM Superioris, scilicet *S. Pontificis* in tota Ecclesia; *Episcopi* (aut, sede vacante, Vicarii capitularis) in propria dioecesi, non solum pro festis dioecesanis, sed etiam pro iis quae universae Ecclesiae communia sunt; hoc tamen discrimine, quod in festis jure communi statutis, dispensare nequeat Ordi-

[1] Quoad minus servilia, jam diximus (n. 659, 3°), spatium temporis longius requiri, ut habeatur materia gravis.

Digitized by Google

narius sine justa causa, nec dare dispensationem generalem et permanentem; in festis vero localibus, sine causa, valide, etsi illicite, dispensat. — Valet quoque dispensatio *praelati regularis,* erga suos subditos; item *parochi* erga parochianos, vi consuetudinis: ea tamen lege, ut non dispenset uterque nisi ad tempus, *in casu particulari* (parcius ergo, et pro singulis tantum vel pro coetu restricto) et justa de causa (cfr. n. 234, 3°). Ita *S. Alphonsus,* III, 288; *D'Annibale,* III, n. 128.

Hic autem *adnotare* juvat: 1° Si causa laborandi (vel omittendi sacrum) sit *manifeste* sufficiens, dispensatio non requiritur. Videant tamen fideles, ne avaritia potius quam ratione ducantur. — 2° Confessarius, etsi dispensare non possit, potest tamen legem *per epikeiam* interpretari, atque ita concedere licentiam ad formandam conscientiam dubitantium (III, 288).

665. — II. Permittuntur OB CONSUETUDINEM legitimam. Etenim, ut recte advertit *Gerson* (de Praec. Decal., c. 7), de operibus servilibus non exercendis, plus et frequentius determinat consuetudo loci et personarum a praelatis tolerata, quam alia lex scripta.

Licet igitur, ubi viget consuetudo: 1° uti sella gestatoria ab hominibus portata; — 2° ducere vehicula vel animalia mercibus onusta; — 3° irrigare olera, vertere aut separare segetes in area; — 4° coquere et parare cibos, *licet superfluos,* seu ad delectationem conditos; — 5° occidere minora animalia et excoriare, si die praecedente id fieri non potuit; — 6° vendere et emere, etsi in officinis publicis, poculenta et esculenta; item calceamenta, candelas et similia, quorum pretium est determinatum. Tenentur tamen mercatores officinas suas claudere, ut sic ostendant se dies festos ab aliis diebus distinguere (III, 275 seqq.; H. Ap., VI, 15).

Item *permittitur* tonsoribus die festivo barbam radere, tum ex generali consuetudine, tum ex necessitate, quia rustici praesertim et opifices ceteris diebus plerumque impediuntur. Hinc, si tonsores advenientibus die festo officium suum non praestarent, cum gravi damno desererentur (III, 290). Ceterum sibi ipsi barbam radere non est opus servile; unde non est illicitum id officium aliis praestare.

666. — III. Permittuntur OB PIETATEM erga Deum. Atque hoc titulo *permittuntur* opera, quae *proxime* spectant ad cultum, v. gr. pulsare campanas, statuas deferre in processionibus, tabulata erigere necessaria ad festivitatem, vel Domini sepulchrum, etc. Licet etiam, saltem ex consuetudine, hostias coquere, verrere templum, sternere tapeta, altaria et ecclesias ornare, etc. (III, 291; H. Ap., VI, 16).

Nec videtur improbandum, si quis die dominica, post divina officia, conficeret rosaria *in pauperes* gratis distribuenda; aut si piae feminae laborarent ad conficienda ornamenta necessaria pro *aliqua ecclesia* indigente; aut si quis conficeret *pias imagines* ad devotionem inter suos vel alienos promovendam (III, 293).

At, probabilius *non licet* agros ecclesiae colere, parietes ecclesiae dealbare, vehere lapides aut ligna ad aedificandam ecclesiam, etc., nisi adsit necessitas,

Digitized by Google

vel magna utilitas ab Episcopo probata; haec enim *nonnisi remote* ad cultum divinum concurrunt. Item, non licet erigere tabulata ad videndam processionem, nisi quando nullum aliud tempus suppeteret (H. Ap., VI, 17).

667. — IV. Permittuntur OB CARITATEM erga proximum. — Ex hoc titulo, *licet* inservire infirmis; causas pauperum, orphanorum aut viduarum agere; fodere sepulturam; vendere rusticis, qui aliis diebus emere impediuntur; laborare pro aliquo determinato paupere, cui ratione necessitatis laborare liceret; vel etiam pro pauperibus in genere, si gravis ac certa necessitas in aliquo loco vigeat (III, 293 seqq.).

668. — V. Permittuntur OB NECESSITATEM, propriam vel alienam, animae vel corporis, si nimirum sine gravi incommodo aut detrimento aliquod opus omitti non possit (III, 295 seq.).

Ex hoc titulo *excusantur:*

1° Qui ea opera praestant, *quibus quotidie ob necessitatem vacandum est,* et quae commode nec anticipari nec procrastinari possunt aut solent, ut coquere cibos, lectos sternere, lavare, everrere domum et similia (H. Ap., VI, 21).

2° Pauperes si aliter se suamque familiam alere non possint, secluso scandalo; item, si suas suorumque reficiant vestes, quas aliis diebus resarcire non valent.

3° Item famuli, uxores et filii ad laborem coacti, sive vi, sive timore gravis damni aut detrimenti; quod extende ad operarios qui imprimunt ephemerides vel nuntia pervulganda. Minime autem excusarentur, si coactio in ipsius diei festae contemptum fieret. Quo frequentius vero aliquis famulus istiusmodi coactionem subire tenetur, eo strictius obligatur alium sibi herum quaerere, atque eo gravior causa requiritur, ut ab hac obligatione excusari possit (III, 295, 296).

4° Similiter, pistores et laniones publici, saltem in magnis oppidis, tum ob consuetudinem, tum ob populi necessitatem. Panem autem aut pastillos conficere vix licet, nisi ex necessitate, ut, v. gr., si concurrant plura festa, et panis antea coctus ad victum minus aptus redderetur (III, 298, 299). — Similiter excusantur qui se exercent, ut praestent auxilium in exstinguendis incendiis.

5° Excusantur pariter omnes, quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno: ut conflantes ferrum et vitrum, coquentes calcem aut lateres, etc. Et haec possunt aliquando etiam inchoari die festo, ad vitandum grave damnum (III, 300).

6° Item, fabri ferrarii, si calceant equos itinerantium, vel eorum, qui in sequenti die summo mane iter sunt acturi, aut in agrum egressuri ad laborandum; item, si reficiunt vomeres eorum, qui secus die sequenti laborare non valerent. Excusantur pariter, qui in casu necessitatis instaurant pontes, fontes, vias publicas, machinas in officinis (H. Ap., VI, 19).

7° Excusantur sutores et sartores, qui calceamenta et vestimenta pro instantibus nuptiis, funeribus et similibus sollemnitatibus necessaria conficiunt, aut qui vestem resarciunt peregrino; vel etiam, si promissae vestes ita exspectantur, ut, nisi eas perficiant, magnum sint damnum subituri (III, 303). — Non autem excusandi sunt, imo severe redarguendi, si inceptum laborem saepius post mediam noctem, in diem festum, sub praetextu necessitatis protrahunt; quia plerumque illa necessitas ipsis voluntaria est, cum saepissime in eam

Digitized by Google

se conjiciant, vel plura assumendo opera quam quae explere possint, vel intra hebdomadam in rebus inutilibus tempus terendo (*Gury*, n. 360).

8° Item agricolae, qui ob praeteritam vel imminentem pluviam, fenum vel segetes vertunt, colligunt, vehunt. Ita pariter, ut evitetur damnum, et ex consuetudine in multis regionibus, permittitur colligere fructus, quamvis usui illius diei non necessarios, ut melius serventur; praecipue si imminentis pluviae est periculum (III, 298; H. Ap., VI, 21). — In quibusdam regionibus, stante penuria operariorum, haec necessitas major esse potest, (*Ami du Cl.*, 1910, p. 115). — Quoad opifices, qui, praeter quotidianum laborem in officina, horti vel agri culturam in se assumpserunt, videtur tolerari posse, quod die dominica perficiant ea, quae rationabiliter alio die praestare nequeunt: salva semper sacrificii missae assistentia, et secluso scandalo.

9° Demum excusantur qui ex officio iter agunt, aut merces vehunt. Quibus hodie annumerandi sunt, qui in viis ferreis vel in officinis publicis electricis occupatione necessaria detinentur, ut moderatores, ductores, calefactores, etc.; non autem, nisi alia ratio accedat, illi qui in distribuendis vel accipiendis mercibus occupantur.

Nota. Quandoque pro directoribus catholici diarii necessitas moralis adest, etiam diebus dominicis et festis, folia sua imprimendi, tum ut impetum inimicorum Ecclesiae statim retundant, tum ut diffusionem pravorum diariorum impediant.

669. — VI. Permittuntur OB UTILITATEM *extraordinariam;* haec enim aequiparatur necessitati.

Hinc: 1° Excusantur qui laborant *ob causam publicae laetitiae* aut splendoris, v. gr. si agatur de celebranda victoria, de festo praeparando ob principis nativitatem, adventum, etc. Tales enim laetitiae significationes ad populi pacem sunt moraliter necessariae; unde ex consuetudine permittuntur labores, qui non potuerunt anticipari (III, 304; H. Ap., VI, 24).

2° Excusantur quoque probabiliter illi, qui laborant *ob magnum et extraordinarium lucrum;* nam magnum lucrum cessans gravi damno aequiparatur; tertium autem praeceptum, quatenus est humanum, non obligat cum gravi incommodo aut damno. Confirmatur ex c. *Licet, de feriis,* in quo Alexander III dispensasse fertur, ut diebus dominicis ac festis halecia capi possent, ne alias eorum captionis occasio praetermitteretur (III, 301).

QUAERITUR. *An excuset* VITANDI OTII *ratio?*

Resp. Generatim non excusat; quia otium aliis remediis, et quidem melioribus, facile vitari potest, v. gr. adeundo ecclesiam, recitando rosarium, visitando infirmos, legendo aliquem librum spiritualem. — *In particulari,* excusat ratio vitandi otii, si per laborem vitari debeat est periculum vere probabile labendi in peccatum, si nempe sic evitatur periculum ludendi, bibendi cum sociis, turpia loquendi, etc. (III, 302). Certe juvabit etiam *Suarezii* sententiam audire (l. 2, c. 26, n. 4 et 5): « (Opus minus servile) excusari potest ex quodam colorato titulo *moralis necessitatis;* quia non potest homo, praesertim saecularis, et ad id non assuetus, toto die integro lectioni vel orationi vacare: et ideo, ne sit otiosus...., indiget moraliter aliqua operatione, et ideo potest illa operatio modica... rationabiliter permitti ».

Digitized by Google

CAPUT III.

De obligatione audiendi missam.

S. Alphonsus, III, n. 308; ed. G., I, p. 569; H. Ap., VI, n. 27 et 38 (ubi de Oratoriis privatis); *Lehmkuhl*, I, n. 713; *Van Gameren*, de Oratoriis; *Heiner*, Kirchenrecht (1905), p. 342; *Weiss*, Apol. d. Christ., IV, p. 901; *Villien*, op. cit., c. 2.

670. — Praeceptum audiendi missam singulis dominicis et festis diebus obligat omnes fideles usum rationis habentes; ergo etiam sacerdotes non celebrantes, et omnes alios non legitime excusatos. Constat ex dictis n. 653 et 656.

Restat hic agendum: 1° de requisitis ad missae auditionem; — 2° de causis ab ea audienda excusantibus.

ARTICULUS I.

De requisitis ad missae auditionem.

Qui sacro assistunt, una cum celebrante sacrificare censentur; unde requiruntur: *praesentia corporis, assistentia religiosa* et *locus debitus;* aliis verbis: requiritur assistentia materialis et formalis in loco debito.

Auditio missae *primario* imponitur, *secundario* tantum locus debitus. Qui ergo missam audire nequiret, nisi in *oratorio privato,* ad hoc certe teneretur, ut constat ex doctrina n. 224 et 634 exposita. Unde S. C. de Prop. Fid., die 17 Aug. 1914, pro Graeco-Ruthenis in America haec statuit: « Fideles Rutheni tenentur frequentare . . . suas proprias ecclesias . . . ; tamen in regionibus, ubi desunt ecclesiae ac sacerdotes proprii ritus, et ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possunt sine gravi incommodo adire, opus est ipsis missam audire in ecclesia catholica alterius ritus » (*A. A. S.*, VI, p. 461).

1. *Praesentia corporis.*

671. — PRINCIPIA. I. **Praesentia seu assistentia debet esse humana et moralis.** Haec haberi existimatur, si quis: *a*) ita est in loco, ubi fit sacrum, ut dici possit conjunctus iis qui in conspectu altaris versantur; — *b*) vel ex signis externis colligere possit quid a sacerdote peragitur, etsi per accidens nihil videat vel audiat.

Hinc: 1° Surdo-muti, si sunt etiam caeci, non obligantur ad audiendam missam, nisi (quod rarissime accidit) sint sufficienter instructi et moniti (III, 271).

2° Satisfacit praecepto, qui stat in choro, post altare, post columnam vel parietem ecclesiae, vel ad fenestram quae fert in templum, etsi non videat sacerdotem: modo ex signis assistentium, sonitu campanulae, etc., advertere possit quid a celebrante agatur. Item, qui est in sacristia cum

Digitized by Google

janua aperta [1], vel extra ecclesiam, modo uniatur cum populo qui est intra ipsam, quamvis major distantia adsit.

3° Nec improbabiliter satisfacit qui est in domo proxima, ex qua per fenestram vel januam altare prospiciat, licet via intermediet, dummodo distantia sit parva. *Lugo* (disp. 22, n. 21) cum aliis censet distantiam 30 passuum esse parvam. Haec sententia tamen S. Alphonso non placet (III, 312).

Nota. Ad hoc attendas, quod pro absolutione requirit *S. Alphonsus* (VI, n. 429; ed. G., III, p. 423) ad summum distantiam circiter 20 passuum. Ibi addit: minorem requiri distantiam in confessione quam pro concione et missa.

672. — II. Praesentia debet esse continua, i. e. per missam integram; ita ut graviter peccet qui omittit ejus partem, sive *diuturnitate,* sive *dignitate* notabilem. — Ecclesia enim praecipit assistentiam non tantum iis partibus, in quibus essentia sacrificii consistit, sed toti sacrae caeremoniae (III, 310, q. 2).

Hinc: 1° *Grave* est omittere omnia ab initio usque ad offertorium inclusive. — Item, omittere canonem a consecratione usque ad *Pater noster* exclusive; quia est pars notabilis diuturnitate et dignitate. — Item, omittere consecrationem et communionem, imo et solam consecrationem; quia est pars omnino essentialis. — Et idem probabilius dicendum est de sola communione; quia vel ipsa probabilius ad sacrificii essentiam pertinet (cfr. n. 1589), vel saltem est pars dignitate notabilis et inseparabilis a sacrificio. — Graviter etiam peccat, qui simul omittit tum quae praecedunt Evangelium, tum quae communionem sequuntur; omittit enim partem diuturnitate notabilem (H. Ap., VI, 33).

2° *Leve* autem peccatum esset omittere solum offertorium, aut solum symbolum, aut solam praefationem, aut partem canonis parvam, vel omnia ante epistolam, vel omnia post communionem, vel etiam, probabilius, haec duo ultima simul. — Nec est improbabile, venientem ante offertorium leviter tantum peccare; quia olim, teste S. Isidoro, tunc solum missa incipiebat. Evangelium autem S. Joannis in fine probabiliter non est pars missae; quia ante illud jam dimittitur populus per benedictionem (cfr. H. Ap., l. c.; Inst. Cat., P. I, c. 3).

673. — *Nota.* Cum assistentia debeat durare per integram missam, sic casus particulares resolvunt auctores:

1° Qui audit *simultanee* duas missas dimidiatas, non satisfacit praecepto. Constat ex propositione 53ª ab Innocentio XI damnata.

2° Qui audit duas missas dimidiatas *successive,* ita ut missam unius sacerdotis usque ad consecrationem *exclusive,* cetera vero in missa alterius audiat (quamvis venialiter peccet, si sine causa sic agat), probabiliter tamen satisfacit. Ratio: omnia essentialiter pro sacrificio requisita in una missa audita fuerunt. — Non satisfaceret vero, si aliter se gereret, assistendo scilicet in una missa usque ad *consecrationem inclusive,* ceteris vero partibus in altera.

3° Qui *consecratione jam facta* advenit, tenetur ceteris missae partibus assistere, quia (quidquid tenent AA. circa essentiam sacrificii missae) audiri debet *pars notabilis* cultus publici ab Ecclesia praescripti. — Ceterum, minime

[1] Imo cum janua clausa, aiunt multi, modo ita sit propinquus ut vocem celebrantis audire possit. Illud *Reuter,* II, n. 280, ad eum extendit qui extra templum ad murum ita prope altare stat, ut audiat sacerdotem.

Digitized by Google

improbabile est, communionem pertinere ad essentiam missae, cum consecratione. Qui ergo post consecrationem venit, tenetur assistere usque ad finem: praeceptum enim hic possidet (H. Ap., VI, 33).

4° Qui omittit parvam missae partem, probabilius, secundum aliquos tenetur *sub levi* supplere; excipe si aliqua ratio excuset (cfr. *Salmant.*, tr. 5, c. 6, n. 15). — Alii putant quod ad nihil tenetur, quia praeceptum in majori et substantiali parte fuit impletum. Tenetur tamen omnino supplere qui partem *dignitate notabilem,* v. gr. consecrationem, omittit, licet id non ex sua culpa fiat (III, 310, q. 3). — Rationabilis esset sententia contraria (*Suarezii* nempe: de Euch., q. 88, s. 2, n. 6), si quis ex subitanea necessitate cogeretur recedere; tunc enim adhuc moraliter duraret unio cum adstantibus.

2. *Assistentia religiosa.*

Haec sita est in *intentione* audiendi missam, et simul in *attentione* mentis.

674. — PRINCIPIA. I. **Requiritur intentio, saltem implicita, colendi Deum.** Ecclesia enim praecipit actum humanum religionis, *participando* ad sacrificium, qui sine voluntate Deum colendi ne concipi quidem potest.

Hinc, qui missae *eo solo fine* interesset, ut ecclesiae pulchritudinem observaret, vel ut amicum exspectaret, vel quia ibidem violenter detineretur, praecepto non satisfaceret. — Satisfaceret tamen, si interesset ob solum metum patris, matris aut domini; licet ex alio capite peccaret, ex prava nempe voluntate omittendi sacrum, si posset. — Intentio autem satisfaciendi praecepto non requiritur, ut jam constat ex dictis (n. 212, 213). Cfr. *S. Alph.*, I, 163; H. Ap., VI, 27.

675. — II. **Requiritur attentio mentis.** Attentio in genere definitur: *Applicatio mentis ad id quod agitur.* Est *a*) EXTERNA, cum non ponitur actio, quae sit incompatibilis cum intentione colendi Deum, ut fabulari, scribere, oculos huc illuc conjicere, etc.; — *b*) INTERNA, cum attenditur vel *ad verba* et *actiones* celebrantis, vel *ad mysteria* per celebrantis verba et actiones significata, praesertim ad mysteria Passionis et mortis Christi, vel, generaliter, *ad ipsum Deum* laudandum atque orandum per preces, meditationes et pios affectus (III, 313; IV, 177).

His praemissis: 1° *Certum est requiri attentionem externam ad audiendam missam,* juxta Ecclesiae praeceptum; quia ejus defectus esset illusio Dei et Ecclesiae.

Hinc, non satisfacit qui tempore missae scribit, pingit, legit libros profanos, vel sacros quidem, sed sola eruditionis, curiositatis vel studii causa. Nec satisfacit, qui per notabile tempus confabulatur, imagines attente considerat, legit inscriptiones, etc. (H. Ap., VI, 28).

Digitized by Google

2° *Certum est, ex virtute religionis, requiri* (saltem sub veniali) *aliquam attentionem internam.* Reverentia enim, quam Deo et sacris mysteriis debemus, hujusmodi attentionem exigit.

An autem haec interna attentio requiratur sub gravi, ad implendum Ecclesiae praeceptum, controvertitur. — Alii *negant,* hac potissimum ratione ducti, quod actus religionis, quoad substantiam, subsistere possit sine interna attentione; nec aliunde constet quidpiam aliud ab Ecclesia praescribi.—Alii vero communius *affirmant,* et tametsi *actualem* seu intensam attentionem non requirant, requirunt tamen attentionem internam, quae sit remissa, et quae ad praecipuas missae partes se extendat. Ratio horum est, quia Ecclesia praecipit actum, quo Deus colatur; jamvero Deus non colitur, si quis physice tantum sacro intersit, omissa interna attentione. « Puto, ait *S. Alphonsus,* hanc secundam opinionem esse *probabiliorem* et quidem *consulendam.* Contrariam vero non judico improbabilem; saltem, stante auctoritate tot doctorum qui eam tuentur, redditur res valde dubia, an adsit haec Ecclesiae lex obligans fideles ad missae assistentiam cum interna attentione » (H. Ap., l. c.).

Post factum ergo sic resolve: Sufficit ut quis intentionem generalem Deum colendi habuerit, et ita se gesserit ut testis esse potuerit eorum quae in altari facta fuerunt. Cfr. *Vermeersch,* o. c., n. 113.

676. — Ex his concludes cum *S. Alphonso* (III, n. 315 seq.; ed. G., p. 579):

1° Praecepto satisfaciunt recitantes, intra missam, breviarium aut rosarium; musici, organistae, colligentes eleemosynas[1]; meditantes, legentes aliquem librum spiritualem, conscientiam suam examinantes; dummodo ab initio debitam intentionem habuerint nec revocaverint, et missae ritum aliquo modo animadvertant.

2° Probabilius etiam satisfacit qui patitur extasim; nam extasis non tollit liberum arbitrium; imo, inter extasim adest attentio ad Deum prae aliis perfectior.

3° Satisfacit similiter, aut saltem non graviter peccat, dormitans interdum tempore sacri, dummodo ad sacerdotis verba et actionem aliquo modo advertat.

4° Illi omnes satisfaciunt, qui habent distractiones, quae eos non impediunt, quominus actionem sacerdotis cum animo Deum colendi sequantur. — Secus, qui ita sunt distracti, ut *nullo modo* ad missam attendant. Secus etiam ebrii, vel somno per totam missam dediti.

5° Denique satisfaciunt, qui *peccata sua confitentur,* modo confessio sit facilis et brevis, nec instituatur tempore consecrationis. In longa et difficili confessione deesset nempe, ex parte poenitentis, requisita attentio externa ad oblationem (III, 314). *Croix* cum *Lessio* excusatos habere vult famulos qui ad confitendum hoc tempore indigent (III, l. c.). Cfr. *Vind. Alph.,* P. III, q. 11. — Ratio est praesumpta conniventia Ecclesiae.

Imo S. Doctor (III, 332) concedit cum *Lessio* (in Auct. v. Missa, cas. 2) et aliis, eos excusari qui missam omittunt ut confiteantur, ne aliquandiu in statu peccati mortalis permaneant. Ratio est ingens animae lucrum, quod secus amitteretur. Cfr. *Ami du Cl.,* 1913, p. 689.

[1] Occupantur enim isti iis actionibus quae intra missam ad cultum divinum diriguntur. Cfr. *Ami du Cl.* (1906, p. 392), ubi sermo fit de eo qui, durante consecratione, campanas pulsare debet.

Digitized by Google

3. *Locus debitus.*

677. — PRINCIPIUM. **Ex jure communi, potest in qualibet ecclesia publica vel in quolibet oratorio publico aut semipublico missa audiri, ad legem ecclesiasticam implendam.** Praeceptum olim vigens assistendi missae *parochiali* contraria consuetudine abrogatum est. Nuper autem Leo XIII, in Decreto S. R. C., 23 Jan. 1899 (n. 4007) de oratoriis semipublicis disserens, declaravit: « In his sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum missae sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt praecepto audiendi sacrum satisfacere valent ». Ex qua declaratione satis superque manifestum est *non posse Episcopum suis subditis praecipere ut se sistant missae parochiali* [1]. — *Inducendi sunt* tamen fideles ut diebus dominicis ac festis huic missae adsint, eo quod (praeterquam quod talis assistentia bono exemplo sit) missa pro parochianis applicatur, ac proin uberior ex ea fructus percipitur (III, 322; VI, 424).

Diximus: *ex jure communi*, nam, *ex privilegio*, satisfaciunt praecepto fideles omnes qui missae assistunt quam S. R. E. Cardinales, aut Episcopi, sive dioecesani, sive titulares, in quovis loco celebrant, vel in sui commodum celebrare faciunt (S. R. C., 8 Jun. 1896, n. 3906). Item qui oratorii privati Indulto fruuntur, prout videbimus infra. — Quod ad Regulares spectat, si agatur de oratorio *principali*, quaestio solvenda est ex jure communi; si de aliis oratoriis *secundariis*, cfr. n. 680, q. 1.

Quid sint vero oratoria publica, semipublica et privata, Decr. 23 Jan. 1899 authentice definit.

I. — De oratoriis publicis et semipublicis.

678. — 1° Oratoria PUBLICA ea sunt « quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta, vel etiam sollemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum ». Nihil ergo refert, utrum oratorium in aedibus privatorum an in mediis agris exstructum sit, dummodo ex via publica aditus omnino liber, per domus atrium aut per aream, ad illud pateat.

2° Oratoria SEMIPUBLICA ea sunt « quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen, non Fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicujus communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum missae sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt praecepto audiendi sacrum satisfacere valent. Hujus generis oratoria sunt quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta

[1] Posset equidem Episcopus interdicere ne extranei diebus festis in oratorium semipublicum introducantur (cfr. *A. S. S.*, vol. 12, p. 249); sed, ratione decreti citati S. R. C. et consuetudinis, violantes hujuscemodi prohibitionem vere missae praecepto satisfaciunt (*Ami du Cl.*, 1914, p. 282; *Van Gameren*, de Orat. priv., p. 291 seqq.).

Digitized by Google

et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres; *atque similia oratoria, in quibus ex Instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam missam.* Quibus adjungi debent Capellae, in Coemeterio rite erectae, dummodo in missae celebratione, non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat ». Oratorium semipublicum ergo, primario ad usus Communitatis, secundario ad extraneorum commoditatem inservit.

Noldin (III, n. 198) sequentia notat: Oratorium non ex hoc praecise fit publicum, quod januam habeat in via, sed *quod fideles jus strictum possideant ne liber accessus impediatur.* Jus istud domino onus imponit liberum accessum conservandi. Si dominus onere isto non premitur, oratorium, quidquid est de janua, remanebit semipublicum. Ita etiam dilucide *Many,* de Locis sacr., tit. 2, n. 65 seqq., ubi antiqua Resp. SS. CC.; idemque innuit *Wernz,* Jus Decr., III, n. 449.

II. — De oratoriis privatis.

679. — Oratoria PRIVATA stricto sensu dicuntur, « quae in privatis aedibus in commodum alicujus personae, vel familiae, ex Indulto Sanctae Sedis erecta sunt » ad inibi litandum [1]. Ordinarius, antea, illud visitare potest et debet, ut inspiciat an rite sint omnia ordinata; non item postea, nisi quid contra reverentiam loci contigerit. Ipsius licentia opus est, ut in eo baptismus, poenitentia, matrimonium administrari possint. Sumptio S. Eucharistiae vero, ex declaratione S. R. C., 8 Maii 1907 (*A. S. S.,* vol. 40, p. 589), semper in concessione oratorii privati includitur, salvis juribus parochialibus. Communio paschalis ergo, sicut et viaticum, excipiuntur. — Ceterum, oratorii privati *privilegium* regulariter *personale* est, ideoque stricte interpretandum, utpote juri communi derogans, et mortuo illo, cui concessum est, ipso jure evanescit. — Pro aliquibus familiis religiosis datur privilegium oratorii privati, quod potius est *locale,* unde et sacerdotes seculares ibi rite celebrare, et fideles praecepto missae satisfacere possunt (*Angelus a SS. Corde Jesu,* Man. Reg., II, n. 919).

1° PRIVILEGIUM audiendi missam de praecepto, in oratoriis privatis, *ex tenore consueto* Indulti pontificii, conceditur « domino, ejus filiis et familiaribus, seu cognatis atque affinibus cum eo conviventibus, famulis ejus servitio actu addictis, nobilibusque hospitibus (i. e. quocumque modo nobilibus et dignioribus) ». — Qui vero non sunt de familia, et familiares actu non necessarii, vi clausulae consuetae excluduntur: « Volumus autem, quod familiares servitio tuo, tempore dicto (scilicet missae), actu non necessarii, ibidem missae hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia, diebus festis de praecepto, minime liberi censeantur ». Nec satisfacit *minister,* qui assistit celebranti, nisi sit ipse necessarius, i. e. nisi alius desit qui inservire possit ac velit (*Ferraris,* v. Oratorium, n. 64).

2° Servandae sunt CONDITIONES et EXCEPTIONES Indulti, v. g.: *a*) ut singulis diebus una tantum missa celebretur; — *b*) ut non celebretur, nisi in praesentia principaliter privilegiati, ad quem scilicet *Breve* directum fuit; —

[1] Ordinarius potest, ex nova S. Sedis concessione, permittere *per modum actus,* ut celebretur missa in domo privata (non autem in cubiculo) dummodo decens sit locus (*A. A. S.,* IV, p. 725). — Hoc Decreto firmi juris evadit quod jam *S. Alphonso* (VI, n. 359; ed. G., III, p. 340), cum Suarezio et Bonacina, probabatur. Vide dicenda n. 1627.

Digitized by Google

c) ut excipiantur dies Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini et alia festa sollemniora, scilicet Epiphania, feria V in Coena Domini, festa Ascensionis, Assumptionis, SS. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum. Alia vide infra n. 1627. — His tamen exceptionibus privilegiatus non obstringitur, si Indultum *infirmitatis causa* concessum est (III, n. 319, claus. 8; ed. G., I, p. 584; VI, n. 359; ed. G., III, p. 349). Cfr. Decretum 11 Apr. 1913, S. C. de Sacr. (*A. A. S.*, V, p. 183), in quo dicitur, festis S. Josephi (Commem. sollemnis), Annuntiationis, Corporis Christi, SS. Trinitatis, S. Joannis Baptistae et Patroni loci, missam celebrari posse in oratoriis privatis.

Qui Indultum ordinarium accepit (in quo nempe memoratae exceptiones indicantur), casu quo exsurgant difficultates, Episcopum adeat, ut privatum oratorium in semipublicum erigatur. Jus enim oratoria semipublica erigendi, ita ut, saltem diebus obligationis, omnibus pateant, non est Ordinario imminutum. *Ami du Cl.*, 1910, p. 111.

680. — Quaesita. QUAER. 1° *Utrum* SECUNDARIA *oratoria, in domibus regularium quandoque erecta, habenda sint ut privata aut semipublica?*

Resp. 1° Oratoria secundaria vocamus ea quae, ex Indulto vel privilegio S. Sedis, praeter principale oratorium eriguntur, sive ob numerum sacerdotum ut ab omnibus missa dici possit, sive in gratiam infirmorum, qui nequeunt adire capellam seu oratorium principale. S. R. C., 8 Mart. 1879, n. 3484, ad 2.

2° *Controverti potest;* nam, stricte loquendo, iis oratoriis non convenit definitio oratorii stricte privati, nec definitio semipublici (*Génicot*, I, 342). Litterae privatae alicujus Rmi Consultoris S. R. C., jamdudum ad nos missae, affirmant mentem esse S. Congregationis ut privatis aequiparentur, ac proin Sodales tantum, non vero alios fideles in his oratoriis praecepto missae satisfacere. — Res authentica declaratione indiget. Cfr. *Ami du Cl.*, 1914, p. 590 et quae supra n. 679 notavimus.

QUAER. 2° *An teneatur* INDULTARIUS *uti privilegio, si ecclesiam adire non possit?*

Resp. Affirm., probabilius, juxta *S. Alphonsum*, III, 324, si sacerdotem gratis vel cum levi stipendio habere possit. Et ad id tenentur tum ipse dominus, tum ejus familiares, non quidem vi privilegii, quia privilegio ceu tali nemo tenetur; sed *vi praecepti*, quod obligat ad missam audiendam illos omnes, qui sine gravi incommodo illud implere valent (cfr. etiam III, 319, dub. 3).

Contradicunt *Lehmkuhl*, *Noldin* et alii. Perpendatur autem, utrum non habeat plus ponderis axioma ab omnibus laudatum: qui tenetur ad legem, tenetur *ad media facilia*, ut legem observare possit. Cfr. dicta n. 670, fin.

ARTICULUS II.

De causisa missa excusantibus.

Principium generale sic enuntiat *S. Alphonsus* (III, 324; ed. G., I, p. 591): Excusat ab audienda missa *quaevis causa mediocriter gravis*, scilicet, quae involvit notabile aliquod incommodum aut damnum in bonis animae vel corporis propriis vel alienis.

Quatuor, praeter dispensationem (de qua n. 664), afferri solent CAUSAE, quae ab obligatione audiendae missae eximunt: impotentia scilicet, caritas, officium, consuetudo.

Digitized by Google

681. — I. Excusat IMPOTENTIA sive physica, sive spiritualis, sive etiam moralis.

Ratione *impotentiae physicae,* seu *absolutae* excusantur: graviter aegrotantes, captivi, justa de causa in mari navigantes (cfr. *Ami du Cl.,* 1908, p. 982), vel peregrinantes in regionibus, ubi missa non celebratur.

Ratione *impotentiae spiritualis* excusantur: excommunicati et interdicti. Illis enim interdicitur auditio missae. Si tamen ex *facili* absolutionem obtinere possent, et negligerent, contra praeceptum peccarent (III, 325; H. Ap., VI, 39).

Ratione *impotentiae moralis,* id est notabilis alicujus incommodi, excusantur:

1° Qui, ob corporis debilitatem, viae asperitatem, inclementiam aeris, locorumve distantiam, non leve incommodum, aut valetudinis periculum, sibi prudenter timent [1]. — Locorum vero *distantia,* quae a sacro excuset, varia est pro varietate personarum, loci, temporis. Vulgo pro sufficienti habetur distantia trium milliarium, seu iter pedestre unius horae cum quadrante (quod tamen non excusaret pro absentia nimis longa, v. gr. per annum); imo minus, si plueret, ningeret, aut adesset alia causa jam ex parte excusans (III, 329). — Qui autem equo vel curru vehi possunt, non excusantur, nisi distantia sit duplo, imo triplo longior. — In *dubio,* vide n. 248. — Qui cum levi tantum incommodo curru ferreo uti potest, non excusatur. Cfr. *Kenrick,* tr. 4, p. 2, n. 19.

2° Viatores, qui sine notabili expensa, aut sine periculo gravis incommodi, a sociis iter persequentibus discedere nequeunt. Item, rhedarii, molitores aliive operarii, qui idonea notabilis faciendi lucri opportunitate privarentur, vel servi qui ab hero, plus minusve, ad praestandam operam in venatione coguntur (III, 332; H. Ap., VI, 43).

3° Laborantes in fusoriis et similibus officinis, ubi opus inceptum deserere nequeunt, nec habent alios qui succedant; vel operarii summo mane a nocturno labore redeuntes.

4° Mulieres vestibus suae conditioni congruis carentes, aut ex delicto praegnantes, quamdiu earum turpitudo latet. Nec tamen excusantur, si absque famae detrimento, missam audire possint in loco remoto, vel hora anticipata, quod in urbibus facile fieri potest (III, 330).

5° Omnes, qui non sunt sui juris: quales sunt famuli, quos vel necessarium ministerium, vel pessima heri voluntas ab audiendo sacro arcent. Non vero excusarentur, si facile alium famulatum invenirent, aut si sine magna molestia, v. gr. sine notabili somni privatione, missae intervenire possent. — Item excusantur uxores et filiifamilias, quibus timenda esset gravis indignatio mariti vel parentum; milites, qui ex auditione missae, suorum ducum vexationi, aut commilitonum ludibriis valde molestis obnoxii forent (H. Ap., VI, 40). — Qui tamen omnes diligenter adniti debent, ut, quantum possunt, impedimenta removeant (cfr. n. 225, 226).

6° Aurigae, vectores mercium, operarii, et generatim omnes qui, assistendo missae, notabile lucrum amitterent (III, 332). *Gobat,* cui non contradicit S. Doctor, pauperem excusat, ob lucrum unius ducati; et duorum, alium tenuis fortunae.

[1] Opinantur multi medici, aerem corruptum ecclesiae plus minusve incommodi nervosis afferre posse, praesertim si sunt debiles vel praegnantes. Cfr. *Capellmann,* Med. past., n. 90; *Antonelli,* Med. past., II, n. 889; *Linz. Quart. Schr.,* vol. 55 (1902), p. 371.

Digitized by Google

682. — II. CARITAS excusat eos, qui curam habent infirmorum, a quibus sine magna horum anxietate discedere nequeunt, et excusantur, etiamsi esset alius assistens; — item eos, qui opem ferunt proximis grave damnum patientibus ex incendio, tempestate, alluvione, aliisve calamitatibus; — item eos, qui spem habent fore ut sua praesentia jurgia, lites, graves rixas, furta, duella vel actus turpes impediant (cfr. n. 512). — Sed non licet omittere missam, ad peragendum opus non praeceptum, licet altioris meriti (III, 326, 332, vers. fin.).

Nota. Caritas potest suadere puellae, quae scit se ab aliquo turpiter concupisci, ut missam omittat; non tamen semper ad domi manendum tenetur (III, 331). Vide dicta n. 512. — Erga seipsum etiam caritatem servabit, qui omittit missam (saltem aliquando), ne se exponat probabili periculo se inebriandi, ex eo quod non possit ordinarie commode statim reverti, et amici ad bibendum invitent (*Ami du Cl.*, 1906, p. 1048).

683. — III. OFFICIUM excusat milites excubias agentes, custodes domus, vel gregis; qui tamen, si plures sint, et una solum dicatur missa, *tenentur alternis vicibus sacro assistere.* Item, nutrices, matres, quae neminem habent, cui, sine periculo, relinquant parvulos, quos non possunt secum in ecclesiam, sine notabili adstantium perturbatione, ducere.

De qua re ita *S. Alphonsus* (III, 326): « Si viro, vel uxori, manendum sit domi ad custodiam, non potest vir cogere illam, ut semper domi maneat, cum sit socia, non famula, quae e converso cogi posset: sed etiam posset dominus manere domi quandoque, ut famula audiret missam; nam istius utilitas dominum excusaret ». — Nostris utique temporibus potius vir erit exhortandus, ut officium custodis aliquando uxori vel famulae fidae implendum relinquat.

684. — IV. CONSUETUDO pluribus in locis recepta excusat a missa viduas, infra primum viduitatis mensem; puerperas, per mensem aut sex hebdomadas, modo tamen non aliis de causis in publicum egrediantur. Item, excusat in aliquibus locis sponsas, cum earum nuptiae proclamantur; si tamen alia celebretur missa, assistere tenentur. « Nulla autem ratione potest licita reputari illa consuetudo (ut melius dicam, abusus) qua puellae, ne in publicum exeant, ab auditione sacri se abstinent ». Ita *S. Alphonsus* (H. Ap., VI, 42).

685. — REGULAE PRACTICAE. Juvat hoc loco, coronidis causa, adjicere *interrogationes,* quas a confessario rudibus faciendas esse suadet S. Doctor (Prax. conf., n. 32 seqq.):

1° Quoad obligationem AUDIENDI SACRUM diebus festivis, interroget poenitentem: an aliquoties sacrum omiserit, vel potius quaerat: an *adverterit ad omissionem?* an dubitaverit tempore quo sacrum audire poterat? Etenim, multoties poenitens ad horam tardam sacrum audire differens, licet casu repererit sacrum et illi interfuerit, nihilominus sine justa causa in periculum illud omittendi se injecit; et de hoc rudes non se accusant. — Item, si

Digitized by Google

poenitens se accuset sacrum omisisse, interroget *de causa*, an propter necessitatem, etc.

2° Quoad OPERA SERVILIA interroget: *an laboraverit* die festo? et si (poenitens) affirmet, interrogetur: *a*) Quantum *temporis* laboraverit, et quodnam *laboris genus* exercuerit... Si autem poenitens confitetur laborasse, aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboraverit judicans laborare in materia gravi? Sed opus est, ut eum doceat laborare per longum tempus, etiam occulte, et animi solatio, ac gratis, etiam esse peccatum. — *b*) Interrogetur *quare* laboraverit, an per regionis consuetudinem? an ob necessitatem, aut coactus ab hero, a parentibus, etc.?

Nota. Omni, qua pollet, auctoritate utatur pastor animarum, ut ad missae assistentiam viros quos noverit negligentes vel indifferentes adhortetur, praesertim ad ejus missae auditionem in qua concio habetur, ut ita paulatim in fide confirmet, quos ipsi commisit divina voluntas. Cfr. *Ami du Cl.*, 1907, p. 305. Si quae pietatis exercitia introducta invenerit, v. gr. preces vespertinas communiter factas, ea non supprimat, nisi adsint graves rationes (*Ami du Cl.*, 1910, p. 1087).

Digitized by Google

TRACTATUS IV.

De quarto Decalogi praecepto

Honora patrem tuum et matrem tuam.
(*Exod.*, 20, 12).

686. — Tria priora praecepta ordinant hominem ad Deum. Inter alia, quae proximum respiciunt, primum, id est *quartum praeceptum,* specialiter et directe se habet ad eos qui in terris Dei locum tenent. Tales sunt ante omnia *parentes* et dein extensive, ratione similitudinis quoad potestatem et munus, ii omnes qui aliquo modo auctoritatem possident. Parentes autem sub duplici respectu praesunt: in quantum nempe sunt principium vitae, et in quantum auctoritate eminenti pollent: illis ergo debetur pietas, et observantia, haec tamen eminens et completa, quatenus et obedientiam includit.

Indirecte ab hoc praecepto praescribuntur *officia* tum *parentum* erga filios, et inter seipsos, tum *aliorum Superiorum* erga subditos (*S. Thom.*, 2. 2, q. 122, a. 5). Non datur enim jus sine officio, nec officium sine jure.

Quatuor ergo sint capita disquisitionis: 1° de pietate, observantia et obedientia in genere; — 2° de mutuis obligationibus filiorum et parentum; — 3° de officiis conjugum; — 4° de mutuis officiis inferiorum et Superiorum.

CAPUT I.

De pietate, observantia et obedientia.

I. De pietate.

S. Thomas, 2. 2, q. 101-105; *S. Alphonsus*, III, 333 seq.; ed. G., I, p. 600; H. Ap., tr. VII; Catech. Rom., de 4° Praec.; *Aertnys*, I, n. 147; *Lehmkuhl*, I, n. 922-952; *Noldin*, II, n. 278; *Gury-Ferreres*, I, n. 363; *Génicot-Salsmans*, I, n. 345; aliique, ut *Göpfert*, *Schindler*, in loc. resp.; *Vermeersch*, Quaest. de Virt. Relig. et Piet., q. 2, c. 1, n. 178.

687. — I. Pietas, in sensu LATO, sumitur pro *devotionis* affectu, vel etiam pro *misericordia* et *benignitate,* praesertim erga opis indigentes. — In sensu autem STRICTO, pietas definitur: *Virtus, qua parentibus, patriae et sanguine junctis debitus cultus tribuitur.* — Ad PARENTES reducuntur *consanguinei,* maxime ascendentes, avus, proavus, etc.; item

Digitized by Google

parentes spirituales, qui nimirum, post Deum, nobis sunt vitae spiritualis auctores. — Ad PATRIAM autem referuntur *concives* et patriae amici, propter eorum cum ipsa conjunctionem.

Ad parentes non referuntur directe *fratres* vel *sorores,* quia non sunt principium essendi. Redundat tamen virtus pietatis in eos, quia toti familiae communis est sanguis. Praeterea, fratres saepe sunt principium educationis. Unde concludit *Lugo* (de Poen., disp. 16, n. 299 et 307): Peccata contra consanguineos *remotos* non sunt peccata contra pietatem; talia sunt vero peccata contra fratres vel sorores, *saltem si ipsis malum gravissimum infertur.*

II. Objectum MATERIALE pietatis est CULTUS, prout n. 531 definitur. Pietas agnoscit in alio *excellentiam principii,* et se subjicit ex *amore,* reverentia pleno et obedientia manifestato. — Ejus objectum FORMALE est specialis honestas, quae in tali cultu elucet, ex eo scilicet, quod *parentes* et *patria* sunt, post Deum, *principium nostri esse* et *nostrae educationis,* ideoque sunt, post Deum, maxime colendi (*Billuart,* de cet. Virt. Just. annexis, Diss. 1, a. 1).

688. — *Ex dictis colliges:* 1° PIETAS est virtus specialis, diversa tum a *caritate erga proximum,* quae bene vult et benefacit hominibus quatenus *ordinantur ad Deum;* tum a *justitia legali,* quae respicit quidem bonum patriae, sed *quatenus est bonum commune,* per legum observantiam procurandum; et ideo etiam ab eis exerceri debet, qui a patria recesserunt.

2° *Debitum pietatis,* maxime erga parentes, est tantum, ut ipsi nunquam possit satisfieri ad aequalitatem: intellige, in eodem ordine rerum et per obsequia ordinaria; nam, per obsequia supernaturalia, vel etiam extraordinaria, bene compensari potest beneficium a parentibus et a patria acceptum, imo superari, ut si filius parentes ad veram fidem convertat, aut vitam pro ipsorum liberatione exponat. — Attamen, hujusmodi extraordinaria obsequia minime solvunt filium ab obligatione naturali, qua parentibus obstringitur, quia filius semper perseverat esse filius (*Lessius,* de Just. et Jure, l. 2, c. 46, n. 4).

3° Sicut religio est eminenter pietas, ita pietas est eminenter observantia; et ideo, potiori titulo, eadem, ac observantia, officia, et praecipue obedientiam, praescribit (*S. Thom.,* 2. 2, q. 101, a. 1, ad 1).

II. De OBSERVANTIA.

689. — I. OBSERVANTIA definitur: virtus, qua personis in *dignitate* aut *excellentia* constitutis cultus exhibetur.

II. Observantia est duplex: 1° *civilis,* quae defert cultum personis dignitate civili auctis, v. gr. regibus, magistratibus, heris, praeceptoribus; — 2° *religiosa,* quae defert cultum condecoratis excellentia supernaturali.

Haec subdividitur in *simplicem* et in *sacram,* prout respicit vel viatores, ut Papam, Episcopos, sacerdotes, etc., vel comprehensores, ut Beati qui triumphant in coelis (cfr. n. 531).

Digitized by Google

III. Objectum MATERIALE observantiae est cultus. Hic dicit excellentiam *dignitatis* personalis in alio et submissionem proportionatam ex parte nostra. — Objectum autem FORMALE observantiae est specialis ratio honestatis, eo quod ii qui in hac dignitate constituuntur, habent auctoritatem divinam, et sunt, vel possunt esse, post Deum, nostrae gubernationis principium.

Duo sunt officia seu PARTES observantiae: 1° Exhibere Superioribus debitum *honorem,* ratione sublimioris gradus in quo collocantur. Debito *stricto,* honor solis Superioribus debetur; debito autem *morali,* debetur ex quadam honestate illis omnibus, qui sunt in dignitate constituti, etiamsi eorum auctoritati non subjiciamur (*S. Thom.*, 2. 2, q. 102, a. 2, ad 2). — 2° Praestare *obedientiam,* i. e. submittere se imperio Superiorum, eisque obsequium quod ipsis, ratione officii gubernationis, debetur, fideliter tribuere.

De obedientia, utpote quae praecipuas partes obtinet in inferioribus ad Superiores ordinandis, plura adjicienda sunt.

III. De OBEDIENTIA.

690. — DEFINITIO. Obedientia est virtus inclinans ad obtemperandum voluntati Superioris, i. e. ejus qui participat supremum dominium divini Gubernatoris in creaturam rationabilem.

DIVISIO. 1° Ratione ordinis superioritatis, datur obedientia *civilis, ecclesiastica, domestica,* vel denique *monastica.* — 2° Ratione naturae superioritatis, datur obedientia *materialis* seu generalis, et obedientia *formalis,* seu specialis.

a) Obedientia *materialis,* seu *generalis,* inclinat ad observandum quodcumque praeceptum, ex motivo quocumque honesto; et sic est omnium virtutum complexus.

Omnis enim virtus inclinat ad observandum praeceptum in sua materia: quae cum ex motivo speciali obedientiae poni possit, hinc omnis actus honestus dicitur obedientia materialis. E converso, quaecumque legis vel virtutis violatio est inobedientia late, generaliter sumpta. Inobedientia ergo generalis non est speciale peccatum.

b) Obedientia *formalis,* si *stricte,* prout hic, accipiatur, est virtus inclinans ad servandum praecepta, *quia praecepta sunt,* ob honestatem specialem quam adducit et includit subjectio erga Deum imperantem.

Si vero accipiatur *paulo latius,* est virtus inclinans ad obtemperandum voluntati Superioris, sive ea praeceptiva sit, sive *meri beneplaciti,* quia id honestum est: cum enim superioris voluntas sit quaedam regula subditi, eo perfectior erit obedientia, teste *D. Thoma* (2. 2, q. 104, a. 2), si praeceptum praeveniat, exemplo Christi, cui voluntas et complacentia Patris summum praeceptum fuit, ut inquit *Albertus Magnus,* c. 3, *de Virtutibus.*

Ex his conclude: 1° Quicumque sit fons auctoritatis, obedientia vel inobedientia ex parte subditorum erit ejusdem speciei (*S. Thom.*, l. c., ad 4).

Digitized by Google

Semper enim tendit in auctoritatem divinam sive ut in Deo exsistentem, sive ut ab homine participatam.

2° Inobedientia, *stricte* sumpta, solum tunc tanquam speciale peccatum formaliter aderit, si transcenditur *verum praeceptum* a Superiore latum, ut dicit *Lessius* (l. c., n. 22). In hoc casu committeretur peccatum speciale contra quartum praeceptum. Ita dilucide *Génicot*, I, n. 348, 4°. Cfr. dicta n. 325.

3° Si contemptus Superioris, *ut Superioris*, accedat, semper aderit peccatum mortale, quamcumque inobedientiam commiseris. Cfr. n. 179.

691. — PRINCIPIA. I. **Obedientia formalis est virtus specialis, inter morales, post religionem praestantissima.** 1° Est *virtus specialis*, quia habet specialem rationem honestatis, nempe implere praeceptum Superioris, tacitum vel expressum, ideo precise, quia est praeceptum Superioris, i. e. tenentis locum Dei gubernantis. — 2° Inter *morales*, ejus enim objectum non est Deus, sed Superioris volitum. — 3° *Praestantissima*, quia contemnit bonum maximum, nempe voluntatem propriam (*Lessius*, l. c., n. 36). Unde *S. Gregorius* (Moral., l. 35, c. 42, n. 28): « Obedientia victimis jure praeponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur ». Cfr. *S. Thom.*, l. c., a. 2 et 3.

Notandum cum *Reuter* (Theol. mor., P. II, n. 230): « Ut praecepto obedientiae satisfiat, necesse non est *ex speciali ejus motivo* operari, sed satis est opus imperatum poni, licet ex motivo alterius virtutis ». Vide dicta n. 212.

692. — II. **Subditus tenetur obedire Superiori in omnibus, in quibus ipsi subjicitur, et in quibus Superior altioris gradus non adversatur.** Constat ex necessitate servandi ordinem, et ex S. Scriptura (*Hebr.*, 22): *Obedite praepositis vestris*, etc.; et (*Act. Ap.*, 5, 29): *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Soli Deo est in omnibus simpliciter obediendum: homini vero determinate secundum naturam superioritatis.

693. — *Nota*. *a*) Si dubium est de *legitimitate* Superioris, vel de *impositione* praecepti, subditus non tenetur de se obedire, ut dictum est n. 55. — *b*) Si vero dubitatur *an res praecepta sit licita*, an *excedat* Superioris potestatem, possidet obligatio obedientiae (cfr. n. 52 et 223). Vide *S. Alph.*, I, 100, Quaer. 3; IV, 47.

Digitized by Google

CAPUT II.

De mutuis officiis filiorum et parentum.

Confer, praeter AA. citatos, *Berardi*, Theol. mor. (1905), I, n. 621 ; *Koch*, § 166 ; Opera et opuscula specialia, v. gr. *Guilmont*, La culture de l'âme dans l'enfance ; *Meschler*, Principes d'éduc. cathol.; *Toublan*, Directeur des Mères chrétiennes, La Jeune Fille chrét. ; *Diessel*, Ratschläge ; *Berthier*, La jeune Fille, la Mère, le jeune Homme, l'Homme ; *Becker*, Christl. Erziehung, etc.

ARTICULUS I.

De officiis filiorum erga parentes.

Ratione triplicis respectus, quem parentes habent erga filios, filii tenentur exhibere parentibus triplicis generis OFFICIA quae in sequentibus principiis declarantur.

Una eademque pietas amorem filialem, reverentiam et obedientiam imponit. Qui tamen contra haec tria delinquit, peccatum specie diversum committit. Sic, v. gr., qui coram parentibus, ex odio, ipsis maledicit, duo specie diversa peccata habet, unum contra amorem, alterum contra reverentiam debitam.

694. — PRINCIPIA. I. **Ratione originis, tenentur filii parentibus exhibere amorem, etiam ex pietate.** Constat ex jure naturali, quo praecipitur maxime gratitudo, ob maximum exsistentiae et educationis beneficium a parentibus acceptum. Porro gratitudo necessario vult bonum parentibus, quod est idem ac amare. — Amor ille erga parentes debet esse: tum *internus*, quo filii ipsis ex animo bene velint bonaque exoptent, tum *externus*, quo, pro viribus, mala ab eis avertant, suam benevolentiam eis attestentur, eisque in necessitate constitutis benigne subveniant.

Pietas per se strictius urget; quia imponit obligationem non ex titulo communi, sed ex titulo speciali et personali; et sic culpa, quae est levis si committitur erga extraneos, potest esse gravis si contra parentes dirigitur, quia majoris moeroris occasio forte erit.

Hinc: 1° Peccant graviter filii, tum contra *caritatem*, tum contra *amorem pietatis*, qui (deliberate, et in materia notabili) malevolentia, indignatione, odio in parentes feruntur; — qui eis odii signa exhibent, eos aspere tractant; — qui torvis eos oculis intuentur, ac ita acerbe alloquuntur ac si eos odio haberent; qui eos ad gravem indignationem provocant, eosque graviter contristant; — qui eis malum exoptant, v. gr. mortem, ut ita eorum haereditate citius potiantur; qui in re notabili male de eis loquuntur, eosve calumniantur; — qui eos malis artibus a conficiendo testamento impediunt, vel in eorum haereditatem jam ingressi, eorum ultimam voluntatem non exsequuntur.

2° Similiter graviter peccant, *saltem contra amorem pietatis*, qui eis ad inopiam redactis alimenta non suppeditant; — qui eos morbo, senio, moe-

Digitized by Google

rore confectos non visitant, eosque sine solatio relinquunt; — qui eis in spirituali necessitate versantibus non succurrunt, v. gr. non curando ut periculose aegrotantes morientium sacramenta suscipiant; — qui dissimulant, quasi eos non cognoscant; — qui, ipsis vita jam functis, praetermittunt ut exsequiae et Ecclesiae suffragia, modo eorum conditioni congruo, persolvantur (III, 333; Instr. catech., P. I, c. 4, n. 1).

Nota. In plerisque regionibus, leges civiles cum jure naturali convenientes, filios ad hoc adigunt, ut patri ac matri, aliisque ascendentibus in necessitate versantibus, ALIMENTA subministrent, i. e. *cibum, vestitum* et *habitationem.* Et haec quidem obligatio *in solidum* filios adstringit. — Simili modo, gener et nurus tenentur socerum et socrum alere. Obligatio tamen cessat, cum socrus ad novas nuptias convolat; cessat pariter, cum moriuntur, tum conjux qui affinitatem induxerat, tum hujus filii, procreati ex matrimonio, quod causa fuerat affinitatis [1].

Quoad filios qui Religionem ingredi vellent, vide n. 2137.

695. — II. Ratione dignitatis personalis parentum, filii tenentur ipsis exhibere reverentiam et honorem: *reverentiam,* ita ut eorum dignitatem agnoscant, et inde timorem, ut aiunt, reverentialem concipiant; *honorem,* ita ut externe verbis, signis et factis eorum praeeminentiam profiteantur. — Constat ex S. Scriptura dicente (*Deuter.,* 27, 16): *Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem;* et alibi (*Eccli.,* 3, 9): *In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum.* — Ratio suffragatur: ubi enim est specialis dignitas personae, ibi debetur specialis observantia.

Hinc, graviter, per se, contra *reverentiam* peccant filii:

1° *Actu interno,* si parentes in corde contemnant.

2° *Verbo,* si in parentes, coram, maledicta aut convicia conjiciant, appellando eos, v. gr. *amentes, ebrios, bestias, latrones, veneficos, scelestos.* — Si vero eos appellent « senes, ignaros, stupidos, etc. » non sunt absolute damnandi de peccato mortali, nisi eos graviter inde contristent. Item, « si filius parenti illuderet, aut mala imprecaretur, sine *pravo animo* et *clanculum,* nescirem, ait *S. Alphonsus,* eum damnare de peccato mortali » (H. Ap., VII, 2).

3° *Signo,* si eos risu, subsannatione, gestu contemnunt. Item, si ad dignitates evecti aut divites facti, eos ex superbia vel despiciant vel negligant, vel nosse recusent, vel etiam (quod non raro accidit) eos erubescant. — A mortali tamen excusatur filius, qui, ob justam causam, et sine interno contemptu, fingit se eos non cognoscere, vel apud se habere renuit, v. gr. quia sunt infami crimine notati, vel quia ipse grave damnum inde passurus esset; dummodo necessaria eis suppeditet. Et ratio est, quia in tali casu ipsi parentes non censentur graviter aut rationabiliter inviti (III, 334).

4° *Facto,* si eos, deliberate et cum sufficienti advertentia, vel leviter verberent, imo si manum duntaxat attollant, aut instrumentum ad percutiendum arripiant. Item, si eos in judicio de crimine, licet vero, accusent; ipsa enim natura id refugit. — Excipe casum haeresis, proditionis vel conjurationis

[1] Cod. gall., a. 205-211; cfr. cod. austr., § 154; ital., 139, 140; germ., 1601-1615. Aliter, Cod. hisp., 139-145.

Digitized by Google

in principem, si non sit alius corrigendi modus: nam commune bonum anteponendum est bono privato (cfr. n. 2308). — Licet etiam filiis in judicio repetere bona jure stricto sibi debita, quae parentes restituere injuste denegant.

696. — III. Ratione auctoritatis, filii tenentur parentibus praestare obedientiam in omnibus licitis, et ad eorum curam pertinentibus, quamdiu sub eorum potestate versantur. Filii enim, in societate domestica nascentes, sunt ex hoc ipso membra ejusdem societatis, cui dirigendae in bonum commune praeest patria potestas. Consonat S. Scriptura inquiens (*Ephes.*, 6, 1): *Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est.*

Diximus 1° *In omnibus licitis;* sicut enim parentes quae a Deo vetantur praecipere non possunt, ita nec possunt filii ipsis vetita praecipientibus obedire, juxta dicta n. 692.

2° *Ad parentum curam pertinentibus,* nimirum ad gubernationem domus, ad bonos mores, ad animae salutem. In his enim parentes non solum jus, sed etiam officium imperandi habent.

Secus, si agatur de eligendo vitae statu, de servanda virginitate, et similibus, in quibus filii puberes sunt sui arbitrii, ut suo loco dicetur (n. 1951, 1°; n. 2137, 2°). — Notetur interea filios teneri *requirere consilium* parentum, si de ineundo *matrimonio* agitur; ipsis tamen non est necessitas sub gravi data consilia sequendi. Si de *vocatione sacerdotali* vel *religiosa* agitur, totum negotium, coram Deo, adjuvante confessario et auctoritate competente, ad exitum est perducendum. — Quid autem faciendum, si parentes ad matrimonium ineundum cogant, vide n. 700.

3° *Quamdiu sub eorum potestate versantur;* patris enim potestas non est perpetua, sicut perpetuum est ejus jus ad prolis amorem ac reverentiam. — Haec ejus potestas cessat, ubi cessat officium educationis prolis vel gubernationis domesticae, v. gr. cum filii separatum a patre focum habere incipiunt (cfr. n. 698).

697. — *Ex dictis colliges:* Filii peccant graviter contra *obedientiam* (peccato videlicet speciali, ideoque in confessione declarando) si parentibus serio praecipientibus obedire detrectent: 1° In re gravi et justa, quae spectat *ad bonos mores,* v. gr. si filii popinas, theatra et alia loca periculosa frequentent, si ludis ludant perniciosis; si filiae nocturno tempore domo exeant, si cum procis, vel etiam cum aliis adolescentibus, remotis arbitris, confabulentur (III, 335; H. Ap., VII, 3).

2° In re gravi et justa, quae spectat *ad salutem animae,* v. gr. si contra formale parentum praeceptum officiis, quae religio imponit, satisfacere praetermittant; si missae aliisque piis functionibus assistere negligant; si per notabile tempus a sacramentorum susceptione abstineant, etc.

3° In re gravi et justa, quae spectat *ad gubernationem domus,* v. gr. si formaliter impositam operam (magni utique momenti) praestare detrectent; si, prae pigritia, litterarum studio vacare, aut artem, quae eorum conditionem decet, addiscere negligant; si absque gravi causa a paterna domo aufugiant.

Digitized by Google

Secus vero, si fuga fiat ob causam gravem, v. gr. quia in paterna domo ipsis est peccandi occasio proxima, quam *alibi non invenirent,* vel quia nimis aspere tractantur, nec spes est fore ut brevi rerum mutatio succedat. — In praxi tamen, non raro filiorum inobedientia, etsi in re gravi, a peccato mortali excusatur, tum ob animi levitatem et inadvertentiam, tum saepius ob defectum rigorosi praecepti (cfr. n. 325, q. 2 et n. 692).

Nota. a) Quaenam materia censenda sit gravis, prudenti judicio definiendum est: generatim ea erit, qua omissa, grave detrimentum paterentur parentes, domesticus ordo, bonum temporale vel spirituale filiorum. In his etiam observa, *unum actum* rebellionis minus facile constituere peccatum mortale.

b) Caveat confessarius ne, in interrogandis filiis circa triplicem ipsorum erga parentes obligationem, inconsiderate procedat. — Saepe enim, nonnisi obiter atque obscure, de sua, licet pessima, agendi ratione sese accusant; atque hinc fit, ut facile, et absque emendationis fructu, absolutionis beneficium consequantur. Cognita igitur eorum indole, eorumque educatione, *interrogandi* sunt an graviter patrem vel matrem verbis laeserint, quid fecerint, et quo consilio; attendi enim debet effectus exacerbationis, contristationis, etc., in parente sine justo motivo causatus, et a filio saltem in confuso praevisus.

Scholium.

De patria potestate.

698. — Patria potestas est jus quod vi legum patri, et subordinate matri, in suam prolem et in prolis bona competit. 1° Quoad *personas* filiorum, lex ubique vigens imponit parentibus obligationem praestandi alimenta et educationem juxta fortunae et status conditionem. Confert *jus custodiae,* sive in domo paterna sive in domo educationis, et *jus correctionis* moderatae. — 2° Quoad bona, sermo erit in tractatu de *justitia* (n. 858). — Haec quidem potestas ex ipso *jure naturae* enascitur; sed *legis civilis* est determinare, quousque haec potestas sese extendat, quoad effectus publicos, et quando et quomodo exstinguatur. — Deficientibus parentibus, patria potestas confertur tutori, cui adstat consilium familiae sub vigilantia judicis.

Filii distinguuntur legitimi vel illegitimi. *Illegitimi,* i. e. extra legitimum matrimonium geniti, sunt vel *spurii* (incestuosi, adulterini, sacrilegi), i. e. procreati ex parentibus, inter quos, tempore quo concepti et nati sunt, ratione consanguinitatis, vel ligaminis, vel voti sollemnis, non poterat contrahi matrimonium; vel *naturales,* i. e. nati ex parentibus, qui tempore conceptionis non erant quidem juncti matrimonio, sed ad illud contrahendum habiles.

Filii naturales recognosci possunt, quo casu juribus lege determinatis fruuntur; vel etiam possunt legitimari per subsequens matrimonium, et tunc legitimis aequiparantur, ipsaque Ecclesia huiusmodi legitimationem admittit (cfr. *Ferraris,* v. Filius). Quisque videat quibusnam sub conditionibus lex talem legitimationem concedit (Cod. gall., 331; germ., 1732; austr., 160-162). *Proles spuria* ordinarie nequit legitimari coram lege civili. Potestas vero suprema in Ecclesia talem legitimationem concedere potest. Vide n. 1962.

Digitized by Google

In GALLIA (art. 371-515) patria potestas, quae competit patri (et eo mortuo, absente vel interdicto, matri), perdurat usque ad filii majoritatem, vel emancipationem. — Porro, filius (item filia) *majoritatem* adipiscitur, statim ac 21^m^ annum explevit. Emancipatio ipso jure contingit per matrimonium; potest etiam concedi a patre, aut, patre deficiente, a matre post annum 15^m^ completum; vel, defuncto utroque parente, a consilio familiae, sed post annum 18^m^ completum. Emancipatus jus habet dirigendi propriam personam et administrandi omnia sua bona, curatore tamen assistente. — Quod vero ad matrimonium spectat, filius ante annum 25^m^ completum et filia ante annum 21^m^ completum illud contrahere non possunt, sine consensu parentum; si parentes inter se dissideant, patris consensus sufficit.

In HISPANIA, cessat patria potestas: 1° per *privationem: a*) si mater vidua convolat ad secundas nuptias; nisi maritus, per testamentum, quoad non emancipatos contrarium statuerit; mater vero, si iterum fit vidua, eam recuperat; — *b*) si pater vel mater per sententiam judicis ob crimen vel divortium incapaces declarantur; restituitur vero amissa, cessante sententiae effectu; — *c*) vel si filius, consentientibus parentibus, ab alio adoptatur (Cod. hisp., 168-177); — 2° per *emancipationem;* haec vero est *a*) *absoluta,* per majoritatem, quam adipiscuntur filius et filia post annum 23^m^ completum. Filia tamen, etsi majorennis, nequit deserere domum paternam ante annum 25^m^ completum, nisi ad matrimonium contrahendum, aut pater vel mater secundas nuptias inierint; — *b*) *relativa,* α) per *matrimonium minoris,* intra limites juris (315), β) per *concessionem patris,* aut, eo deficiente, matris, sed non ante 18^m^ annum completum, γ) per *concessionem consilii familiae* orphanis patre et matre, sed non ante 18^m^ annum completum, et approbante judice 1^ae^ instantiae. — Emancipati possunt propriam personam dirigere et bona sua administrare. Quoad matrimonium vero non omnimodam independentiam obtinent. Contrahere non possunt minores, sine *consensu* patris vel tutoris; patre deficiente, sine consensu matris, cujus in defectu successive veniam praestant avus et consilium familiae. Majorennes pariter nubere nequeunt sine *consilio* petito a patre vel a matre, qui si dissentiant, possunt contrahere post tres menses.

Tum petitio tum consensus debent constare ex documento authentico notarii aut judicis. Matrimonium contractum sine consilio aut consensu patris est validum; sed contrahentium bona manebunt separata, nec conjuges possunt sibi donationes facere aut mutuo recipere, nec minor potest administrare bona, et ad sola alimenta jus habet. Cod. hisp., 45, 47, 50. — Vidui et viduae (etiam minorennes) praedicta licentia vel consilio non indigent (ib.).

In ITALIA, leges eaedem fere sunt ac in Gallia. Attamen, filius nunquam ante annum 18^m^ completum emancipari potest (art. 220 seq. et 311).

In AUSTRIA, filii et filiae ordinarie sunt majorennes et sui juris post 24^m^ annum completum, extraordinarie vero jam antea, si pater, approbante judice, filios expresse emancipat, vel anno 20° completo separatam industriam permittit (a. 172 seqq.). Imo, instante patre, patria potestas potest, ex justis causis, ultra 24^m^ annum prorogari. Praeterea, filia minorennis nuptui tradita, si moriatur maritus, redit sub patriam potestatem (art. 172-178).

In ANGLIA, mater habet jus custodiae in liberos nondum septennes; deinde pater, donec compleverint annum 21^m^: qua aetate filii et filiae fiunt majorennes et sui juris (*Crolly,* de Just., n. 466, 469).

In GERMANIA, filii et filiae sunt majorennes post completum 21^m^ annum. Anno 18° completo emancipari possunt per sententiam tribunalis tutelaris modo ipse minor et ejus parentes (nisi his cura de filiis substracta sit) consensum

Digitized by Google

praebeant. Minori (sive filio sive filiae), etiam post emancipationem, non licet matrimonium inire sine consensu sive patris, si est legitimus, sive matris, si est illegitimus, sive adoptantis, si est adoptatus (Cod. civ., § 2 seq., § 1305 seq.). — Quoad educationem religiosam, praesertim eorum qui ex matrimonio mixto oriuntur, tota res juri Statuum particularium committitur. Merito de his contristatur S. Mater Ecclesia, quia in multis ejus jura laeduntur. Consulantur: *Dr. Geiger,* Die religiöse Erziehung der Kinder; *Karl Schmidt,* Konfession der Kinder; *Lehmkuhl,* Das bürgerliche Gesetzbuch, ubi multa perutilia.

ARTICULUS II.

De officiis parentum erga filios.

Praenot. Quemadmodum filii suos parentes honorare tenentur: ita pariter parentes ad hoc adstringuntur, ut sedulam pro filiis curam gerant. Jus enim procreandi ac gubernandi prolem ipsis ideo concessum est, ut susceptam prolem ad suum finem perducant.

Sequentia etiam valent relate ad prolem *illegitimam.* Quamvis enim ejus progenitores non possideant patriam potestatem, obligantur tamen ambo, ex jure naturae, de illis curam habere quibus dedere vitam. Plura jura civilia rem aliter ordinant, ita ut obligatio alendi prolem solam matrem respiciat (cfr. Jus gall., 340); sed huic ordinationi nequidem post judicis sententiam stari potest. Vide infra n. 958. — Melius Cod. germ., § 1705-1718.

In his omnibus latescit quaestio maximi momenti: *Utrum filii contra parentes jura possideant?*

Resp. cum D. Thoma: In quantum uterque est *homo,* aliquo modo ad eos est justitia; sed in quantum uterque est *alterius,* secundum hoc deficit perfecta ratio justitiae vel juris (2. 2, q. 57, a. 2, ad 2). — Sic ergo filii, ut *sunt homines,* jus habent strictum ad vitam, membrorum integritatem, famam, honorem. Confirmatur hoc assertum a lege civili. — Filii autem, ut *sunt filii,* i. e. quid patris, habent jus ad educationem, alimenta, sed de se solum ex *caritate,* sunt enim auxilio destituti. Quod si deficiant parentes, supplere tenentur propinqui vel communitas. Vide dicta n. 398.

699. — PRINCIPIA. I. **Parentes, ex speciali praecepto, tenentur filios suos diligere amore interno et externo, hocque recte ordinato.** Ipsa natura hanc obligationem promulgat, ut constat ex ipsis brutis animalibus, quae suos foetus diligunt ac nutriunt.

Hinc, non solum contra caritatem, sed specialiter contra PIETATEM, plus minusve, pro gravitate materiae, peccant parentes, qui in proprios liberos odium habent, qui eis mala imprecantur, qui eos nimis aspere tractant, qui in necessitate constitutis non succurrunt, qui, ex defectu amoris ordinati, nimium eis indulgent, etc., etc.

700. — II. **Parentes tenentur filiis procurare educationem corporalem.** Qui dat esse, dare etiam debet consequentia ad esse; scilicet habere curam *vitae, victus* et *status* (Inst. cat., P. I, c. 4, n. 12).

1° Relate ad curam VITAE tenentur parentes, ab ipso prolis conceptu usque ad tempus, quo haec sibi vere sufficere valet, sedulam ad

Digitized by Google

ejus conservationem conferre diligentiam, et omnia pro viribus avertere quae ei obesse possent.

Hinc, per se *graviter* peccant: *a*) *Mulieres,* quae foetus existentiam in discrimen adducunt, v. gr. onera nimis gravia portando, sustinendo labores nimis operosos, nimium indulgendo iracundiae, tristitiae, libidini aliisque passionibus. Cfr. *Capellmann,* Med. past. — *b*) *Mariti,* qui praegnantes uxores inhumaniter tractant, graviter verberant, nimiis laboribus extenuant. — *c*) *Conjuges,* qui infantulos secum in eodem lectulo retinent, cum suffocationis periculo (cfr. *Rit. Rom.,* de Bapt. parv., 32); sicut et illi qui nullis cautionibus utuntur, ne suis filiolis aliquid mali obveniat per aquam, ignem, bestias, ferrea instrumenta, etc.

2° Relate ad curam VICTUS, tenentur parentes subministrare liberis quaecumque, juxta eorum conditionem, necessaria sunt ad cibum, vestitum, habitationem. Obligantur, etiamsi filii partem suam dissipáverint, et ideo parentes tenentur solvere debita quae ad *sustentationem* contraxerint filii, non vero ad alia (H. Ap., VII, 4). Vide Cod. germ., 1705; hisp., 155.

Hinc: a) Tenetur mater (sub veniali) infantem lacte proprio nutrire, nisi forte justam excusationem habeat, v. gr. sit debilis, nobilis aut valde dives; sed tunc tenetur (sub gravi) sibi sufficere nutricem fidam, id est sanam et bene moratam [1]. — *b*) Peccant parentes mortaliter, exponendo prolem in hospitali vel locis publicis absque justa causa (qualis esse potest indigentia maxima, vel illegitimitas prolis ex crimine occulto) [2]; — item, ejiciendo filios domo, vel necessaria non suppeditando, donec ipsi sibi propria industria sufficere possint.

3° Relate ad curam STATUS, parentes tenentur filiis talem vitae conditionem procurare, ut postea, modo qui eorum natalitia deceat, vivere possint; *nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis* (2. *Cor.,* 12, 14). Vide *S. Alph.,* III, n. 336; H. Ap., tr. VII).

Hinc *peccant: a*) Si non adhibeant *diligentiam* saltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii alantur et haereditatem secundum eorum statum consequantur. — *b*) Si bona *dilapidando,* impotentes se reddant ad eos honeste, secundum eorum conditionem, educandos ac dotandos. — *c*) Si *non curent* ut in scholam eant (modo adsint cautiones requisitae), ut artem ediscant, vel aliquod vitae genus amplectantur, quo honeste sustententur [3]. — *d*) Si eos injuste *exhaeredent,* vel laedant *in parte legitima;* si filio ad sacros Ordines promoveri cupienti *patrimonium* constituere recusent; si de-

[1] Severius hanc quaestionem agitant et dirimunt medici moderni. Cfr. *Capellmann, Olfers, Antonelli* et alios. — [2] Genitores (etiam divites) qui prolem exponunt in hospitali ad expositorum susceptionem erecto et dotato, non peccant de se contra *justitiam,* cum hujusmodi instituta etiam in favorem divitum condita fuerint (III, 658). — Excipe, si communitas civilis per tributa specialia ad hospitalis dotationem contribuere deberet (*Marres,* de Just., l. 2, n. 310). — [3] Nostris temporibus Cod. civiles obligant parentes, ut filiis illegitimis educationem *statui matris* convenientem procurent. De se sufficeret ut curent de educatione homini ordinarie necessaria (cfr. Cod. germ., 1705-1718; austr., 165-171).

Digitized by Google

negent *dotem* vel partem haereditatis legitimam filiae, quae post annos majoritatis nuptias, ipsis invitis, celebravit. Huic tamen, si ante annos majoritatis indigno nupserit, non debetur dos, juxta sententiam probabiliorem; sed indigenti debentur alimenta. Simili modo, si filius, patre invito, uxorem duxit, tenetur pater eum indigentem ejusque uxorem alere. — *e*) Denique parentes peccant graviter, si filios invitos ad *statum* sive *conjugalem*, sive *religiosum*, sive praesertim *sacerdotalem* amplectendum impellant, vel eos a tali statu obnixe avertant. Excusari possunt, saltem ad breve tempus, ratione ignorantiae, vel inadvertentiae, quae facile, ob nimium eorum amorem, admitti potest (IV, n. 77).

701. — III. Parentes tenentur filiis procurare educationem spiritualem. Homo, creatus ad imaginem et similitudinem Dei, elevatus est ad finem supernaturalem. Ad hunc igitur finem a parentibus dirigendus est. Unde *S. Carolus Borromaeus* (Hom. 31, ad pop. Canobii, 1583): « Educare, inquit, est ad Christum ducere filios ».

Educatio autem spiritualis *quatuor* sibi requirit, nimirum: *instructionem, vigilantiam, correptionem* et *bonum exemplum* (Inst. cat., P. I, c. 4, n. 15-20).

1° Requirit INSTRUCTIONEM, juxta illud Scripturae monitum (*Eccli.*, 7, 25): *Filii tibi sunt? erudi illos... a puerita illorum.*

Vi hujus praecepti parentes debent curare: *a*) ut filios vel per se, vel per alios idoneos, erudiant in fide, in bonis moribus, in observantia mandatorum Dei et Ecclesiae, atque in omnibus ad salutem necessariis (cfr. n. 718)[1]; — *b*) ut ipsis summam existimationem atque amorem sanctae precationis injiciant, hancque ipsis perfamiliarem reddant; — *c*) ut eos verae devotionis affectu erga Deiparam Virginem imbuant; nam, teste S. Alphonso, devotio erga divinam Matrem est moraliter necessaria ad salutem.

2° Requirit VIGILANTIAM. Pretiosiora enim concreduntur parentibus quam sequestro, apud quem res terrena deposita est.

Hinc, *graviter peccant* parentes, si filios a periculosis saeculi oblectamentis, pravis sociis, ludis, colloquiis, lectionibus, etc. non removeant; si eos, artis addiscendae aut famulandi causa, procul a se, in tales familias locent, ubi eorum fides pudicitiave periclitetur; si eos a colloquiis cum personis diversi sexus non arceant: si pueris et puellis in eodem lectulo dormire permittant, etc.

3° Requirit CORREPTIONEM; et quidem *seriam*, dicit enim Scriptura: *Qui parcit virgae, odit filium suum* (*Prov.*, 13, 24); *discretam*, nam Scriptura addit (*Coloss.*, 3, 21): *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Ideo primum moneant, postea minentur, demum castigent, sine imprecatione et noxiis verbis.

4° Requirit EXEMPLUM. Verba enim movent, exempla trahunt, praesertim pueros.

[1] De filiis in re sexuali instruendis sermo erit in tr. de 6° praecepto, n. 763.

Digitized by Google

Caute igitur in omnibus se gerant parentes, et, praesertim in iis quae ad cultum Dei pertinent, seipsos bonorum operum praebeant exemplum. Peccant gravissime parentes, cum coram filiis blasphemant, religionem irrident, turpia proferunt aut agunt, proximo detrahunt, vel eos ad peccandum qualicumque modo impellunt (H. Ap., VII, 5).

702. — De obligationibus consanguineorum et tutorum.

1° *Consanguinei* tenentur, ex pietate, ad mutuum amorem, assistentiam et reverentiam; plus tamen vel minus, secundum quod plus vel minus accedunt ad parentes (cfr. n. 484). — Unde qui avum, proavum, patruum, amitam, fratrem, sororem (et probabiliter collaterales in 2° gradu) odio vel injuria afficit, vel eis non assistit in necessitate, debet, si alias culpa gravis est, circumstantiam parentelae in confessione declarare. — Secus, si gradus sit remotior (III, 340) [1]. Cfr. quae diximus n. 687, I.

2° *Tutores* tenentur, vi quasi-contractus: *a*) curam pupilli gerere, ejus personam tueri, eum corrigere, et christiane educare; — *b*) bona ejusdem temporalia rite administrare: idque ad legis praescripta, ita ut, finita tutela, omnium actorum coram consilio familiae (vel tutelae pro illegitimis) ad tramites justitiae ratio reddatur (vide tr. *de Justitia*, n. 1039 seqq.).

Nota. Ad eadem potest obligare sola pietas, si quis nempe pupilli sit consanguineus proximus, nec alius idoneus tutor vel protutor inveniatur. — Adverte tamen, non esse leve catholicis tutelam pupillorum acatholicorum suscipere, ne scilicet videantur haeresi favere eos in ea educando; vel, non educando, violare fidem testatori et curiae praestitam (III, 918; *Kon.*, n. 434).

CAPUT III.

De mutuis officiis conjugum.

Noldin, II, n. 281; *Rösler*, C. SS. R., Die Frauenfrage; *Vermeersch*, Quaest. de Just., n. 512; *Godts*, C. SS. R., Le féminisme condamné; *Cathrein*, Frauenfrage; *Stimmen aus Mar.-Laach* ubi multa (cfr. Ind. gen. v. Frauenemanzipation etc.); *Ami du Cl.*, 1903, p. 36, 745; *Schindler*, Moraltheol., II, 747.

703. — PRINCIPIA. I. **Conjuges sibi mutuo debent societatem, amorem et fidem.** Ita nempe ex natura matrimonii, et ex lege positiva, tum divina, tum humana [2] (cfr. tr. *de Matrimonio*, c. VII).

1° *Societatem;* tenentur enim simul habitare, quoad mensam et torum (nisi legitima causa excuset), ut constat ex verbis Domini: *Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (*Matth.*, 19, 5). Electio vero domicilii pertinet ad maritum (cfr. n. 2120 seq.).

2° *Amorem* specialem, nempe conjugalem; cum enim sint caro una, debent etiam esse, per intimiorem amorem, cor unum. Sic *Ephes.*, 5, 15): *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam;* et (*Tit.*, 2, 4) praecipitur uxoribus, *ut viros suos ament.*

[1] De religiosis, quorum fratres vel sorores in gravi vel extrema necessitate versantur, infra n. 2137 seqq. sermo erit. — [2] Cod. gall., 212; ital., 130; austr., 90; hisp., 58; germ., 1353; holl., 158.

Digitized by Google

Unde, peccat *conjux,* contra caritatem et amorem conjugalem, si alterum odio habeat, vel si grave malum optet ; si injuriosis verbis vel signis contristet, etc. — Item, quia tenentur, ex amore, ad *mutuo* sibi praebenda *alimenta,* peccat graviter, sive maritus, sive uxor, si aut duritia, aut ignavia, aut sumptuositate, alteram partem iis privet quae vitae aut conditioni necessaria sunt (III, 356).

3° *Fidem,* i. e. fidelitatem conjugalem, juxta illud (1. *Cor.,* 7, 4): *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier,* in ordine scilicet ad generationem.

Hinc: *a*) Tenentur ad debitum conjugale sibi invicem reddendum, cum petitur serio, nec est causa legitima negandi. — *b*) Omnis actus venereus, sive internus, sive externus, cum aliena persona vel circa alienam, in conjugatis habet malitiam adulterii (cfr. n. 781).

704. — II. **Officia quaedam sunt cuique conjugi propria.** Id sequitur ex propria cujusque conditione. Quamvis enim inter conjuges aliqua sit aequalitas, fines tamen matrimonii ipsaque indoles nativa conjugum requirunt, ut vir sit caput mulieris (1. *Cor.,* 11, 3) utque mulier sit viro subdita.

1° MARITUS debet curare uxoris suae: *animam,* recte eam dirigendo, moribus ejus invigilando, ipsamque ubi opus fuerit corrigendo; — *corpus,* uxorem nempe secum retinendo, et alendo secundum suum statum; — *bona,* rem familiarem studiose gerendo.

Hinc, peccat *maritus,* et subinde *graviter: a*) Si verberibus aut contumeliis afficiat uxorem, sine justa causa. « Moderate tamen castigare verbis, vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus, habita ratione conditionis, quandoque potest » (III, l. c.; H. Ap., VII, 12). Vide n. 732. — *b*) Si illam impediat ab impletione praeceptorum Dei vel Ecclesiae. Si vero impediat illam, sine causa, circa ea quae consilii sunt, ut est confessio, communio, etc., peccat tantum venialiter, nisi constet quod illa magnam ex sacramentis utilitatem percipit. — *c*) Si neget aut negligat ei procurare alimenta. Juste tamen ea negare posset, si uxor adulterasset, vel sine causa ab eo discessisset. — *d*) Si eam modo tyrannico tractet, instar vilis mancipii. — *e*) Si familiae gubernationem negligat etc.

2° UXOR tenetur exhibere marito reverentiam et obedientiam in omnibus licitis: *Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet, in Domino* (*Coloss.,* 3, 18).

Unde, peccat graviter, si maritum rixis vel asperis verbis ad gravem iram, vel blasphemiam provocet; si spreto marito, imperium sibi vindicet; si sine sufficienti indicio, male judicet de ejus continentia; si quid notabile ex bonis communibus expendat, contra ejus voluntatem et consuetudinem mulierum suae conditionis; si sibi arroget administrationem domus sine justa causa; si nolit virum sequi mutantem domicilium, dummodo possit sequi sine periculo vitae et salutis, et ille, post nuptias, non factus sit vagus. — Uxoris est etiam,

Digitized by Google

educandae proli operam navare, et in negotiis domesticis curam familiae gerere, munditiei non luxui aut garrulitati studium adhibendo. — Si tamen spectatae conditionis est, potest officia viliora per famulos vel ancillas adimplere, modo ipsis invigilet, et curet ut res domestica bene geratur. — Consule *S. Alphonsum*, III, n. 351-356; H. Ap., tr. VII, n. 12-13. — Cetera vide in tr. *de Caritate* (n. 484 seqq.) et in tr. *de Justitia* (n. 863 seqq.).

Scholium.

De emancipatione feminarum.

Doctrina, modo exposita, multis modernis non placet, iis praesertim qui positivae religioni adversantur. *Omnimodam aequalitatem* virum inter et mulierem expostulant, nefasque esse aiunt quod mulier viro subdita esse debeat. — Sub triplici respectu haec moderna theoria considerari potest: tangit enim ordinem domesticum, ordinem oeconomicum seu socialem, ordinem denique politicum.

1° *Quoad ordinem domesticum.* Quidquid dicunt illi qui emancipationem completam vindicant, haec nullomodo concedi potest; sic enim totam rem paravit et ordinavit natura, ut vir praesit, sit caput familiae, mens quae omnia dirigat, voluntas quae omnia labore et conatu vincat. Mulier autem fiat et remaneat cor familiae, et amando, orando et tolerando operetur, moresque semper ad meliora perducat. Unum esse debent caput et cor, mens dirigens et cor diligens, fortitudo et amabilitas, corporis robur et membrorum tenera complexio, ita tamen ut fortiori se subdat quod a natura factum est infirmius.

2° *Ad ordinem oeconomicum et politicum* quod attinet, nihil impedit quominus ad multa negotia et ad multas artes fere aequaliter sicut viri admittantur et mulieres, dummodo (et hoc bene notetur) omnia earum viribus proportionentur, nec umquam obsint muneri quod prosequi debent, tanquam uxores et matres. — Moderata ergo temperataque emancipatio non a priori rejiciatur; respuatur vero quidquid familiam, qualis est a Creatore condita, destruere posset: medio tutissimus ibis. Cfr. AA. initio hujus capitis citatos.

CAPUT IV.

De mutuis obligationibus inferiorum et Superiorum.

Enc. *Rerum novarum* (ed. Herder), p. 28; AA. init. cit.; *Biederlack*, Die soz. Fr., p. 154; *Willems*, III, p. 415 seqq.; *Cathrein*, Moralphil., II, p. 436 seqq.; *Burg*, Vie sociale des nat. mod., p. 437; *Koch*, Moraltheol., § 160, 167; *Schindler*, Moraltheol., II, 714, 761 seqq.; *Förster*, Schule u. Character.

Officia quae sive inferioribus sive Superioribus sunt propria, alia oriuntur *ex justitia*, ex contractu locationis operae, et sunt positiva; alia *ex observantia* quae dignitati personali tribuenda est, et sunt potius completiva et negativa, quatenus nihil contra hanc superioritatem moliri licet. De prioribus infra tractabitur (n. 1153), de posterioribus sermo fuit quando de virtutis observantia loquebamur (cfr. n. 689).

Digitized by Google

Restat ut pauca hic adjungamus: 1° de mutuis obligationibus famulorum et herorum; — 2° de obligationibus discipulorum et magistrorum ad invicem.

Quoad officia *parochorum* et eorum qui *munus publicum* gerunt, vide n. 2250, 2265, 2282 seqq.

ARTICULUS I.

De obligationibus famulorum et herorum.

§ 1. De obligationibus famulorum.

Nomine generico famulorum ab AA. designatur triplex hominum genus, quorum alii prae aliis strictius obligantur, et sic tripliciter etiam aliquis dicitur herus. *a*) Sunt *servi*, qui in perpetuum et ad omnes operas ab hero pendent. — *b*) Sunt *domestici*, qui libere operas suas ad tempus ditiori locant, et quasi in familiam cooptantur. — *c*) Sunt *opifices* et *operarii*, qui libere ad certum tempus operas suas locant, sed inter familiares non admittuntur.

705. — Principium. **Famuli tenentur heris suis praestare reverentiam, obedientiam et fidelitatem.** Ita ex jure naturae (ex naturali famulorum conditione), et ex pacto libere inito (III, 343 seqq.; H. Ap., VII, 8-11).

1° *Reverentiam:* herus enim est *caput* familiae vel officinae. Dicit Apostolus (1. *Tim.*, 6, 1): *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Hoc, proportione habita, famulis est applicandum.

2° *Obedientiam:* herus enim *auctoritate* elucet, ita ut in iis quae ad famulatum et bonos mores spectant valeat verbum Apostoli: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, ... sicut Christo: non ad oculos servientes, ... sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo* (*Ephes.*, 6, 5, 6).

Hinc peccant, si resistunt justis expressisque herorum mandatis; si eos contumacia, indocilitate, neglectu suorum officiorum, ad iracundiam provocant; item, si in illicitis obediunt (cfr. n. 521).

3° *Fidelitatem*, et quidem ex contractu juxta leges civiles et loci consuetudines inito, unde ex *stricta justitia:* eo fine conducti sunt et accipiunt stipendium, ut fideliter serviant, strenue laborent, res heriles curent, nihil surripiant, aut ab aliis surripi sinant. Unde Apostolus: *Servos dominis suis subditos* (esse oportet), *in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes* (*Tit.*, 2, 9, 10).

Peccant igitur *famuli* (plus minusve ratione materiae), et ad damni compensationem tenentur: *a*) Si notabilem partem temporis servitio debiti otio terunt, vel ad suam aliorumve utilitatem divertunt. — *b*) Si, sine justa causa, ante

Digitized by Google

tempus conventum a dominis discedunt [1]. De cessatione a labore ex condicto (*grèves*), vide n. 1154, q. 1. — *c*) Si ob incuriam culpabilem rebus domesticis detrimentum afferunt. — *d*) Si familiae secreta produnt. — *e*) Si delicatiora victualia suffurantur. — *f*) Si absque heri consensu, saltem praesumpto, de ejus bonis eleemosynas largiuntur. — *g*) Secundum opinionem communiorem et probabiliorem, si res heriles a furto extraneorum non tuentur [2]. Dicimus *extraneorum,* quia probabilius est, famulum non teneri ex justitia impedire furta aliorum domesticorum, nisi ad id deputetur, vel nisi agatur de rebus sibi specialiter commissis. — *h*) Si stipendio legitime pacto non contenti, sub compensationis praetextu, aliquid surripiunt (III, 344 seq.; ed. G., I, p. 610). Cfr. n. 918.

706. — REGULAE PRACTICAE. 1° Curandum est, ut sua sorte famuli contenti sint. Status enim subjectionis ad consequendam aeternam salutem multum juvat. — 2° Avertendae sunt puellae, ne, ob majus stipendium, in urbes ancillandi causa commigrent; in urbibus enim magna plerumque pericula eis imminent, praesertim ubi neminem habent quem consulere possint. — 3° Stricte vetandum est famulis, ne suam operam locent heris, in quorum domibus exponerentur proximo peccandi periculo, aut gravi damno circa fidem et mores. Quod si de heris haereticis agatur, expresse apponendae sunt conditiones de servandis Ecclesiae legibus (cfr. n. 447, 450, 2°). — 4° Monendi sunt famuli, ipsis etiam a lege (cfr. Cod. germ, § 618, 626) jus conferri discedendi, si herus copiam non faciat satisfaciendi religionis praescriptis vel similium. Si ex justa causa discedunt, totum stipendium correspondens tempori famulatui exhibito exigere possunt, et tunc non tenentur supplere opera a quibus cessaverunt (H. Ap., VII, 8).

§ 2. De obligationibus herorum.

707. — PRINCIPIUM. **Heri tum ex caritate, tum ex quadam naturali aequitate (vel etiam ex justitia), erga famulos suos specialibus obligationibus tenentur.** Et quidem debent:

1° *Eos benigne tractare:* ob dignitatem nempe humanam, decenter eos alloquendo, alimenta bona et sufficientia eis praestando, eos non nimis gravando, infirmos convenienter curando, juxta illud (*Eccli.*, 23, 31): *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta.*

Hinc, peccant, si eos immoderato labore onerent, aut contumeliis afficiant, puta si eos appellent *diabolos, canes,* etc. Quae tamen denominationes ut graves injuriae communiter non habentur (III, 342).

2° *Eos instruere et corripere:* sunt enim eorum caput, et vices parentum erga eos gerunt. Unde Apostolus: *Si quis suorum et ma-*

[1] Asserta sic intellige: De se, quamvis famuli sine causa discedant, jus habent ad mercedem pro quantitate laboris peracti. Potest tamen herus, ob damnum sibi illatum, ratione compensationis, hanc mercedem diminuere, quin imo, posito damno pergravi, totaliter supprimere. Videat famulus utrum ipsi aliquid aliud recompensandum remaneat. — [2] Multi censent, obligationem famulorum res heriles a furto extraneorum tuendi, non esse *ex justitia stricta.* Excipe si quid specialiter curae talis vel talis famuli fuerit commissum.

Digitized by Google

xime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior (1. *Tim.*, 5, 8).

Hinc heri peccant (per se graviter): *a*) Si in causa sunt, cur servi non satisfaciant praecepto festorum, abstinentiae praescriptae, susceptioni sacramentorum, etc. — *b*) Si eos non corrigunt, cum blasphemant, turpia loquuntur aut scandalum praebent (cfr. n. 496). — *c*) Si inemendabiles non dimittunt, ubi alios invenire queunt idoneos. — *d*) Maxime rei sunt, si famulum aut ancillam inducunt ad malum, pravis exemplis, verbis, sollicitationibus, vel si peccandi occasionem permittunt, dum id impedire possunt (cfr. n. 515, 9°).

3° *Illis justum pretium solvere* [1]: nam fraudatio mercedis debitae recensetur inter peccata in coelum clamantia, et restitutione reparari debet.

Hinc, *contra justitiam* (graviter vel leviter, pro subjecta materia) peccant: *a*) Qui stipendium promissum (vel consuetum) non solvunt, aut diu differunt, cum certo ejus damno. — *b*) Qui famulum dimittunt ante tempus praefixum, sine justa causa et sine congrua indemnitate. In hoc casu, in poenam suae injustitiae, dominus tenetur in conscientia, ait *S. Alphonsus* (III, 342), solvere famulo saltem majorem quam dimidiam partem sui salarii; imo, secundum *Lessium* (l. 2, c. 24, n. 8) tenetur totam mercedem tribuere, saltem post sententiam. — Alii, vero, herum nonnisi ad compensationem damnorum obligant *Noldin*, (II, 295).

708. — *Nota*. Heri non tenentur (nisi forte consuetudo vel pactum aliud ferat, aut caritas ob gravem necessitatem subsidium exigat) solvere stipendium pro aliquo notabili tempore (puta, plures menses) quod famuli, ob morbum propriumve commodum, extra famulatum transigunt, nec magnas medicis aut pharmacopolis debitas praestare impensas. — Haec quidem de jure naturali; leges vero positivae saepe aliud statuunt, quod, cum famulis verum jus conferat, in conscientia est servandum [2].

ARTICULUS II.

De obligationibus discipulorum et magistrorum.

§ 1. De obligationibus discipulorum.

709. — Principium. **Discipuli, tum ex pietate erga parentes, tum ratione pacti a parentibus initi, debent magistris suis amorem, reverentiam et obedientiam in his, quae ad studia et bonos mores pertinent.** Ratio est, quia parentes, eo ipso quod filios magistris educandos commiserunt, propriam ipsis auctoritatem ad hunc finem obtinendum delegarunt. — In Religione, simile officium erga professores fundatur in pietate erga Ordinem.

Peccant igitur *discipuli*: 1° « Qui suos magistros irrident, subsannant, eis detrahunt, eosque maledictis, calumniis, molestiis afficiunt, ad iram provocant, et tunc peccant *duplici* peccato. In his tamen, advertit Sporer, plerumque pueri excusantur a mortali, propter levitatem, imprudentiam, vel passionem ». — 2° « Qui magistris serio praecipientibus in re spectante ad bonos mores, studia, disciplinam scholae, *non obtemperant*. Peccatum autem est leve

[1] De justa mercede cfr. n. 1153. — [2] Cod. gall., 1780; austr., 1172; hisp., 1583; germ., 616 seqq.

Digitized by Google

vel grave, pro ratione materiae », etsi saepius a mortali excuset eos inadvertentia. — 3° Qui tempus transigunt in otio, in lusu, aliisve ineptiis ; « qui tempore lectionum nihil vel parum attendunt, mente alio distracta et variis curis inutilibus praeoccupata. — In his et similibus, discipuli peccant *graviter*, si per hanc agendi rationem notabiliter impediatur acquisitio scientiarum necessariarum statui vel conditioni. Ad quod aestimandum duo sunt attendenda : nempe quantitas temporis inutiliter consumpti, et qualitas rerum quas tunc tradit magister » (cfr. *Jaugey*, n. 620).

Nota. Discipuli qui sunt sui juris, et ingrediuntur Instituta vel Collegia, in quibus sub auctoritate Superioris vivunt, ad statuta Instituti servanda et ad obedientiam Superiori praestandam omnino tenentur, ex *renuntiatione* suae libertati libere praestita.

§ 2. De obligationibus magistrorum.

710. — Principium. **Magistri, tum officii, tum stipendii accepti ratione, alumnos apte instruere et educare tenentur.** Ratio : sic vult contractus cum parentibus initus.

Hinc debent : 1° Tradere doctrinam sanam et ad scopum intentum idoneam. Si in libris, quibus uti cogitur, quaedam minus recta aut religioni adversa reperiantur, magister debet ambigua et suspecta opportunis explicationibus emendare (*Kenrick*, tr. 13, n. 38). Quod si libri ex professo sint fidei vel bonis moribus contrarii, minime eos introducere et eis uti licebit. — 2° Docere methodo convenienti et captui discipulorum accommodata, ita ut eorum animi non obruantur, nec fastidio afficiantur. Cfr. *S. Thom.*, opusc. de Virt., c. 2. — 3° Inserere discipulorum animis semina christianarum virtutum, bono eis esse exemplo, et in eorum mores attente invigilare. Sunt enim loco parentum, pro spirituali educatione.

711. — Peccant igitur : 1° Si discipulorum peccata dissimulent, et non corrigant. — 2° Si profectum eorum in litteris non promoveant. — 3° Si non doceant bonos mores. — 4° Si ex proposito falsa doceant ut vera, vel superstitiosa et saluti noxia. — 5° Si non studeant ipsi ut officio satisfaciant. — 6° Si stipendium exigant majus justo, vel quam gymnasii leges aut consuetudo permittant. — 7° Si doctoratus insignia negent dignis, vel indignis conferant. — 8° Si discipulis malo sint exemplo. — 9° Si malis moribus imbutos et aliis perniciosos ad scholas admittant, vel ex iis non dimittant (III, 362).

Scholium.

De pravis scholis.

Cfr. Documenta Pontificia infra cit. ; *Jansen*, de Facult. doc. ; *Zitelli*, App. Jur. eccl., p. 499 ; *Pierret*, L'esprit moderne ; *Govau*, L'école d'aujourd'hui ; *Hammerstein*, Die Schulfrage ; *Willems*, Phil. mor., III, p. 487 ; *Aertnys*, Fasc. theol. mor., I, n. 38 ; *Ami du Cl.* (cfr. Ind. gener. v. Enseignement) ; *Stimmen aus Mar.-Laach ; Questions actuelles*, ubi multa ; *Wernz*, Jus Decr., III, 66.

712. — Notiones. 1° Schola dicitur prava, si principiis catholicae religionis de educanda juventute non est conformis. — 2° Hujuscemodi scholae *a*) quandoque spiritu pravo vel secundum placita sectae heterodoxae reguntur, et sunt

Digitized by Google

impiae; — *b*) quandoque ab omni positiva religione praescindunt, et vocantur *neutrales;* — *c*) quandoque pueros ad quamlibet sectam pertinentes admittunt, et nominantur *mixtae.*

De *scholis impiis* hic sermo non erit, cum relate ad eas principia nimis pateant. — Quaestio solum agitatur de *scholis* quas vocant *neutrales,* et quae statuemus principia circa scholas neutrales, etiam applicare licebit scholis mixtis, cum regularitur in iis positiva religio non doceatur.

713. — PRINCIPIA. I. **Illa juventutis instituendae ratio, quae omnem religiosam educationem excludit, est ex se rei catholicae maxime adversa.** Ratio est, quia 1° inducit, per se, in contemptum religionis, quasi nimirum religio nihili aestimanda esset; — 2° sejungitur ab auctoritate Ecclesiae; unde fieri potest, ut magistri scholis praeficiantur, et libri adhibeantur, qui errores et vitiorum semina teneris mentibus infundant; — 3° impossibile est morum praecepta tradere absque religione, et quasdam scientias docere, v. gr. historiam, quin praeceptor de revelatione et Ecclesia obiter dicat, eisque vel patrocinetur vel adversetur; — 4° ipsimet hujus institutionis auctores *confessi sunt* unum ex ejusdem finibus esse religionis subversionem. Ita ex Instr. S. C. de Prop. F. ad Episcopos Americae Sept., 24 Nov. 1875 (*A. S. S.*, XI, p. 44). — Et Leo XIII, in Epistola Enc. *Nobilissima* ad Episcopos Galliae, die 8 Febr. 1884 directa, haec confirmavit: « Ecclesia..... semper scholas quas appellant, *mixtas* vel *neutras,* aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum ».

714. — II. **Scholarum, quas neutrales vocant, aliae sunt positive, aliae negative noxiae.** Non omnes ergo aequale periculum afferunt. — Colligitur ex cit. Instructione.

Jamvero: 1° Illae sunt *negative* noxiae, in quibus nihil fidei moribusve adversum docetur. — 2° *Positive* autem noxiae sunt illae, in quibus fidei integritas vel morum honestas, aut ambae simul, periculo proximo exponuntur [1].

Porro, causae ob quas fiunt POSITIVE noxiae, tres per se et regulariter recensentur: *a*) *libri,* qui paulatim in puerorum animis religionem aut pudorem, aut utrumque destruunt; — *b*) *magistri,* qui venenum erroris, sin minus aperte, at saltem subdole et sensim puerorum animis instillant; — *c*) *condiscipuli,* qui aut falsam aut nullam colunt religionem, et iis sunt moribus praediti, talique loquendi agendique assueti licentiae, ut adolescentium, licet domi optime institutorum, fides inde labefactetur, aut certe pudor ac pietas absumantur. Patet, praeter hos periculorum fontes, qui *quoad scholas in genere* dantur, alios adesse posse in *tali* vel *tali schola*, si nempe pueri cum puellis in eodem scamno sedere jubentur. Patet etiam, in scholis superioribus, eo quod mens magis religione imbuitur, influxum mali saepe esse minorem quam in aliis, praesertim elementaribus.

715. — III. **Scholae, neutrales dictae, nisi sufficiens adsit causa, et cautiones opportunae adhibeantur, tuta conscientia frequentari nequeunt** [2]. Id clamant ipsa lex naturalis et lex divina.

[1] Episcoporum cujusque regionis est prohibere scholas quae forte essent noxiae, tales vel tales libros tanquam positive noxios damnare. Eorum mandatis, utpote quum in praesumptione juris fundentur, stricte parendum est. Norunt omnes quanta cum severitate Episcopi Belgiorum fideles a scholis neutralibus averterunt non sine emolumento pro re catholica. — Anno 1909 (die 15 Sept.) prohibuerunt Episcopi Galliarum, communi decreto, 14 libros in scholis publicis introductos vel introducendos (cfr. *Quest. actuelles*, 1909, p. 263). — [2] In Gallia requiritur etiam *dispensatio Episcopi,* ut librorum prohibitorum usus in scholis evadat licitus.

Digitized by Google

Diximus: 1° *Sufficiens adsit causa.* Hoc patet ex eo quod timetur magnum perversionis periculum. Ex magnitudine periculi autem perpende, quaenam causa dici possit vere sufficiens: *a*) Si schola neutralis est *negative noxia,* periculum ordinarie erit *remotum,* proindeque causae graves ordinariae erunt sufficientes, v. gr. si schola vicina parum idonea reperitur pueris erudiendis convenienter conditioni suae, et desunt facultates in alia regione prolem catholice educandi. — *b*) Si schola est *positive noxia,* periculum ordinarie erit *proximum,* urgentes ergo requiruntur rationes, v. gr. si nulla alia praesto esset schola, si timerentur ex parte Gubernii vexationes continuae, etc. In utroque casu, sub *a*) et *b*) memorato, cautiones, pro gravitate periculi, plus minusve rigorosae requiruntur. — *c*) Si schola ita est *positive noxia* ut necessario, etiam adhibitis cautelis, perversio animos inficiat, nulla causa sufficiens dici potest, et tale periculum omnino vitandum est, cum quocumque damno temporali, etiam vitae (ita ex Instr. cit.).

2° *Cautiones opportunae adhibeantur.* Periculum enim hisce mediis debet fieri, in quantum potest, remotum (cfr. Instr. cit.).

716. — Cautelas adhibere pertinet ad parochum, ad parentes, ad scholares ipsos. Et quidem: *a*) *Parochus* multo diligentius catechesibus det operam, ad ea praecipue attendens, quae frequentius ab inimicis nostrae fidei impetuntur. Non solum *publice* et per domos doceat, sed moneat *unumquemque,* in resistentia erga perversores adjuvet quem sciverit in talibus angustiis positum (cfr. *Act. Ap.,* c. 20). — *b*) *Parentes* liberis suis sollicite invigilent, per se vel per alios de lectionibus auditis eos sedulo interrogent, libros iisdem traditos recognoscant, et si quid noxium ibi deprehenderint, antidota praebeant. Quodsi libri, a magistro traditi, sunt ab Episcopo damnati, prohibeant omnino ne filii talibus utantur, et ab auctoritate competente fortiter et obstinate eorum remotionem exigant. Si quae in regione exsistant societates a patribusfamilias institutae (*associations des pères de famille*) ipsis nomen dent, ut sic, interveniente persona juridica, reclamationes efficaciores evadant. — *c*) *Scholares ipsi,* quibus imponuntur libri nocivi, vel quorum magistri vel commilitones ad eos inficiendos adlaborant, sciant seipsos personaliter (independenter a parentibus) ad cautelas teneri (*Ami du Cl.,* 1912), modis tamen ipsorum aetati convenientibus. Libros nocivos, ab Episcopo prohibitos, nequeunt apud se retinere, et, casu quo ipsis tales imponuntur, resistere tenentur *interne* imo et *externe; interne,* haud approbando, voluntatem suam in bono firmantes; *externe,* non sine reclamatione libros accipiendo, nonnisi tempore necessario iis utendo, et actibus similibus, quibus horrorem mali et aversionem a periculis patefaciant.

Nota. Qui plura perutilia scire cupit, legat Decreta Concil. Baltim, III., n. 194 seqq., a Leone XIII, 31 Maii 1893 confirmata; Responsa ex Secret. Status 5 Maii 1911 relate ad libros ab Episcopis Galliae prohibitos (apud *Ami du Cl.,* 1911, p. 598); perpendat etiam solutiones permultas practicas quas reperire est in supra dicto commentario, annis 1908-1913, v. *Manuels condamnés, péché scolaire.* Cfr. etiam *Nouv. Rev. Théol.,* vol. 45, p. 47.

717. — **Consectaria.** 1° MAGISTRI, in schola publica neutrali docentes, nequeunt ex seipsis libros nocivos introducere et explanare. Quodsi tales libri ex officio imponantur, simulque praevideant resistentiam fore inutilem, debent necessario sic praelegere, ut antidotum efficax discipulis propinent, vel melius, ea sola praelegant quae innoxia essent. Cfr. *Ami du Cl.,* 1908, p. 846; 1911, p. 598; *Linz. Quart. Schr.,* 1907, p. 375, cas. diversos.

Digitized by Google

2° INSPECTORES munus suum ea mente suscipiant, ut ad malum in scholis positive noxiis pro viribus impediendum sint parati. Spes boni, quam habent, fundata esse debet, secus ad malum cooperarentur (*Konings*, n. 440).

3° JUVENES nequeunt adire scholas *normales* dictas, si sunt positive noxiae et ipsi pravis influxibus remanent expositi; si sunt negative noxiae, accessus juvenibus non prohibetur, modo efforment firmum propositum, in officio magistri obeundo, ea vitandi, a quibus catholicus magister abstinere debet. Si vero hujus propositi tenaces non futuri videantur, enixe sunt hortandi ut alio officio vel arti se dedant (*Konings*, l. c.).

Quoad *Collegia, Gymnasia, Universitates,* regulae supra traditae applicari possunt et debent, servata tamen ratione periculi. Notum est S. Sedem prohibuisse, ne *clerici* sine licentia Episcopi, *Regulares,* qui docere debent, sine licentia Superioris, adeant *Universitates Gubernii*. Legatur praecipue Enc. *Pascendi,* qua ad universam Ecclesiam extenduntur, quae anno 1896 S. C. Ep. et Reg. sanciverat. Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 40, p. 750; *A. S. S.*, vol. 29, p. 360; *Ami du Cl.*, 1907, p. 1135.

Si *Universitas est acatholica,* majores cautelas quoad periculum amovendum praescribat Episcopus oportet. Proximis solum temporibus concessit S. Sedes ut juvenes catholici adeant Universitates Oxoniensem et Cantabrigensem (S. Off., 26 Mart. 1891, S. C. de Prop. Fide, 17 April. 1895).

4° SACERDOTES, in scholis mixtis haereticorum, fidei christianae documenta tradere, vel cappellani munere fungi queunt. Mens S. Sedis est, ut non modo fidei tradendae, sed etiam aliarum disciplinarum scholis, quantum fieri potest, praeficiantur sacerdotes vel honesti laici. S. Off. ad Episc. Helvetiae, 17 Jan. 1866 (ap. *Bucceroni,* Enchir. morale, p. 79).

718. — REGULAE PRATICAE. 1° *Parentibus* qui, spretis cautelis de quibus supra, sine causa sufficienti, filios in scholas noxias mittunt, firmiter absolutio est deneganda. A fortiori sic agendum, si severa decreta, ab Episcopo promulgata, malum imminens radicitus evellere praecipiant. Melius semper erit uniformem normam ab Ordinario expetere.

2° *Pueris,* cum non sint sui juris et nonnisi paulatim de gravitate periculi conscii fieri soleant, non denegetur ab initio beneficium absolutionis. Magna cum prudentia de his edoceantur quae lex naturalis et episcopalis ab iis expostulant, et tunc solum inabsoluti dimittantur, cum adsunt sufficiens cognitio obligationis et mala dispositio voluntatis.

3° *Parochis,* ut facilius mala a pueris avertant, officium incumbit saepe parochianos de gravitate peccati circa hanc materiam commissi monere, ut ita conscientia publica, ut aiunt, ad normam recti efformetur. — Quodsi quidam e sua parochia (parentes, pueri vel magistri) apud exterum sacerdotem confiteantur, et cautelae quoad libros prohibitos, vel causae sufficientes quoad accessum ad scholam noxiam nullo modo adsint (et de hoc publice constet), *de se* poterit parochus renitentes, semel iterumque monitos, communione privare. Cum autem publica communionis negatio difficultatibus plena sit, nihil faciat inconsulto Episcopo. Cfr. *Ami du Cl.*, 1909, p. 1178; 1911, p. 198, 201, 503, 666.

Digitized by Google

TRACTATUS V.

De quinto Decalogi praecepto

Non occides.
(*Exod.*, 20, 13).

S. Thomas, 2. 2, q. 64 et 65; *S. Alphonsus*, III, 363; ed. G., I, p. 621; H. Ap., tr. VIII, n. 1-32; *Lugo*, disp. X, n. 1-55; *Lessius*, de Just., l. 2; *Billuart*, Diss. X, a. 3; *Salmant.*, tr. 25 per tot.; *Laymann*, sect. V, tr. III, P. III; Catech. Rom., de 5° Praec.; *De Baets*, Les bases de la Morale et du Droit; *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 37 (1905), p. 501; *Van Gestel*, de Just. et Lege civ.; *Vermeersch*, Quaest. de Just., n. 132-150.

719. — In quarto praecepto vidimus quomodo homo *specialiter* se habere debet ad proximum, qui sibi est *superior*. In sex ultimis Decalogi praeceptis exponemus officia, quae servanda sunt erga proximos AEQUALES. Ibi fere omnia regit *justitia stricta* seu *commutativa*. Inter haec officia illud maximum est, ut proximus non laedatur in *propria persona*, quantum ad consistentiam personae et conservationem vitae. Idcirco multum apposite hic venit praeceptum *de non occidendo*.

Hoc praeceptum est formaliter negativum, virtualiter affirmativum.

1° Quatenus est *negativum*, PROHIBET *directe* et *primario* homicidium, seu injustam hominis occisionem; *indirecte* vero et *consequenter*, omnem injustam laesionem proximi *in bonis corporis* per mutilationem, incarcerationem, verberationem, duellum, bellum, etc. — Prohibet etiam omnia illa, quae proxime disponunt ad hujusmodi laesionem, ut sunt odium, ira, vindicta et imprecationes, quae merito *homicidia cordis et oris* nuncupantur (cfr. n. 498). — Prohibet insuper *suicidium*, injustamque sui ipsius mutilationem; ac demum *ebrietatem*, qua usus rationis, ideoque propria hominis vita laeditur.

2° Quatenus vero hoc praeceptum virtualiter est affirmativum, PRAECIPIT, ut vitam propriam et alienam, omnibus modis licitis, conservemus, pacem habeamus cum omnibus, et cuncta incommoda patienter feramus (cfr. n. 476 seqq.).

Disserendum est igitur: 1° de justitia et injuria in genere; — 2° de homicidio ejusque speciebus; — 3° de duello et bello; — 4° de suicidio et ebrietate [1].

[1] Actiones, de quibus in 5° praec., non omnes sunt de iis, quae deformitatem semper et ubique inseparabiliter adnexam habent (ut est, v. gr., adulterium). Plures actiones, hic perpensae, absolute quidem deformitatem quamdam important, sed, accedentibus aliquibus circumstantiis, bonae effici possunt (*S. Thom.*, Quodl. IX, art. 15). Cfr. dicta n. 295.

Digitized by Google

CAPUT I.

De justitia et injuria.

Hic agitur de sola *justitia commutativa,* cui proprie opponuntur *injuria* et *justitia.* Quoad alia, vide n. 398.

ARTICULUS I.

De justitia commutativa.

Cum justitia unice circa jus versetur, praemittenda est necessario notio juris; deinde notio justitiae strictae.

1. *Notio juris.*

720. — DEFINITIO. Jus accipitur tripliciter: 1° Pro *lege,* quae est regula justi in genere: quo sensu dicimus jus naturale, jus divinum positivum, jus canonicum, etç. Sic est fundamentum juris in secundo sensu. — 2° Pro *legitima facultate,* quae alicui competit ad aliquid libere agendum, vel habendum in suum commodum. Est *jus activum,* quo sensu dicimur habere jus ad aliquid. Hoc est fundamentum juris in tertio sensu. — 3° Pro *eo quod justum est,* seu alteri debitum, quod ergo relationem moralem cum alia re vel persona habet. Est jus *passivum,* quod est justitiae objectum (*Willems,* Phil. mor., III, p. 207).

Ex his colliges: 1° Jus in uno supponit obligationem in altero, et vice versa. Quare, in societate, omnia jura ab invicem dependent, ad constituendum ordinem, nec unquam sibi realiter adversantur. *Jus contra jus non datur.*

2° *Ratio ultima omnis juris* radicatur in obligatione consequendi FINEM ULTIMUM. Etenim, hoc ipso quod aliquis finis prosequendus et obtinendus est, homo habet jus ad illa media, sine quibus hic finis obtineri non potest. Omnes autem fines sub ultimo fine, tanquam media ad ipsum, continentur.

3° Haec obligatio consequendi finem cum sit *personalis,* involvit necessario facultatem utendi terrenis, independenter ab alio. Quidquid enim ab homine tangitur, apprehenditur vel immutatur, recipit quasi signaculum suae personae: ex hoc distinctio inter *meum* et *tuum.* Justitiae semper erit, praesupposita tendentia in finem, ea servare quibus *meum* et *tuum* ab invicem distinguuntur; caritatis autem (quae in altero seipsum considerat) potius est conjungere et adunare.

DIVISIO. Distinguere possumus:

1° Jus CIRCA PERSONAS, i. e. jus quod uni personae competit in alteram; et definitur: *Legitima potestas gubernandi subditos in* ILLORUM *commodum.*

Hujusmodi est: *a*) jus dominativum *auctoritatis privatae,* v. gr. patris in filios, mariti in uxorem; — *b*) jus jurisdictionis *potestatis publicae,* quae praesertim ad bonum commune ordinatur. De his jam sermo fuit.

Digitized by Google

2° Jus CIRCA BONA, quod definitur: *Facultas legitima aliquid habendi vel agendi in* PROPRIUM *commodum.* Est imperfectum vel perfectum.

Jus IMPERFECTUM (non strictum, jus improprie tale) est illud, quod non est determinatum, sive in se, sive quoad personas, neque via coactionis exigi potest. Tale est, v. gr., jus singulorum in eleemosynas a testatore pauperibus in genere relictas; jus quod digni habent ad obtinenda munera seu officia communitatis, etc. (*Carrière,* de Just., n. 10).

Jus PERFECTUM (strictum, cogibile, jus proprie tale) est illud, quod determinatum est, tum in se, tum quoad personas, et via coactionis exigi potest [1]. Tale est jus vitam vel famam suam tuendi, rem suam recuperandi, etc. Subdividitur in jus *ad rem* et jus *in re,* ut infra explicabitur (cfr. n. 839). — Jus perfectum est objectum *justitiae strictae.*

Alias distinctiones vide apud *Lessium,* l. c., c. 2.

2. *Notio justitiae strictae.*

721. — Justitia STRICTA, seu COMMUTATIVA, est virtus moralis, constanter inclinans voluntatem ad tribuendum unicuique jus suum strictum, secundum aequalitatem rei ad rem.

Dicitur 1° *Ad tribuendum* unicuique; i. e. sive *positive,* quando inter duas personas intercessit aliquis contractus vel quasi contractus, vel aliqua actio, qua jus alterutrius fuit saltem materialiter violatum; sive *negative,* nemini nocendo: sicut enim qui reddit alteri debitum, ita qui illud non aufert, censetur ei jus suum tribuere.

2° *Unicuique* (privato vel personae morali) *jus suum strictum,* i. e. jus objective et passive sumptum, et quidem rigorosum, in sensu qui infra declarabitur (n. 723, 724).

3° *Secundum aequalitatem rei ad rem,* i. e. per commensurationem rei, quae reddi debet, cum jure alterius (cfr. n. 383).

Differt haec virtus: *a*) ab *amore naturali* proximi. Amor enim vult bonum alterius qua bonum amati, et ex complacentia in ipso; justitia autem vult illud qua debitum et ex simplici rectitudine voluntatis; — *b*) a *caritate* erga proximum: tum quia objectum materiale caritatis est persona proximi, justitiae autem, jus quod proximo convenit; tum praesertim quia objectum formale caritatis est ipse Deus, justitiae vero, honestas illa specialis, quae relucet in reddendo unicuique jus suum, ad aequalitatem. Cfr. n. 478; — *c*) a *justitia legali* et *distributiva,* quae jus strictum non respiciunt, ut patet ex dictis n. 400.

[1] Nota: *via coactionis exigi potest,* et quidem totum exigi potest, non solum quod remanet praestandum, sed quod in praeterito retentum est: in hoc enim consistit ratio *strictae justitiae.* — Debita autem *pietatis,* v. gr. erga filios, talis sunt naturae, ut solum obligent ad rem in futuro melius ordinandam; quoad praeteritum vero nullam restitutionem imponant. Vide *Lugonem,* disp. 1, n. 5-6.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De injuria et injustitia.

722. — DEFINITIO. Injuria est violatio juris alieni. — Stricte sumpta (ut in hoc articulo), est violatio juris alieni perfecti. Continet autem injuria offensionem et damnum. Offensio reparatur satisfactione, damnum restitutione.

INJUSTITIA se habet ad injuriam, sicut habitus ad actum, et est inclinatio ad non tribuendum cuique jus suum.

DIVISIO. Injuria est: 1° Ratione actus ipsius, mere *interna*, vel *externa*. Mere *interna* (intentionalis) est, si cogitatione vel proposito jus proximi laeditur (v. gr. si quis judicat temerarie de proximo), vel actui qui potest esse bonus (v. gr. librum ex joco auferre) superaddit intentionem malam, animum furandi. *Externa* est, si actione nociva externa jus strictum proximi violatur, v. gr. incendendo domum, et similia. Vide n. 726 et 727.

2° Ratione modi agendi, *positiva* vel *negativa*, prout aliquis eam infert sive *commissione*, agendo contra jus alienum, sive *omissione*, omittendo facere quod alteri stricto jure debetur.

3° Ratione imputabilitatis, *materialis* vel *formalis*. Injuria MATERIALIS est laesio juris alieni involuntaria. Injuria FORMALIS est injusta actio vel omissio, cum animo nocendi directe vel indirecte: *directe*, si nocumentum intendatur; *indirecte*, si praevideatur cum ponitur causa, et permittatur.

723. — PRINCIPIA. I. **Ad rationem injuriae, sive materialis sive formalis, requiritur ut sit involuntaria ex parte patientis,** i. e. *contra rectam ejus voluntatem*. Consonat Regula 27ª juris in Sexto: « Scienti et consentienti non fit injuria ». Ratio est, quia qui potest et vult jure suo cedere, non retinet illud, ac proinde nulla ei infertur injuria. Praeterea, nemo a seipso injuriam recipit; ergo si quis annuit ut alter sibi noceat, perinde est ac si ipse sibi nocumentum inferret (*S. Thomas*, 2. 2, q. 59, a. 3).

Hinc: 1° Illi fit injuria, qui suo damno non libere, sed ex vi, dolo, metuve injuste incusso consentit; sicut et illi, qui suo juri valide renuntiare non potest, eo quod aliqua lex vel jus alterius obstant; hoc enim in casu, jus saltem superius revera violatur.

2° Non obstante patientis consensu, fit injuria: viatori, qui metu mortis porrigit latroni pecuniam; emptori solventi pro merce ultra summum pretium; operario qui in necessitate accipit salarium minus; danti pecuniam ei qui dolose asserit se esse ejus cognatum, etc.; nullus enim horum censetur libere donare. Vide tamen n. 1051.

Digitized by Google

3° Item, fit injuria clerico qui percutitur, etsi consentiat; pupillo qui consentit ut jure suo privetur; marito mulieris moechantis, etsi ejus adulteria approbet; martyribus, etsi internecionem libenter perferant; imo, et ipsis hominibus, qui occidi petunt, ut petiit infelix Saul; quia jus in his omnibus est inalienabile, nec unquam, sine aliorum injuria, cedi potest.

724. — II. Ad rationem injuriae formalis requiritur praeterea ut sit voluntaria ex parte agentis. Ratio enim primaria injuriae formalis est *animus nocendi,* cum injuria sine tali animo sit solummodo materialis (*Lugo,* disp. 8, n. 58; *S. Alph.,* III, n. 551, 556).

Hinc, injuria formalis non patet latius quam animus nocendi. Hic iterum non patet latius quam cognitio damni, quia voluntas eligere nequit quod penitus et invincibiliter ignoratur.

Injuria itaque *formalis* non est aestimanda ex damno subsecuto, sed *ex cognitione damni,* saltem in confuso praevisi, et sic fieri potest ut ipsa exsistat minor damno: v. gr. qui destruit gemmam pretio decem aureorum, quam putat non valere nisi quinque, injuriam quinque tantum aureorum infert, et ceteri quinque ad injuriam dumtaxat *materialem* referendi sunt (cfr. n. 950).

725. — III. Injuria est peccatum grave, ex genere suo. Etenim adversatur graviter rectae rationi et legi divinae.

Diximus: *ex genere suo,* unde materiae parvitas hac in re admittitur. — Porro, gravis censetur ea materia, quae ex natura sua, vel *ex communi hominum aestimatione,* apta est ad causandum alteri tristitiam difficile sedandam, vel damnum magnum, seu ad caritatem mutuam dissolvendam (*Reuter,* de Just., P. III, n. 294).

726. — IV. Injuria formalis, effectu secuto, inducit obligationem restitutionis. Justitia commutativa respicit aequalitatem rei ad rem. Unde exigere debet jurium laesionis, si qua facta est, reparationem, et quidem per restitutionem; quia secus aequalitas non habetur. Aliis verbis: quamdiu manet inaequalitas, tamdiu manet aequalitatem reducendi obligatio. Hinc, qui non restituit, cum potest, peccat servando inaequalitatem, sicut peccavit eam inducendo (cfr. n. 924).

Dicitur: *effectu secuto;* actus enim injuriosi meri interni non obligant ad externam reparationem.

727. — Uberior quorumdam explanatio. I. SENSUS AXIOMATUM: *Scienti et consentienti non fit injuria; irrationabiliter invito non fit injuria.*

Nota. Axioma *Qui tacet, consentire videtur* supra (n. 272) explanatum est.

a) *Sensus primi* est: Illi qui non decipitur, modo libere (vis, amentia excluduntur), positive, valide, perseveranter actionem nocivam concedat (quasi ex jure proprio quid remittens), non fit injuria, i. e. non committitur contra eum actio nociva *rationem formalem juris violati* continens. Ex hoc non sequitur actionem fieri licitam, et alterum jura quaedam acquirere; sequitur tantum, actionem carere injustitiae formalis reatu. Ita *S. Thomas, Lessius* et alii. Cfr. *Vermeersch,* de Just., n. 142-155.

Digitized by Google

b) *Sensus secundi* est: Nulla injustitia formalis adest, si proximus, ex *justitia stricta,* jure suo cedere tenetur, et non vult. Datur vero injustitia formalis, si proximus ex solis motivis *caritatis, gratitudinis* et similium cedere tenetur, et hoc facere recusat. — In dubio, consensus praesumitur, cum quis semper supponatur secundum rectam rationem agere velle.

Ita quidem AA. communiter. Nihilominus, ut dicit *Vermeersch,* l. c., ipsi etiam communiter admittunt exceptiones quasdam, v. gr. casu quo quis restitutionem differat, ob timorem periculi pro se vel suis (vide infra, n. 1018). Sunt ergo circumstantiae, in quibus *ex caritate tantum,* vel *ex epikeia,* dominus deberet esse volens et consentiens; et tamen nulla adest injuria si renuenti non obtemperatur (cfr. n. 987).

II. De actione cum intentione nociva. Non una est mens AA. circa quaestionem: *Utrum intentio, actui externo superaddita, efficiat ut hic actus fiat injustus.*

Quae communiter admittuntur, hic indicabimus.

a) Si actio non laedit de se indubitatum *jus alterius,* ipsa non fit *injusta* ex intentione nocendi. Si intentio ex odio concipiatur, vel ex vindicta, ira, etc., addit quidem peccatum, non vero injuriam formalem. Hinc, non agunt injuste: dominus libidinosus qui dimittit ancillam pudicam (supponimus conditiones pacti servatas esse), judex ex odio homicidam condemnans, concivis qui ex odio alteri succurrere recusat (excipe si ex officio ad id teneretur). Cfr. *Lugo,* disp. 19, n. 110. Vide dicenda n. 949.

b) Si actio est indifferens, potest per intentionem injusta fieri, quatenus nempe praecise intentio speciem et naturam injuriae actioni tribuit. Sic rem a manibus furis accipere, cum intentione restituendi, est quid bonum; cum intentione vero retinendi, est quid injustum.

c) Si actio vim vel fraudem in se includit, potest efficere intentio specialis contra aliquem directa, ut etiam respectu hujus fiat injusta. Sic qui hominem occidit, praecise ut creditores a consecutione justi boni priventur, injuste agit etiam erga creditores. Ita *S. Alphonsus,* III, n. 633, 634; ed. G., II, p. 111) cum *Lugo, Salmant.*

Quoad ultimum, adest dissensus AA. (vide apud *Lehmkuhl,* I, n. 1180, nota). Innituntur ratione, quod intentio nequit reddere injustum, quod ex natura sua non laedit jus strictum.

Divisio generalis. Tot sunt injuriarum species, quot sunt bona aut jura, in quibus laedi potest proximus. Quatuor autem numerantur hominis bona: 1° bona *vitae propriae,* corporis scilicet et animae, de quibus nunc; — 2° bona *pudicitiae* et *vitae speciei,* de quibus in 6° praecepto; — 3° bona *fortunae,* de quibus in 7° praecepto; — 4° bona denique *famae et honoris,* de quibus in 8° praecepto sermo est instituendus (cfr. n. 324, 528).

Digitized by Google

CAPUT II.

De homicidio ejusque speciebus.

S. Alphonsus, l. c.; *Cathrein*, Moralphil., II, p. 634; *Tanquerey*, II, n. 316, ubi multa utilia; *Wilems*, III, p. 462; opera *Ces. Lombroso* et discipulorum; *Krauss*, Kampf gegen die Verbrecherursachen; *Berardi*, Theol. mor., II, n. 639; *Beccaria*, Dei delitti e delle pene.

728. — DEFINITIO. Homicidium est violenta hominis occisio facta ab homine.

DIVISIO. Homicidium, ratione imputabilitatis, aliud est casuale, aliud voluntarium; — ratione qualitatis, dicitur qualificatum vel simplex.

1° Homicidium *casuale* fit praeter occidentis intentionem. — *Voluntarium* committitur ex ipsa occidentis intentione: sive *directe,* cum quis, data opera, alium necat, v. gr. pugione, igne, suffocatione, veneno, etc.; sive *indirecte,* cum quis ea ponit, ex quibus alterius mortem secuturam esse praevidet. — 2° Homicidium *qualificatum* est cui speciales circumstantiae accedunt: cujusmodi est homicidium *proditorium,* quod sub specie amicitiae; *insidiosum,* quod ex insidiis; *assassinium,* quod ab aliis mercede conductis; *latrocinium,* quod spolii causa, patratur. — Inter qualificata homicidia primum locum tenent caedes *parentis, prolis, conjugis, fratris, principis* et *personae sacrae:* istiusmodi enim scelera specialem malitiam in se involvunt. — Ceterae autem occisiones inter simplicia homicidia reputantur (cfr. *Salmant.*, tr. 25, c. 1).

Nota. a) Quae de occisione, sive licita sive illicita, statuentur principia, haec eadem valent, proportione servata, de *mutilatione,* de *verberatione* et de qualibet *corporis laesione:* agitur enim semper de personae propriae consistentia servanda.

b) Vexatio, verberatio, occisio *animalium* non prohibentur a quinto praecepto. Animalia enim non habent jura, quippe quae non possident personalitatem. Attamen, vexatio animalium (praesertim is vexandi modus, quem VIVISECTIONEM nominant) non semper caret omni culpa. Qui enim, *sine causa,* animalia vexat, agit contra rectam rationem, quae moderationem praecipit, et prohibet ne illa, quae ad nostram utilitatam creata sunt, unice nostris jocis inserviant. — Praeterea, homo, hisce indulgens, semper magis inclinatur ad feritatem et crudelitatem. Cfr. *Lessium,* de Just., l. 4, c. 4, n. 43; *Stimmen aus Mar.-Laach,* 1881, et 1908; *Schindler,* II, p. 790; *Linz. Quart. Schr.,* 1911, p. 130.

Quibus praemissis, agemus: 1° de occisione malefactoris; — 2° aggressoris; — 3° innocentis. — De abbreviatione vitae moribundorum loquemur n. 761.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De occisione malefactoris.

Malefactor dicitur ille qui crimen societati valde noxium committit. — Non licere principibus malefactores morte mulctare, affirmant, praeter *Waldenses, Anabaptistae* et pseudo-politici non pauci, qui sub philanthropiae praetextu clamitant, mortis poenam nequaquam esse bono societatis necessariam, imo maxime iniquam adeoque abrogandam. — Materialistae, duce Lombroso, malefactores tanquam aegrotantes considerant, quibus remedia et misericordia debentur.

729. — PRINCIPIA. I. **Malefactores occidere vel mutilare licet.** Probatur: 1° Ex jure divino (*Exod.*, 22, 18): *Maleficos non patieris vivere* (cfr. *Rom.*, 13, 4). — 2° Ex jure naturae: nam omnis pars, quae toti noxia est, licite abscinditur. Si ergo homo, qui est pars communitatis, ipsi noxius vel periculosus deprehenditur, salubriter poterit occidi, ut conservetur totum. — Adde, facinorosos nulla re efficacius a criminibus averti, quam metu mortis (*S. Thomas*, 2. 2, q. 64, a. 2).

730. — II. **Soli auctoritati publicae competit potestas occidendi malefactores.** Non licet enim occidere malefactorem, nisi in quantum occisio ordinatur ad salutem *totius communitatis*. Cura autem communitatis non pertinet ad privatum. — Nota, nomine *publicae auctoritatis* illam dumtaxat intelligi, quae societati praeest perfectae, qualis est regis in regno; nam supremum jus nonnisi supremae auctoritati convenit.

Hinc: 1° Non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos, correctionis causa, vulnerare aut mutilare. Eruitur ex 19ª propositione, ab Alexandro VII damnata: « Non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam ». A fortiori, non licet populo, a semetipso, in malefactores vindictam exercere *(lyncher, Lynchjustiz)*.

2° Permittitur vero quandoque privatis occidere illos reipublicae hostes, quos *proscriptos* aut *banditos* vocant: isti enim occiduntur non auctoritate privata, sed publica, i. e. auctoritate principis, qui illam concedere potest, gravissima de causa, ac in suo tantum territorio.

3° Satellitibus non licet sontem occidere *profugum* aut *obstantem*, licet sit jam mortis damnatus, nisi de hoc habeant speciale mandatum (III, 376, 380; H. Ap., VIII, 9).

4° Pro militibus in statione positis, pro custodibus finium, relate *ad mercium defraudatores*, valeant normae sequentes: *a*) monere debent eos, qui ultra progrediuntur vel fugiunt, de periculo quod ipsis imminet, et de poena quam statuit auctoritas publica, de explosione nempe sclopeti; — *b*) quantum fieri potest (si monitio in vanum datur), solum *vulnerent* renitentes.

731. — III. **Auctoritas publica, regulariter, non potest occidere malefactores, nisi servato juris ordine.** Ratio, tum quia agitur de re gravissima principi a Deo commissa ob solam necessitatem; tum

Digitized by Google

quia exigit natura actus, ut fiat ex publica potestate et publica scientia; tum, denique, quia abusui potestatis occasio praecludi debet. Vide n. 2295, ubi de juris ordine.

Diximus *regulariter;* datur enim quandoque exceptio, si crimen sit notorium, vel adesset seditionis periculum, aut dedecus principis, si juridice procederetur (III, 377; IV, 193).

732. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An liceat occidere tyrannum?*

Resp. Neg., sive agatur de tyranno *regiminis,* i. e. de legitimo principe qui gubernat tyrannice, sive de tyranno *usurpationis,* i. e. de principe illegitimo, qui jam in pacificam regni possessionem devenit, sive tandem de tyranno *invasore,* qui nondum in talem possessionem devenit; nisi, in hoc ultimo casu, ex auctoritate legitimi principis, aut ex justa defensione ad propriam vitam tuendam, aut in actu belli reipublicae adversus ipsum (cfr. n. 150, q. 2°). Lege *D. Thomam,* 2. 2, q. 64, a. 7; de Regim. princ., l. 1, c. 6.

QUAER. 2° *An liceat aliquando proximum verberare?*

Resp. Verberatio est punitio; haec autem supponit potestatem coercitivam. Casu ergo legitimae defensionis excepto, nemini licet aliquem potestati suae non subjectum verberare, nisi accedat consensus saltem tacitus illius, qui potestatem habet.

Verberare ergo possunt: pater filios, magister discipulos. Verberare autem non possunt: maritus uxorem (secus, si in casu speciali *caritas* id exigat), quippe quae est socia, non mancipium; nec frater natu major fratres minores, nisi id sit a patre mandatum; aut nisi, mortuo vel absente patre, ipse familiam regat; quia sola primogenitura non confert talem potestatem (*Reuter,* P. 3, n. 369).

ARTICULUS II.

De occisione aggressoris.

733. — *Praenotanda.* Aggressor potest esse *justus* vel *injustus.* — De justo aggressore non agitur; eum quippe occidere, mutilare aut percutere non licet, quia repugnat dari jura juribus opposita. Unde, juste ad poenam damnatus non potest contra justitiae ministros, ut lictores, testes, judices, carnifices, se defendere, eos percutiendo, mutilando, etc. (cfr. n. 2311; vide Cod. germ., 226-231). — Aggressor injustus dicitur ille, qui, repugnante jure, actualiter invadit *vitam, fortunam, pudicitiam, honorem.*

734. — PRINCIPIA. I. **Ad tuenda propriam vitam, aut corporis membra, licet occidere injustum aggressorem, servato tamen moderamine inculpatae tutelae** [1]. Quod talis sui tuitio lege tum

[1] Hoc etiam fieri potest per alios, ut infra dicetur n. 737. Quoad hanc materiam, praeter AA. jam notatos, cfr. *Cathrein,* Moralphil.; *Costa-Rosetti, Willems.*

Digitized by Google

humana tum divina licita sit, omnes doctores cum *S. Thoma* et Catechismo Romano affirmant, et idem expresse declaratur in c. *Si vero 3, de sent. excom.*, ubi dicitur: « Vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt » (III, 380; H. Ap., VIII, 11).

Imo, si quis de sibi parata aggressione *moraliter certus* esset, neque aliter structas insidias mortisque pericula declinare posset, huic liceret praevenire aggressorem, ne propria postea defensio impossibilis aut inefficax reddatur. Admonet tamen *S. Alphonsus* (III, n. 387) hanc sententiam, quamvis probabiliorem, vix posse, *propter hallucinationis periculum*, in praxi teneri [1].

Diximus: 1° *Licet occidere;* sed ad hoc nemo tenetur; quia est medium extraordinarium conservandi propriam vitam.

Imo, actus perfectionis est sui occisionem permittere, ne aggressor temporali simul ac aeterna vita privetur; modo: *a*) vita invasi non sit necessaria aut valde utilis bono communi, vel familiae; — *b*) invasus non sit in statu peccati mortali: quia tunc omnino tenetur se defendere (III, 380; H. Ap., VIII, 12, ubi plura). Vide dicta 482, 483.

2° *Injustum aggressorem,* etiamsi sit amens vel ebrius. Ebrietas enim et amentia eximunt quidem, de se, aggressorem a peccato, sed non privant invasum jure vitam suam tuendi. — In praxi facilior evadit defensio, si aggressor est amens, vel ebrius.

3° *Servato moderamine,* etc.; i. e. ea sit in defensione moderatio, ut nihil fiat, praeter id quod absolute necessarium est ad arcendam injuriam. Unde, si invasus haberet aliam viam se expediendi ab invasore, v. gr. fugiendo, eum terrendo clamoribus, exarmando, vulnerando, non versaretur in extrema necessitate, quae sola justam praebet causam occidendi.

Illis autem hoc imponi nequit (quod fugiant, etc.), qui propter omissionem positivae defensionis, etiam cum lethali exitu, notam ignaviae, timiditatis reciperent. Hoc tamen non currit pro clericis, religiosis et plebeis, quibus fuga non est ignominiosa. — Ceterum, occisio, mutilatio aggressoris nunquam fieri debet ex odio, etc. Si tamen ex odio fieret, non adesset peccatum injustitiae. — Notandum denique, nullum esse moderamen in tutela, si quis aggressorem, *qui fugit,* aggreditur, persequitur et occidit.

735. — II. Ad bona temporalia magni valoris tuenda, licet occidere injustum aggressorem, modo aliter defendi nequeant. Ita communiter [2]. — Probatur ex *Exodo* (22, 2): *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et acceplo vulnere mortuus fuerit:*

[1] Ceterum, contra hanc sententiam, quam S. Doctor merito vocat periculosam (nisi agatur de iis qui ex officio publicam pacem tueri debent, et omni cum securitate mandata exsequi debent), a multis affertur propositio ab Alexandro VII damnata: « Licet interficere falsos testes, falsum accusatorem ac judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia vice non potest innocens damnum evitare ». Prop. 18ª. — [2] Haec propositio aliquos adversarios habet. Cfr. *Tanquerey*, II, p. 144. Vide *S. Alph.*, III, n. 383; ed. G., I, p. 635.

Digitized by Google

percussor non est reus sanguinis. Ratio potior est, quia praeceptum caritatis non obligat ad praeferenda bona proximi altioris ordinis, nisi quando proximus est in extrema necessitate. Atqui non est in extrema necessitate quando ipse se exponit sponte periculo mortis (III, 382). — Praeterea, occisio talis aggressoris non est contra justitiam, quae ex se juribus actualis possessoris potius favet, necessariumque esse ostendit quod talis repressio fiat, ut serventur bona quae ad vitam necessaria sunt.

Diximus: 1° *Bona magni valoris,* quorum nempe jactura notabile damnum afferret, quod ex circumstantiis dijudicari debet, inspectis tum personae opulentia vel indigentia, tum ipsarum rerum necessitate vel superfluitate.

Certum est enim non licere occidere aggressorem, si agatur de bonis parvi momenti; vel de bonis, quae nondum actu possidemus. Hinc damnata est ab Innocentio XI haec propositio 31ª: « Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei ». Et 32ª: « Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus » (III, 383, q. 2; H. Ap., VIII, 15).

2° *Modo aliter defendi nequeant:* secus enim dicendum, si, per leges et politiam Status, publicae securitati et reparationi injuriarum satis prospiciatur (*Marres,* de Just., l. 2, n. 240).

Ex his deducitur: a) Licet cuique bona sua defendere armis, etiam per famulos. — *b*) Si fur rem tuam magni valoris ablatam jam in tuto reposuerit, nec aliam viam habes eam recuperandi, potes probabilius, *si tibi rem repetenti fur obsistat,* eum percutere, et si necesse sit, interficere; quia est adhuc invasor rei et verus aggressor. — *c*) Cum jus defensionis sit naturale, competit etiam clericis et religiosis, qui tunc non incurrunt irregularitatem. Talis tamen defensio eis consulenda non est, si agatur de solis bonis fortunae (III, n. 383-385). — *d*) De se non esset illicitum disponere machinas quasdam ad domum tuendam contra malefactores. Quod enim potest dominus per seipsum, in actu aggressionis, hoc potest per alios vel per alia. — Ordinarie tamen haec non erunt licita, quia plerumque deerit moderamen in defensione. Si tamen necessaria evaderent, cives moneantur non deesse periculum. *Ami du Cl.,* 1905, p. 1146; cfr. *Lehmhuhl,* Cas. consc., n. 670.

736. — III. Ad pudicitiam tuendam, licet occidere injustum invasorem, si vis non potest aliter repelli. Ita communiter contra paucos. Ratio est, tum quia plerumque adest periculum consentiendi actui peccati, tum quia pudicitia est bonum maximi aestimandum, et divitiis omnibus, imo et vitae anteponendum (III, 386; H. Ap., VIII, 16).

Hinc: 1° Potest vir occidere eum qui cum sua uxore adulterare vult, si infamiam aliter evitare nequeat (1. El. qq. ref., n. 22; III, 391).

2° Licebit puellae, non solum dum actu violenter tangitur, sed immediate post, invasorem percutere alapis, pugnis, fuste et etiam ictibus non periculosis. Ratio est, quia nisi tali modo suam displicentiam ostendat, non facile ille discedet. Hinc, id mulieri est consulendum, ut alter saltem resipiscat, et alia vice eam non sollicitet (III, 386).

Digitized by Google

737. — IV. Ad famae vel honoris bona tuenda, non licet, saltem practice loquendo, injustum occidere aggressorem. Constat ex propositione 30ª ab Innocentio XI damnata: « Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec calumnia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat ». Invasus enim potest semper alia via, v. gr. fuga, actione coram tribunali, proprio honori consulere. Insuper, hoc admisso, innumeris caedibus via pateret (III, 381; 2. El. qq. ref., n. 9).

Quamvis autem non liceat honoris invasorem occidere, nullo jure tamen prohibetur, quominus invasus illico verbis vel factis in eos impetum faciat, qui verbis vel factis ejus honori detraxerunt. Adsunt sane consilia et exemplo Domini, qui aliam viam indicant; sed hic quaestio solum est de licito vel illicito (*Noldin*, II, n. 334).

Notetur: 1° Quod unicuique licet, ad defensionem propriae vitae, pudicitiae, fortunae, id quoque generatim LICET ad defensionem similium bonorum, contra *injustum invasorem proximi*, ut colligitur ex praecepto diligendi proximum sicut seipsum. Excipe, quoad pudicitiam, casum quo ipsa persona invasa consentiat: nisi defensori sit *valde propinqua*, et ille *infamiam suam* aliter evitare nequeat. — Si vero de vita agatur, licet proximum defendere, etiamsi hic legitimae defensionis juri cesserit; quia jus ad defensionem diversum est a jure ad vitam: proximus enim non potest jus ad vitam abdicare, cum non sit vitae suae dominus.

2° Nemo TENETUR ad talem defensionem proximi, nisi eam debeat *ex officio*, ut milites conducti ad securitatem civium; aut *ex pietate* erga cognatos magis propinquos, scilicet parentes, filios, fratres, sorores. Ratio est, quia *ex solo praecepto caritatis* non tenemur manus nostras sanguine humano foedare, nec gravia subire incommoda, quae ex homicidio aliunde licito oriri solent. — Excipe tamen « si occidendus ab invasore sit ebrius et in statu peccati mortalis, quia is est vere in extrema necessitate animae » (III, n. 389-391; H. Ap., VIII, 17).

3° *Leges civiles* bona supra enumerata non aequali modo tuentur. Quisque codices consulat. Tribunalia tamen ordinarie eos non damnant qui aggressorem bonorum maximi momenti interficiunt. Cfr. *Tanquerey*, II, p. 144; *Noldin*, II, n. 334; *Olshausen*, Strafgesetzbuch, § 53.

ARTICULUS III.

De occisione innocentis.

Dicendum: 1° de occisione innocentis in genere; — 2° de procuratione abortus.

§ 1. De occisione innocentis in genere.

Occisio innocentis, ratione imputabilitatis, est vel *voluntaria* directe seu indirecte, vel *involuntaria* seu casualis.

Occisio *indirecta* supponit actionem in se licitam, ex qua praeter intentionem, per accidens, sequitur mors. Occisio *casualis* supponit actionem esse in

Digitized by Google

se *raro* periculosam, et adhibitam fuisse diligentiam proportionatam. — Si actio est *frequenter* periculosa et occisio ex ea sequatur, non jam dici potest quod adsit occisio casualis, quamvis aliqua diligentia servata sit.

738. — PRINCIPIA. I. **Directa occisio innocentis numquam licet, nisi ex speciali permissione Dei.** Cum enim solius Dei sit dominium vitae, talis occisio est intrinsece mala, et prohibetur divina lege (*Exod.*, 23, 7): *Insontem et justum non occides.* Cfr. III, 393.

Hinc: 1° Non licet occidere obsides lethaliter vulneratos, nec alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur ; nec rabidos, ne aliis noceant, quando aliter a nocendo cohiberi possunt.

2° Non licet occidere innocentem, ad satisfaciendum tyranno mortem ejus postulanti sub poena urbis subvertendae, et hoc, etiamsi morti suae innocens consentiret; quia dominium in propriam vitam non habet. — Probabilius tamen potest cogi, ut seipsum tyranno, pro bono publico, tradat ; et, si nolit, etiam tradi ut reus, cum ex caritate et justitia legali teneatur vitam exponere pro republica (cfr. n. 483). — H. Ap., VIII, 21.

3° Peccant graviter medici, obstetrices, custodes infantium et infirmorum, si ex gravi negligentia eorum mortem aut non impediant, aut causent vel *accelerent*[1]. Item, si ex ignorantia graviter culpabili aegrotis noxia praebeant.

4° Non licet navigantibus mari jactatis et scapha e naufragio evadentibus, ad levandam scapham, quam mergendam alias timent, in mare projicere alios quam qui ultimi in scapham descendentes causa sunt cur mergenda sit (*Konings*, n. 473, 6°).

739. — II. **Occisio indirecta innocentis est licita, positis ponendis voluntarii indirecti.** Licitum est ponere causam duos immediate habituram effectus, unum bonum et alterum malum, intendendo dumtaxat bonum et permittendo malum, modo adsit ratio sufficiens malo effectui secuturo proportionata (cfr. n. 315). — Vide III, 398, 1°.

Hinc: 1° Si quis equo sedens sicarios declinare nequit, nisi fugiat per angustam viam, ubi puer conterendus reperitur, potest transire, modo puer sit baptizatus. — 2° Licet in bello tormenta bellica versus obsessam urbem dirigere, etsi innocentes perituri praevideantur. Cfr. casum in periodico *Linz. Quart. Schr.*, 1898, p. 94. — 3° Baptizare licet cum aqua gelida puerum mox periturum, licet exinde ejus mors acceleretur (VI, 106).

740. — III. **Occisio casualis innocentis non est peccatum.** Ratio, quia tale homicidium est involuntarium.

Hinc: 1° Excusatur ab homicidio et non fit irregularis clericus, qui casu necaret hominem, dans operam venationi ferarum alias ei prohibitae, si diligentiam debitam adhibuerit. — 2° Homicidii autem rei sunt, qui calce percutiunt mulierem praegnantem, vel terrefaciunt, ex quo abortus evenit; parentes suffocantes infantem in lecto; hominem mactantes, jaciendo lapides

[1] Neminem latet magnam quantitatem narcotici ideo aliquando injici, ut vita infirmi abbrevietur. Cfr. *Linz. Quart. Schr.*, 1907, Pastoralfr. v. Rett. Vide quae n. 761 de abusu morphii dicentur.

Digitized by Google

funda, causa ludendi. — 3° Homicidii reus est, qui ponit actionem *de se* et *communiter* periculosam, ex qua frequenter mors sequitur; homicidium enim hujusmodi est voluntarium in causa, ut diximus superius. Cfr. III, 398.

Corollarium. Ex his intelligitur, cur operatio, quae PUNCTIO CORDIS nominatur, reprobanda sit. Intentio quidem eorum, qui eam exigunt, ex commiseratione oritur; verentur ne qui creditur defunctus, vivus sepeliatur. Sed talis agendi modus nonne est verum innocentis homicidium, casu quo vita nondum penitus recesserit? Hanc ergo operationem *absolute, in omni eventu* exigere, est directe intendere malum. — Medicus tamen non peccaret, si hanc punctionem perficeret postquam ex signis indubiis cognoverit mortem revera evenisse. *Noldin*, II, n. 339; *Linz. Quart. Schr.*, vol. 54 (1901), p. 122.

§ 2. De procuratione abortus.

S. Alphonsus, III, 394; ed. G., I, p. 644; H. Ap., VIII, 22; *Lupellus*, de Castit., I, p. 348; *Antonelli*, Med. past., II, de 5° Praec., de Bapt., de Usu Matrim.; *Eschbach*, disp. III et IV, in opere Disput. physiol.-theol.; *Berardi*, *Capellmann*, *Olfers*, *Surbled*, et multi alii.

Praenotanda. 1° *Conceptio foetus.* Secundum medicos, ordinarie conceptio cum copula minime concurrit; imo quam maxime pluribus horis vel diebus interjectis incidit. — 2° *Animatio foetus.* Foetum ab initio conceptionis, vel saltem post aliquot dies anima rationali informari, jam S. Alphonsus docuit (VI, 124) et hodie communiter admittitur [1]. Argumento tamen omnino certo res non probatur. Cfr. *Antonelli, Eschbach*, l. c. — 3° *Viabilitas foetus.* Foetus post septimum praegnationis mensem est, ut aiunt, *viabilis*, ita ut, sine periculo proximo illum exstinguendi, ad lucem extrahi possit. Casu quo utantur *artificiali* incubatione *(couveuse artificielle)*, extrahi posset foetus a sexto mense completo, sine periculo proximo. Medici est de viabilitate in singulis casibus judicare. — 4° *Esse ectopicum foetus.* Quamvis ordinarie foetus in utero matris vitam degat, aliquando evenire potest ut extra uterum maternum praegnatio fiat: habentur tunc *foetus ectopici.* — 5° *Vita foetus.* Experientia constat et ob rationes ex embryologia desumptas admittendum est, foetum in utero matris mortuae per aliquod tempus vivere posse.

741. — DEFINITIO. Abortus est ejectio ex utero foetus immaturi. Sic in Const. *Effraenatam* Sixti V.

DIVISIO. Abortus, ratione imputabilitatis, est *voluntarius* vel *casualis*. Voluntarius est *directus* vel *indirectus*. — *Directe* procuratur abortus, si ex proposito, ex quacumque operatione, foetus immaturus expellitur; *indirecte* vero, si ponitur causa de se in matrem agens, sed ex qua oriri potest detrimentum pro foetu, v. gr. balneum, venae sectio, remedium quo matris sanitati consulitur. Haec omnia producere possunt contractiones in involucris muscularibus uteri materni.

[1] In hodiernum sensum Ecclesiae melius quadrat sententia de instantanea foetus animatione per animam spiritualem. — Antiqui censuerunt foetum animari post 40 dies a conceptione, si fuerit masculus; post 80 dies, si fuerit femina. Hodie, omissa distinctione inter foetum animatum et non animatum, poenae edicuntur simpliciter in eos qui abortum procurant. In solo tractatu de irregularitate antiquorum sententia adhuc apparet, utique e novis codicibus removenda.

Digitized by Google

Nota. Medici plures ob causas directe procurant abortum : si, matre aegrotante, partus praevideatur difficilis ; si, quamvis mater sit sana, nequeat ob arctitudinem sine periculo parere, etc. — Aliquando etiam per operationes diversas (de quibus infra), directe vitam foetus impetunt, eum postea inanimatum expulsuri. Patet quod pessimus ille agendi modus nequeat vocari *abortus proprie dictus,* quamvis, quoad sceleris gravitatem, abortu non sit minor (vide *Nouv. Rev. Théol.,* 1911, vol. 43, p. 599).

742. — PRINCIPIA. I. **Numquam licitus est abortus directus.** Ratio: numquam licitum erit homicidium sive reale sive attentatum. Atqui, si foetus est *animatus,* committitur homicidium reale, idque eo atrocius, quod anima simul et corpus in perniciem conjiciuntur. Si vero foetus nondum *animatus* dicitur, id semper remanebit, quod periculum adest ne homo, vita spirituali praeditus, vere occidatur. Habetur ergo homicidium attentatum. — Recte ergo damnavit Innocentius XI propositionem 34^am^: « Licet procurare abortum, *ante animationem foetus,* ne puella deprehensa gravida occidatur, vel infametur ». Cfr. Resp. S. Officii 4 Maii 1898 ad 2, ubi confirmatur Decr. 25 Jul. 1895 de abortus illiceitate. *Nouv. Rev. Théol.,* vol. 31 (1899), p. 276 ; *Anal.,* VI, 277.

Hinc: 1° Homicidii rei sunt: *a*) Qui mulierem gravidam ita percutiunt, aut terrificant, ut abortus sequatur. — *b*) Item mulieres praegnantes, quae, gravi imprudentia, causam abortus proximam ponunt variis modis, puta, pedes in aqua frigida lavando, gravia onera portando, violentae animi commotioni indulgendo, etc. [1].

2° Probabiliter peccatum non committit mulier oppressa, quae *statim* expellit semen ipsa repugnante immissum. Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1013. — *S. Alphonsus* (III, n. 394 ; ed. G., I, p. 647 ; VI, n. 954) contrariam tenet sententiam. Sed ibi supponit tanquam certum, id quod moderni, saepe ac saepius parum probabile esse putant: conceptionem nempe statim post immissionem fieri. Non potest equidem negari, conceptionem statim posse fieri (et ideo innupta, quae voluntarie peccavit, nequit expellere semen), sed vincit pro invasa jus repellendae aggressionis.

3° Certe homicidium committunt, qui *fucatam accelerationem partus,* sive per membranarum punctionem, sive alio modo, inducunt, eo tempore quo *foetus certo non est viabilis* [2]. Id enim aequivalet directae occisioni, sicut vere occidere piscem dicimur, si eum ex aqua trahimus. Ita ex gravi Resp. S. Off., 25 Julii 1895. Post hoc Decretum controversia inter auctores finem habeat. *Nouv. Rev. Théol.,* vol. 27, p. 599.

[1] Homicidis, jure canonico, aequiparantur qui conceptionem vel nativitatem foetus naturalem impediunt per injectiones mulieri factas ante congressum, vel veneno sterilitatis, aliove indebito modo (c. V, *de Homicidio*). — [2] Rationes ad legitimandam partus accelerationem allatae (ut videre est in Decreto) erant: *a*) Foetus renuntiare potest vitae in matris utero, sicut in naufragio amicus amico tabulam cedere ; quin imo, revera renuntiare censetur, quippe qui per acceleratam ejectionem securius baptizari queat. — *b*) Exsistentia in utero matris, cum vitam matris prius possidentis in discrimen vocet, ut quid secundarium considerari potest, quod a jure primario a matre possesso vinci debeat. — S. Officium nihilominus declaravit: Tuto doceri non posse, licitam esse *quamcumque operationem directe occisivam foetus,* etiamsi hoc necessarium foret ad salvandam matrem.

Digitized by Google

743. — II. Abortus indirectus quandoque est licitus.

Dicitur: 1° *Indirectus*, i. e. proveniens praeter intentionem ex actione ancipiti, v. gr. subministrando matri pharmacum ipsi quidem salutare, proli vero periculosum, uti explanavimus.

2° *Quandoque*, si nempe *conditiones ex voluntario indirecto* adsint, et quidem: *a*) remedium sit per se et directe morbi curativum; — *b*) aliud non possit adhiberi; — *c*) provideatur extremae necessitati spirituali foetus, prout provideri potest.

Prop. probatur: Voluntarium indirectum, in quo hic versamur, sub debitis cautelis, nullum est peccatum. Duae priores conditiones de se requiruntur. Posterior conditio hic necessario est exprimenda, cum caritas et pietas obligent matrem ad praeferendam vitam spiritualem prolis saluti proprii corporis. — Jam vero, abortus revera non privat foetum spe Baptismi, quando, remedio omisso, certe cum matre moreretur, vel quando speratur fore ut vivus in lucem edatur (ideoque baptizari possit), vel denique si de facto in utero baptizari potest. — Patet insuper licitum esse, tale remedium sumere, si aequale sit periculum abortus, sumatur necne: conditio foetus non fit ex eo pejor (III, 394; H. Ap., VIII, n. 26).

Nota. 1° Medicus non sit nimis anxius quoad pharmaca matribus praestanda. Moraliter impossibile est enim, pereunte matre, prolem diu posse supervivere, nisi mater sit partui proxima, vel morbus brevissimus (*Antonelli*, l. c.).

2° Ad cautelas tamen, quas supra indicavimus, erit attendendum, casu quo, ut matri consulat, foetus sufficienter maturi volumen diminuere velit (*Lehmkuhl*, 1, 1009).

3° Si foetus *probabiliter tantum est viabilis*, timoratus medicus certam foetus maturitatem, quoad fieri potest, exspectabit. Si vero ex dilatione periculum pro matre vel pro prole fit majus, satis probabile est accelerationem partus licitam esse. Ratio: in casu desperato remedio dubio uti licet (cfr. n. 84), eo magis quod hic non desit spes foetum vivum conservandi, qui ceteroquin in summo periculo constitueretur.

744. — Corollaria. Nostris temporibus, ut quaestio intricatissima partus perdifficilis et periculosi solvatur, recurrunt medici ad varias operationes, in quibus, ex fine operantis, sola salus matris quaeritur, nullo vel fere nullo habito respectu ad jura infantis. Ex his: 1° quaedam neque matrem, neque foetum directe offendunt, v. gr. compressio abdominis, membranarum punctio, quibus partus acceleratur; — 2° aliae directe attingunt foetum, ut craniotomia, et similes; — 3° aliae denique directe attingunt matrem, ut symphiseotomia, sectio caesarea, laparotomia, operatio Porrensis. — Totam seriem harum operationum nomine: *abortus medicalis* designare licet.

Primi generis operationes jam sub trutinam revocavimus. De aliis, quaedam. Quaestionis cardo in hoc est, ut videamus utrum hae operationes ad abortum directum vel indirectum reduci possint vel debeant.

Digitized by Google

I. CRANIOTOMIA, seu EMBRYOTOMIA. Consistit in perforatione calvariae infantis, et extractione massae cerebralis. — Supposito quod foetus non sit certo mortuus, gravissimum est peccatum, etsi appareat ceu unicum remedium salvandi matrem. Est enim actio *per se* et *directe occisiva*, et, cum infligatur innocenti, *intrinsece mala;* nec potest unquam intentione salvandi matrem cohonestari. — Nec dicatur: accelerari tantum mortem infantis, alias certe morituri; haec enim mortis acceleratio, in se (etsi non propter se) volita, nonne est verum homicidium? — Nec foetus aequiparetur injusto aggressori: qui enim ex solo naturali cursu rerum (v. gr. homo peste infectus) fit alteri causa mortis, nequit haberi tanquam aggressor injustus. Unde, die 19 Augusti 1889, declaravit S. Officium: in scholis catholicis *tuto doceri non posse,* licitam esse operationem chirurgicam, quam *craniotomiam* appellant (sicut declaratum est die 28 Maii 1884), et quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis. — Haec confirmata sunt per Decretum ejusd. S. Off., die 25 Julii 1895. Cfr. *A. S. S.,* vol. 17, p. 601.

Nota. Huic operationi assimilandus et ideo damnandus est modus agendi eorum, qui foetum ectopicum, de cujus praesentia constat, directe exstinguere conantur injectione morphii, aut adhibita vi electrica (*Lehmkuhl,* I, n. 1011).

II. OPERATIO CAESAREA. Consistit in incisione uteri, eo fine ut foetus extrahi possit. Haec operatio, quam olim difficilem, barbaram nominabant, hodie saepe a medicis, et quidem feliciter, matre vivente, perficitur, ita ut plus minusve 90 % matrum salventur. Cfr. quae narrant *Antonelli, Eschbach, Capellmann* in operibus citatis.

Quaestio duplex poni potest: 1° An liceat matri talem operationem permittere? — 2° An ad hanc mater teneatur?

Ad primum sic respondendum: *Licet,* si ex una parte, ob ejus robustam constitutionem chirurgique peritiam, mortis periculum solum remotum fiat, et ex altera parte spes effulgeat ut prolis vitae tum temporali quam spirituali consuli possit. *Non vero licet,* si periculum mortis quoad matrem appareat proximum vel vere probabile, quia tale periculum morti aequiparandum est (VI, 106; ed. G., III, p. 84). Vide cit. Resp. S. Off., a. 1898, ad 2 et 3.

Ad secundum dicendum, quod si adsit spes fundata infantem viabilem extrahendi, *de se,* ex praecepto caritatis bene ordinatae, obligatur mater ad subeundam operationem, quae nostris temporibus, ut diximus, non jam medium extraordinarium remanet (cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 758, nota, ubi citat *S. Alph.,* II, n. 26, 27); et etiam si supponatur extraordinarium, nonne salus aeterna infantis tanti valet? (cfr. supra n. 483). — Videat tamen prudens confessarius, utrum, stante naturali horrore matris erga tales operationes, urgeri possit hujus obligationis intimatio.

Nota. a) Quae diximus de liceitate hujus operationis, a pari et sub iisdem cautelis, affirmari possunt de SYMPHYSIOTOMIA, qua arctitudo pelvis, per scissionem cartilaginis duo ossa conjungentis, removeri debet. — Ceterum, addit *Antonelli* (II, n. 94) hanc operationem et aliam similem non ita communiter chirurgis probari.

b) Idem dicendum de LAPAROTOMIA, qua exciditur tumor ut extrahi possit foetus extrauterinus, vel de OPERATIONE PORRENSI, qua uterus et ovaria exciduntur. — Declaravit S. Off., 4 Maii 1898, haec omnia esse licita, dummodo *et foetus et matris* vitae serio et opportune provideatur (*Nouv. Rev. Théol.,* vol. 31, p. 276). Confirmavit S. Off. haec anteriora Decreta, die 5 Maii 1902 (ib., vol. 45, p. 161).

Digitized by Google

c) *Mortua femina praegnante,* nihil obstat quominus operatio caesarea perficiatur. In hoc casu obligatio stricta urget. Quidquid autem aliqui dixerunt, certum est *sacerdotem* ad hoc non obligari. Illud expresse declaravit S. Sedes, die 15 Dec. 1899, confirmans quae die 15 Febr. 1780 jam prohibuerat (*A. S. S.*, vol. 32, p. 503). Cfr. *Antonelli,* II, n. 103.

III. Operationes dubie prohibitae. Tres dantur praesertim casus valde difficiles, in quibus non constat de operationis liceitate: 1° Uterus nempe praegnantis aliquando prolabitur et reduci nequit nisi per punctionem involucri, ita ut fluat amnion. Ex hoc autem certo sequitur abortus. — 2° Aliquando etiam ipse uterus praegnantis ita inficitur tumoribus malignis, vel in utero sano tales efformantur tumores, ut nonnisi per ablationem totius uteri sanitas matris restitui possit. Ablatio vero uteri, in casu, secum infeliciter trahit foetus forte immaturi extractionem. — 3° Aliquando denique, in casu conceptionis extrauterinae, tumor matrem in summum discrimen, et, si rumpantur organa, in certam mortem conjiciet; quod necessariam reddere videtur tumoris ablationem.

Circa tria praedicta non adest consensus auctorum. Non desunt qui putent punctionem, ablationem, casu quo foetus sit immaturus, non licere, juxta Decretum S. Off., 5 Maii 1902, in quo se referunt EE. ad Responsum 4 Maii 1898, supra citatum. — Alii vero censent, de abortu directo hic sermonem institui non posse, sed de abortu, qui indirecte tantum procuratur; causam vero excusantem esse summum et certum vitae discrimen in quo versatur mater. Omnes tamen in hoc conveniunt, nullo modo haec licere, quamdiu verum et certum periculum pro matre non exsistat. Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1011, qui ait Responso S. Off. 1902 deesse approbationem pontificiam; *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 44 (1912), p. 590; vol. 45 (1913), p. 154; *Antonelli,* II, n. 110.

745. — De poenis in procurantes abortum latis. I. *Ex jure canonico* sunt sequentes: 1° Excommunicatio papalis Ordinario reservata (cfr. n. 1349). Hanc tamen non incurrunt qui *craniotomiae* scelus committunt. Cfr. *Noldin*, de Poenis eccl., n. 93; *Linz. Quart. Schr.*, 1910. — 2° Irregularitas, si tamen foetus est animatus (cfr. n. 1946). — 3° Inhabilitas ad titulos ecclesiasticos, quae ipso facto incurritur, sed ab Episcopo probabiliter tolli potest. — 4° Privatio beneficii, officii, etc., sed post sententiam criminis declaratoriam (III, 395-397).

II. *Ex jure civili* gravi carcere punitur hoc crimen. Cfr. Cod. poen. gall., a. 317; ital., a. 381; germ., a. 218, 219, 220; hisp., a. 425-428. Saepe ac saepius evenit ut medici indiscriminatim ea omnia quae in partu fiunt, ad matrem a certa morte eripiendam, tanquam consectaria necessaria sui muneris considerent [1].

Regulae practicae. 1° Dari potest *bona fides* circa liceitatem abortus medicalis, sive in parentibus, sive in matribus, sive in medicis. — Confessarius, si non interrogatur, his de rebus prudenter loquatur: sua enim monitio, plerumque inutilis, imo frequenter monendis damnosa evadet, cum peccati

[1] Non desunt tamen qui saniorem ineunt viam. Scribit, v. gr., *Prof. Schauta* (Realenzyklopedie der Heilkunde, art. Kaiserschnitt): «(Perforatio foetus) haec foedissima tabes ex arte obstetricia prorsus est excidenda».

Digitized by Google

formalis periculum secum trahat. — A *medico* interrogatus, operationem ut illicitam reprobet, quin tamen semper de prohibitione Ecclesiae mentionem faciat. — A *matre* interrogatus, in multis casibus muneri suo satisfaciet, si eam exhortetur ut ipsa chirurgo dicat, meliori quo potest modo, vitae infantis esse consulendum. Matri non inconsulto imponat ut recuset operationem, nec indiscrete manifestet prohibitionem Ecclesiae. — Quandoque tamen (v. gr. si medicus parum meticulosus fucatam partus acceleratione suadeat ad evitanda incommoda haud gravia) confessarius tacere non potest (*Card. Gennari,* Cons. mor., t. I, n. 77 ; cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 45, 1913, p. 160 seqq.). — 2° Medici, praesertim si inopinate vocantur, saepe in statu *conscientiae perplexae* versantur. Sunt ideo juxta regulas huic statui convenientes judicandi, et, si speratur fructus, monendi et instruendi. — 3° *Sorores Caritatis*, si quod nosocomium ipsis proprium exsistit, tenentur eligere viros vere probos. Si ratio agendi, ex parte medici, minus conformis sit Decretis S. Sedis, non tenentur ejus operae obsistere, nisi in casu quo evidenter se proderet ejus praevaricandi intentio (S. Poen., 7 Julii 1911; *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 44, 1912, p. 35 et *Rev. Eccl. de Metz,* 1911, p. 588).

CAPUT III.

De duello et bello.

S. Alphonsus, I, 400; ed. G., I, p. 656; H. Ap., VIII, 27; *Noldin,* II, n. 347; *Tanquerey,* II, n. 145; *Stimmen aus Mar.-Laach,* 1894, p. 345; *Nouv. Rev. Théol.*, 22, p. 589; *Linz. Quart. Schr.*, 49, p. 556; *Berardi,* Theol. mor., II, n. 698.

ARTICULUS I.

De duello.

DEFINITIO. Duellum in genere est pugna duorum vel paucorum inter se. — In sensu strictiori, DUELLUM est duorum vel plurium numero parium pugna, ex praecedenti condicto de loco, tempore et armis, cum periculo occisionis, mutilationis vel vulnerationis.

In hac materia, duo sunt essentialia: quod pugna fiat *ex condicto,* et pugnantes utantur armis lethalibus, quibus infligi possit vulnus saltem grave, constituens actionem graviter peccaminosam. Duellum, ut ab Ecclesia prohibetur, supponit periculum gravis vulneris. — Non videtur esse essentiale, quod spatium temporis intercedat. Possunt enim aliqui ex condicto statim arma sumere (*Lehmkuhl,* Cas. consc., n. 521).

Hinc, duellum non est, sed *rixa,* quando duo, ex impetu irae, ad pugnam se provocant, statimque congrediuntur. — Item, excluduntur pugnae ad gravem laesionem inferendam ineptae, uti fiunt virgis vel levi baculo (III, 401).

DIVISIO. Distinguitur duellum *publicum* vel *privatum,* prout publica vel privata auctoritate suscipitur; *sollemne* et *simplex,* prout vel coram testibus (seu, ut vocant, patrinis) vel iis omissis, habetur.

Digitized by Google

Posset etiam distingui duellum *verum* et duellum *fictum*. Fingitur duellum si simulatur provocatio et acceptatio, vel si *certa* spes adest fore ut duellum revera impediatur, vel si pugnatur pro forma, sine omni vulneris periculo. Qui duellum fictum suscipiunt, censuras quidem non incurrunt, sed a peccato non excusantur, stante Const. *Detestabilem* Benedicti XIV, et ob rationem scandali (*Génicot*, I, 382). Vide dicenda n. 747.

746. — PRINCIPIA. I. **Duellum, publica auctoritate susceptum, licitum est, si fiat gravi de causa, ob commune bonum.** Gravis ratio est ea, propter quam pugnavit David cum Goliath, ad *terminandum bellum cum minori sanguinis effusione*. Hoc autem vel simili casu excepto, princeps mortaliter peccaret permittendo duellum, v. gr. ad ostentationem, ad spectaculum, ad vindictam, ad terminandam litem, etc.; quia in his circumstantiis tenderetur ad malum finem, vel ad bonum per medium improportionatum et illegitimum (*Bouvier*, de Decal., c. 5, a. 5).

Sic ergo illicita sunt *ordalia* (Dei judicia), antiquitus communiter vigentia, etiamsi ab auctoritate publica praescriberentur.

747. — II. **Duellum, auctoritate privata susceptum, nunquam licitum esse potest.** Ratio est, quia repugnat: 1° *Juri naturali*, cum sit usurpatio dominii in vitam et mortem, quod soli Deo competit. — Etiamsi admittatur in duello privato solum adesse periculum occisionis vel vulnerationis, jus naturale semper negabit talia media mala adhiberi posse, quae *directe* ex duello oriuntur, et unice in aestimatione stultorum honorem laesum restituere possunt. — 2° *Juri canonico*, ex constitutionibus RR. PP. et ex Tridentino (Sess. 25, c. 19), graviter monente: « Detestabilis duellorum abusus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur ».

Speciatim Alexander VII damnavit hanc propositionem 2am: « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, *ne timiditatis notam apud alios incurrat* ». — Cum nihilominus nonnulli exstiterint, qui *in quibusdam saltem circumstantiis* duella licere pronuntiarent, videlicet: si non acceptans officio et sustentatione privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet; — vel si duellum acceptans aut ad illud provocans certo sciat, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam; — vel si dux et officialis militiae acceptet duellum, ex gravi metu amissionis famae et officii; — vel si quis acceptet ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit; vel casu, quo nullum esset tribunal constitutum, vel a magistratu justitia aperte denegaretur; — has omnes assertiones *Benedictus XIV*, in Bulla *Detestabilem* anni 1752, tanquam falsas, scandalosas ac perniciosas rejecit, damnavit ac prohibuit (III, 400; 1. El. qq. ref., n. 97). Cfr. *Leonis XIII* Epistolam *Pastoralis officii*, 12 Sept. 1891.

Digitized by Google

Ex his conclude: 1° Non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato pugna cesset; quia, praeter scandalum, adest periculum vulneris lethalis. Obstat praeterea Const. *Illius vices* Clementis VIII, 17 Aug. 1592.

2° Prohibita sunt *duella academica*. In iis enim verificatur definitio duelli. Difficultas utique moveri potest, ex eo quod in duellis academicis excludi censetur periculum gravis vulneris; sed respondetur, certamen nihilominus ita institui, ut per se grave vulnus infligi possit. Respondetur praesertim, Ecclesiam haec duella vere et proprie duellis lethalibus aequiparare. Ad quaestionem enim Episcopi Wratisl., qui in supplici libello omnia minutius exposuerat, S. C. C. (9 Aug. 1890) respondit: *Ejusmodi duellantes eorumque patrinos esse irregulares ex infamia juris*. Ex quo sequitur: studiosos duellantes, mensuram committentes, iisdem plecti poenis (infra citandis), idem committere peccatum ac alii (v. gr. milites) qui ex condicto, cum periculo occisionis, inter se pugnant. Cfr. *A. S. S.*, vol. 23, p. 242 [1].

3° Licet pugnare cum inimico, si iste ad te occidendum vel res magni momenti tibi auferendas determinatus, ex petulantia tibi arma concedat ad te defendendum; tunc enim est *vera* et *legitima defensio:* modo pugnam vitare non valeas.

4° Item, provocatus ad duellum, licite respondere potest: « Ego ut christianus, non possum acceptare duellum; tamen paratus sum ad me defendendum contra injustos aggressores ».

748. — *Poenae in duellantes statutae sunt sequentes:* 1° Excommunicatio latae sententiae S. Pontifici reservata quae extenditur ad *quoscumque complices,* ut n. 1330 dicetur. — 2° Praescriptio omnium bonorum (quae tamen poena non amplius viget) et perpetua infamia et ideo irregularitas. — 3° Privatio sepulturae ecclesiasticae, si duellantes in conflictu ipso decedant, licet ante obitum signa poenitentiae dederint (cfr. n. 1387, 2°; cfr. etiam *Vind. Alph.*, P. III, q. 12).

Nota. Jus hisp. poenas in duellantes decernit, art. 439-447; item Cod. crimin. austr.

ARTICULUS II.

De bello.

749. — DEFINITIO. Bellum est publica armorum assumptio, reipublicae tuendae vindicandaeve gratia. — Differt a *seditione,* quae est tumultus vel conflictus multitudinis contra politicam societatem ad quam pertinet.

DIVISIO. Bellum dicitur *offensivum,* si fiat ad injuriam vindicandam; *defensivum,* si ad vim repellendam sustineatur.

750. — PRINCIPIA. I. **Bellum licitum est, si justae adsint conditiones.** Constat tum ex S. Scriptura (v. gr. *Genes.*, 14; *Exod.*, 17; *Deuter.*, 23, etc.), tum exemplo sanctorum regum. Et ratio est, quia

[1] Duella tamen academica, ex quibus *omne periculum* moraliter loquendo exsulat, quippe quae potius ex *joco* instituuntur, hoc Decreto S. C. C. non prohiberi videntur (*Lehmkuhl*, I, n. 1017).

Digitized by Google

princeps non potest, sicut privatus, jus suum prosequi in judicio superioris, ideoque illud tueri tenetur jure belli (*S. Thom.*, 2. 2, q. 40, a. 1).

Dictum est: *Si justae adsint conditiones,* quae tres numerantur: 1° *Auctoritas legitima,* i. e. suprema. — 2° *Causa justa et gravis,* quae malis e bello secuturis praeponderet: v. gr. provincia ab adversario usurpata recuperanda, gravis injuria reipublicae propulsanda, subditorum rebellio reprimenda, religio tuenda ab iniquis aggressoribus, imo defensio alterius nationis injuste oppressae (cfr. prop. 62^am^, de principio *non interventus,* in Syllabo damnatam). — Causa justa non esset: ampliatio regni, imminuenda potentia principis vicini. Hujusmodi bellum potius est grande latrocinium, ait *S. Augustinus* (de Civit. Dei, l. 4, c. 6). — 3° *Intentio recta,* ut fiat nempe amore boni communis. Si haec tamen ultima conditio desit, cum bellum in se non est injustum, non datur obligatio restituendi. Cfr. III, 402; S. Off., 20 Jun. 1866 (*A. S. S.,* vol. 28, p. 451) [1].

Hinc deduces: 1° PRINCEPS, antequam bellum incipiat, tenetur rem coram Deo et cum suis consiliariis diligenter perpendere.

In dubio de justitia belli, vel cum jure tantum probabili, distinguendum: *a*) Si bellum est *defensivum,* princeps certe suum regnum defendere potest, quia est in possessione. Paratus semper sit ad satisfaciendum aequis et certis postulationibus adversarii. — *b*) Si bellum est *offensivum,* in dubio etiam lato, illud inchoare non licet; tum quia possessor bonae fidei nequit, in dubio, exspoliari, tum quia hic agitur de causa ex qua horrendae sequelae oriuntur pro tertio (III, 403). Non audiendi ergo, qui pro bello offensivo, vel majorem probabilitatem, vel dubium aequale sufficere opinantur. — Tota controversia *arbitrio alterius principis,* praesertim S. Pontificis proponatur. Si adversarius et hoc rejicit, vera injuria, eaque certa, adest, et bellum offensivum licitum fit.

2° MILES, de justitia belli dubitans, si est *subditus* et a principe *conductus* vel coactus, tenetur obedire; quia subditi tenentur obedire ubi peccatum non est certum, et insuper praesumere debent bellum esse justum, quoties contrarium non constat. — Miles vero *non conductus,* in dubio de justitia belli offensivi, non potest se locare; quia, cum agatur de damno tertii, nequit illud inferre, nisi constet de injustitia possidentis (III, 408; H. Ap., VIII, 31).

In bello autem *evidenter injusto,* non possunt milites, ne defensionis quidem causa, licite hostes occidere. Hinc, si non possint fugere, debent curare ne ictibus suis feriant. Ipsi enim sunt injusti aggressores, et jura contraria in eadem redari nequeunt. — Si sint tamen in bona fide, nec interrogent, confessarius non debet illos instruere, ne peccatum fiat ex materiali formale. Cfr. *Bouvier,* de Bello, § 3.

751. — II. **Modus bellandi debet esse regulis justitiae et juris gentium consentaneus.** Recole dicta n. 136.

Igitur: 1° *Ante bellum* (scilicet offensivum), a parte adversa petenda est satisfactio, quae si condigna offeratur, offensus tenetur ex caritate et ex justitia eam acceptare.

[1] De se, licet avocare in auxilium *haereticos* vel *paganos;* per accidens tamen, ratione scandali vel damnorum religioni ex hoc imminentium, illicitum evadere posset (III, 406).

Digitized by Google

2° *Decursu belli,* ea omnia licent, quae jure gentium permittuntur et necessaria sunt ad finem obtinendum. Hinc, licet insidias parare, innocentes exspoliare bonis, si ipsi sunt partes reipublicae hostilis, nec alio modo victoria haberi potest, ecclesias demolire, si inimici pro defensione iis utantur, bonis adversariorum damna inferre (quae dicuntur *repressalia*), modo adsit principis praeceptum, et constet de injuria ab hostibus illata, nec excedatur justa compensatio. — Interdum, at solum ex urgentissima causa, licebit duci dare civitatem direptioni. Hoc tamen hodiernis moribus jam adversatur, praeter casum, quo juste impositum tributum denegaretur.

Illicitae sunt *fraudes,* quae nulla prudentia possunt praecaveri, v. gr. veneno inficere puteos et fontes, *saevitiae* erga legatos partis adversae, *perfidiae* erga ducem exercitus, v. gr. subornare sicarios, qui eum occulte trucident, occisio *captivorum* et inermium. — Captivi autem, nisi obstet scandalum aut specialis eorum promissio, possunt fugere; et in bello, ex parte hostium injusto, possunt eorum bona secum auferre in compensationem damni illati (*Laymann,* l. 2, tr. 3, c. 12, n. 15).

3° *Bello finito,* fides publice cum hoste facta, etsi hic injustum bellum gesserit, servanda est; nisi hostis ipse prior fidem fregerit, aut foedus sit objective malum. — *Duces* exercitus et *milites* summopere praecavere debent, ne post victoriam excedant in victis puniendis; praesertim vitare debent quidquid crudelitatem aut animum nocendi sapit.

752. — Maximi momenti, praesertim quoad sacerdotes qui militiae nomen dant, sunt sequentia decisa S. Poenit., die 18 Martii 1912:

1° *Miles quicumque,* ab eo momento quo in statu mobilisationis constituitur, aequiparatur iis qui in periculo mortis versantur. Potest ergo a quovis obvio sacerdote absolvi, secundum regulas a probatis auctoribus traditas.

2° *Sacerdotes* militantes, ceteris paribus, possunt inter bellicas operationes sacrum facere, alios absolvere, nonobstante irregularitate quam forte incurrerint. Bello vero composito, recurrant ad competentem auctoritatem. — *Clerici* bellicantes possunt, quamvis forte irregulares, ad sacramenta recipi.

3° Sacerdotes, aliique clerici, *dispensantur ab officio divino,* durante bello ejusque proxima praeparatione. Perinde est utrum in bello active occupentur, vel solum in ministrando vulneratis. Cfr. *Nouv. Rev. Théol.,* vol. 44, p. 499; *Quest. actuell.,* t. 112, p. 570; *Ami du Cl.,* 1913, p. 145.

Die 18 Dec. 1914, S. Poenitentiaria facultates cappellanorum militum ampliavit, et quidem: *a*) Cappellani militum, *dum exercitum comitantur,* possunt, durante bello, excipere confessiones *quorumcumque fidelium,* et in eorum favorem uti facultatibus omnibus sibi pro foro conscientiae concreditis. — *b*) *Si in captivitate detinentur,* eadem gaudent potestate in favorem *omnium concaptivorum* (*A. A. S.,* VI, p. 712).

Digitized by Google

CAPUT IV.

De suicidio et ebrietate.

S. Alphonsus, III, 366-375; ed. G., I, p. 622; H. Ap., VIII; AA. init. cit.; *Krose*, Selbstmord, Erg.-Hefte, 90 et 91; *Hauviller*, du Suicide; *Tanquerey*, II, p. 123; *Linz. Quart. Schr.*, 1909, p. 55; *Willems*, III, p. 251.

ARTICULUS I.

De suicidio.

Ad suicidium refertur mutilatio proprii corporis. Hinc agemus: 1° de occisione; — 2° de mutilatione sui ipsius.

In his praesupponitur omnem hominem teneri ad vitam membrorumque integritatem conservandam. Datur enim vita a Deo, ut ea utamur in ordine ad vitam futuri saeculi. — Quidquid ergo ad haec necessarium est, nobis imponitur. Nullo jure tamen requiritur, ut utamur remedio difficili, extraordinario, vel a quo maxime abhorremus (III, 372). — Equidem medico sit honor (*Eccli.*, 38, 1-4), sed ex hoc non sequitur, illum peccare qui in *levi* infirmitate eum non avocat. Multo minus ille peccabit, qui operationem periculosam respuit, nisi salvari debeant bona maximi momenti, et successus sit moraliter certus.

§ 1. De sui ipsius occisione.

753. — Principia. I. **Nunquam licitum est, sine divina auctoritate aut certa Dei inspiratione, directe seipsum occidere.** Id sane repugnat caritati erga seipsum, estque injuriosum tam Deo, qui *solus* est *directus* et *absolutus dominus* vitae humanae (cfr. n. 852), quam societati, quae per suicidium uno ex suis membris privatur. — Hoc positive prohibetur generali illo praecepto: *Non occides*. Cfr. etiam *Rom.*, XIV, 7, 8. — Accedit auctoritas praecepti ecclesiastici, quo statuitur, ut suicidae, de quorum crimine constat, sepultura ecclesiastica priventur (cfr. n. 1387).

Diximus: *Sine divina auctoritate vel inspiratione;* nam cum ista mortem sibi inferre certissime licet. Ita non solum excusantur, sed et summis ab Ecclesia praeconiis celebrantur virgines illae sanctae, quae tempore persecutionum seipsas morti tradiderunt (H. Ap., VIII, 1). — Ea tamen occisio numquam laudatur, quae *proprio marte* perficitur. Si perficitur ignorantia invincibili, excusari potest et debet.

Quaeres. *An reus morti addictus possit, ex praecepto judicis, seipsum occidere gladio, fune, veneno?*

Resp. Alii *affirmant* (probabiliter), quia in tali casu reus ab auctoritate legitima, i. e. a judice, ergo a Deo constituitur carnifex sui ipsius. — Sed alii, juxta communiorem sententiam, *negant;* quia talis actio est intrinsece mala, quam proinde nec judex praecipere potest, nec reus exsequi (III, 369; ed. G., p. 625). Obligatio ergo parendi non aderit, obedire vero non esset illicitum.

Digitized by Google

754. — II. Quandoque licet indirecte concurrere ad occisionem sui aut lethalem vulnerationem. Praeceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat; et aliunde, *licitum est,* ponere causam honestam vel saltem indifferentem, ex qua, praeter bonum effectum, sequitur effectus malus, ut diximus n. 315. — Imo, quandoque datur *obligatio* vitam sacrificandi, si caritas aut justitia id exigit (III, 366).

JUSTAE autem CAUSAE permittendi mortem propriam sunt sequentes, ut notat *S. Alphonsus* (III, 366-372):

1° *Bonum commune.* Sic miles, etsi sciat se moriturum, potest, imo tenetur persistere in statione, suam navem mergere vel incendere ne hostis ea potiatur, pulverem incendere ad evertendam turrim hostilem, etc. — Cfr. 1. *Macch.,* VI, 43. — Similiter, licet se objicere telo vel ictui ad servandam vitam principis, curam habere morbo infectorum tempore pestis, etc. [1].

2° *Virtus exercenda. Fides:* martyres Christi possunt non fugere, et voluntarie mortem subire. — *Justitia:* malefactor potest e carcere non egredi, etsi via ad fugam pateat; damnatus ad pereundum fame potest abstinere a cibo clam oblato. — *Castitas:* virgo, ne violetur, potest non quidem seipsam occidere, sed mortis periculo sese exponere, tum ad vitandum periculum consensus, tum etiam ad servandam solam carnis integritatem, ut non improbabiliter tenent DD. (III, n. 368). — *Caritas erga seipsum:* licet ad gravissimos cruciatus finiendos *periculosam* operationem subire, modo illa spem fundatam vitae magis tranquillae praestet. — Illicitum autem foret magno mortis periculo se exponere, ut solum auferatur corporis deformitas. Cfr. *Génicot,* Cas. consc., I, p. 148. — *Caritas erga proximum:* potest innocens viator permittere ut ab injusto aggressore occidatur, ne iste sicarius moriatur in peccato. Item, in naufragio potest quis cedere tabulam nondum a se occupatam, i no etiam a se occupatam, modo id facere valeat, quin seipsum projiciat in mare, *artis natandi nescius* [2]. Ubi adverte, eum, qui prior occupavit, non solum non teneri alterum admittere, sed posse impedire, nisi tabula utrique sufficiat (cfr. *Vind. Alph.,* P. III, q. 2, fin.). — Potest quis pariter se objicere telo vel ictui ad conservandam vitam amici. Imo, si amicus sit injuste condemnatus ad mortem, potest se pro illo offerre occidendum. Dicimus *si injuste;* si enim juste, alliceret illum ad iteranda peccata, vel peccaret ipse contra justitiam vindicativam.

3° *Mors certior vitanda.* Sic fervente incendio, si non suppetat alia via, qua tam atrocem mortem evites, potes e fenestra desilire, in mare te projicere, cum aliqua spe te salvandi. Idem licet reis detentis in carcere, ad evadendam certam mortis sententiam, vel etiam carcerem perpetuum (*Bucceroni,* I, n. 718).

4° *Difficultas remedii extraordinarii,* vel *nimis duri.* Ut jam innuimus, remedium hujusmodi habetur ut moraliter impossibile, nec cum tanto rigore, ex omnium consensu, obligat praeceptum positivum de conservanda vita, nisi

[1] Boni communis Ordinis rationem afferunt AA., ut Carthusianis permittant, in extrema aegritudine, a carnibus abstinere, cum certo mortis periculo. — Negatur tamen suppositum: dari nempe morbum qui *nonnisi usu carnium* tolli possit. *Stöhr,* Past. med., c. X, p. 457 — [2] Non desunt tamen qui dicunt, licere sine restrictione in naufragio amico cedere tabulam jam arreptam, modo propria vita non sit magis necessaria. Hanc actionem *S. Thomas* vocat actum perfectissimae caritatis (in 3. D. 29, a. 15). Cfr. *Lugo,* de Just., disp. 10, n. 48; *Lessius,* de Just., l. 2, c. 9, n. 29, 81. — Hoc ad casum extende, quo quis, ad levandam navem aëream, pro sociis se undis committeret.

Digitized by Google

interveniat ratio boni communis. Remedium extraordinarium sunt, v. gr., medicamenta pretiosissima, vel membrorum sectio, vel domicilii seu patriae mutatio; pro virgine, visitatio et attrectatio medici vel chirurgi, si nempe id ei gravissimum est, et magis quam mortem ipsam abhorret. Posset tamen permittere tangi, imo teneretur sinere, ut ab alia femina curaretur (III, 372).

5° *Necessitas artis exercendae.* Unde non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta ascendunt et variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt; nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt. — Contra, graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponsione et vana gloria in gravia discrimina sine causa se injiciunt, in altum ascendendo, deorsum se dimittendo, onera graviora ferendo, etc. Item funambuli, qui ludunt per funem in altis locis, cum probabili periculo vitae. — Utrum vero peccent graviter, qui ex causa per se licita nimis fidenter in occupationibus periculosis versantur, non ita facile definiri potest. Usus, indoles, cautela, etc. efficere possunt, ut pro ipsis periculum sit remotum, vel nullum (*Konings,* n. 463, 6°). — Ad normam horum principiorum dijudicet lector hos qui feras domant, certaminibus taurorum proxime cooperantur, naves aëreas conscendunt. *Ami du Cl.,* 1913, p. 65.

755. — De abbreviatione vitae. Homo, cum non sit vitae suae dominus, nequit etiam, sine sufficienti ratione, vitam suam *abbreviare. Intendere* mortis accelerationem esset peccatum mortale; *praevidere* vitae abbreviationem et ponere ejus causam remotam (etsi aliquot annorum abbreviatio sit probabilis), *nullum est peccatum* (imo quandoque meritorium) si causa est justa, *peccatum tantum veniale* si causa justa defuerit.

Ex his conclude: 1° Actus virtutis est, carnem vigiliis et inedia *moderate* affligere. Idem dic de eo qui macerationibus gravioribus se affligit, modo id faciat consilio prudentis praelati vel confessarii.

2° *Venialiter* peccat, qui inordinate edit, bibit, tabacum fumigat, morphio vel opio utitur, cum syphilitico conversatur et ludit, quamvis, a medico monitus, de sanitatis periculo et vitae abbreviatione conscius sit. Cfr. *Génicot,* Cas. consc., p. 151 seqq.; *Antonelli,* II, n. 150, de Corpore castigando.

De desiderio mortis. Desiderare mortem *ex virtutis motivo,* v. gr. ut conjungamur cum Deo, non amplius peccemus, etc., est actus virtutis, modo adsit conformitas cum divina voluntate. — Desiderare vero mortem *ob minimas molestias,* modo adsit advertentia requisita (quae plerumque deficit), est de se peccatum mortale. — Si vero mors optatur, quia tantae sunt aerumnae ut vita appareat ipsa morte amarior (*Eccli.,* 30, 17), nullum committeretur peccatum (II, 30).

De virginitatis custodia in mortis periculo. Superius diximus, virginem *posse* se exponere mortis periculo, etiam ad servandam carnis integritatem. Quaestio est, *utrum virgo teneatur potius permittere se occidi, quam violari.* Respondet *S. Alphonsus* (III, 368): *Speculative* loquendo, posse probabiliter virginem, in his angustiis positam, per-

Digitized by Google

missive se habere, modo voluntate positive resistat, et absit consensus periculum: praestat enim cooperationem solum materialem, quam excusat mortis periculum.

In praxi tamen suadenda est resistentia positiva, et ideo mortis acceptatio, saltem ob consensus periculum qui facile in illa permissione adesse potest. — A fortiori, suadenda, imo imponenda est resistentia *positiva* (quidquid dicit *Génicot,* Cas. consc., I, p. 7), si agitur de virginitatis custodia *in periculo solius gravis mali,* v. gr. gravis verberationis, vulnerationis; quia, practice, ex una parte, haec sola resistentia positiva periculum consensus removere et audaciam juvenum cohibere potest; ex altera parte vero, praecellens virginitatis bonum etiam cum gravi incommodo servari debet. Cfr. n. 736 et 778.

§ 2. De sui ipsius mutilatione.

756. — Principia. I. **Suiipsius mutilatio per se illicita est.** Homo enim nec vitae nec corporis possidet dominium absolutum.

Peccatum erit grave vel leve secundum materiam. Quoad irregularitatem contractam, ratione mutilationis, vide n. 1946.

II. **Mutilatio quandoque licita evadit ad bonum totius conservandum.** Ratio est, quia, licet mutilatio sit contra ordinem particularem, exigitur tamen a *natura* seu ordine *universali.* Hic ordo universalis requirit, ut quidquid est inferius ad superius ordinetur. *S. Thomas,* 2. 2, q. 65, a. 1 ad 1; *S. Alph.,* III, n. 373.

III. **Haec mutilatio licet homini privato.** Ratio: pars corporis non est sicut *vita* hominis, ad quam ordinantur cetera quae sunt in homine, et in quam ergo homo non habere potest potestatem (*S. Thomas,* ib., ad 2). Positis ergo conditionibus ut supra, privatus potest proprio marte mutilationem perficere.

Hinc: 1° Licet sibi abscindere manum catena ligatam, ad fugiendum incendium, aut ad vitandam mortem a bellua vel tyranno inferendam (*Lugo,* de Just., disp. 10, n. 22); licet virgini sese deformare, ad lenones a se avertendos; licet per parvam mutilationem se ad artem lucrosam reddere aptum.

2° Non licet castrare seipsum, nec permittere hoc sibi fieri ab alio, ad conservandam castitatem et superandas tentationes. Ratio est, quia tale remedium tentationes non aufert, et insuper potentia maximi momenti privat. Cfr. *Antonelli,* I, n. 287. Aliter dicendum de abscissione organi delectationis in muliere (*Lehmkuhl,* I, 735).

3° Non licet castrare pueros, licet consentientes, ut sint utiles cantui. Id quidem non pauci permittunt ex consuetudine, et bono quod ipsis pueris obvenit; sed vicit apud plerosque opinio negans; nam conservatio vocis non est bonum tanti momenti, ut liceat quod natura tantopere reprobat (III, 374). Cfr. *Benedictum XIV* (de Syn., l. XI, c. 7) qui docte probat, S. Pontifices numquam castrationem cantorum approbasse.

4° Non licet pariter gravem in se exercere saevitiam, propter commodum privatum, v. gr. adolescenti, ut, ope gravis ac diuturnae infirmi-

Digitized by Google

tatis, immunitatem a militia consequatur; pauperi, ut, propter mutilatum corpus, copiosiores eleemosynas obtineat.

5° Mulier nequit permittere, ut ovaria ipsi excidantur, nisi agatur de conservatione vitae. Operatio utique nostris temporibus de facili perficitur, sed ex hoc non fit licita (*Antonelli*, II, n. 277).

Scholium.

De vasectomia.

756 bis. — Novus mutilationis modus in hoc consistit, quod viro canales seminiferi brevissima operatione per totum in scroto dividantur: ex quo fit quod vir prolem procreare nequeat, licet ad copulam remaneat aptus. — Haec mutilatio temporanea est, si nempe contingat (quod tamen solus maxime peritus efficere potest) partes canalium divisas iterum unire.

Vasectomia a conjugatis peti vel permitti posse aiunt eo fine, ut liberius matrimonii actu frui possint, quin onera ex nova prole secutura pertimescere debeant. Imponitur etiam ab auctoritate publica ea intentione, ut praecaveatur ne a viro, lue infecto, proles non sana gignatur.

Seposita pro nunc quaestione, utrum vasectomia inducat impedimentum impotentiae (de hac re in tr. *de Matrim.*), videamus utrum *haec operatio sit in se licita*.

Principia. I. **Vasectomia constituit gravem mutilationem.** Ratio: omnia organa quae *ad conservationem speciei* inserviunt, a Creatore ad munus grave obeundum conferuntur; eorum ergo conservatio est maximi momenti, et rationi consentaneum est, ut omnia, quae intimius cum procreatione vitae conjunguntur, arbitrio et dominio privatorum subtrahantur.

II. **Vasectomia est mutilatio graviter illicita.** Quaestio non est utrum vasectomia licita sit, supposito quod fieri debeat *ad sanitatem corporis* restituendam vel conservandam: nimis clara sunt principia superius (n. 756) explanata. Quaestio est, utrum, ob fines supra indicatos, nonobstante gravitate mutilationis, licita dici possit vasectomia.

Et respondendum: *omnino negative*, imo *sub gravi illam esse prohibitam*. Rationes sunt: 1° Vasectomia *a conjugatis petita* nonnisi voluptati effrenatae inservit, et saepissime laesionem juris compartis secum trahit. — Praeterea, etiamsi supponamus ideo vasectomiam peti, ne mulier ex novo partu magna incommoda patiatur, semper verificabitur quod haec mala per continentiam vitari possunt, mutilationem ergo non esse medium necessarium.

2° Vasectomia, ab auctoritate publica imposita, constituit aggressionem in bona intima hominis innocentis, quae ei data sunt a Creatore, ut species humana rite propagetur. — Ratio boni communis utique valet contra malefactores, qui vita vel libertate privari possunt, valet etiam contra eos qui luem exterius propagare possunt, et ideo fas est leprosos ab aliis separare; non valet tamen contra hominem innocentem qui membra conservare et jure suo nativo uti vellet. Bono communi utique consulere debet auctoritas publica, sed in his quae sunt ad *melius esse*, non sunt laedenda jura primaria privatorum. Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 42, p. 417; *Wouters* (ap. *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 43, p. 340); *Gury-Ferreres*, II, n. 856 ter; *Ferreres*, de Vasectomia duplici.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De ebrietate.

S. Thomas, 2. 2, q. 150; *S. Alphonsus*, V, 75; ed. G., II, p. 759; H. Ap., VIII, n. 4; *Antonelli*, de Alcoolismo (Med. past., II, n. 113); *Noldin*, I, n. 340, qui multos citat auctores; *Willems*, III, p. 257.

757. — DEFINITIO. Ebrietas, quatenus est *vitium*, definiri potest: vitium causans inordinatam potationem et ex ea violentam usus rationis privationem. — Quatenus est *actus*, est voluntarius excessus in potu usque ad violentam privationem usus rationis.

Ad ebrietatem constituendam plura concurrunt: *a*) *immoderata potatio*; — *b*) *relaxatio nervorum*; — *c*) *privatio usus rationis*, et quidem privatio tam bestialis ut vires inferiores dominium exerceant omnino completum; — *d*) denique *absentia causae sufficientis* quae talem rationis privationem cohonestet, ita ut revera ex voluptate haec immoderata potatio fiat. — Malitia ebrietatis igitur in hoc consistit, quod homo sine causa se privat facultate utendi sua ratione, etsi sit vigil, vel expergefactus.

Nihil ergo refert utrum quis prius immoderate bibat, postea vero somno naturali se committat: iste ebrietate se inquinat, quia se privat *potestate expedita* utendi sua ratione si a somno excitatur. — Minus grave tamen esset, si quis pharmaco effectum potus impediret.

DIVISIO. 1° Ebrietas dicitur PERFECTA seu *plena*, si usum rationis totaliter aufert.

Hujus perfectae ebrietatis SIGNA sunt: *a*) Si quis non possit distinguere inter licitum et illicitum. — *b*) Si non recordetur de dictis aut factis in ebrietate. — *c*) Si agat omnino insolita, ut si praeter morem turpia loquatur, turbet domum, uxorem beret,ver etc.

2° Dicitur autem IMPERFECTA seu *semiplena*, si rationis usum non totaliter aufert, sed solummodo obnubilat.

Nonnisi imperfecte ebrius censetur, qui discernere adhuc valet inter bonum et malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus girare videatur, etc. (V, 78, 7° et 8°).

758. — PRINCIPIA. I. **Ebrietas perfecta est peccatum ex genere suo mortale.** Constat ex verbis Apostoli (1. *Cor.*, 6, 10): *Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt.* — Et ratio suffragatur: ebrietas enim deturpat imaginem Dei, inquantum hominem in conditionem brutorum dejicit, adimendo sensuum moderamen et gubernationem convenientem (H. Ap., VIII, 4). Cfr. 2. 2, q. 150, a. 2.

Dictum est *ex genere suo*; ebrietas enim non est mortalis, si per modicum tempus privet ratione.

Dicunt autem plerique auctores, longum tempus videri unam horam; aliqui censent semi-horam non jam modicum tempus appellari posse (*Tanquerey*, II, n. 542, nota). — Ceterum, in praxi, vix datur privatio usus rationis per tam breve tempus tantummodo protracta.

Digitized by Google

II. **Ebrietas imperfecta est per se peccatum veniale;** non enim graviter adversatur rectae rationi.

Saepe tamen est *mortale* per accidens, ratione scilicet: 1° scandali quod, v. gr., sacerdos daret, licet semel tantum imperfecte ebrius foret, aut paterfamilias, si saepe; — 2° pravi finis intenti, ut si quis biberet ad vehementiorem in se libidinem excitandam; — 3° damni, quod infert sanitati vel familiae; — 4° gravis tristitiae, quam creat uxori, filiis, parentibus, etc. Confer n. 759, q. 2.

Corollaria. 1° Qui *intendit* directe ebrietatem, peccat: quia vult aliquid malum.

2° Qui *inducit, invitat, cogit* aliquem ad copiose bibendum, etiam urbanitatis praetextu, peccat, excepto casu, quo servetur moderatio in quantitate, licet potus sit liberalior (V, 77).

3° Qui inducit aliquem in ebrietatem, *ut ille a majori peccato committendo averteretur,* sat probabiliter non peccat: quia ad minus malum incitat (cfr. n. 509, 2°).

4° Qui praevidet, se in his vel illis circumstantiis vere fore ebrium, et, hoc non obstante, *talia consortia non vitat,* peccatum committit. — Item, qui inter bibendum ad periculum ebrietatis plane advertit, et nihilominus adhuc bibere pergit.

5° Licet aliquando *magnam copiam* potus inebriativi sumere, *etsi praevideatur* secutura ebrietas.

Hic autem distinctione multiplici opus est:

a) Si hoc fit *ad depellendum gravem morbum,* v. gr. typhum, choleram, licet. Ratio: immediatus effectus potus est acceleratio sanguinis, ex qua finis intentus obtinetur (V, 76, q. 1).

b) Si fit *ad non sentiendos dolores in operatione chirurgica,* pariter licet; talis enim potus ex se virtutem soporiferam habet, ex qua oritur proportionatus effectus intentus. — Ceterum, cum nemo sit, qui non permittat in iisdem circumstantiis usum *chloroformii, aetheris, opii,* non videtur cur praedictus agendi modus sit de se prohibitus. Vide etiam quae n. 761 dicentur.

c) Si denique potatio immoderata adhibetur *ad expellendas insomnias ordinarias, maestitiam communem,* vel *ad leniendos dolores ordinarios,* non licet: quia quod intenditur non habet proportionem cum malo quod permittitur. Adsunt praeterea alia remedia. — Liceret tamen bibere usque ad hilaritatem, si maestitia esset expellenda.

Nota. Quandoque utuntur chloroformio *ad mitigandos in partu dolores.* Licite adhibetur hoc remedium, si dolores praevidentur vere intolerabiles, praesertim si modo interrupto ministratur chloroformium, et analgesis, ut aiunt, non evadit totalis (*Capellmann-Bergmann,* ed. 16, p. 58; *Ami du Cl.,* 1910, p. 16 et 1088).

759. — Quaesita. QUAER. 1° *An liceat alicui se inebriare* AD VITANDAM MORTEM, *quam alter ei minitatur, nisi inebrietur?*

Resp. Duplex datur sententia: *Prima* (quae est *S. Alphonsi,* V, 76, q. 2; 1. El. qq. ref., 56) *negat* hoc esse licitum. Etenim, liberatio a

Digitized by Google

morte (i. e. actus voluntatis ex parte ejus qui ab inferenda morte desistere debet) nonnisi post factum ebrietatis completae, ex parte alterius, interveniet. Non quadrant ergo praerequisita ex capite voluntarii indirecti. — Ceterum, usus rationis de se non ordinatur ad corporis vitam, sed ad animae integritatem servandam. Ita etiam Cajetanus, Salmanticenses et alii.

Altera sententia (quae est Lessii, Bonacinae et AA. recentium) *affirmat.* Ratio: usus rationis ad bonum totius ordinatur. Unde, ad totius conservationem, potest homo privationem usus rationis permittere. — Praeterea, copiosa vini potatio, praeter rationis privationem, alium effectum (liberationem nempe a morte inferenda) *aeque immediate* producit. Unde non obstant principia voluntarii indirecti.

QUAER. 2° *An et quomodo imputentur mala in ebrietate commissa?*

Resp. Imputantur ebrio ad culpam, *juxta mensuram advertentiae et voluntarii,* quod reperitur *in causa,* seu in actu se inebriandi. — Unde *a*) Si ebrietas est *involuntaria,* non erunt ad culpam imputabilia mala, quae ex ea sequuntur. — *b*) Si est *semivoluntaria,* non poterunt imputari ad culpam gravem. — *c*) Si est *voluntaria,* mala gravia imputabuntur ad culpam gravem, modo fuerint praevisa, sive distincte, sive saltem in confuso. — « Hinc praevisa reputantur mala, quae ebrii *ordinarie* committere solent, vel quae aliquis antea *ex aliis ebrietatibus novit* se committere; et etiam omnia peccata, ad quae se *noverit propensum.* Cum enim in ebrietate, amisso rationis usu, natura necessario operetur, facile ipsa prorumpet in vitia ad quae propendet. — Contra, vero, non reputantur praevisa alia mala, quae *casu* eveniunt ». (H. Ap., VIII, 8).

Nota. Aiunt plures AA., non imputari mala *oris,* ut sunt contumeliae, blasphemiae et perjuria; quia ea verba, prolata ab homine usus rationis experte, sunt pure materialia, quasi proferrentur a psittaco; nec proinde habent malitiam formalem. « Huic opinioni (ait *S. Alphonsus,* H. Ap., l. c.) accedo circa *contumelias erga homines:* quia revera, cum illae prolatae sunt ab ebrio, non habentur dedecori, modo ille non patefaceret aliquod infame delictum; non vero circa *perjuria* et *blasphemias,* quia hae, licet materialiter prolatae, semper sunt Deo injuriosae; et si illae non sunt voluntariae in actu, sunt voluntariae in causa ».

760. — REGULAE PRACTICAE. 1° Gravibus verbis corripiendi et reprehendendi sunt juvenes patresque familias qui vitio ebrietatis tenentur. Instet confessarius opportune, instet importune, ut temperantes suique victores evadant. Ponat ob oculos incommoda, peccata et flagitia innumera quorum alcoolismus origo et fons perpetuo manans exsistit. — 2° Promoveat prudenter et moderate ea omnia quae finem habent vel *abstinentiae* vel *temperantiae* associationes propagandi. Multos enim completa abstinentia sibi suaeque familiae sanos reddidit. — Cfr. opuscula quae abstinentiae necessitatem vel utilitatem exponunt.

Digitized by Google

SCHOLIUM.

De abusu morphinae et opii.

761. — NOTIONES. Ex papavero extrahitur opium, quod, inter cetera principia, morphinam continet. Opium, cum fumatur, morphina, cum sub cute injicitur, proprietates possident sequentes: *a*) si quantitas est exigua, leniunt dolorem, ex eo quod in nervos agant; — *b*) si quantitas augetur, statum narcoseos procurant, in quo omnia sensu quodam particularis satisfactionis et voluptatis afficiuntur; — *c*) si quantitas est magna, mors inducitur. — Opium et morphina, in quantum privant usu rationis, gravia nocumenta sanitati afferunt, si quis *saepe* iis utitur: vires nempe minuuntur, corpus frangitur, debilitatur memoria, appetitus sexualis excitatur, imo et pervertitur, nocumentum affertur protoplasmati (*Forel,* Quest. sex., c. VIII), sensus moralis evanescit, hebetatur voluntas, imo vita abbreviatur. Eo deveniunt multi, ex effrenato voluptatis desiderio, ut, invincibili mania laborantes, quasi necessario ad horum usum impellantur. — Medici in medendo aegrotis multum morphina utuntur; aliqui etiam, sive proprio marte, sive ut petentibus aegrotis satisfaciant, ope morphinae *euthanasiam,* id est placidam et tranquillam mortem procurant. Cfr. *Antonelli,* II, 129. — Sint ergo sequentia principia:

I. **Quoad non aegrotantes.** 1° Non peccant, qui morphina vel opio utuntur in quantitate adeo exigua, ut potius ad nervorum pacationem inserviat. Caveant tamen ab usu frequenti. — 2° *Venialiter* peccant, qui, aucta quantitate, sine causa sufficienti, haec remedia adhibent; *mortaliter* vero, qui sibi ex his grave nocumentum afferunt, etiamsi non adsit narcosis: a fortiori, si sine causa se privarent usu rationis.

II. **Quoad aegrotos.** Ipsis licet uti morphina, in iisdem casibus et sub iisdem conditionibus, quibus non est prohibitum se privare usu rationis ad bona magni momenti sibi procuranda.

III. **Quoad moribundos.** 1° Non videtur illicitum, casu quo magnos dolores patiuntur, moribundos *ad tempus* sopire. — 2° Graviter vero illicitum est, *non paratis* ad mortem christianam, etiamsi magni adsint cruciatus, morphinam ministrare, ita ut sopiti decedant: ratio patet. — 3° Sub gravi pariter videtur esse prohibitum *etiam bene dispositis* tale solamen procurare. Ratio est: ex una parte, de se minus sentiuntur in agonia dolores; ex altera, talis privatio usus rationis est quaedam infirmo *imposita abbreviatio* vitae spiritualis, quae vita tunc maxime est necessaria, vel saltem salutifera. Ceterum persaepe ignoramus, utrum moribundus sit vere bene paratus. Quae cum ita sint, censemus privationem vitae spiritualis in tali momento non compensari per bonum temporale (tranquillitatem) moribundo ope morphinae procuratum. Sacerdotis ergo est medicorum tentaminibus resistere. Tolerare vero potest, quoad eos moribundos qui secus in periculo essent denuo graviter peccandi. Cfr. *Lehmkuhl,* I, 892; *Noldin,* I, 343; *Ami du Cl.,* in div. artic., 1900, 1902, 1905, 1908. — Cfr. etiam, pro contraria opinione, *Wouters,* Nederl. Kath. Stemmen, 1911, bl. 348; *Collat. Brugenses,* 1911, p. 412.

Nota. Quoad culturam, commercium opii, plura exstant Decreta S. Officii. Vide *A. S. S.,* 24, p. 506; *Canon. Contemp.,* vol. 15, p. 424, et praesertim *Ami du Cl.,* 1908, p. 689.

Digitized by Google

TRACTATUS VI.

De sexto et nono Decalogi praecepto

Non moechaberis .....
Non desiderabis uxorem ejus (proximi).
(*Exod.*, 20, 14, 17).

MONITUM S. ALPHONSI. « Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cujus vel solum nomen hominum mentes inficit ... Utinam *brevius* aut *obscurius* explicare me potuissem! Sed cum haec sit frequentior atque abundantior confessionum materia, et propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur; imo non dubito asserere, ob hoc unum impudicitiae vitium, aut saltem non sine eo omnes damnari quicumque damnantur: hinc opus mihi fuit ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. — *Oro tamen studiosos*, ... ut hunc tractatum de sexto praecepto (quemadmodum et alium de debito conjugali) *non legant*, nisi cum fuerint ad excipiendas confessiones jam proximi; legantque ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore saepius mentem ad DEUM elevent, et VIRGINI IMMACULATAE se commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur » (III, 413).

762. — SEXTUM PRAECEPTUM arcta affinitate quinto conjungitur; cum enim quintum praeceptum eo potissimum spectet, ut humanae vitae, quando in rerum natura jam exsistit, rite consulatur, praecipuus scopus *sexti praecepti* est, ut ipsis ejus exordiis advigiletur, utque humana natura conservetur: debet enim divina sanctio non solum vitam tueri, sed etiam stupendam illam facultatem, quam homo possidet, *vitam communicandi*. Cfr. *Pruner*, Spez. Moraltheol., IV Absch., II Tr.

Hoc praecepto solum adulterium, quod justitiam simul et castitatem laedit, *explicite* interdicitur; *implicite* vero interdicuntur omnia quaecumque inhonesta sunt et impudica, et praecipitur ut animi corporisque castitatem colamus (Catech. Rom., P. III, c. 7, n. 2).

NONUM PRAECEPTUM, quod sexto conjunctissimum est, prohibet in eadem materia *peccata cordis* seu cogitationes et desideria prava. De his jam egimus in tr. *de Peccatis*, 345 seqq.

Hinc, in praesenti tractatu, agemus: 1° de castitate et luxuria in genere; — 2° de peccatis luxuriae consummatae; — 3° de peccatis luxuriae non consummatae (quae hic postponuntur, quia a praecedentibus speciem desumunt); — 4° de periculis castitatis.

Digitized by Google

CAPUT I.

De castitate et luxuria in genere.

S. Thomas, 2. 2, q. 151-156; *S. Alphonsus*, III, 412; ed. G., I, p. 665; *Sporer-Bierbaum*, III, n. 467 seqq.; *Göpfert*, II, 316; *Génicot*, Theol. mor., I, 387; *Antonelli*, Med. past., II, 160 seqq.; *Eschbach*, Disp. phys.; *Tanquerey*, Suppl. de Castit.; *Sani*, de 6ª Praec.; *Berardi*, Theol. mor., II, p. 333 (ed. 1905); *Noldin*, de Sexto (ed. 13); *Capellmann*, Pastoralmed. (ed. 16), p. 128; *Gemelli*, Non moechaberis.

763. — *Praenotanda.* Utrique sexui indidit Auctor naturae potentiam genitabilem ad hunc praestantissimum finem ordinatam, ut per naturalem viri et mulieris in legitimo matrimonio congressum, species humana propagetur et conservetur. Delectatio vero, quae hujus potentiae actum comitatur, ad eumdem finem eatenus recte concurrit, quatenus homines allicit ad rem in suis sequelis multum onerosam; ordinatur ad *bonum commune,* non vero ad *bonum privatum.*

Ad pleniorem autem hujus tractatus alteriusque *de Matrimonio* intelligentiam, pauca de spectantibus ad humanam generationem censemus dicenda, ad normam recentiorum physiologorum redacta.

1° *In viro,* tria organa potissimum ad generationem inserviunt: *testiculi,* in quibus semen elaboratur; *vesiculae seminariae,* in quibus semen asservatur; *fistula urinaria* (membrum virile, virga) per quam semen ejicitur. — In *femina* tria pariter numerantur organa: *ovarium,* in quo ovulum maturescit; *matrix* (uterus) in quam ovulum progreditur; *vagina,* quae ex utero ad externam corporis partem protenditur. Os hujus canalis occluditur tenui pellicula, quam *hymen, signaculum virginitatis* vocant.

2° Generatio distinguitur in activam et passivam. *Activa* generatio, cui summa delectatio adnectitur, idem est ac copula, concubitus, coitus, in eoque consistit quod membrum virile in feminae vaginam intromittatur ac semen virile in vase femineo ejaculetur. Est actus connaturalis quo *possibilis* fit generatio, ita ut ipsa sequi debeat nisi quid obstet. — *Passiva* generatio est conceptio seu seminis masculini conjunctio cum ovulo femineo.

3° *Vir* igitur ad generationem concurrit semen prolificum praebendo, seu sperma, quod quidam est humor, a testiculis viri secretus, corpuscula continens, spermatozoida nuncupata, a quibus prolificus redditur. *Mulier* vero in hoc concurrit quod ovulum subministret a spermatozoidis fecundandum. Si in momento copulae, vel tempore plus minusve distanti, ovulum habet maturum, et si viri semen huic ovulo fit obviam, producitur conjunctio et spermatozoida ovulum fecundant, unde enascitur conceptio. Ovula vero avelluntur a mulieris testibus quae dicuntur ovaria. Haec avulsio quandoque libidine acceleratur, verum de se sine libidine et sponte fit apud singulas feminas fere singulis mensibus vel forte saepius.

An vero ad generationem concurrat femina per humoris effusionem, seu seminationem quam habet in actu copulae? Plures inter antiquos (ita Scotistae cum Galeno) affirmarunt semen mulieris ad generationem necessarium esse, sed hodie (uti jam tenuerunt Aristoteles et S. Thomas) certum est nullum in feminis proprie dictum semen adesse in illo humore qui, vel ad intra (ut sae-

Digitized by Google

pius), vel ad extra e glandulis vulvo-vaginalibus effunditur. Putant medici illud semen improprie dictum, esse ad generationem utile, non tamen necessarium. Et haec quidem sententia *S. Alphonso* jam videbatur probabilior (VI, 918).

4° Concomitantur ovulationem et simul perutilia sanitati mulieris sunt *menstrua* (gallice: *les règles, les époques*). Haec sunt sanguis communis qui, statim ac maturi alicujus ovuli decisio ex ovario urget, ad uterum abundantius fluit, tum sane ut calore suo ad magnum ovulationis opus rite perficiendum occurrat, tum ut novo foetui, si forte concipiatur, nutrimentum praestet. Menstruus vocatur iste fluxus sanguinis, eo quod plerumque 28° die seu singulis mensibus lunaribus redire solet (et etiam paulo crebrius) a tempore pubertatis usque ad menopausam (quae ordinarie in nostris regionibus contingit inter 40^{m} et 50^{m} annum), duratque regulariter per 2 aut 3 dies. Hujus fluxus tempore, mulieres varios patiuntur dolores nedum delectationem venereamsentiant.

5° Notandum est etiam semine carere eunuchos et impuberes. Masculi in regionibus nostris pubertatem raro attingunt ante annum 15^{m} completum; ante annum autem 18^{m} semen eorum non solet esse prolificum.

Apud puberes contingit nonnunquam morbidum et frequens seminis profluvium, quod in viris *gonorrhea*, in mulieribus *fluor albus* seu *leucorrhea* nuncupatur. Gonorrhea plerumque est quaedam species *syphilis* ac ideo contagiosa; fluore albo non raro laborant mulieres praegnantes. — A quibusdam antiquis (v. gr. *Croix*, apud *S. Alph.*, VI, 910), leucorrhea feminarum vocatur gonorrhea.

Juxta hodiernos medicos, semen non corrumpitur, quia seminis pars extra sedem suam egressa vel absorbetur vel expellitur. Quaestiones igitur veterum theologorum eo spectantes consulto omittemus.

6° Apprime distinguenda est seminis effusio a *distillatione*. Haec est humor quidam subtilior, a glandula prostatica et mucosa urethrali proveniens. In effusione seminis, ordinarie semen cum vehementi delectatione carnisque commotione ejaculatur; in distillatione vero, humor ordinarie cum levi aut nulla etiam delectatione et carnis commotione fere stillatim effluit. Praeterea, potest occurrere etiam in impuberibus, imo et in castratis.

7° Per *motus carnales, motus venereos*, intelligitur quaedam ad seminis effusionem tendentia, sese manifestans ordinarie per erectionem membri virilis vel clitoridis femineae, *cum voluptate conjunctam*. Haec erectio causam habet sanguinem ad illa membra, ob causas varias, confluentem. Sed ab erectione venerea et delectabili distinguenda est erectio pure naturalis, quae ex causa mere physica et absque ullo voluptatis sensu habetur (*Aertnys*, Theol. mor., l. III, n. 219).

De cognitione rei sexualis. Multum disceptarunt AA., quid fieri oporteat circa *filios* (et *filias*) de re sexuali instruendos. — Non paucis, etiam catholicis, placuit theoria de virtute et efficacia plenae notitiae physiologicae, unicuique a teneris annis tradendae, ad impetum immoralitatis cohibendum. Ignorantia, sic illi, omnium malorum parens. — Aliis tamen, iisque sapienter omnia ponderantibus, visum est, hanc theoriam, si unquam in praxim sine cautelis deducatur, diluviem lasciviae ineluctabilem reddere. Unde statuerunt sequentia: *a*) Liberi ante omnia in virtute, amore Dei et horrore peccati erudiendi sunt. — *b*) Sicut cognitio praematura rei sexualis periculosa est, ita etiam ignorantia

Digitized by Google

diutius protracta respectu hujus materiae. Haec curiositatem acuit, incautos seductioni exponit; illa ignem libidinis concitat. — *c*) Danda est ergo notitia harum rerum, sed sensim aucta, pro aetate, necessitate et virtute adolescentium. — *d*) Illorum est haec filios edocere, quibus Deus munus ipsis invigilandi commisit: ut sunt parentes, tutores, vel, in aliquibus casibus, personae exterae prudentes et timoratae. Duo enim puero debentur: caritas et reverentia. — Cfr. *Gatterer-Krus,* Education de la Chasteté; *Förster,* Sexualethik u. Sexualpädagogik; *Linz. Quart. Schr.*, vol. 61, p. 45 et 783; *Ami du Cl.*, 1911, p. 406.

ARTICULUS I.

De castitate et pudicitia.

764. — DEFINITIO. Castitas (a castigando), *late sumpta,* est virtus generalis, consistens in animi puritate ab omni dilectione et delectatione inordinata creaturarum. — Castitas, *proprio sensu,* est virtus quae moderatur affectum et usum venereorum.

« PUDICITIA est virtus moderatrix quorumdam actuum minus principalium, ad praedictam concupiscentiam pertinentium, ut sunt *oscula, tactus, aspectus, amplexus, sermones lascivi,* etc. — Non est tamen specialis virtus a castitate distincta, sed solum eamdem castitatem exprimens, quatenus versatur circa circumstantias aliquas. Siquidem omnes illi actus libidinosi, antecedentes ac concomitantes principaliorem, eadem regula, ob eumdem finem, ac eodem modo a ratione coercentur. — Dicitur autem pudicitia a *pudore,* eo quod de his actibus, etiam dum licite fiunt, honestus animus maxime verecundetur, tum quod minus rationi subjaceant, tum quod in eis homo ad conditionem brutorum proximius accedat » (*Goudin,* Phil. mor., q. 6, a. 3, § 1).

DIVISIO. Castitas dividitur in castitatem specialiter dictam et virginitatem. — CASTITAS *specialiter dicta* est, quae solum coercet impetum ad delectationes (carnis) illicitas, licitas vero moderatur, ut fiant servandis servatis: potestque dividi in *juvenilem, conjugalem* et *vidualem.* — At vero VIRGINITAS est heroica quaedam castitas ita concupiscentiam domans, ut pro Deo ne *licitarum* quidem voluptatum experientiam voluntariam ei concedat. Cfr. *Goudin,* l. c.

VIRGINITAS est specialis virtus, habens se ad castitatem, sicut magnificentia ad liberalitatem; quia specialem vincit difficultatem, et quidem maximam (2. 2, q. 152, a. 3). — Consistit, *materialiter* et qua *status,* in immunitate ab omni experimento delectationis venereae, et in quadam integritate membri vel organi genitalis; *formaliter* vero et qua *virtus,* in proposito abstinendi ab omni venerea voluptate.

1° Si integritas carnis *mere materialiter* violatur per stuprum, vel pollutionem involuntariam, non perditur virginitatis praerogativa, jus nempe ad praemium accidentale, aureola nuncupatum, quo virgines in coelis donantur. —

Digitized by Google

2° Si virginitas *formaliter tantum* violatur per peccatum internum, perditur quidem ejus praerogativa, sed REPARABILITER, ita nempe ut per poenitentiam et reassumptum propositum virginitatem perpetuo servandi, jus iterum ad aureolam habeatur. — 3° Si virginitas tum *formaliter* tum *materialiter* violatur, per externum nempe peccatum luxuriae completae (vel etiam per meros tactus ita libidinosos, ut per se, in natura sana, pollutionem causarent, etsi per accidens haec non eveniat), virtutis praerogativa perditur IRREPARABILITER, sicut nempe innocentia per peccatum mortale. Cfr. *Salmant.*, tr. 26, c. 1, n. 47 seqq.; *Lessius*, de Temper., c. 2, d. 14 et 16; *Eschbach*, Disp. physiol.-theol., disp. 4, c. 2.

765. — PRINCIPIA. I. **Bona est castitas conjugalis, melior continentia vidualis, sed optima perfectio virginalis.** Ita *Ven. Beda* (ap. Benedict. XIV, de Beatif. SS., l. 3, c. 24, n. 56). Unde *S. Hieronymus* (in *Matth.*, XIII): « Centesimum (inquit) fructum virginibus, sexagesimum viduis, trigesimum casto matrimonio deputamus ». Ratio in promptu est, ex supra definitis.

Imo, divina fide tenendum est, *statum virginitatis et caelibatum conjugio esse praeferendum.* Constat ex verbis Apostoli (1. *Cor.*, 7), et ex Tridentino: « Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel caelibatus; et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu, quam jungi matrimonio: anathema sit » (Sess. 24, c. 10).

II. **Pulchritudo spiritualis inest excellentissime castitati.** Constat: 1° Ex Scriptura Sacra (*Sap.*, 4, 1): *Quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.* — 2° Ex ratione: « Castitas enim tanto excellentior est ac pulchrior, quanto ille affectus (quem moderatur) est insolentior, fortior, ac rationis minus audiens. In illa enim ob id praeclarius elucet ordo, vigor, imperiumque rationis supra insanientem appetitum » (*Goudin*, l. c.). Unde *S. Alphonsus* (Vera Sposa, c. 1, n. 12), cum S. Cypriano: « Virginitas est, inquit, regina virtutum, possessio omnium bonorum »; et cum S. Ephrem: « Hanc si amaveris, a Domino in omnibus prosperaberis ».

766. — REGULAE PRACTICAE. *a*) Si poenitens, qui graviter contra castitatem peccavit, quaerit num virginitatis aureolam irreparabiliter amiserit, confessarius potius dissimulando respondeat, ne scilicet poenitens animo cadat. — Dicere poterit, v. gr., poenitentiam bona pristina animae restituere, nullum esse peccatum quod non possit coram Deo reparari; et similia.

b) Si quaerit puella, utrum, licet graviter peccaverit contra castitatem, *fieri possit sanctimonialis*, ad sequentia attendat confessarius:

Respondere potest: *affirmative*, si agatur de ingressu in *Congregationem Religiosam* (positis de cetero ponendis). — Respondere debet: *negative*, si agatur de *Ordine cum votis sollemnibus*, et puella fuerit *voluntarie corrupta*: quia in Ordinibus *consecrantur* virgines; unde gravem irreverentiam sacramentalibus inferret, quae sine carnis integritate velum acciperet.

Digitized by Google

Puella, quae aliquoties tactibus turpiter secum egit, conservando signaculum virginitatis, potest in Ordinem cooptari: quia apud homines statum virginis conservat. — Similiter, secundum sententiam sat probabilem, consecrari potest femina, quae *invita corrupta fuit;* aequum enim non videtur, quod jus suum illa perdat, quae voluntate virginitatem servavit. Cfr. *Piat,* I, n. 305.

Nota. Aliqui AA. censent, etiam cum *voluntarie corruptis* confessarium benignius agere posse. Vide *Göpfert,* II, § 99, in fine.

ARTICULUS II.

De luxuria et impudicitia.

767. — DEFINITIO. Luxuria est inordinatus appetitus vel usus delectationis venereae (III, 412). — Dicitur: *inordinatus,* i. e. extra matrimonium ejusque leges.

Delectatio *venerea* (libidinosa, luxuriosa, carnalis) est illa, quae oritur (in utroque sexu) ex commotione humorum generationi inservientium et *in partibus genitalibus* sentitur. — Differt specifice a delectatione *sensitiva* (naturali, sensibili), quae habetur ex conformitate objecti sensibilis cum sensu, v. gr. ex contactu rei lenis (III, 415; *Vind. Alph.,* P. III, q. 13, a. 1).

Delectatio sensitiva percipi potest: *a*) Ex visu, amplexu ejus quem tenero sed honesto amore prosequeris, quatenus ille amor (qui in voluntate residet) in appetitum sensitivum redundat et in corde et sanguine causa commotionis efficitur. Vocatur *spiritualis-sensibilis,* et si honesti fines serventur, talis delectatio damnanda non est. — *b*) Ex objecto per se non apto ad commovendam libidinem (licet per accidens illa quandoque oriatur), ut ex auditione musicae; tunc a quibusdam vocatur *pure sensitiva.* — *c*) Ex objecto carnali, sed non turpi, per se apto ad commovendam libidinem (licet per accidens non moveat ad illam), ut ex tactu vel osculo manus feminae; tunc nuncupatur *sensualis.* Cfr. *Sporer,* Theol. mor., P. IV, n. 680; *Ballerini-Palmieri,* de 6° Praec., n. 70; *Noldin,* n. 7.

Impudicitia est vitium, pudori humano repugnans, in usu venereorum et ad ea ordinatorum: v. gr. in copula carnali, et in aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus, aliisque ad eam ordinatis. — Eis affinis est *lascivitas,* quae est corporis motus indecens, ex animi dissolutione procedens.

Impudicitia, per se, differt a luxuria, quia non est cum delectatione venerea necessario conjuncta; ad hanc tamen facile ducit, et ob istiusmodi proximum periculum est ordinarie graviter mala, atque ideo, in praxi, peccata impudicitiae a peccatis luxuriae imperfectae, vel indirecte volitae, vix distinguuntur (cfr. n. 769).

DIVISIO. Luxuria multipliciter dividitur:

1° Ratione finis intenti, alia est *directe* volita, quando scilicet voluptas de proposito in se *intenditur;* alia est *indirecte* volita, quando

Digitized by Google

aliud intenditur, ex quo voluptas exoritur. — 2° Ratione effectus secuti, alia est *consummata* (seu perfecta), in qua intervenit seminis vel humoris effusio; alia est *inconsummata* (seu imperfecta), in qua non intervenit ille venereorum terminus. Ambo specifice inter se differunt (cfr. n. 791, 792). — 3° Ratione actus, alia est *interna,* alia est *externa.*

Subdividitur luxuria, ratione circumstantiarum, in varias species, ut infra n. 771 seqq. explanabitur.

CAUSAE LUXURIAE. Occasiones, causae, quae hominem ad luxuriae actus ducunt, sunt innumerae: *a*) Dantur *causae externae,* ut sunt: mala exempla, otium, interrogationes imprudentes (quandoque in sacro Tribunali), solitudo, nonnulla anni tempora, saltationes, visitationes adamantium, etc. Cfr. n. 824. — *b*) Dantur *causae internae,* quae scilicet in subjecto observantur: curam non habere genitalium, diu sedere, lecto supine cubare, gestare vestimenta nimis angusta, cibis excitantibus vel substantiis narcoticis uti, etc. — Haec omnia vel irritant partes genitales, vel imprimis congestiones afferunt in medulla spinali.

Causis internis annumerandi sunt *morbi quidam,* ii praesertim qui nerveum systema vel medullam spinalem afficiunt. Potiores sunt: phtysis pulmonaris, arthritis, chlorosis, nevrosis genitalium, epilepsis, paralysis dementium progressiva et praesertim hysteria. Nil mirum igitur, quod dentur multi qui *hypersexualite* vel *perversione sexuali* laborent, a. v. qui nimis ad sexualia vel ad perversa inclinentur. Sunt qui voluptatem non sentiunt, nisi crudeliter in seipsos (Masochismus) vel in alios (Sadismus) animadvertant. Sunt qui insane ad nefanda scelera sodomiae trahuntur. — Videat prudens confessarius cuinam medico christiano tales poenitentes commendet; quia remedia hygienica ad eos levandos multum conferunt. Meminerit etiam, apud hos imputabilitatem saepe minui, imo quandoque tolli. Cfr. *Antonelli,* II, n. 160, ubi omnia copiose.

768. — PRINCIPIA. I. **Luxuria directe volita est grave peccatum ex toto genere suo.** Dicitur: 1° *Est grave peccatum;* ratio desumitur ex frustratione finis naturalis hujus delectationis. Peccatum enim grave, seu gravis inordinatio est usurpare ad bonum mere privatum delectationem summam, quam natura constituit et ordinavit ad bonum commune, nempe conservationem et propagationem generis humani. Atqui hoc facit luxuria directe volita. *S. Thomas,* 2. 2, q. 153, a. 3.

Confirmatur ex ratione *boni communis.* Id sane graviter illicitum est, quod, nisi prohiberetur, in grave cederet damnum totius hominis imo et humani generis. Jamvero si voluptas venerea extra matrimonium licita foret, homo absque freno cum maximo sui detrimento, ei se dederet; quia carnali voluptati id proprium est ut totam naturam rationalem et quidem in utroque sexu corrumpat. Multum enim afficimur ab iis in quibus delectamur; et ideo ratio vel omnino aufertur, vel valde debilitatur circa cetera in eo, qui istiusmodi delectationibus se tradit. Adde ipsum corpus luxuria debilitari morborumque colluviem frequenter generari. — Accedit gravissimum argumentum ex damno quod ipsi generi humano obveniret; parum enim curarent homines de ma-

Digitized by Google

trimonio ineundo et de prole generanda, si absque tali onere voluptas foret licita. — Demum patet ex Apostolo declaranti luxuriosos a regno Dei excludi (*Gal.*, 5, 19).

2° *Ex toto genere suo;* ita ut omnis delectatio venerea, *etiam levis,* cum plena advertentia et consensu capta, extra matrimonium, sit peccatum mortale. — Ratio est, quia quaelibet, etiam levis, delectatio carnalis, ob summam hominis ad venerea propensionem, vel implicat inordinationem supradictam, vel proximo hominem exponit periculo ad completam usque et certo gravem delectationem progrediendi. Quod autem graviter peccandi periculum generat, id, licet in se foret veniale, fit grave ratione periculi adnexi (*Billuart,* de Temper., D. V, a. 2). — Lex ergo naturalis prohibens luxuriam directe volitam est veluti lex Creatoris generis humani, fundata *in praesumptione communis periculi,* seu in praesumptione juris. Cfr. dicta de obligatione hujusmodi legis n. 191-192.

Confirmatur ex prop. 40, damnata ab Alexandro VII, quacum, ut ait *Viva,* contraria sententia aegre componi potest: « Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis » (III, 415; H. Ap., IX, 2).

769. — II. Luxuria indirecte volita (itemque impudicitia) admittit parvitatem materiae, i e. reputatur gravis vel levis, prout actus ex quo delectatio carnalis secutura praevidetur, in eam, vi et natura sua, vel proxime et graviter, vel tantum remote et leviter influit. — Ratio est, quia effectus malus, qui praeter intentionem ex actione sequitur, eo gradu malus habendus est, quo mala fuit ipsa causa. Recole dicta de *voluntario indirecto* (n. 313-315).

Corollaria. Ad cognoscendam gravitatem luxuriae indirectae attendendum est ad *finem,* ob quem actus exercentur, et insuper ad *periculum* quod afferunt. — Actus possunt, extra matrimonium, ex quadruplici fine exerceri: 1° ex intentione delectationis venereae; — 2° ex intentione delectationis sensibilis; — 3° ex animi levitate, petulantia et curiositate; — 4° ex necessitate, vel ex alia justa causa.

a) Si praedicti actus exercentur *ob delectationem carnalem,* sunt peccata mortalia, licet non sint in se multum inhonesti. Ratio, quia intentus finis est graviter malus; ex quo fine reincidit actus impudicitiae in luxuriam directe volitam. Hinc, tangere manum feminae ob delectationem carnalem est peccatum mortale (III, 415).

b) Si exercentur, secluso affectu venereo, *ex sola intentione delectationis sensibilis,* plures quidem auctores negant, eos excedere culpam venialem; quia, inquiunt, non magis inordinatum est se delectare de contactu manus feminae ac de contactu rei lenis, v. gr. rosae, panni serici et similis. — Sed, attentis circumstantiis modi, temporis, haec sententia, praesertim si tactus fiunt cum

Digitized by Google

plena advertentia et consensu, *non est practice probabilis* [1], quoniam eam delectationem *studiose* quaerere, plerumque, ob corruptam nostram, naturam periculum incidendi et consentiendi in carnalem delectationem secum fert, maxime *in personis ad copulam aptis* et maxime si actus isti habeantur *cum aliquo affectu et mora.*

c) Si exercentur *ex levitate, joco, curiositate,* non sunt, *per se,* nisi peccata venialia; dummodo in se non sint valde inhonesti, nec fiant cum mora et proximo periculo libidinis, vel cum scandalo aliorum, uti esset, si fierent ab ecclesiasticis (III, 418). — Idem dicendum, si actus fiant ex *nervorum irritatione.*

d) Si exercentur ob *necessitatem* vel *justam causam*, v. gr. tactus a chirurgo ad medendum, non sunt peccata, etsi delectatio venerea suboriatur: dummodo voluntas illam aversetur et absit periculum consentiendi in illam [2]. Patet ex dictis de voluntario indirecto (n. 315).

Nota. Periculum luxuriae indirectae oriri potest non solum ex actibus quae se tenent per se in materia luxuriae (tactus, aspectus, etc.), sed etiam ex actibus quae *extra materiam luxuriae* vagantur, et nonnisi *per accidens* in libidinem influunt, v. gr. ex ebrietate, ex aspectu occisionis animalium, etc. — Utrumque genus actionum habere potest influxum proximum vel remotum. Vide dicenda n. 795, ubi fuse.

770. — QUAERITUR. *An dari possit* IGNORANTIA INVINCIBILIS *circa peccata luxuriae?*

Resp. Teste experientia, potest dari circa malitiam gravem quorumdam peccatorum luxuriae, sive non consummatae, sive etiam consummatae: 1° in adolescentibus, ad breve tempus, speciatim quando coram ipsis servatum fuerit altum de his rebus silentium; — 2° in rudibus (imo forsan et in aliis ad breve tempus), quando specialis intervenit circumstantia apparenter cohonestans. Sic, v. gr., ignorari potest gravis malitia osculorum vel tactuum inhonestorum inter sponsos, malitia actuum internorum, malitia onanismi inter conjuges qui numerosa jam prole gravantur. Cfr. dicta n. 125; *Göpfert,* II, 320.

Caveat confessarius, ne poenitentes assuetos vitio, cujus gravitatem quidem cognoscunt, sed cujus *specialem* malitiam ignorant, de hac speciali malitia admoneat. Talis enim admonitio videtur parum profutura, et ex ea multiplicarentur peccata formalia. — Secus dicendum, si poenitens opinetur aliquem actum libidinosum, quem exercet, non esse peccatum, aut non esse mortale; quia luxuriae *frequentatae* vix possibilis deinceps erit emendatio, et ignorantia, in tali casu, non potest esse nisi perquam noxia poenitenti (Praxis, n. 39; *Scavini,* I, 391).

[1] Cfr. III, 416, 418; H. Ap., IX, 3; *Lehmkuhl,* I, 1027. — Haec verba « *non est practice probabilis* » significant: non permittat confessarius, qua *pater* et qua *medicus;* quia actio, de qua sermo, est reprehendenda, ob *periculum certum* quod illa continet. Vide infra n. 837. — [2] Si causa non sit quidem justa, tamen aliquid utilitatis habeat, v. gr. studium non necessarium artis medicae, probabile est peccatum non fore mortale (*Lessius,* de Just., l. 4, c. 3, n. 118).

Digitized by Google

CAPUT II.

De peccatis luxuriae consummatae.

S. Thomas, 1. 2, q. 73; 2. 2, q. 153, 154; de Malo, q. 29, a. 7; *S. Alphonsus*, III, 432; ed. G., I, p. 677; *Sanchez*, l. 9, disp. 17, n. 16; *Van Roey*, Quaest. de 6° praec.; AA. denique jam citati.

771. — Peccata LUXURIAE CONSUMMATAE sunt duplicis generis. Alia sunt JUXTA naturam, eo sensu quod in his servantur ea quae postulat natura actus ad hominis generationem apti, nempe identitas speciei, sexus diversitas et congressus naturalis. — Alia sunt CONTRA naturam, in quibus scilicet conditiones ad generationem necessariae non servantur [1]. — Hinc duplex articulus.

ARTICULUS I.

De peccatis luxuriae juxta naturam.

Peccata luxuriae consummatae JUXTA NATURAM sunt: *fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium.* — Haec peccata specifice inter se differunt, non quidem ratione luxuriae, sed propter specialem malitiam, quae (fornicatione excepta) singulis superadditur, ex oppositione nempe ad alias virtutes, praesertim justitiam et religionem.

§ 1. De fornicatione.

772. — DEFINITIO. Fornicatio, in sensu lato, aliquando dicitur omnis illicitus concubitus. — In sensu stricto, *definitur:* Concubitus soluti cum soluta, ex mutuo consensu (III, 432; H. Ap., IX, 11).

Dicitur: 1° *Concubitus,* qualis nempe ad generationem requiritur, ut distinguatur a peccatis contra naturam; unde copula *castrati* cum soluta non est fornicatio. — 2° *Soluti cum soluta,* hoc est, quae sit libera a voto, matrimonio, religione, etc.; ex his enim nova species peccato adderetur. — 3° *Ex mutuo consensu,* ad excludendam violentiam, quia secus esset stuprum.

773. — PRINCIPIUM. **Fornicatio nunquam a peccato gravi excusari potest.** Constat: 1° Ex Scriptura Sacra (*Ephes.*, 5, 5): *Omnis fornicator aut immundus... non habet haereditatem in regno Christi.* — 2° Ex ratione: fornicatio est luxuria directe intenta, eo quod de se provocat voluptatem carnalem. Praeterea, finis congressui a Deo praestitutus non est sola generatio, sed etiam bona prolis educatio. Atqui proles ex fornicatione concepta non potest, ordinarie, bene educari. *S. Thom.*, 2. 2, q. 154, a. 2.

[1] III, 412; vide varios Codices poenales, relate ad poenas contra luxuriam latas; Cod. gall., 330 seqq.; hisp., 448-466; ital., 331 seqq.; austr., 125-133, 502, 505; germ., 172-185, 235 seqq.

Digitized by Google

« Fornicatio ergo, ex jure naturae, *semper* est intrinsece mala, licet aliquando *per accidens* a fornicario *proles bene educaretur*. Ratio, tum quia in hoc, ob magnum periculum hallucinationis, causa nimiae delectationis, facillime errari potest; tum quia natura considerat, quae communiter, non quae per accidens eveniunt; tum quia de se est contra jus naturae carni rationem subjicere, ut accidit in fornicatione, ob delectationem actus. In matrimonio autem esto eadem delectatio interveniat, Deus tamen speciali providentia disponit, ut talis deordinatio absit » (III, 432; cfr. I, 199). Hinc, merito damnata est ab Innocentio XI prop. 48ª: « Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur ». — Utrum vero fornicatio vetita sit ex *primariis* principiis legis naturalis, non adeo liquet.

774. — Corollaria. 1° *Fornicatio sponsorum* non induit diversam speciem peccati. Ratio est, quia « neuter aliquod jus tradit alteri in corpus suum, ita ut nequeat illo ad suum arbitrium uti sine alterius injuria » (H. Ap., IX, 13).

Si tamen fornicatio periculum induceret ne sponsus prolem alienam alere cogatur, justitia laederetur.

2° Ad fornicationem merito referuntur, sicut ad eamdem speciem, *concubinatus* et *meretricium*. Etenim plus vel minus non mutat speciem. Quandoque tamen, specialiter in meretricio, aliae species superaddi possunt.

a) CONCUBINATUS, qui est detentio feminae quasi esset uxor, *definitur* (ad sensum Juris canonici): « Fornicatio frequens cum eadem persona, animo retinendi illam tanquam propriae lasciviae mancipatam, sive in eadem domo, sive secus ». — Est peccatum *majus* quam simplex fornicatio, quia superaddit vitiosum habitum, habetque sibi annexum continuum peccandi propositum, saltem virtuale. — Unde Concilium Tridentinum (Sess. 24, c. 8, de Ref.) statuit adversus concubinarios, tum *excommunicationem ferendae sententiae* post trinam monitionem, tum *poenam expulsionis* extra oppidum, vel etiam extra dioecesim, implorato auxilio brachii saecularis: quod utinam adhuc in omni regione implorari posset! — Hinc est etiam cur, in multis dioecesibus, concubinatus inter casus reservatos numeretur. — Vide quoad *clericos*, pro quibus particulares dictantur poenae, n. 2233.

b) MERETRICIUM est status feminae, quae libidini multorum patet, sive ob quaestum, sive ob lasciviam. Unde, ut aliqua meretrix dici possit, debet saltem plures quam duos admittere. Meretricium est vel clandestinum, vel publicum, i. e. a potestate civili sub quibusdam normis permissum. — Est peccatum gravissimum, ratione dispositionis animae, scandali et nocumenti prolis, quae raro ex meretricio nascitur, et si quando nascatur, solet pessime educari.

775. — Quaestio specialis: DE PROSTITUTIONE. Nostris etiam temporibus acriter disputatur super quaestione: *An permittendae sint meretrices?*

Resp. Una sententia, haecque probabilis, *affirmat* cum *S. Augustino* (de Ord., l. 2, c. 4, n. 12) et *Angelico* (2. 2, q. 10, a. 11). Unica ratio est,

Digitized by Google

quia sic majora mala impediuntur, nempe sodomiae, adulteria, praevaricatio mulierum honestarum, etc. « Aufer, inquit *S. Augustinus,* meretrices: turbaveris omnia libidinibus »[1]. — Altera vero sententia, quae est practice probabilior, *negat.* Rationes sunt: *a*) ex tali permissione malis praedictis via non praecluditur; — *b*) eo quod facile meretrices adiri possunt, libido altiores figit radices; — *c*) alia mala oriuntur, nempe: plures puellae prostituuntur, adolescentes honestas nuptias respuunt, studia negligunt, etc. Ita *S. Alphonsus* (III, 434). — In omni casu, ut probat *Ven. Januar. Sarnelli* (op. de Abusu meretr., aggiunta, § 2), meretricium non potest permitti, nisi in magnis urbibus, idque sub certis conditionibus, ad removenda scandala. Cfr. *Noldin,* n. 18, in fine.

Nota. Pro praxi, tria notanda sunt: 1° Circumstantia *concubinatus,* aut *meretricii,* non est quidem per se manifestanda in confessione, cum non constituat speciem; manifestanda est autem tum ratione occasionis removendae, tum praesertim ratione intentionis habitae ab initio et complectentis multa numero peccata. — 2° Nec concubinarii, nec meretrices absolvi possunt, nisi de remota occasione et de emendatione plane constiterit (III, 435). Idem dic de *lenonibus* et *lenis,* qui, quaestus causa, proprias vel alienas feminas prostituunt (vide n. 1822). — 3° Fornicatores a confessario *interrogandi* sunt, num proles ex fornicatione nata sit, aut nascitura; an non prolis conceptionem impedire aut abortum procurare tentaverint, aut prolem natam neglexerint.

§ 2. De stupro.

776. — Definitio. Stuprum, in sensu *latiori,* est violatio vel oppressio cujusvis feminae, etiam viduae, aut alias corruptae. — In sensu *strictiori,* ut in jure canonico, est « defloratio virginis, ipsa invita ». Virgo autem *deflorari* dicitur, quando, prima vice, per viri concubitum, virginitate seu carnis integritate privatur. — Malitia stupri invenitur, licet imperfecto modo, in tactu turpi mulieris invitae.

Principia. I. **Stuprum, in utroque sensu, malitiam habet specialem.** Ratio est, quia praeter fornicationem continet injuriam gravem, ob illatam violentiam. Haec malitia *augetur* (at probabilius *intra eamdem speciem*), quando quis *virgini* aufert integritatem: haec enim reputatur, et merito, ceu bonum maximi pretii, quo virgines praesertim honorantur, et ad convenientia matrimonia expetuntur. Atque hinc est, cur stuprum virginis specialibus poenis, in jure canonico, plectatur (cfr. *Craisson,* n. 6266).

777. — II. **Ad crimen stupri sufficit violentia moralis et interpretativa.** Communiter enim stupri reus censetur qui virginem fraude (v. gr. falsa matrimonii aut magnae dotis promissione) vel gravi metu,

[1] Notetur tamen, praefata verba potius referre sententiam amici S. Augustini. Si consideramus quae S. Doctor in suis retractationibus, in sua expositione contra Faustum docet, secundae sententiae adhaerere videtur. Cfr. *Rösler,* Frauenfr., p. 221, 222.

Digitized by Google

etiam reverentiali, in malum induxit: sicut et ille, qui puellam usum perfectae rationis nondum adeptam, aut ebriam, aut fatuam, aut dormientem, sine praevio ejus consensu temeravit.

778. — Quaesita. QUAER. 1° *Quid agere debeat femina vi oppressa, ut sit immunis a peccato?*

Resp. Non potest se habere negative seu permissive, sed tenetur resistere, tum *interne,* ne voluptati consentiat, tum *externe,* resistentia saltem ordinaria, vim scilicet vi repellendo, ut ita victoriam reportet, et a Deo coronari mereatur (cfr. n. 736 et 755, fin). Vide *Salmant.,* tr. 25, c. 1, n. 29.

QUAER. 2° *An teneatur etiam clamare?*

Resp. Distingue: *Affirmative* (et etiam cum manifesto vitae dispendio), si immineat proximum consensus periculum; tunc enim et resistentia extraordinaria opus est. *Negative* vero, valde probabiliter, secluso tali periculo (ut evenire potest quando agitur solum de tactibus) cum periculo notabilis damni, sive infamiae, vel nimiae verecundiae. — Contraria tamen sententia, ut tutior, consulenda est; fitque *plane obligatoria,* si femina ob praeteritam experientiam, vel ob cognitam suam fragilitatem, sit *in speciali periculo* consentiendi postea in actum consummatum (III, 368, 430).

Nota. Pro praxi, notandum est quod casus mulieris oppressae, absque culpa propria, ratione irreligiositatis quae semper crescit, conditionis laboris in officinis, etc., in aliquibus regionibus, in diem frequentiores evadunt. — Unde sunt monendae mulieres, ne sine socia domum redeant, ut fortes, circumspectae se ostendant. « Ceterum, naturalis feminarum timiditas, et saepe confusio ex casu improviso, efficere possunt ut mulier magnam et virilem resistentiam non opponat, et nihilominus a culpa saltem formali immunis sit » (*Berardi,* Praxis, 266).

De RESTITUTIONE ob stuprum vide n. 956 seqq., in tr. *de VII Praecepto.*

§ 3. De raptu.

779. — DEFINITIO. Raptus (non quatenus impedimentum matrimonii, sed quatenus species luxuriae) *definitur:* Abductio violenta personae, libidinis explendae causa.

Dicitur: *abductio,* i. e. translatio de loco tuto ad non tutum ubi libertas tollitur; *violentia,* i. e. illata vi, sive physica sive morali, vel ipsi personae abductae, vel iis quorum potestati subest, parentibus scilicet aut tutoribus aut viro; *personae,* feminae vel maris, sive nupta sit, sive virgo, etc.; *libidinis explendae causa:* unde, si ad alium finem abducatur, v. gr. ut adhibeatur ad servitia, raptus iste est peccatum contra justitiam, sed non est species luxuriae. — Similiter si femina majorennis vel emancipata, sponte sua cum amasio, insciis parentibus, discedit, talis discessus non est proprie raptus, sed *fuga,* neque in hoc casu nova species malitiae fornicationi superadditur (III, 444).

780. — PRINCIPIA. I. **Raptus est peccatum grave contra castitatem et justitiam.** Contra *castitatem,* propter intentionem libidinosam; contra *justitiam,* propter illatam violentiam vel personae raptae, vel iis quorum potestati subest, vel utrisque.

Digitized by Google

II. **Raptus est peccatum a stupro specifice distinctum.** Raptor enim adimit injuste libertatem, quae est bonum ab integritate carnis distinctum. — Ex quo sequitur, circumstantiam raptus esse necessario in confessione aperiendam, licet libido expleta non fuisset, vel licet persona abducta in peccatum demum libere consensisset.

Nota. In Jure canonico (caus. 36, q. 1), *raptus* vocatur quaevis violentia, libidinis causa, feminae illata; et contra talem violentiam statuitur eadem poena, quin circumstantia abductionis commemoretur. In hoc igitur sensu, *stuprum* non differt a *raptu* secundum speciem, sed solum ut inferius a superiore, ita scilicet ut omne stuprum sit raptus, sed non vice versa.

§ 4. De adulterio.

781. — Definitio. Adulterium est copula habita cum persona conjugata.

Perfecta ergo malitia adulterii adest, cum per concubitum violatur torus vel proprius vel alienus, vel uterque simul. *Imperfecta* vero malitia adulterii habetur, si haec violatio fit per actus imperfectos, v. gr. tactus, vel per actiones quibus conjugatus illicite de proprio corpore vel de corpore suae uxoris disponit (vide infra n. 782).

Divisio. Adulterium est vel *simplex,* quando solutus peccat cum conjugata, aut conjugatus cum soluta; vel *duplex,* quando cum conjugata peccat conjugatus.

Principia. I. **Adulterium est peccatum grave contra castitatem et gravissimum contra justitiam, etiamsi adsit consensus conjugis.** Constat: 1° Ex Scriptura (*Deuter.,* 22, 22): *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque moriatur, id est adulter et adultera; et auferes malum de Israel.* Et (1. *Cor.,* 6, 9): *Neque adulteri regnum Dei possidebunt.* — 2° Ex ratione: Adulterium enim laedit, in re gravissima, jus alterius conjugis, officit bono prolis, nocet familiae, parit saepe scandala et rixas, innumeraque alia gignit mala, prout docet quotidiana experientia.

Diximus: *etiamsi adsit consensus conjugis;* quia talis cessio est nulla, cum jus in corpus conjugis utrique conjugi competens, sit exclusive proprium et prorsus inalienabile, ex divina institutione matrimonii, atque ex ipsa lege naturae. Unde proscripta est ab Innocentio XI haec propositio 50ª: « Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium ». Cfr. *Viva,* in hanc propositionem; vide quae superius, n. 723, statuimus.

782. — II. **Adulterium conjugati cum conjugata includit in se duplicem injustitiam numero distinctam.** Ratio patet; jura enim utriusque tori violantur. — Hinc, talis circumstantia in confessione aperienda est (cfr. n. 330).

Ex his conclude: 1° Adulterium soluti cum conjugata est gravius peccatum, per se loquendo, quam conjugati cum soluta. Ratio est, quia, in primo

Digitized by Google

casu, copula vel nocet generationi (quod non raro evenit): et tunc maritus injuste orbatur prole; vel intromittit falsos haeredes in familiam, aut saltem parit saepe prolis incertitudinem (III, 445). — 2° Qui sodomitice vel onanistice cognoscit propriam uxorem aut voluntarie polluitur, ex communi sententia, committit probabilius adulterium; quia tale flagitium est contra bonum datae fidei, et injuria in corpus conjugis (III, 446; *Sanchez*, de Matrim., l. IX, disp. 18, n. 5; *Lehmkuhl*, I, 1049; *Berardi*, II, n. 816). — 3° Qui rem habet cum *sponsa* alterius, non committit verum adulterium. Adest quidem, ex parte sponsae, promissio sui corporis, sed deest *peracta corporis traditio*, ut jam diximus n. 774.

§ 5. De incestu.

783. — Definitio. Incestus est concubitus cum persona, cognatione vel affinitate conjuncta, intra gradus in quibus non licet matrimonium inire. — Porro istius peccati malitia non solum congressu naturali contrahitur, sed etiam peccatis luxuriae contra naturam, vel non consummatis.

Divisio. Cum triplex detur cognatio, naturalis scilicet, spiritualis et legalis, et cum praeter cognationem detur etiam affinitas, hinc *quadruplex* distinguitur incestus, nimirum: 1° incestus cum persona consanguinea usque ad quartum gradum; — 2° cum affine usque ad quartum gradum, si affinitas provenit ex copula licita, et usque ad secundum, si ex illicita; — 3° cum cognata spirituali (quae cognatio oritur ex baptismo vel confirmatione); — 4° cum cognata legali (quae cognatio provenit ex adoptione). Cfr. n. 2015 seqq.

784. — Principia. I. **Incestus est peccatum speciale, gravissimam habens malitiam.** Adversatur enim tum castitati, tum pietati et reverentiae cognatis et affinibus debitae. Unde in *Levitico* (20, 14 seqq.) poena mortis plectitur; et *B. Paulus* (1. *Cor.*, 5, 1-5) incestuosum graviter corripit tradens eum Satanae, ut corrigatur.

785. — II. **Incestus inter cognatos spirituales et legales specie differunt, tum ab invicem, tum ab incestu cum consanguineis et affinibus; incestus autem inter affines, probabilius, specie non differt ab incestu inter consanguineos.** Ratio *primi* est, quia diversae cognationes ortum habent a radicibus formaliter diversis, videlicet: cognatio naturalis a natura, cognatio spiritualis a sacramento, cognatio legalis a lege. Imo, juxta *D. Thomam* (2. 2, q. 154, a. 9 et 10, ad 2), per copulam inter cognatos spirituales committitur sacrilegium ad modum incestus. Unde aperienda est, in confessione, haec qualitas incestus. — Ratio *secundi* est, quia materialiter se habet quod conjunctio oriatur ex sanguine, aut ex matrimonio, cum ex eodem pietatis motivo prohibeatur copula cum consanguineis et cum affinibus.

Sententia quidem, quae docet hos incestus specifice differre, est etiam probabilis; et ratio est, quia consanguineorum conjunctio oritur ex vinculo

Digitized by Google

intrinseco, i. e. ab identitate ejusdem sanguinis per generationem accepti; conjunctio autem affinium trahit suam originem a vinculo extrinseco, i. e. a copula habita cum illorum consanguineis (III, 448-450; VI, 469). Atvero in praxi, haec circumstantia seu distinctio (v. gr. quod quis toties cum *fratria*, et toties cum propria *sorore* peccaverit) potest apud confessorem reticeri.

786. — QUAERITUR. *An incestus differant* SPECIE *juxta gradus diversitatem?*

Resp. 1° Incestus inter consanguineos lineae rectae, in *primo gradu*, differt specie ab aliis ex communi sententia DD.; quia haec consanguinitatis propinquitas jure naturali ita dirimit matrimonium, ut ipsa Ecclesia dispensare nequeat. Praeterea incestus, in hoc gradu commissus, pietatem *per se* et *proprie* laedit, dum, in aliis gradibus, hoc nonnisi per participationem accidit.

Hinc, in confessione explicandum est, si pater peccavit cum filia, vel cum matre filius: quod crimen habet diversam malitiam, ratione specialis reverentiae parenti debitae. — Pari modo, incestus inter privignum et novercam, interque socerum et nurum, socrum et generum, specie differunt ab incestu inter alios affines (VI, 469, 470; H. Ap., IX, 17; *Lehmkuhl*, I, 1050).

Nota. Probabilem quidem *vocant* AA. recentiores sententiam contrariam, quae negat incestum in 1° gradu, inter consanguineos vel affines lineae rectae, specie ab aliis gradibus differre. Ita *Noldin, Génicot, Ballerini*, et ex antiquis Sporer, Suarez, Tamburini. — Nostram vero sententiam (quae apud antiquos erat communior) tuentur *Lugo, Cajetanus, Salmant., Roncaglia*, ipsique suffragatur ratio gravis. Cfr. n. 63, 2°, et 65. — Vide *Berardi*, II, n. 830, qui S. Alphonsum sequitur.

2° Controvertitur, an incestus inter consanguineos, in primo gradu lineae transversalis, nempe inter *fratrem* et *sororem*, specie differat ab aliis. Alii probabiliter affirmant, quia Ecclesia, repugnante, ut videtur, jure naturae, in hoc gradu nunquam dispensat. Alii probabiliter negant, eo quod prohibitio Ecclesiae nullam videatur importare differentiam, et licitum fuit matrimonium inter fratres et sorores Adae filios (VI, 470; H. Ap., IX, 18; cfr. *S. Thom.*, 2. 2, q. 154, a. 9, ad 3).

Quoad *ceteros gradus* consanguinitatis, ex sententia probabiliori, incestus specie non differt, sicut nec quoad diversos gradus affinitatis et cognationis legalis. Ratio est, quia inter illos matrimonium nonnisi jure positivo prohibetur (ib.).

Hinc, pro praxi, concludes: a) Extra primum gradum in linea recta, sive consanguinitatis, sive affinitatis, circumstantiam gradus, etsi peccatum notabiliter aggravet, non esse necessario confitendam.

b) Cognati, obtenta dispensatione ad matrimonium, *probabiliter non committunt incestum*, si ante matrimonium fornicantur. Ratio est, quia dispensatio tollit matrimonii prohibitionem; ubi autem matrimonium non est prohibitum, non est incestus (III, 452; IV, 1140). Cfr. n. 2052.

c) *Confessarius* probabilius non committit incestum rem habendo cum sua poenitente, cum inter eos nulla cognatio spiritualis exsistat. — *Parochus*

Digitized by Google

vero peccans cum sua parochiana peccat contra justitiam, cum vi officii sui suas oves verbo et exemplo pascere teneatur (III, 451). — Idem plures dicunt de *tutore* erga pupillam, et de omnibus quibus cura minorum specialiter commissa est. — Secus probabilius, si herus peccat cum ancilla, vel fidelis cum infideli, etsi peccatum sit gravius. Cfr. *Porpora*, V, 285.

Cetera, quoad *poenas*, etc., in tr. *de Matrimonio* explanabuntur.

§ 6. De sacrilegio carnali.

787. — Definitio. Sacrilegium (in materia luxuriae) est violatio *personae, loci,* vel *rei sacrae,* per actum venereum. — Est grande peccatum (sancta enim sancte tractanda sunt), et continet duplicem malitiam, unam contra castitatem, alteram contra religionem, ut constat ex dictis n. 578.

Principia. I. **Circa personam committitur sacrilegium, si quis luxuriose peccat habens votum castitatis, vel cum habente illud.** Cfr. n. 581.

Hinc: 1° Duplicis sacrilegii reus est sacerdos peccans cum persona Deo consecrata; quia laedit dupliciter religionem. — 2° Probabilius, unius tantum sacrilegii reus est sacerdos simul et religiosus, peccans contra castitatem; quia, quamvis ex duplici praecepto maneat obstrictus voto castitatis, attamen, quia contra idem ex eodemque motivo bis impositum praeceptum peccat, nonnisi unam virtutem religionis laedit. — 3° Sacrilegii reus est, qui obstrictus voto castitatis alium ad peccatum luxuriae inducit, saltem si inducat ex positivo affectu ad libidinem, vel morose delectetur de peccato carnali alterius, vel eum suis manibus polluat, quamvis sine sua delectatione (III, 455-457; H. Ap., IX, 20).

788. — II. **Circa locum committitur sacrilegium, quotiescumque actus luxuriosus patratur externe in loco sacro.** Vide n. 582.

Hinc, sacrilegium est pollutio voluntaria et fornicatio, commissae in ecclesia: et ita est probabilius, *quamvis crimen sit occultum,* nec ecclesia (sicut in pollutione aut fornicatione notoria) reconciliatione indigeat. — Item, juxta probabiliorem et communiorem sententiam, copula conjugalis, quam non excusat moralis necessitas, puta periculum incontinentiae conjugum, vel eorum diutina in ecclesia inclusio; item probabilius, actus *graviter* impudici, nimirum tactus, oscula, aspectus obsceni, sicut et obscena colloquia; et ratio est, quia omnes istae turpitudines laedunt reverentiam loco sacro debitam. — Actus vero interni, ut desideria et cogitationes, non sunt sacrilegia, nisi versentur circa peccata externe, licet occulte, in loco sacro committenda (III, 458-462; Conf. dir., IX, 6, ubi utilia).

789. — III. **Circa rem committitur sacrilegium, quotiescumque fit abusus rei sacrae ad turpia,** v. gr. sollicitatio in confessionali (cfr. n. 583). — Idem dicendum de sacerdote, qui turpiter peccat indutus ad missam, aut gestando eucharistiam, aut post communionem, quamdiu sacrae species durant (III, 463; H. Ap., IX, 23).

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De peccatis luxuriae contra naturam.

Peccata luxuriae *contra naturam* sunt illi actus turpissimi, in quibus non servantur conditiones ad generationem humanam necessariae. Jamvero, ex supradictis n. 763, constat quatuor ad generationem requiri, nempe, duorum concubitus, ejusdem speciei, diversi sexus, in vase debito; in quarum prima deficit *pollutio* (ad quam refertur onanismus); in secunda *bestialitas;* in tertia *sodomia perfecta;* in quarta *sodomia imperfecta.*

Agemus de singulis separatim.

§ 1. De pollutione.

790. — Definitio. Pollutio (seu mollities, masturbatio, a manu turbare) est humani seminis effusio, sine congressu cum alio. — Hic nomine *seminis* intelligitur non solum semen proprie dictum, quale est semen hominis, sed etiam improprie dictum, quale est semen feminae vel puerorum vel eunuchorum, quod ordinarie non producitur, nisi delectatio ultimum terminum attigerit. Cfr. n. 763, 3°.

Jam diximus (ib., 6°) quodnam discrimen adsit inter virilem pollutionem et distillationem.

Divisio. Pollutio potest esse: vel *voluntaria in se,* seu directe, ut masturbatio; vel *voluntaria in causa,* seu indirecte; vel *involuntaria,* quae contingit praesertim in somnis.

I. — De pollutione directe voluntaria.

791. — Principia. I. **Peccatum pollutionis essentialiter in hoc consistit, quod est completa luxuria contra naturam;** a. v. quod est « *usus completus membrorum genitalium extra concubitum* ». Est sententia communis inter theologos et opinio multo probabilior. Omnes enim in hoc conveniunt: pollutionem esse peccatum contra naturam; sed designanda est nota qua diversificatur ab aliis peccatis luxuriae, et haec in eo consistit, quod habetur effusio seminis sine concubitu, et quidem perfecte satiativa concupiscentiae, per actus qui ad procreationem jam *ordinari nequeunt* (*Van Roey,* Quaest. de 6° praec., p. 17). Idem constat ex auctoritate theologorum (cfr. *Eschbach,* c. IV, ubi plura; *Génicot,* I, n. 396) et ex communi doctrina de virginitate.

792. — II. **Pollutio directe voluntaria est semper peccatum mortale; ita ut nunquam illam directe procurare liceat.** Consentiunt unanimiter theologi, ita ut « nullus appareat catholicus qui

Digitized by Google

contradicat » (*Cajet.*, 2. 2, q. 154, a. 12). Constat: 1° Ex Scriptura (1. *Cor.*, 6, 10): *Neque molles regnum Dei possidebunt* (item *Rom.*, 1, 54 et *Gen.*, 38, 9). — 2° Ex ratione: ratio primaria quae tam pro masculis valet quam pro feminis, pueris et eunuchis, est quia (ut supra probavimus n. 768) nefas est directe delectationem quaerere carnalem extra legitimum usum matrimonii. Jamvero pollutio est luxuria directa et secum fert quam vehementissimam veneream voluptatem. Mala est igitur intrinsece. — Haec autem delectatio, quia appetitum satiat et physice completa est (cfr. n. sup.), specie differt a voluptate non consummata, quae ad procreationem adhuc ordinari potest; unde in confessione est distincte accusanda (cfr. *Lehmkuhl*, II, 1039, 3°).

Accedit ratio altera, quae usque ad finem saeculi XVI pro omnibus valere aestimabatur, sed hodie in primis pro masculis censetur valida, videlicet: pollutio finem frustrat intentum a natura, quae seminis effusionem, praesertim in viro, unice ad bonum generis humani, id est ad generationem prolis ordinavit. — Confirmatur denique ex propositione 49ª ab Innocentio XI damnata: « Mollities jure naturae prohibita non est; unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona » (III, 467, 476; cfr. *Sanchez*, l. 9, disp. 17, n. 15).

793. — III. Omnes pollutiones, secundum se, sunt ejusdem speciei, quocumque modo fiant, si fiant sine concubitu. Ita communiter contra quosdam AA., qui putant pollutionem in feminis non esse ejusdem speciei ac in viris. — Ratio: in quacumque pollutione habetur eadem nota specialis, quam in primo principio indicavimus.

Dicimus *secundum se:* quia ratione circumstantiarum possunt adjungi aliae malitiae specie distinctae. — *Hae circumstantiae desumuntur:* 1° ex parte *subjecti*, puta si habens votum castitatis polluitur, additur sacrilegium; si conjugatus, adulterium; — 2° ex parte *objecti* imaginati vel desiderati: sic pollutio habet sibi adjunctam speciem fornicationis, adulterii, etc., si fiat cum desiderio peccandi cum puella, conjugata, etc., aut cum delectatione de concubitu cun tali persona; — 3° ex parte *complicis:* si quis polluitur tactibus alienis, peccat tum ratione proprii peccati, tum ratione peccati alieni, i. e. ratione scandali, seductionis, vel cooperationis. Unde, si complex fuit persona conjugata, vel voto castitatis obstricta, vel consanguinea, talis etiam circumstantia in confessione aperienda est; non vero, ex probabiliori sententia, utrum fuerit vir, an mulier; quia cum non habetur concubitus, non adest de se affectus ad sexum, sed ad pollutionem (III, 416); — 4° ex parte *loci*, vel *rei*, puta si res sacra sumatur vel in loco sacro fiat pollutio (cfr. n. 788, 789).

Ex his colliges: 1° Ne ad vitam quidem conservandam, licebit sibi directe procurare pollutionem; item non licet tactu, situ, etc. voluntarie promovere pollutionem inceptam. — Motus tamen, qui stante exoneratione involuntaria a musculis oriuntur, non computantur inter motus deliberatos. Cfr. *Lehmkuhl*, I, 1042, nota.

2° « Non curandum est de variis modis ad pollutionem adhibitis. Sive enim vir sola imaginatione, aut aspectu rei turpis, sive tactibus, vel aliis mediis utatur. . .; similiter sive femina sola femorum compressione, sive clitoridis tractatione, sive digitorum vel alicujus instrumenti in vulvam intromissione, sum-

Digitized by Google

mam sibi voluptatem conciliet, sive altius penetrans, ipsum uteri collum turpiori prurigine sollicitet, *unicum* in cunctis istis agendi rationibus est scelus, videlicet pollutio » *Lugo*, de Castit., P. 3, sect. 2, c. 1.

3° Similiter, qui pollulitur tangendo personam dormientem, vel doli incapacem, vel animal, vel rem inanimatam, modo absit *affectus ad sexum* vel *concubitum*, contrahit solummodo malitiam pollutionis.

794. — REGULAE PRACTICAE. 1° Se polluentes interrogentur etiam de *tactibus* impudicis separatis a pollutionibus, et moneantur, tales tactus esse peccata mortalia, ratione nempe proximi periculi incidendi in pollutionem vel in delectationem veneream III, 454; Praxis, n. 41.

2° A *pueris* et *puellis* non exquiratur an adfuerit seminis effusio, vel magna delectatio: praestat enim deesse in integritate materiali confessionis, quam dare cognitionem eorum quae ignorantur, aut saltem acuere periculosam curiositatem H. Ap., tr. ult., n. 37. Sciat tamen confessarius quid dicant periti medici, nempe: puellas, quamvis naturaliter ad venerem minus proclives ac pueros, masturbationi priores se dedere, ob pruritum in verendis tam facile apud illas exsistentem *Antonelli*, II, n. 246 seqq.; *Bossu*, Anthropol., II, p. 48).

3° Nunquam petendum est a *feminis* an adfuerit pollutio; quaestio enim est inutilis. Pollutae habentur, quando ex vehementi organorum commotione magna in eis delectatio exsurgit; qua completa, appetitus venereus satiatur et quiescit. Unde sufficit si interrogentur, utrum sibimetipsis satisfecerint modo inhonesto, vel passionem expleverint (*Scavini*, I, n. 778, adn.).

4° Si *pueri* interrogant de hoc vel illo peccato de quo audierunt in praedicatione, respondendum est vel verbis generalibus, inspirando hujus peccati horrorem, vel mentem ad alia traducendo.

5° Si quis a voluptate per horas, imo per dies, miserrime exagitatus, ope actionis levis quae non *ex se* ad pollutionem tendat, v. gr. crus cruri imponendo, sibi procurat exonerationem, eum non a priori damnes de reatu pollutionis directe volitae, modo *intentio* pollutionis desit. In hac agendi ratione, potius adest licita permissio, quam volitio (*Lehmkuhl*, I, 1042).

II. — De pollutione indirecte voluntaria.

Quaestio de imputabilitate pollutionis indirecte voluntariae non est confundenda cum quaestione, licet affini, de periculo consensus.

Pollutio indirecte voluntaria est illa quae, in confuso saltem praevisa, provenit ex actione plus minusve in illam influente, et voluntarie posita.

795. — PRINCIPIA. I. **Pollutio indirecte voluntaria imputatur ad culpam, quando nulla datur necessitatis vel utilitatis ratio ponendi actionem, ex qua secutura praevidetur.** Culpa autem est *gravis* vel *levis*, prout actio, sine ratione sufficienti posita, graviter vel leviter in pollutionem influit. — Constat ex dictis de *voluntario indirecto* (n. 314-315).

Hinc: 1° Est GRAVE peccatum, quoties actio, quae sine necessitate ponitur, est *causa proxima* seu *directa* pollutionis: ut, v. gr., lectio vel auditio rerum valde turpium, voluntarius et morosus aspectus rerum penitus obscenarum, colloquium diuturnum cum puella inordinate dilecta (saltem ob periculum consensus), injectiones, tactus turpes et libidinosi, praesertim in corpus

Digitized by Google

alienum, attenta cogitatio de concubitu, etc. — Haec enim *per se graviter* influunt, et qui ponit talem causam, advertens ad periculum pollutionis saltem in confuso, vult eo ipso effectum connaturaliter ei conjunctum, etsi illum non intendat (III, 424-426, 482; H. Ap., IX, 33).

2° Est VENIALE, quando actio, quae sine necessitate et sine utilitate ponitur, est pollutionis *causa remota,* i. e. talis, ut ipsi periculum raro, vel per accidens, adjungatur. — Hujusmodi actiones sunt: *curiosus* aspectus mulieris formosae, vel indecentis picturae, vel coitus animalium (modo non sit aspectus diuturnus), lectio *curiosa* libri leviter turpis, hisque similia, quae in genere luxuriae sunt peccata venialia. Excipe, si quis nosceret pollutionem sibi frequenter inde evenire; quia tunc ex ista *speciali* dispositione haec essent, respectu sui, causa proxima pollutionis [1] (cfr. n. 769).

Quod severius tamen diceretur « si causae (in genere impudicitiae) forent *omnino leves,* prout essent visus partium honestarum mulieris, lectio leviter turpis, colloquium cum femina non diuturnum, vel leviter obscenum; quia est quasi moraliter impossibile, omnes has causas communiter evitare » (III, 484).

3° Item, pollutio imputatur ad culpam VENIALEM, si causa mortalis quidem est, sed *non in genere luxuriae,* ut ebrietas vel intemperantia graviter peccaminosa; quia talis causa, non per se, sed potius ex infirmitate naturae, et *per accidens,* influere censetur [2] (H. Ap., IX, 35).

796. — II. Pollutio indirecte voluntaria vacat omni culpa, si adest sufficiens ratio ponendi ejus causam, remoto omni consensu in delectationem veneream, ejusque periculo. Constat ex dictis de *voluntario indirecto,* n. 315. Ratio autem agendi reputatur *sufficiens,* quando est proportionata, i. e. gravis pro periculo proximo, levis pro remoto. Sic a levi influxu (etiam in genere turpi) excusat quaevis causa rationabilis necessitatis, utilitatis, aut convenientiae. Cfr. III, 483; H. Ap., IX, 34, 35; *Berardi,* Theol. mor., n. 760.

Hinc, peccatum per se non est: recreationis causa equitare; sumere temperate calefactorios cibos; exercitia gymnastica peragere; certo situ in lecto cubare; ex honesta causa loqui cum persona alterius sexus; cognatam juxta morem patriae osculari aut amplexari; infirmis servire; eos in balneis adjuvare; exercere artem chirurgicam; suavem cantum audire; excipere confessiones fidelium, et similia; quamvis praevideatur per accidens secutura pollutio, modo non intendatur, et firmum adsit propositum ei non assentiendi, si forsan obveniat. — Vide etiam n. 810.

Nota. Ubi, praeter periculum materialis pollutionis, datur aliquod periculum *formalis consensus,* ratio gravior et cautela specialis sunt necessariae, ut dictum est n. 375. — Vide n. 800, de cautelis vel remediis adhibendis.

[1] Excipe etiam, si quis, ponendo causam levem, se sentiret commotum, et nihilominus pergeret sine ratione eam causam ponere (*Lehmkuhl,* I, 1030). — [2] Aliqui AA. (v. gr. *Noldin,* n. 12) rem aliter explicant. Secundum eos, si aliqua causa remote influit in commotionem, semper adest solummodo peccatum veniale, etiamsi quis, ponendo tales causas, sciret se frequenter ex hoc delectationem pati. Ratio eorum est sequens: effectus malus in his personis potius *per accidens* producitur, ex speciali nempe infirmitate qua laborant. Influxus in effectum potius ex natura actionis est desumendus. — Haec autem non placent; quia, cum certum sit, in quaestione de occasionariis et aliis materiis, multum attendi ad *relativam connexionem* actionis cum effectu, cur in nostra materia haec essent negligenda? Melius igitur *S. Alphonsus.* — Ceterum ipse *Noldin,* postea (n. 35, *b*), alia eaque saniora docet.

Digitized by Google

III. — De pollutione involuntaria.

797. — PRINCIPIA. I. **Pollutio involuntaria et naturalis vacat omni culpa.** Ratio per se patet. Cfr. *S. Thom.*, 2. 2, q. 154, a. 5; 3, q. 80, a. 7. — Dicitur *involuntaria* et *naturalis:* ea scilicet quae, sine ulla (neque directa neque indirecta) cooperatione voluntatis, provenit ex causis mere naturalibus et stare potest cum delectatione. Ita exoritur pollutio quandoque, ex superfluitate naturae, organorum debilitate, nimia corporis calefactione, etc. — Nocturnam pollutionem directe intendere et procurare est mortale (*Génicot,* I, n. 400).

798. — II. **Non datur per se obligatio cohibendi pollutionem sponte sua evenientem;** *modo absit et* CONSENSUS *in delectationem, et proximum ejus* PERICULUM (quod ex praeterita experientia quisque dijudicare potest). — Ratio est, tum quia difficillimum est jam inceptam cohibere, tum quia homo non tenetur naturalem hunc effectum impedire cum periculo gravioris tentationis, aut alterius incommodi (cfr. n. 353, q. 2). — Expedit tamen ad salutem corporis eam cohibere aut impedire, illis praesertim, qui frequenti pollutione extenuantur (III, 479).

Notat *S. Alphonsus:* 1° Qui pollutionem patitur, debet curare, ut eo tempore mentem a delectatione avertat, et Nomina SS. Jesu et Mariae devote et fiducialiter invocet, ut ita consensum vitet. — 2° Qui semisomnis de pollutione se delectat, non est damnandus de mortali, cum ad mortale requirantur tum plena advertentia, tum perfectus consensus. Atque idem dicendum est de nocturnis tactibus (H. Ap., IX, 32).

799. — *Quid,* quaeres, *de distillatione et commotione carnali?*

Resp. 1° « Si est cum aliqua delectatione venerea, vel cum commotione spirituum, erit quidem mortalis, si non vitetur, sicut vitanda est pollutio. — Si vero evenit absque sensu et commotione, poterit ea permitti, tanquam emissio alterius excrementi, sed nunquam potest data opera procurari » (H. Ap., IX, 30). Aliis verbis: de illa non est curandum, neque adest obligatio talis effusionis causas omittendi.

2° Idem, proportione servata, dicendum videtur de commotione partium genitalium. Si gravis sit et libidinosa, debet, sicut ipsa pollutio et iisdem adhibitis cautelis, vitari; si levis, et proveniens ex actione honesta, vel ex infirmitate naturae, praestat eam contemnere, et se divertere ad alia (cfr. n. 322). — Generatim dici potest, quod ea, quae de pollutione statuuntur principia, eadem hic valent.

800. — *Nota.* REMEDIA ad sanandos peccato pollutionis assuetos sunt: 1° In ordine *naturali,* abstinentia a liquoribus et alimentis calidis aut irritantibus; discretae mortificationes; labor ac defatigatio corporis custodia sensuum; prompta turpium cogitationum repulsio; fuga occasionum, librorum

Digitized by Google

pravorum, personarum diversi sexus, tristitiae, solitudinis, otii, etc. Consulunt etiam, vestibus tegere partes commotas ac comprimere (*S. Alph.*, V, 8; *Berardi*, de Sexto, n. 772; *Sani*, de Sexto, n. 1885, I et II). — 2° In ordine *supernaturali*, fervens oratio, et Beatae Mariae Virginis invocatio, praesertim tempore tentationis, eleemosynae, maxime vero frequens accessus ad sacramenta. « Vix puto esse aliud efficax remedium, quam *frequentissimam confessionem* adhibere; est enim hoc sacramentum maximum frenum, et qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum ». Ita cum Toleto *S. Alphonsus* (VI, 464). Cfr. *Antonelli*, II, n. 176 seqq., ubi multa perutilia. Vide infra (n. 1831), quomodo agendum cum habituatis et recidivis.

§ 2. De onanismo.

801. — Notio. Onanismus (seu peccatum Onan) est copula ita peracta, ut ex semine effuso generatio sequi non possit. — Crimen istud patratum inter solutos est duplex peccatum, fornicatio nempe inchoata et effectiva, et pollutio in effectu. — De onanismo inter conjuges dicetur in tr. *de Matrimonio* (2114 seqq.).

Specialis malitia onanismi, quando committitur *a solutis*, non raro ignoratur; quia hi facile sibi persuadent, ibi minus intervenire malum, ubi scandalum vitatur et consulitur honori puellae. Confessarius igitur interrogationes non urgeat, si poenitens in bona fide esse videatur, nec adsit specialis ratio eum monendi, vel interrogandi, an peccatum fuerit consummatum, v. gr. ob suspicionem attentati abortus.

Nota. Ad onanismum refertur, quatenus hujus periculum inducens, *congressus inordinatus*, in quo scilicet non servatur ordo naturalis concumbendi: v. gr. cum vir succumbit, vel averse accedit more pecudum, vel a latere, vel stando, vel sedendo, aliove insolito nodo. *An et quale sit peccatum*, vide n. 2100.

§ 3. De sodomia.

802. — Definitio. Sodomia est concubitus cum indebito sexu, vel in vase indebito (III, 466). — Dicitur: *concubitus*, i. e. corporum conjunctio: in hac enim invenitur ratio constitutiva hujus peccati; non necessario ad eam pertinet vasis penetratio, nisi in sodomia imperfecta.

Sodomia est vitium amicitiarum particularium, et vocatur paederastia vel amor lesbicus, secundum quod masculi masculos, vel feminae feminas indebito amore invicem prosequuntur. — Hodie in multis regionibus medici omnem movent lapidem ut sodomitae (uranistae, tribades, tertius sexus) non tam severe a jure civili puniantur.

Divisio. Duplex, et quidem specie diversa, sodomia distinguitur: perfecta nempe et imperfecta. — *Perfecta* est concubitus ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel feminae ad feminam. Ita probabilius cum *S. Thoma* (2. 2, q. 154, a. 11). — *Imperfecta* est concubitus cum persona diversi sexus, sed in vase innaturali. — Utraque, ratione effectus, est vel *consummata*, si fiat cum seminis effusione intra

Digitized by Google

vas indebitum, vel *non consummata,* si deest seminatio, aut si semen extra vas effundatur.

Perfectae sodomiae malitia specifica tota consistit in affectu *ad indebitum sexum;* ac proin inter ejusdem sexus personas « perfecta est sodomia *in quacumque parte corporis* fiat congressus, quia ordinarie semper adest tunc affectus ad indebitum sexum » (H. Ap., IX, 24). Malitia vero *imperfectae* sodomiae consistit in affectu ad *vas indebitum.* Quapropter, si sexus sit diversus, requiritur copula in vase praepostero, ad contrahendam hujus sodomiae malitiam.

PRINCIPIA. I. **Sodomia est crimen multo gravius simplici pollutione.** Constat ex horrore quem apud omnes excitat, tum etiam ex poenis inauditis, quas Deus Sodomae inflixit (cfr. *Genes.,* 19; et *Rom.,* 1, 26, 27).

803. — II. Sodomitae, sive sint agentes, sive patientes, utroque puniuntur jure. 1° Si sunt *laici,* merentur ex jure civili (romano) poenam mortis, et combustionem cadaveris. Haec hodie non amplius vigent, sed irrogantur aliae poenae. — 2° Si sunt *clerici* aut *religiosi,* incurrunt ex jure canonico (sed post sententiam) privationem officiorum, beneficiorum et omnis privilegii clericalis: debentque tradi brachio saeculari, quando scilicet sodomia est perfecta, consummata (in vase praepostero) et frequentata. Const. *Horrendum* S. Pii V (cfr. III, 470; de Privil., n. 19).

Solent etiam Episcopi hunc casum sibi reservare, si *sodomia sit perfecta et consummata,* i. e. si peragatur cum persona ejusdem sexus, et adsint penetratio vasi praeposteri et seminatio.

804. — *Ex dictis resolves:* 1° Non est sodomia, si fiunt solum tactus mutui, etsi cum pollutione, sed sine concubitu, seu corporum conjunctione. Nec est sodomia, si vir se polluit inter crura, brachia, ubera mulieris; est autem fornicatio in effectu, pollutio in effectu; si vero in ore ejus, alii dicunt esse peccatum speciale contra naturam, quod *irrumationem* nominant, alii, prout supra, fornicationem in affectu, pollutio in effectu. Sed si pollutio viri fit in ore maris erit sodomia perfecta (III, 466; VI, 935; H. Ap., IX, 25).

2° In confessione, per se, declarari debent: *a*) Sexus complicis, ad distinguendam nempe sodomiam perfectam ab imperfecta. — *b*) Ipse sodomiticus congressus, i. e. turpis concubitus; sed non in qua corporis parte adfuerit, si idem fuerit sexus, copula vero in vase praepostero, si sexus fuerit diversus. — *c*) Qualitas personae, an fuerit conjugata, cognata, etc. — *d*) An pollutio adfuerit, necne; quae quidem in agente praesumitur, in patienti saepe exoritur; sed speciem ex se non mutat circumstantia: an quis fuerit agens vel patiens. Pollutio, si evenerit, est, tanquam peccatum a sodomia distinctum, in specie confitendum. — *e*) An vis adhibita fuerit (III, 468 seqq.; H. Ap., IX, 24).

3° Confessarius vero, ubi intellexit feminam a viro cognitam fuisse extra vas naturale vel praeposterum, non inquirat ulterius in quo loco, aut quomodo (III, 466). Similiter, si dicat vir: *Concubui cum viro;* vel femina: *Concubui cum femina;* non inquirat, an super carnem nudam, an super vestes, etc.; declaratis enim libidinoso congressu et qualitate personae, nihil ulterius investigandum est; et sodomia supponitur facta eo modo quo, ratione sexus, res

Digitized by Google

fieri potuit. — Si vero casus esset reservatus, deberet confessarius indagare an fuerit perfecta sodomia consummata (quae inter mares tantum haberi potest); ast, in praxi, cautissime procedat, ne indecentes ponat interrogationes.

§ 4. De bestialitate.

805. — Definitio. Bestialitas est coitus cum bestia. Difformitas specialis hujus peccati in hoc consistit, quod quaeritur delectatio venerea cum ente diversae speciei, per accessum et affectum ad tale ens. Cfr. infra dicenda n. 833.

Principium. **Bestialitas est inter peccata luxuriae gravissimum,** ut ex se patet. Hinc, morte puniebatur in lege Mosaica (*Lev.*, 20, 15): *Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Mulier, quae succubuerit cuilibet jumento, simul interficiatur cum eo.*

Ad bestialitatem revocatur peccatum *cum daemone succubo vel incubo.* Superadditur huic peccato malitia contra religionem. Praeterea habetur malitia sodomiae affectivae, aut fornicationis, si daemon apparuerit in forma pueri, aut mulieris; adulterii, aut incestus, si in forma mulieris nuptae, consanguineae vel affinis; secus tamen valde probabiliter negandum, si concumbens delectetur de muliere illa a daemone repraesentata non qua nupta, aut moniali, sed qua pulchra (III, 475; H. Ap., IX, 28).

Nota. 1° Si hoc peccatum est reservatum, ordinarie reservatio non incurritur, nisi adsit penetratio in vase cum seminatione.

2° De bestialitate caute interrogandi sunt libidini multum dediti, praesertim agricolae et custodes pecorum; quia ex his plures aestimant flagitium sufficienter pollutione declarari. — Aliunde, quot inveniuntur qui, cum illud semel aut iterum commiserint, forsan solum in adolescentia, de illo diutissime taceant! (*Scavini*, I, n. 922). — Caute etiam aliquoties interrogentur quaedam personae, quae canes vel feles nimium amant, iisque insane blandiuntur.

3° Satis est, cum confessario de horrendo congressu cum bestia constat, ut concubitus discernatur a simplici tactu obsceno. Sicut inconveniens ita et supervacanea foret inquisitio de *modo* congressus, de bestiae specie aut sexu; quia tota flagitii deformitas consistit in accessu ad diversam speciem.

806. — Regulae practicae. Circa opera carnis, ait *S. Alphonsus*, interrogentur poenitentes: « cum qua *(persona)* rem habuerint (utrum nempe ex parte complicis adfuerint circumstantiae speciem mutantes); — num *alias* cum eadem peccarint; — *ubi* peccatum fuerit patratum (ad occasiones removendas); — *quoties* peccatum consummatum, et quot actus interrupti adfuerint, seorsim a peccato; — num peccato *multum ante* consenserint; nam tunc actus interni interrumpuntur, et tunc expedit formare judicium toties multiplicata fuisse peccata, quot morulae somni, distractionis, etc., adfuerint, prout sunt coram Deo, tantum interrogando de temporis duratione in peccato. Secus, si malum propositum fuerit conceptum per duos vel tres dies ante consummationem peccati et intra illud tempus non fuerit retractatum; quia tunc sumitur pro uno numero peccatum » (Praxis, n. 41).

N. B. De remediis luxuriae, vide n. 367 et n. 800.

Digitized by Google

CAPUT III.

De peccatis luxuriae non consummatae.

S. Alphonsus, III, 419; ed. G., I, 668; *Lehmkuhl*, I, n. 1032; *Aertnys*, l. 3, n. 227; *Berardi*, Theol. mor., II, n. 778; *Göpfert*, II, § 104; aliique AA. jam adducti.

807. — *Praenotanda.* Peccata luxuriae *non consummatae*, nempe in quibus non intervenit seminis effusio, duplicis sunt generis: alia quae ipsam luxuriam continent et vocantur actus libidinosi, motus carnales (n. 763); alia quae non ipsam luxuriam sed *causam* duntaxat luxuriam producentem complectuntur, et dicuntur actus impudici. Hi vero sunt vel *interni*, scilicet delectatio morosa, gaudium ac desiderium (de quibus egimus in tr. *de Peccatis*); vel *externi*, nempe *verba* et *lectiones, aspectus* et *tactus*. — Cum autem de moralitate motuum *carnalium* jam sermo fuit, tantummodo de actibus externis ad luxuriam provocantibus restat agendum.

Conspectus generalis. 1° Actus externi, de quibus loquemur, non sunt *intrinsece mali*; ad bonum enim et ad malum dirigi possunt.

2° In se autem sunt *periculosi*, quatenus remote vel proxime venereis viam parant. Ut ergo liciti fiant, ratio proportionata requiritur. Qui sine causa hos actus exercet, plus minusve implicite ex fine libidinis agit. Excipe (sed hi casus sunt rarissimi), si *vere constat* pro tali vel tali periculum castitatis abesse. Semper tamen timenda est hallucinatio, vel assuetudo ad quaedam quae postea periculosa fieri possunt. Cfr. dicta n. 769.

3° Ad constituendum in his actibus externis peccatum grave (praescindendo a pravo fine), tria concurrere possunt: *a*) *periculum consensus in delectationem*; — *b*) *scandalum*; — *c*) *influxus actionis in ordine ad delectationem veneream*. De postremo hic potissimum sermo erit. — Ad dijudicandam rationem influxus, attendatur ad circumstantias. Sunt enim quaedam actiones ordinarie pro omnibus periculosae; sunt aliae quae solummodo aliquos commovent. Quoad istas, gravitas influxus dependet *a circumstantia modi*, quo actio ponitur, si nempe fiat studiose, morose, repetitis vicibus, etc.

4° Qui actibus externis impudicis sibi procuravit pollutionem, non satisfacit praecepto confessionis, si tantum actus impuros accusat (cfr. 792); accusata autem pollutione, non obligatur (positis ponendis ex n. 793) ad accusationem medii adhibiti. — Idem dicendum, si quis intenderit sibi procurare motus carnales, vel tantum praeviderit tales esse orituros. In motibus enim carnalibus jam continetur luxuria, licet nondum consummata.

ARTICULUS I.

De turpiloquio et lectione obscenorum.

Morum corruptela, ut plurimum, ex obscenis colloquiis obscenisque lectionibus enascitur, juxta illud Apostoli (1. *Cor.*, 15, 33): *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*. Quare, in excipiendis confessionibus

Digitized by Google

adolescentium et aliorum sibi ignotorum, confessarius, cum ad sextum praeceptum pervenerit, poterit multum apposite interrogationes a turpiloquio exordiri.

Actus qui respiciunt conversationem humanam plerumque sunt causa luxuriae, ratione *scandali*. Ratione *cognitionis*, quam ignorantibus afferunt, minus influunt in luxuriam. Ideo gravitas peccati hic dignoscetur ex circumstantia *finis* intenti, vel *personarum* quae loquuntur aut coram quibus sermo instituitur, vel denique *modi* quo fit turpiloquium.

808. — PRINCIPIA. I. **Turpia loqui, canere, scribere, audire, legere, ex carnali delectatione, vel cum periculo proximo consensus in illam, vel etiam cum gravi scandalo, est peccatum mortale.** Ita omnes ex principiis de luxuria vel pollutione indirecte admissa (III, 426).

Hinc, graviter peccant, generatim: 1° Qui sermones permiscent, etiam ex levitate, de actu conjugali, de licitis et illicitis inter conjuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem, praesertim si *inter juvenes diversi sexus* id fiat.

2° Qui *ob jactantiam* narrant sua turpia peccata; et quidem ordinarie tripliciter: *a*) quia gloriantur de re mala; — *b*) quia praebent magnum scandalum; — *c*) quia de facili sibi complacent in peccatis patratis (H. Ap., IX, 9).

3° « Qui turpia dicunt *ob delectationem captam* ex cogitatione ipsarum rerum turpium, vel cum periculo talis delectationis, vel cum periculo gravis scandali, quod frequenter adest, cum talia proferantur coram juvenibus vel puellis » (III, l. c.).

4° Qui legunt, absque justa causa, libros *plane* obscenos (ut Zola, Alfred Musset, Georges Sand, Guy de Maupassant, etc.), licet ex sola curiositate, vel recreationis causa, id facere videantur; talis enim lectio, generatim, incitat multum ad libidinem.

Notandum est, periculum ex sermone impudico eo majus esse, quo magis particularia describuntur, quo magis sermo protrahitur, et demum quo major sympathia inter colloquentes intercedit. — Quocirca AA. advertunt, cum D. Thoma, non esse sine gravi periculo *diuturnum* colloquium cum puella inordinate dilecta (H. Ap., l. c.).

II. **Loqui turpia recreationis vel joci causa de se non est mortale, nisi audientes sint ita debiles spiritu ut scandalum patiantur, aut nisi verba sint nimis lasciva.** Ita *S. Alphonsus* cum S. Antonino et aliis (III, 426, 427).

Hinc: 1° Communiter non sunt gravia verba amatoria et dicteria turpia obiter prolata (v. gr. a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus); quia ludicre dicuntur et audiuntur. Excipe, ut jam dictum est, verba *nimis lasciva*, maxime *coram adolescentibus et junioribus honestisque feminis* prolata. — 2° Non peccant graviter, qui *ex mera curiositate legunt* libros lepidos, v. gr. comoedias leviter turpes; quia ad libidinem non graviter excitant, nec magno periculo exponunt (*Gury*, I, n. 420).

Digitized by Google

809. — III. Turpia loqui, scribere, legere, audire cum legitima causa, absque prava intentione et periculo consensus, et absque scandalo, nullum est peccatum.

Hinc: 1° Non peccant, qui legunt *libros obscenos,* ad scientiam necessariam comparandam, ad corrigendos mores, ad discendam historiae veritatem, ad Superiores informandos, etc., modo turpi delectationi non assentiant. — Idem dicendum de iis, qui ad exercendum et perficiendum stylum legunt antiquorum poemata; quae tamen *juvenibus* non sunt tradenda (cfr. Const. *Officiorum*, n. 10).

2° « Quoad lectionem *librorum romanticorum,* qui de amoribus tractant, in praxi distingui debet inter lectionem *assiduam* seu *frequentem,* et *fortuitam* seu *raram*. Prima, speciatim quoad juvenes, ut plurimum, sub gravi interdici debet; secunda non item, saltem ordinarie » (*Berardi,* Praxis, n. 810).

810. — De audientibus turpia. 1° Si *habent auctoritatem* in loquentes, tenentur eos ex officio cohibere. — 2° Si vero sunt *inferiores* vel *aequales,* aut admoneant, aut taceant, si silentium tanquam sufficiens admonitio habeatur.

Si turpiloquia sunt ex parte loquentis mortalia, audientes, si parum rident, vel nullum peccatum committunt (quia est motus primo-primus), vel non sunt illico atque indiscriminatim arguendi de peccato mortali; fieri enim potest, ut potius de modo dicendi, quam de rebus ipsis rideant, vel etiam ne dent occasionem pejora dicendi. — Religiosi tamen et clerici, qui speciali modo ad castitatem tenentur, praeberent facile grave scandalum (H. Ap., VII, 37, 3°).

811. — REGULAE PRACTICAE. Circa verba obscena interrogentur poenitentes: 1° *Quae dixerint verba,* i. e. in genere, non in specie; an sermones valde turpes habuerint; ut ita sciatur, utrum graviter an leviter peccaverint. — 2° *Coram quibus* et *quoties* ea prolocuti fuerint, ratione scandali: — an coram viris aut feminis, uxoratis aut non uxoratis, pueris vel adultis? Facilius enim scandalizantur puellae et pueri quam adulti, praesertim si agatur de adultis qui in hoc vitio sunt habituati. — 3° Num verba protulerint *ex ira,* vel *joco;* nam ex ira difficilius aderit complacentia et scandalum. — 4° Num *jactaverint* se de aliquo peccato; tunc enim saepe tria peccata concurrunt, ut dictum est (n. 352, 2°).

Interrogentur etiam, an se delectaverint *in audiendo* alios inhoneste loquentes; et an tunc adverterint ad correctionis praeceptum, putantes eam profuturam. — Dein graviter haec subjungit *S. Alphonsus:* « Caveat confessarius ab absolvendis recidivis in colloquiis turpibus, quamvis dicant se ea protulisse ex joco, nisi prius emendentur, vel signum extraordinarium doloris afferant. Heu, quid damni (inquit) a verbis inhonestis! Unum inhonestum verbum efficere potest, ut omnes, qui illud audiunt, damnentur » (Praxis, n. 40; Inst. Cat., P. I, c. 6, n. 21).

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De aspectibus impudicis.

812. — Visa influunt magis quam audita in phantasiam, atque inde in appetitum carnalem. Quare, oculos refrenare nescius, non potest caste vivere, ejusque anima tanquam arx aperta patet immundis spiritibus.

Influxus in venerea hic dignoscitur ex circumstantiis : *a*) *finis :* aliud est aspicere propter delectationem, aliud cum delectatione, ex curiositate, vel necessitate ; — *b*) *personae :* quaedam commovent juvenes, non senes ; virgines, non conjugatos ; extraneos, non domesticos seu assuefactos ; — *c*) *modi :* aliud est videre, aliud contemplari ; aliud casu, obiter, raro ; aliud studiose, morose, frequenter inspicere ; — *d*) *objecti :* sunt enim alia aliis magis incentiva.

Theologi membra corporis in tres classes dividere solent, pro majori minorive aptitudine quam habent ad sensum pravum excitandum. — Distinguuntur ergo : *partes honestae,* ut facies, manus, pedes ; partes *minus honestae,* ut pectus, dorsum, brachia, crura ; partes *inhonestae,* ut genitalia et partes illis magis vicinae.

813. — PRINCIPIA I. **Aspectus impudici, habiti ex luxuriosa intentione, sunt peccata mortalia.** Ratio est, quia finis, ad quem diriguntur, est graviter malus ; et constat ex verbis Domini (*Matth.*, 5, 28) : *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo.*

II. **Aspectus impudici, habiti sine justa causa, sunt vel graviter vel leviter illiciti, pro gravitate vel levitate periculi delectationem veneream concitandi.** Cfr. n. 769 et 807, ubi fuse de periculi gravitate, ejusque causis disseruimus.

814. — *Ex his resolves :* 1° Aspicere concubitum humanum, nisi *eminus* et *obiter* fiat, sine dubio est lethale (III, 419). — Item, aspicere verenda personae *diversi sexus* difficulter a mortali excusatur, nisi forte aspectus fiat *e loco valde longinquo,* et ita *obiter* ut nullum periculum delectationis adsit. Et hoc tenendum putat *S. Alphonsus,* etiamsi absit periculum commotionis, ratione aetatis puerilis aut senilis, aut frigidae complexionis ; quia inducit saltem periculum concupiscendi. Excipe, si oculi defigantur in infantem, quia talis aspectus concupiscentiam parum movet ; nisi *morose* vel *iteratis vicibus* fiat *cum pravo affectu* (III, 421).

2° Aspicere *propria* verenda est mortale, si fiat *studiose* et *morose,* absque necessitate ; secus, si *breviter.* Nullum vero est peccatum, si fiat ex necessitate, vel ex justa causa, nec adsit periculum consensus (III, 419, 482).

3° Aspicere verenda *ejusdem sexus, ex curiositate* vel *levitate,* ut contingit inter natantes, vel aliquando inter impuberes, non est mortale. Secus, si adsit affectus libidinosus, vel speciale periculum libidinis, v. gr. si aspiciens esset valde propensus ad sodomiam, vel si pulcher adolescens morose et delectabiliter aspiceretur nudus (III, 420). — Hinc, graviter reprehendendi sunt

Digitized by Google

simul natantes detectis verendis [1]; item pueri et puellae sibi invicem verenda detegentes, etsi obiter et ex levitate; id enim, si non est mortale, sine dubio ad mortale paulatim conducit.

4° Aspicere partes *minus honestas* personae diversi sexus, sed non turpes, videlicet brachia, crura aut pectus, non semper est per se mortale; sed si aspectus sit *deliberatus* et *diuturnus,* aut si aspiciens sit *ad venerem proclivis,* difficillime a mortali excusabitur. « Et idem sentio, ait *S. Alphonsus,* de eo qui *vultum* mulieris pulchrae morose inspicit, saltem si inordinato affectu eam diligat » (III, 422; H. Ap., IX, 8).

5° « Aspicere picturas vel statuas obscenas *ex mera curiositate,* dicunt auctores non esse mortale, si absit periculum turpis delectationis; sed vir *morose* aspiciens pudenda mulieris depictae nuda, vel levi solum velo tecta, nescio (pergit S. Doctor) quomodo a mortali excusari possit » (III, 424).

6° Aspicere commixtionem *animalium* (secluso scandalo et periculo consensus venerei) est veniale. Excusantur vero copulantes animalia ad procreandam prolem, modo absit animus libidinosus (III, 419, 484).

815. — III. Aspectus peccaminosi, qui fiunt sine desiderio, non induunt speciem objecti. Ratio est, quia aspectus est actus facultatis apprehensivae, et non appetitivae, ideoque terminatur non ad objectum vel personam extra nos exsistentem, seu concrete sumptam, sed prout in nobis imagine exprimitur.

Dicitur: *objecti,* i. e. personae quae aspicitur; quia ex parte subjecti agentis vel cooperantis (qui se praebet turpi aspectui), certae species peccati exsurgere possunt, ut supra (n. 793) de pollutione dictum est. — Quoad scandalum, vide n. 512.

Scholium.

De arte pictoris et sculptoris.

Ex dictis sequitur, quarumdam artium exercitium a reatu peccati excusare, quoad aspectus rei minus honestae. Qualis autem ars excuset, non est unus omnium sensus. — Certe excusat ars *chirurgi* vel *medici,* ad quam exercendam hujusmodi aspectus, studii vel muneris causa, necessarii exsistunt, ut patet.

Utrum autem ars *pictoris* vel *sculptoris* ad honesta opera producenda per se excuset, ita ut pictores vel sculptores uti possint *exemplari feminae nudae,* tectis tantum pudendis (vel partibus minus honestis), acriter disputatur. Nobis videtur, rectius sentire eos AA., qui hujusmodi media, ad artem eximiam adhibita, de se licita declarant, dummodo, *strictius quam in alia re,* cautelae adhibeantur. Rationes sunt: 1° Artes, de quibus est sermo, ad melius esse necessaria sunt. — 2° Media supradicta sunt ad finem perutilia, imo, ut testantur periti, ad perfectum opus necessaria; quia si ipsa deficiunt, facile aderit in

[1] Si tamen in aliqua regione sit introductus usus natandi sine ulla veste, efficere potest *assuetudo,* ut minus facile voluptas excitetur. — Quoad eos qui balneis, ut dicunt, *aëris* vel *solis* utuntur, ad sanitatem firmandam roburque nervorum augendum, de se, adhibitis cautelis, licite agunt. Cautelae sunt sequentes: stante fine rationabili, excludatur curiositas respectu sui vel alterius, tegantur saltem pudenda. Melius esset si adhiberetur vestis pertenuis et ampla, qua indutus, patiens intentum finem aeque facile attingeret. — Omnino respuenda est theoria moderna circa opportunitatem oculos aspectui nudi assuefaciendi. Paganorum sensum et luxuriam olet. Cfr. *Ami du Cl.,* Morale des artistes, 1912 et 1913; *Linz. Quart. Schr.,* Nacktkultur, vol. 61, p. 530; *Walter,* Der Leib in seiner Bedeutung (passim).

Digitized by Google

opere uniformitas, et non attingetur tam cito et tam accurate ea exacta omnium proportio et harmonia, quae sunt in pulchro essentialia. — 3° Accedit, ex parte incipientium (discipulorum), necessitas in academiis, ubi talia exemplaria adhibentur, sua studia persolvendi: ex quo postea sequitur magna difficultas aliam in labore methodum adhibendi.

Cautelae strictius quam in alia re adhibendae sunt sequentes: 1° Pictor vel sculptor non utantur talibus exemplaribus nisi in quantum iis indigent. — 2° Denudatio non extendatur ultra necessitatem. — 3° Voluntas remediis spiritualibus utatur, ut per se patet.

Ex his conclude: a) Excusantur pictores qui sine gravi incommodo a talibus academiis adeundis abstinere nequeunt.

b) Excusantur directores academiarum qui, *pro necessitate,* talia exemplaria exponunt. — Quod tamen non dixerimus de directoribus scholae privatae, in quibus praeter alias scientias etiam quaedam de arte pictorum traduntur (*Ami du Cl.,* 1910, p. 852).

c) Aequo severiores sunt AA. qui *mulieres,* a tenera aetate tanquam exemplaria inservientes, peccati gravis indistincte arguunt. Peccata, si quae ab inspicientibus committuntur, non unice ipsis, sed quandoque potius malitiae inspicientium sunt attribuenda. — Cfr. *Ballerini-Palmieri,* n. 44; *Berardi,* Prax. conf., n. 930; *Génicot,* I, n. 407; *Noldin,* n. 56; *Tanquerey,* n. 31; *Göpfert,* II, n. 235; *Piscetta* et alii.

ARTICULUS III.

De tactibus libidinosis.

816. — Libido crescit ex contactu; imo talis est venereae delectationis natura, ut ordinarie non perficiatur nisi cum aliquo corporum contactu, sive reali, sive saltem imaginario.

1° Certum est apud omnes, tactus non esse quid intrinsece malum, sed indifferens. — 2° Quoad delectationem sensualem ex tactu provenientem, recolenda sunt quae jam n. 769, 2° diximus: aliqua esse speculative, non autem practice probabilia. Gravitas periculi vel peccati hic desumitur ex circumstantiis *personae, modi* vel *finis.* — 3° Maximum periculum, in genere, oriri potest ex *objecto* quod tangitur, si nempe directe cum luxuria relationem habet. Loca voluptatis genesicae in *viro* sunt: glans penis et os anale; in *muliere:* clitoris, vagina, collum uteri et ubera (*Antonelli,* II, n. 166).

Nota. Quae dicimus de tactibus, valent etiam pro *osculis* et *amplexibus.*

817. — PRINCIPIA. I. **Extra matrimonium, mortales sunt omnes tactus, ob delectationem carnalem exerciti.** Ratio est, quia exercentur ob finem graviter malum (H. Ap., IX, 3).

II. **Secluso fine venereo, tactus exerciti absque legitima ac proportionata causa sunt mortales vel veniales, prout grave vel leve periculum venereae delectationis inferunt.** Ratio patet ex dictis n. 769.

Hinc: 1° Sunt peccata mortalia, si sive ex natura sua sive ob circumstantias (v. gr. ob moram, ob proclivitatem ad venerem, etc.) adducunt peri-

Digitized by Google

culum proximum vel delectationis venereae vel pollutionis. — 2° Si adducunt periculum tantum remotum, non excedunt peccatum veniale. — 3° Si fiunt ex iusta et proportionata causa et cum cautela, vacant culpa, licet per accidens pollutio sequatur, modo non sit consensus in delectationem (III, 417 seqq.).

818. — III. Tactus peccaminosi in corpus alienum sunt ejusdem speciei ac actus consummati. Ratio est, quia attingunt objectum in suo esse individuali. Hinc, in confessione explicandum est, an habiti sint cum persona conjugata aut sacra, etc. (III, 416, 2°) [1].

Quo melius vero innotescat, quando ex talibus actibus subsit *proximum* periculum delectationis venereae, et quando *remotum,* et quae rationes a peccato excusent: sequentes statui possunt REGULAE.

819. — I. Circa proprium corpus. 1° Tangere propria verenda *ex necessitate,* vel alio *fine justo,* v. gr. ob munditiem, ob sedandum pruritum non venereum (dummodo absit periculum pollutionis aut consensus in eam, si improviso praeter intentionem forte obveniret), nullum est peccatum (III, 419).

2° Tangere propria verenda, *absque justa causa,* nunquam vacat culpa. Si fiat obiter ex levitate aut curiositate, est veniale. Si morose cum commotione venerea, est mortale. — Et idem valet de puella tangente propria ubera (III, 419, 484).

QUAERITUR. *An liceat pruritum tactu abigere cum periculo pollutionis? Resp.* Plurimi quidem affirmant; sed recte id prohibet *Roncaglia,* si nempe pruritus non sit valde molestus, quamvis permittat eum abigere cum aliqua tantum commotione. In feminis, pruritus naturalis ab ardore venereo discernitur eo quod frictione prior solum allevetur, posterior vero per subsequentem pollutionem extemplo sedatur. « In dubio possidet libertas se liberandi ab hujusmodi molestia » (III, 483). « Nihilominus non facile credatur quibusdam puellis, quae tactibus se polluere solent praetextu hujusmodi ardoris; nam si diligenter examinentur, cognoscetur ille pruritus multoties potius excitatus fuisse vel a pravis cogitationibus praehabitis, vel ab habitu pravo contracto se tangendi » (H. Ap., IX, 34).

820. — II. Circa corpus alienum. 1° Tactus (etiam super vestes) *in verendis* alieni corporis, maxime si sit persona diversi sexus, habiti absque justa causa, licet absque venereo affectu, vix unquam, extra matrimonium, a mortali excusantur. — Ratio est, quia tales tactus etiamsi obiter exerciti, excitant vehementer ad libidinem et adversantur multum naturali honestati (H. Ap., IX, 3). Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1036, 3°.

Diximus: *a*) *Absque justa causa;* propter hanc enim excusantur, v. gr., medici, tametsi sic tangentes per accidens involuntariam pollutionem patiantur, dummodo in delectationem non consentiant. « Utinam vero (exclamat S. noster Doctor) practice medici in his jugiter non peccarent » (III, 420, nota 1).

[1] In tantum vero invenitur in his tactibus species actus consummati, in quantum ipsi produnt affectum ad concubitum, ad sexum. Cfr. doctrinam supra (n. 793, concl. 2ª) expositam.

Digitized by Google

b) *Vix unquam excusantur:* quia si tactus hujusmodi contingerent inter impuberes, ex levitate et joco absque mora, a mortali excusari possunt; quia non solent causare commotionem.

Item « Croix probabiliter excusat a mortali ancillas tangentes pudenda puerorum, dum illos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant » (ib.). Quod si illud faciant *frequenter* et *studiose,* etsi ad eos placandos, certe peccant graviter; nisi excusentur ignorantia. Sic enim insanabilem pestem masturbationis ingenerant.

821. — 2° Tactus in partibus *minus honestis* (cfr. n. 812) venialia non excedunt, si fiant ex animi levitate, joco, curiositate vel petulantia et absque mora; quia non causant ordinarie periculum proximum delectationis. — Secus vero, etiam excluso affectu venereo, si fiant morose et cum ardore.

Graviter igitur reprehendendi sunt, qui ex delectatione sensibili personam diversi sexus in partibus minus honestis tangunt. Ratio est, quia perfacile delectatio sensualis transit in carnalem. — Item, cum iis (sive sint viri, sive mulieres) qui tangunt ubera mulieris, semper severius est agendum, quia id valde commovet. Cfr. dicta n. 816.

Hinc, et a fortiori: *a*) Juvenis, qui puellam super genua sua tahit ibique sedentem tenet, vel eam in se comprimit, peccat mortaliter; sicut et puella ultro haec patiens. — *b*) Mortalia ordinarie haberi debent oscula minus usitatis corporis partibus, v. gr. pectori impressa, praesertim si fiant inter personas diversi sexus.

822. — 3° Tactus in partibus *honestis* (i. e. oscula in facie, amplexus, compressiones manuum et similia) omni culpa vacant, si fiant decenter juxta morem patriae, urbanitatis aut honestae benevolentiae causa. — Sunt peccata venialia, si obiter fiant ex levitate, joco, petulantia; mortalia vero (saltem ordinarie), si cum mora vel ardore exerceantur. « Idem (dic) de osculis in ore, vel si quis ore excipiat linguam alterius » (III, 417). Cfr. n. 769, 2°.

Hinc: a) « Mulier aut adolescens non peccat, si permittat se pudice juxta morem tangi; nisi constet de pravo affectu tangentis, possitque tunc resistere sine sua infamia aut scandalo aliorum. Peccat vero, si non obsistat osculis morosis, vel etiam furtivis; quia praesumitur malus affectus » (III, 430; H. Ap., IX, 5).

b) Peccat tantum venialiter, per se loquendo, qui leviter tangit et absque mora digitos, manus, vultum personae diversi sexus, secluso pravo fine vel affectu libidinis, si haec, v. gr., ex mera levitate fiant, nec speciale periculum ratione propriae vel alterius fragilitatis adnexum sibi habeant.

c) « Osculari pueros (intelligendum de valde pueris), etiam cum sensibili delectatione, non est ordinarie nisi veniale, quia delectatio illa ordinarie non est nisi naturalis » (III, 417).

d) Mora et iteratio in amplexibus honestis per se omni culpa vacant inter personas arcta consanguinitate conjunctas, nec mutuae concupiscentiae suspectas, v. gr. inter patrem et filias, matrem et filios, si fiant in signum

Digitized by Google

specialis dilectionis, etiam cum aliqua delectatione organica, modo haec non quaeratur nec libenter sentiatur.

Nota. Cum in amplexibus morosis saepissime habeantur copulae cogitatio et desiderium, motus carnales et subinde pollutio, poenitentes qui amplexus sine illis circumstantiis declarant, ut ordinarie fit, prudenter de his interrogandi sunt.

823. — 4° Tangere genitalia *brutorum* non est ordinarie nisi veniale. Secus probabilius dicendum, si tactus fieret usque ad animalis pollutionem. — Ratio est, qnia licet talia fiant tantum levitatis causa, est tamen actio per se vehementer excitans ad venerem. Excusantur a peccato, ob necessitatem, conjungentes equos, tauros, etc., modo libidini non consentiant (III, 419, 420). — Tactus impudici cum bestia non sunt proprie peccata bestialitatis (III, 474).

CAPUT IV.

De periculis castitatis.

S. Alphonsus, III, 427 ; ed. G., I, p. 674 seqq. ; VI, 452 ; ed. G., III, p. 457 ; H. Ap., App., IV, Monit. ad par. ; Prax. conf., n. 62 seqq. ; *Aertnys,* Theol. mor., II, p. 210 seqq. ; *Berardi,* de Occas. (1909), P. II, p. 286 seqq.

824. — *Praenotanda.* Castitas multis obnoxia est periculis, ex multiplicibus occasionibus peccandi, maxime vero : in visitationibus sponsorum et amantium ; — in choreis ; — in spectaculis et in ludis bacchanalibus ; — in profanis vigiliis *(veillées)* ; — in balneis ; — in scholis et gymnasis (*S. Alphonsus,* Regol. per i semin., § 1, n. 4) ; — in cauponis (Praxis, n. 205) ; — in officinis diversarum artium (ib.) ; — in contuberniis militum ; — in pascuis, in agris tempore messis, et in vineis tempore vindemiae ; — in quibusdam festis, quae vocantur a *S. Alphonso* (Instr. Cat., P. I, c. 6, n. 23) « festa daemonis, in quibus indulgetur choreis, amoribus, cantibus parum honestis, jocis et pravis colloquiis » ; — in variis virorum cum feminis collocutionibus vel cohabitatione, v. gr. si mulier conveniat *sola* medicum, chirurgum, capillorum concinnatorem (Praxis, n. 62), si puella litteras artemve a viro edoceatur ; si vir cum juniore ancilla vel cognata habitet ; si pueri et puellae in eodem lecto dormiant, etc. (Instr. Cat., P. I, c. 4, n. 22).

Agemus in specie : 1° de familiaritate sponsorum et adamantium ; — 2° de choreis ; — 3° de spectaculis. — Ceteros casus dijudicabis tum ex principiis generalibus traditis (n. 373 seqq.), tum ex iis quae modo exponemus.

I. — De familiaritate sponsorum et adamantium.

825. — PRINCIPIA. I. **Visitationes et conversationes, quae habentur inter juvenem et puellam, animo contrahendi matrimonium, non sunt per se illicitae.** « Nemo enim, ait Roncaglia, tenetur ducere personam ignotam ; sed per aliquod tempus potest experiri quibus

Digitized by Google

moribus alter sit praeditus. Haec assertio (addit *S. Alph.*) speculative loquendo, videtur rationabilis » (VI, 452). — Sponsi ergo iis aequiparandi sunt, qui versantur in occasione moraliter necessaria.

826. — II. Visitationes inter sese adamantes sunt valde periculosae nec permitti possunt, nisi sint bono fine susceptae, moderatae et debitis cautelis munitae. Ita omnes, et ratio palam est.

Unde S. Alphonsus: « Generaliter loquendo de adolescentibus et puellis qui invicem se adamant, non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi; sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi [1]. Id nimium experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in ea occasione a mortalibus invenientur immunes; et si non in principio, saltem in progressu: tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio; et passio, postquam radices in corde fixerit, mentem obtenebrat et eos in mille crimina ruere facit » (H. Ap., tr. ult., n. 3).

Diximus: 1° *Bono fine susceptae,* id est ex *intentione ineundi proxime* matrimonium.

Unde, non sunt permittendae illis, qui *non possunt* vel *nolunt* nuptias celebrare intra tempus rationabile (v. gr. juvenibus ante servitium militare), quod scilicet arbitrio prudentum juxta timoratorum praxim determinatur. Generatim loquendo, si intra semestre, vel saltem intra annum matrimonium contrahatur, tempus modum non excedit. — Aliquando tamen evenire potest quod sponsus procationem diutius protrahere cogatur, eo quod domum, officium, etc. cito obtinere nequivit.

2° *Moderatae,* i. e. non nimis frequentes, nec nimium protractae. Porro, generatim moderatae videntur, si intra annum, qui matrimonium praecedit, semel vel bis singulis mensibus, et dein appropinquante matrimonii tempore, semel in hebdomade per unam alteramve horam habeantur.

Certe vero immoderatae forent, si per menses quotidie aut quasi quotidie, vel per annos singulis hebdomadibus puella inviseretur.

3° *Debitis cautelis munitae,* ita scilicet ut periculum fiat remotum.

Ideo: *a*) adamantes, insciis aut saltem invitis parentibus, inter se non colloquantur; — *b*) nunquam, praesertim noctu, soli remaneant; — *c*) nullos tactus in partes minus honestas, nullos praeter decenter habitos sibi permittant, nec more insolito invicem sibi appropinquent; — *d*) spiritualibus subsidiis, nempe sacramentorum frequentia, aut saltem oratione, sese muniant (*Berardi,* l. c., n. 222).

Nota. Accidit quandoque, quod adamantes non possint nisi soli conversari, v. gr. si sponsa est famula, vidua. Necessariae visitationes hisce non interdi-

[1] Haec valent quoad juvenes qui sunt ad matrimonium habiles. Relate ad *impuberes,* ad *juniores* qui tenero amore invicem prosequuntur, periculum proximum exsurgit persaepe ex dispositione speciali: principiis obstet prudens confessarius. — Quoad illum procationis modum, quem *flirt* vocant, dicendum quod ibi deest intentio bona, et saepe omnia regit *appetitus sexualis,* licet minus inculte sese manifestet. Cfr. *Forel,* Quest. sex., c. 4, § 3.

Digitized by Google

cuntur. Curet tamen confessarius, ut istae fiant in loco publico, et cautelae pro firmanda voluntate sint severiores (*Aertnys,* II, n. 344).

827. — III. Post inita sponsalia crescere debent cautelae. Ratio est, quia sponsi jam sunt certi de copula futura; unde moraliter impossibile est, teste S. Alphonso, ipsos invicem conversari et non sentire stimulos ad eos turpes actus, qui tempore matrimonii deinde succedere debent (H. Ap., XXII, n. 3). — Crescit etiam periculum, eo quod timor praegnationis probrosae evanescit; siquidem matrimonium proxime secuturum omnia velabit. Ita recte *Aertnys,* l. c., n. 342.

Hinc ita S. Doctor (VI, 452): 1° « Ego, experientia doctus, vix semel vel iterum permitterem sponso ad domum sponsae accedere, vel sponsae aut parentibus illum in domo excipere. Raro enim reperi, qui in tali accessu non peccaverit verbis aut cogitationibus, cum omnes aspectus et colloquia inter hujusmodi sponsos sint incentiva ad peccandum ». — 2° « Curet (parochus) ne sponsorum verba multo tempore ante matrimonium excipiat; quia, initis sponsalibus, totum illud tempus, quod inter nuptias interfluit, in peccato tam sponsi quam eorum parentes perseverabunt » (H. Ap., App., IV, n. 5).

Ceterum, quod ad *raritatem* visitationum attinet, si sponsi hactenus in procatione honeste conversati sint, confessarius rationem habeat praxis timoratorum; hoc enim in casu periculum remotum apparet, et frustra a sponsis exigeretur ut a recepto timoratorum more recederent (*Aertnys,* n. 48).

828. — Quaesita. QUAER. 1° *An sponsis liceant* OSCULA *ad captandam delectationem sensibilem vel in amoris ostensionem?*

Resp. S. Alphonsus: « Vix sponsis permitti possunt, ut dicunt Lacroix, Viva et alii, oscula illa vel amplexus, quos mos patriae permittit (v. gr. in accessu, vel discessu); modo non sint *pressi,* neque *per notabile tempus protracti.* — Nec practice probabilis est opinio illorum auctorum dicentium, licitos esse sponsis tactus pudicos, si ipsi non intendant delectationem veneream, sed solam sensibilem; in hoc enim ordinarie adest periculum incidendi in veneream tam sensibili propinquam, aut saltem in prava desideria progrediendi ad veneream » (H. Ap., XVIII, n. 7 ; cfr. *Vind. Alph.,* P. III, q. 14).

QUAER. 2° *An puella quandoque annuere possit immoderatis amasii visitationibus?*

Resp. Videtur quandoque annui posse, modo: *a*) vera spes adsit matrimonii; — *b*) circumstantiae reddant has visitationes necessarias, v. gr. si puella subiret periculum remanendi innupta, praesertim si hoc esset cum aliquo dedecore, infamia, paupertate, tentatione, etc.; — *c*) speciales cautelae speciali periculo opponantur.

Nota. 1° *Munuscula inter sponsos* (vel etiam inter amasios honesto amore ductos) non videntur esse prohibenda, quando sunt, de more patriae, signa benevolentiae. — 2° *Litterae* autem inter eos, qui se certis temporibus licite

Digitized by Google

invisere possunt, non videntur sufficientem habere scopum, praesertim si sint frequentes. Sunt autem graviter vel leviter illicitae, prout grave vel leve periculum excitationis parant, absque justa causa (cfr. n. 375, 376).

II. — De choreis.

829. — PRINCIPIA. I. **Choreae per se licitae sunt, modo fiant a personis saecularibus cum personis honestis et honesto modo.** Ita *S. Alphonsus* cum S. Antonino et aliis communiter; ratio, quia saltare non est per se actus libidinis, sed laetitiae (III, 429; cfr. *Benedictum XIV*, Inst. 76).

Illicitae igitur sunt choreae: 1° Si ducuntur a *clericis* vel *religiosis*, contra prohibitionem Concilii Tridentini (Sess. 24, c. 12), etsi abesset scandalum. — 2° Si habeantur *cum personis inhonestis*, v. gr. cum meretricibus, cum feminis inhoneste vestitis, aut etiam cum procis, de quorum libidinoso affectu constat. — 3° Si fiant *inhonesto modo*, ut fit in choreis quae provocant ad luxuriam, ratione inhonestae gesticulationis (choreae dictae *Tango*, vel saltatio ventris), ratione nuditatis totalis (choreae angelicae), ratione nuditatis partialis et gesticulationis periculosae (choreae in theatro, *ballet*), etc. Cfr. *Berardi*, II, n. 142 (de Occas.); et Litt. Episc. Belgii, 1914.

830. — II. **Choreae, quae non sunt in se inhonestae, saepe illicitae evadunt ratione periculi vel scandali; praesertim si sint frequentes.** Atque hinc est cur SS. Patres unanimiter in choreas invehantur (*Benedict. XIV*, l. c.).

Dictum est 1° *Ratione periculi*, quod est majus vel minus; sed nunquam absolute pro omnibus adest. Actus autem, quorum periculum choreae inducere possunt, sunt: *a*) Amplexus pressi lascivique, quibus in primis occasionem praebent quaedam choreae modernae dictae, ut *Waltzer, Polka, Mazurka, Scottisch*, etc.; similiter *choreae cum larvis*: non enim desunt, qui ideo faciem tegunt, ut pudoris freno non amplius retenti, incogniti ea faciant, quae cogniti facere non auderent. — *b*) Malitiosae manuum compressiones, affectu nempe impudico (simplex tamen manuum apprehensio, quam chorea exigit, non est peccatum, aut certe non excedit veniale). — *c*) Tactus obsceni, qui contingere solent extra actum saltandi, sive ante sive post, sive in intervallis, quando juvenes identidem a saltando quiescunt, sive demum in via, quando juvenes puellas domum deducunt. — *d*) Amatorii et turpes sermones. — *e*) Aspectus malitiosi, speciatim quando feminae pectore nimis denudato interveniunt; vel quando ipsae feminae in juvenes turpiter commotos oculos figunt. — *f*) Delectationes morosae et desideria turpia, quae non solum in actu choreae sed etiam postea contingere solent. — Advertat tamen confessarius, peccata *externa* in honorabili societate rarius evenire, et malitiam saepius in viris quam in feminis reperiri, quae magis laudem et admirationem, quam voluptatem, quaerunt.

2° *Ratione scandali*, quod potest esse directum, vel indirectum. — Directum contingit, v. gr. quando juvenes sermonibus, amplexibus, tactibus, etc. puellas aperte ad turpia sollicitant. — Indirectum evenit, v. gr., quando saltandi modus est indecens, vel saltatricum vestitus est immodestus (cfr. n. 516, 3°).

Digitized by Google

3° *Praesertim si sint frequentes;* nam periculum (itemque scandalum) crescit ex frequentia. — Et re quidem vera, si periculum non est semper grave pro puella satis morata, quae interdum, ob aliquam rationem cohonestantem, choreas adit (quia attentio ad bene saltandum viam aliquo modo praecludit libidini): idem dici nequit de puellis et juvenibus chorearum amore deperditis. In his enim, ut experientia docet, aufertur paulatim verecundia, perit omnis pietatis sensus, negligitur oratio et excandescit libido; unde oriri solent pravae amicitiae, inconsulti amores, zelotypiae, rixae, inobedientiae, cor durum erga parentes, etc. Cfr. *Aertnys,* II, n. 322; *Berardi,* de Occas. (6ª ed.), n. 142 seqq.; *Ami du Cl.,* 1911, pp. 104, 439, 503.

831. — III. Choreae, in quibus periculum fit proximum, nec gravis causa illud subeundi excusat, sunt sub mortali vitandae; in quibus vero periculum est remotum, vel gravis causa excusat, vacant culpa, aut certe veniale non excedunt. Ratio petitur ex obligatione vitandi peccati periculum (cfr. n. 374 seqq.).

832. — Quaesita. QUAER. 1° *Quandonam choreae* PROXIMUM *peccandi periculum inducere censendae sint?*

Resp. Judicium sumendum est: *a*) *Ex experientia:* si quis aliis vicibus interfuerit choreis, et propter illas frequenter peccaverit, et nunc circumstantiae non sint ita diversae, ut praesumi debeat eum hac vice non peccaturum, constat aperte de gravitate periculi.

b) *Ex aliis adjunctis,* nimirum ex indole vel educatione personae saltantis, ex corruptione vel procacitate aliorum cum ea tripudantium, ex modo saltandi (ut dictum est n. 829), ex circumstantiis loci et temporis; in pagis enim, in suburbanis civitatum, et in parvis cauponis, praesertim tempore nocturno, ansa magis datur peccatis quam alibi, et tempore diurno; ex frequentia chorearum, ut supra n. 830, 3°.

QUAER. 2° *Quaenam censeantur* CAUSAE JUSTAE *et excusantes?*

Resp. a) Si periculum *remotum* sit, causa rationabilis ab omni culpa excusare potest. Tales causae solent esse, v. gr., finis una alterave vice in anno relaxandi animum, facilius inveniendi occasionem matrimonii, non displicendi adamanti, satisfaciendi vicinis ad choreas invitantibus, non se exponendi alicui censurae vel irrisioni, etc.

b) Si periculum esset *proximum,* sola causa gravis excusare potest, v. gr. gravis offensio mariti, parentum, fratrum. Oportet autem, ut nullum aliud adsit medium, quo ejusmodi perturbationes familiae evitari possint, utque persona talem subiens necessitatem debitis cautelis, piis nempe cogitationibus, orationibus, recta intentione, firmo proposito servandi modestiam, contra periculum se muniat (*Aertnys,* II, n. 323).

833. — REGULAE PRACTICAE. 1° *Confessarius: a*) Non absolvat eos, qui sine gravi causa et cautela indulgent choreis communiter inhonestis, vel periculosis, sive in se, sive ratione circumstantiarum, quas sedulo perpendere debet. Cum juvenibus autem et puellis altioris conditionis videat qua necessitate, quo

Digitized by Google

ornatu, quoties, quo animo choreis intersint. — *b*) Meminerit etiam obligationem deserendi choreas posse quoque oriri a prohibitione cooperandi peccatis alienis : quo tamen in casu, si adsit bona fides, et ex denegatione absolutionis non speretur fructus, procedat solummodo per viam exhortationis et monitionis. — *c*) Universim, quantum prudenter poterit, poenitentes vel a choreis avertat, vel, si id nequeat, monitis et mediis opportunis periculum diminuere satagat, juxta dicta n. 832, q. 2. Vide *Aertnys,* II, 324.

2° *Parochus* omni diligentia enitatur, ut choreas penitus e medio tollat vel earum saltem frequentiam diminuat. In praxi tamen magna utatur prudentia. — Primo quidem, omni quo par est modo, timorem Dei et benevolentiam atque existimationem erga seipsum animis infundere quaerat. — Deinde, hac in re quam maxime proficiet, si pietatem in puellis foveat et sacramentorum frequentationem promoveat. — Tertio, concionando non expresse quaestionem de liceitate chorearum proponat, sed directe in peccata invehatur, quae in eis vel earum occasione committi solent. — Quod si demum quasdam choreas, v. gr. in festis loci, prudenter tolerare debeat, omnibus viribus allaboret ut honeste fiant, ut non protrahantur in noctem, ut puellae separatim a juvenibus domum redeant; praesertim, ut serventur civiles praescriptiones, quae ad choreas moderandas forte fuerint constitutae (*Berardi,* l. c., n. 167; *Gousset,* I, n. 651).

De cooperatione cauponum et aliorum ad choreas, jam diximus n. 522 et 525.

III. — De spectaculis.

834. — PRINCIPIA. I. **Spectacula, per se, non sunt illicita.** « Ludus, inquit *S. Thomas,* est necessarius ad conversationem humanae vitae. Ad omnia autem, quae sunt utilia conversationi humanae, deputari possunt aliqua officia licita. Et ideo etiam officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum; nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, id est non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis » (2. 2, q. 168, a. 3, ad 3). Imo, ratione materiae et finis, spectacula possunt esse commendabilia, quia valide ad bonum incitare possunt.

835. — II. **Spectacula, prout nunc temporis habentur, sunt communiter noxia et graviter periculosa.** Pleraque enim, ut dicit *Aertnys,* sunt vel 1° *notabiliter turpia,* sive ob res obscenas quae repraesentantur et modis obscenis aguntur; sive ob feminas uberibus et brachiis immodice denudatis, in spectaculo aut agentes aut praesentes, praesertim si, ut assolet, perspicillis telescopicis contemplentur; sive ob quasi nuditatem et inverecundiam saltatricum, in choreis scenicis, quae intermiscentur; — vel 2° praeterea *religioni contraria,* quam traducunt ut tyrannicam, sanguinariam, modo ut scientiae et progressui inimicam, modo ut ridiculam, contemptibilem, modo ut falsam, superstitiosam, impiam; sacros ritus et ipsa sacramenta ludibrio exponunt; sacerdotes, pontifices, religiosos et moniales turpibus commerciis deditos exhibent;

Digitized by Google

docent, extollunt aut excusant delicta, v. gr. vindictam, suicidium, adulterium, divortium, vitia carnis, etc. Cfr. etiam *Berardi*, l. c., n. 169.

836. — *Ex his resolves:* 1° Nemini hodie licitum est theatrum adire *solatii causa*, nisi prius notitiam habeat de repraesentationis qualitate, i. e. nisi prius habeat certitudinem de obscenitatum et impietatum absentia; nam ex allatis rationibus praesumptio stat contra theatra publica, praesertim si non sint societati excultae, sed vulgo destinata (*Aertnys*, II, 326).

2° Ut quis licite possit interesse spectaculo, communi hominum, vel sibi speciatim graviter periculoso, requiritur tum causa gravis, tum prudentia seu cautio, ad removendum periculum et scandalum. Sic, v. gr., excusari possunt *milites*, qui interesse tenentur ad invigilandum; *famuli*, qui dominorum, *filii*, qui parentum, *uxores*, quae virorum indignationem paterentur gravem, si adesse renuerent. — Tenentur tamen cautelas periculo opponere, v. gr. oculos claudendo, de aliis rebus cogitando, jaculatoriis precibus se muniendo, novissima memorando, etc. (*Scavini*, I, 799).

Notat tamen *S. Alphonsus* (H. Ap., IX, 10): « Audientes turpes comoedias ob solam curiositatem, aut ob vanum solatium, possunt aliquando excusari a mortali, si nimirum absit: *a*) delectatio turpis; — *b*) illius periculum (quod facile semper aderit in adolescentibus, vel aliis parum timoratae conscientiae); — *c*) aliorum scandalum ».

3° Ratione scandali graviter peccant: *a*) clerici et religiosi qui assistunt comoediis turpibus; — *b*) qui pecunia vel plausu cooperantur ad comoedias notabiliter turpes (vel impias), quamvis sint spectatores secundarii, i. e. sine quibus etiam comoedia repraesentaretur (1. El. qq. ref.); — *c*) qui eas impedire tenentur, aut commode possunt et non impediunt; — *d*) a fortiori, qui illas repraesentant.

QUAERITUR. *An peccet mulier utens veste virili*, v. gr. *in bacchanalibus?*

Resp. S. Alphonsus (III, 425): « Mulier utens veste virili ex se non peccat graviter; sed non raro erit mortale », nempe propter periculum libidinis vel scandali. — Nullum est peccatum, si fieret ex justa causa, v. gr. ad se occultandum, ut *S. Thomas* docet (2. 2, q. 169, a. 2, ad 3).

MONITUM GENERALE.

837. — « Sedulo hic advertendum, ait *S. Alphonsus* (H. Ap., IX, 34, fin.), quod in materia *sexti praecepti* oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem, cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia existimari debeat; et plures opiniones, quae speculative loquendo sunt probabiles, in praxi improbabiles evadunt. Hinc, confessarius, ubi periculum poenitentium inspicit, licet actionem, quam illi vellent perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc medici animarum est, praesertim respectu eorum, qui in vitio turpi habitum in praeterito habuerunt; his enim non solum proximas occasiones vitare, sed etiam remotas (i. e. quae sunt communiter tales) opus erit. Alias, *ob fragilitatem contractam* semper in idem recident; cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala ipsi progrediantur » (cfr. n. 376). — Idem repetit Instr., n. 36 et Praxis, n. 16.

Digitized by Google

TRACTATUS VII.

De septimo et decimo Decalogi praecepto

Non furtum facies.
Non concupisces domum proximi tui...
nec omnia quae illius sunt.
(*Exod.*, 20, 15, 17).

838. — *Praenotanda.* SEPTIMUM PRAECEPTUM, sub nomine furti, *prohibet* quamcumque laesionem juris quod proximus habet in bona fortunae, et *praecipit* (indirecte), ut unusquisque erga alios benignum se ac liberalem exhibeat. — Connectitur septimo praecepto DECIMUM, quo peccata interna ad idem objectum spectantia vetantur. Unde, cum Catechismo Romano (n. 14), « animadvertimus, hac praecepti lege vetitum nobis esse, ne divitias avide expetamus;... sed statu nostro, qualis ille sit, sive humilis, sive excelsus, contenti simus ».

Nostri instituti non est in materia tam ampla singulas juris regulas exponere, in quibus pro variis regionibus exsistunt multae varietates. — Satis erit principia justitiae, praesertim secundum jus naturale, tradidisse, indicatis principalioribus dispositionibus juris moderni, et adjectis locis ubi quisque, saltem in quantum de praecipuis Europae Statibus agitur, proprias suae patriae leges addiscere poterit.

OBLIGATIO CONSCIENTIAE ORTA EX JURE CIVILI. Jam diximus (n. 151) Jus civile dividi in vetus et modernum.

1° Jus vetus, seu romanum, rexit populus per saecula multa. Hodie Codicibus propriis reguntur: *Austriaci, Galli, Belgae, Hispani, Hollandi, Itali, Germani* et *Russi*. *Angli* non habent Codicem, sed veteres leges in systemate feudali fundatas [1].

2° Jus romanum, licet ab eo moderni legislatores multum mutuati sint, *jam nullibi viget*. Cavendum est igitur ne nostris temporibus applicemus auctorum saeculo nostro antiquiorum solutiones, quae unice huic Juri innitantur. Quo vero facilius hi theologi perlegantur, Juris romani notiones, prout opus erit, in praesenti tractatu leviter tangemus.

[1] Cfr. *Aertnys*, Suppl. pro Jure holl., gall. et germ.; pro Jure angl., vide *Crolly*, de Just. et Jure; pro Jure belg., cfr. *Génicot*, de 7° Praec.; pro America Septentr., cfr. *Konings*, de 7° Praec.; pro Hispania et America Latina, vide *Gury-Ferreres*, I, App.; pro Gallia, consule *Allègre*, Le Code civil commenté; pro Italia, *Berardi*, Theol. mor., vol. III; pro Germania, *Lehmkuhl*, Das bürgerl. Gesetzbuch; *Barre*, Das bürgerl. Gesetzbuch u. der Code civil; *Pelt*, Manuel de législation civile; pro Austria, vide *Noldin, Delama, Aichner, Pruner, Schindler, Göpfert*.

Digitized by Google

Quoad jura moderna, ad quaestionem utrum obligent in conscientia, sic respondendum:

a) Obligat in conscientia lex civilis quae, ob bonum commune, *dominium transfert,* vel *jura statuit.* Ratio: lex civilis potest obscura juris naturalis determinare, et ad pacem restituendam, etiam in bonis fortunae, necessaria ordinare. Hoc agnovit S. Poenit., die 21 Jan. 1873 (*A. S. S.,* vol. 7, p. 211). Qui ergo violat, v. gr., jus auctorum (cfr. n. 856), jus ejus qui thesaurum (n. 883), rem amissam invenit (cfr. Jus germ., 965), vel jus in legitima praescriptione fundatum, peccat contra justitiam commutativam.

b) Non obligat in conscientia lex civilis, quae *actum juridicum* (i. e. actum humanum a quo jus tribuitur vel tollitur) *irritat* ob defectum formalitatis a lege praescriptae. — Vide quae jam diximus n. 168 seqq., et quae dicemus n. 1054, 1081, 1086, ubi exempla.

c) Attamen, patet *obligationem in conscientia adesse,* si lex civilis ideo actus juridicos irritat, ex eo quod essentialiter requisita in omni contractu in ipsis desiderantur: v. gr. libertas in contrahendo, cognitio debita, etc.

Obligat etiam in conscientia haec lex civilis, actus juridicos irritans, *si sententia judicis accedat.* Hoc exigitur a bono communi. — Haec obligatio aliquando ex justitia legali, aliquando ex sola justitia commutativa ortum ducit. Cfr. n. 933.

d) Nequit vero obligare in conscientia lex civilis quae, quoad actus juridicos, contradicit *legi ecclesiasticae,* v. gr. quoad contractum matrimonialem, etc. — In his competens est sola Ecclesia (cfr. n. 149).

Nota. α) Aliquando lex civilis actus juridicos, ex jure naturali invalidos, *rescindibiles* declarat. Putant AA. hic quemvis licite sequi posse legem civilem, quae ob bonum commune his actibus validitatem tribuit, usquedum a comparte competente rescindantur. Sic, v. gr., Jus germanicum (§ 119) contractus cum errore initos rescindibiles nominat. Cfr. *Lehmkuhl,* Das bürgerl. Gesetzbuch; *Noldin,* II, n. 356.

β) Saepe etiam lex civilis contractus onerosos (venditionem, emptionem, etc.), contradicente jure naturae, irritat. Admitti potest quandoque hos contractus in conscientia non valere. Ratio: censentur contrahentes tantum ad normam legis civilis suum consensum praestare.

Ordo dicendorum. Generalia principia de jure et justitia jam supra (n. 720) exposuimus; restat igitur ut hic agamus: 1° de *jure* hominis in bona externa; — 2° de laesione juris, seu *de injuria* in bonis externis; — 3° de reparatione juris, seu *de restitutione;* — 4° de translatione juris per voluntatem privatorum, seu *de contractibus.*

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

DE JURE HOMINIS IN BONA EXTERNA.

S. Thomas, 2. 2, q. 58-78; *S. Alphonsus*, III, n. 486-962; ed. G., II, init.; *Lugo*, de Just. et Jure; *Lessius*, de Just., l. 2; *Carrière*, 3 vol.; *Delama; Vermeersch*, de Just.; *Marres*, etc. — Consulantur etiam AA. qui in Theol. mor. optime de hac re scripserunt: *Aertnys, Konings, Lehmkuhl, Noldin, Gury-Ferreres, Génicot-Salsmans, Tanquerey, Berardi, Göpfert, Schindler*, etc.

Jus perfectum hominis in bona externa est duplicis generis: *jus ad rem* et *jus in re*.

839. — JUS AD REM, seu *personale*, est ratio, quam quis habet, ut *res aliqua fiat sua;* ideoque dat actionem, non in rem, sed tantum in personam; efficit nempe, ut debitor possit a creditore, per judicis sententiam, cogi ad tradendum vel ipsam rem, vel ejus pretium; non autem efficit, ut res possit ante sententiam occupari.

Jus ad rem non est tantum spes boni adipiscendi, sed est *titulus, via, debitum*, quibus jus in re acquiratur. Hujusmodi est, v. gr., jus legatarii ad legatum sibi relictum et nondum acceptum.

Ut jus ad rem acquiratur, sufficit *justus titulus*, qui sit ipsius obligationis causa et radix. Ille est vel contractus vel quasi-contractus, vel delictum vel quasi-delictum, vel demum legis auctoritas. Unde, de hoc jure potissimum agetur, ubi de restitutione ob damnificationem injustam et de contractibus.

840. — JUS IN RE, seu *reale*, est illud, quod quis habet *in re jam sua*, ideoque confert actionem realem, i. e. jus eam exclusive occupandi, retinendi et vindicandi, in quascumque manus pervenerit. Tale est jus dominii proprietatis, de quo mox agemus.

Ut jus in re acquiratur et retineatur, haec requiruntur: *a*) *Existentia rei;* nulli enim obligata dici potest res, quae nondum exsistit, et quae forte nunquam exsistet. Hinc, usufructuarius non habet jus reale in fructibus anno sequenti colligendis, quia nondum exsistunt. — *b*) *Titulus legitimus;* quia jus in re praesupponit jus ad rem. Hinc, fur non habet jus reale in bonis quae furto possidet. — *c*) Pro foro saltem externo, requiruntur omnes aliae *conditiones*, quas cujusque regionis leges apponunt ut rei dominium transferatur. Sic, v. gr., in Austria et in Germania, sicut in Jure romano, requiritur regulariter *traditio rei*, ut emptor, donatarius, etc., jus reale acquirat. Secus in Anglia, in Gallia, in Hispania, etc., ubi rei determinatio seu designatio in individuo generatim sufficit, ut suo loco videbimus.

Jus in re non differt a dominio rerum, lato sensu accepto. Quare satis erit hujus dominii exposuisse: 1° naturam et species seu partes; — 2° objectum et subjectum; — 3° modum acquirendi.

Digitized by Google

CAPUT I.

De natura et speciebus dominii.

841. — DEFINITIO. Dominium, lato sensu sumptum, est facultas disponendi de aliqua re vel actione, tanquam sua. — Sic definitum comprehendit tum dominium proprietatis, de quo hic agendum est, tum dominium jurisdictionis, de quo n. 138 egimus.

Dominium PROPRIETATIS est facultas disponendi de re tanquam sua, quatenus juris ratio patitur.

Dicitur: 1° *de re*, i. e. de substantia rei, vel de aliquo ejusdem emolumento, vel etiam de utroque; — 2° *tanquam sua*, i. e. in proprium commodum, ceteris exclusis; — 3° *quatenus juris ratio patitur;* haec enim disponendi facultas coarctari potest, vel a lege: sic, v. gr., minor, etsi suorum bonorum sit dominus, non potest tamen ea alienare; — vel a privati voluntate, lege non reluctante: v. gr. si quis fundum legat alteri, sub conditione, ut legatarius illo non fruatur nisi post annum (*Lessius*, l. c., c. 3, n. 1-9).

DIVISIO. Dominium communiter distinguitur in altum et humile. — Dominium ALTUM, seu *publicum*, definiri potest: facultas, quae supremae auctoritati competit, disponendi de bonis privatorum, v. gr. de agro tuo ad viam construendam, sic exigente bono publico.

Est dominium improprie dictum; quia respublica non disponit de bonis subditi tanquam suis, sed ratione tantum publicae necessitatis vel gravissimae utilitatis: id vero absque personarum acceptione, et ordinarie facto cive indemni (cfr. n. 891). Vide *Carrière*, n. 19.

Dominium HUMILE, seu *vulgare*, est dominium privatorum, cui definitio proprie convenit. — Dividitur in plenum et semiplenum: 1° Dominium PLENUM, seu *perfectum*, est illud, quod complectitur *omnes dominii partes*, seu jura specialia in eo contenta: videlicet, *rei proprietatem, commodum ex usu* et *jus percipiendi fructus*. — 2° Dominium SEMIPLENUM, seu *imperfectum*, est illud, quod uno ex praefatis juribus caret.

Aliud est *directum*, seu nudae proprietatis, quod solam rei substantiam respicit. — Aliud *utile*, quod, absque rei proprietate, habet vel usum vel fructum, vel conjunctim usumfructum. — Ad hoc pertinent *jus servitutis*, quo res aliena servit rei nostrae, *jus pignoris*, ad securitatem rei nobis obligatae, et similia jura accessoria. — Accedit *possessio*, quae est dominii velut indumentum et signum [1].

[1] Horum diversorum dominii generum exemplum habes in conditione parochorum: Habent usumfructum bonorum parochialium; usum domus parochialis; civitas vero, vel Ecclesia, vel communitas parochialis possident dominium directum.

Digitized by Google

Nota. In aliquibus regionibus jus imperfectum dividitur in jus *directum*, quod solam rei substantiam respicit, et jus *indirectum*, quod se extendit ad substantiam et ad usumfructum, de quo exclusive disponere potest. Cfr. Cod. austr., 360, *Delama*, n. 18. — Limitatur hoc jus vel per legem, vel per voluntatem domini.

Veniunt igitur explicanda: 1° dominium plenum; — 2° dominium nudae proprietatis; — 3° usufructus; — 4° usus; — 5° servitus realis seu praedialis; — 6° possessio.

1. *Dominium plenum.*

842. — Dominium PLENUM est potestas legitima disponendi de re tamquam sua, in omnem usum lege vel pacto non impeditum. — *In omnem usum*, non tantum in usum determinatum; — *lege non impeditum*, sed permissum tanquam validum, licet forte prohibitum ut illicitum [1].

Potest ergo dominus: 1° Pro arbitrio suo, absque injustitia, re sua *frui, uti* et *abuti*. Peccat quidem abutendo, v. gr. rem prodigendo, vel sine causa destruendo; sed laedit solam liberalitatem. — 2° Rem suam *alienare*, sive in toto (eam donando, vendendo, permutando, etc.), sive in parte, v. gr. eam locando, oppignorando, servitute onerando, et generatim cedendo jus quodcumque reale in ipsam. — 3° Injustum rei invasorem immediate et illico *vi externa repellere*, juxta dicta n. 735. — 4° Rem suam a possessore quocumque, etiam bonae fidei, *per judicem repetere*, promovendo in judicio actionem, quam dicunt *petitoriam*. Lex tamen, ob bonum commune, excipit certos casus (cfr. n. 1027 seqq.) [2].

Nota. Dominium potest esse pluribus dominis commune, v. gr. in haereditate indivisa, in muro communi, etc. Illud *condominium* vel *comproprietas* subjicitur, in variis Statibus, variis legum dispositionibus [3].

2. *Dominium directum, seu nudae proprietatis.*

843. — Dominium DIRECTUM, seu nudae proprietatis, est illud, quo habetur rei proprietas, absque ejus usufructu.

Dominus directus potest ea peragere, quae dominus perfectus; sed salvo jure usufructuarii, vel usuarii. — Non privatur ordinarie omni rei utilitate. Sic lex tribuit ei partem thesauri in suo fundo ab alio inventi; quosdam proventus, qui inter fructus non recensentur, ut venas metallorum, etc. [4].

3. *Usufructus.*

844. — DEFINITIO. Usufructus est jus utendi et fruendi re aliena, sicut ipse proprietarius, salva tamen rei substantia. — Ille, cui hoc jus competit, vocatur usufructuarius vel fructuarius.

[1] Dominii plenitudo, in casu necessitatis, multis circumscribitur limitibus, v. gr. debet dominus pati ut in incendio e suo puteo hauriatur aqua. Non est ergo ejusmodi dominium undequaque plenum (*Pelt*, l. c., p. 12). — [2] Cfr. *Doveri*, Instit. di Diritto rom., l. 2, § 59-136. — [3] Cfr. Cod. gall., 653-660; ital., 546-569 et 673-684; austr., 825-858; hisp., 392-406; germ., 741, 921, 1008 seqq. — [4] Cod. ital., 714, 1958, 3°; hisp., 471, 476 seqq.

Digitized by Google

Dictum est: 1° *jus utendi et fruendi*, i. e. capiendi ex re omnem, quae renovari possit, utilitatem; — 2° *re aliena*, sive mobili, sive immobili; — 3° *sicut ipse proprietarius*, sensu nempe n. 842 explicato; — 4° *salva tamen rei substantia*, tum quoad materiam, tum quoad formam. Nam fructuarius non abutitur, nec potest rem immutare, licet in melius [1].

FRUCTUS est quidquid ex re nasci et renasci potest. — Lex distinguit fructus: 1° *naturales*, qui ex re frugifera, vel sponte sua vel parca hominis opera, nascuntur, ut herba pratorum, foetus animalium, etc.; — 2° *civiles*, qui acquiruntur ob initum contractum vel mediante obligatione civili: v. gr. reditus annui, pretium domus locatae, etc.; — 3° *industriales*, quos natura, hominis industria adjecta, gignit, ut segetes, vinum, oleum, etc. Hos theologi *mixtos* vocant; *mere industriales* vero dicunt illos, qui sola hominis industria acquiruntur, v. gr. lucrum e pecunia in negotiationem tradita (III, n. 610).

Fructus NATURALES et INDUSTRIALES dividuntur iterum in *nascituros* et *natos*; — et isti in *pendentes*, vel in perceptos seu *collectos*; — et isti demum in *exstantes* vel in *consumptos*.

DIVISIO. Usufructus est: 1° *legalis* vel *conventionalis*, prout lege (v. gr. usufructus parentum in bona filiorum minorum . . .), vel contractu, v. gr. donatione, testamento, constituitur; — 2° *proprius* vel *improprius*, prout agitur de rebus, quae non consumuntur usu, uti sunt domus et hortus, vel de rebus, quae usu consumuntur, uti sunt pecunia, fructus jam collecti.

Posterior dicitur improprius, seu *quasi-usufructus*, quia servari nequeunt res usu consumptibiles, ac proin non salvatur earum substantia (ut definitio requirit), sed solus earum valor, qui, finito usufructu, debet reddi domino [2].

845. — EFFECTUS. Jura et onera USUFRUCTUARII sunt, generatim, sequentia:

I. *Jura.* 1° Ut ab initio faciat *suos* omnes fructus naturales et industriales adhuc pendentes, sine onere solvendi pro cultura, semine, etc.; item fructus civiles, qui deberi tunc incipiunt. Jus autem nullum habet ad alios fructus. — 2° Ut possit jus suum alteri donare, locare, vendere, vel hypothecae supponere, modo domini conditio non immutetur. — 3° Ut, completo usufructus tempore, ipse, vel ejus haeres, solus fructus jam maturos et separatos sibi tollat; item fructus civiles, pro rata temporis de die in diem acquisitos, etsi eorum solutio juste vel injuste procrastinata fuisset [3].

II. *Onera.* Usufructuarius debet re uti, *tanquam bonus paterfamilias*, eamque domino reddere in statu supponente et subsequente bonam administrationem.

Proinde: 1° *Incipiente* usufructu, tenetur ad inventarium (imo ad cautionem in Gallia), nisi eximatur a lege (ut, v. gr., parentes respectu filiorum

[1] III, 489; cfr. Cod. gall., 578; ital., 477; austr., 509; hisp., 467; germ., 1030 seqq. — [2] Cod. gall., 587, 589; ital., 483, 484; hisp., 468, 481, 482; germ., 1067; austr., 510. — [3] Cod. gall.,582-599; ital., 479-495; austr., 511; hisp., 471-490; germ., 1055.

Digitized by Google

minorum). — 2° *Durante* usufructu, tenentur ad reparationes minores seu conservatorias, ad onera annua (contributiones), ad culturas, ad expensas pro litibus circa fruitionem motis, etc. — 3° *Finito* usufructu, non potest quidem compensationem sibi pro cultura factave aedificatione exigere; sed potest omnia suis sumptibus adjecta ornamenta auferre, ea tamen conditione, ut res in pristinum statum restituantur.

Nota. Cessat ususfructus: 1° Morte naturali (aut civili); quia jus usufructuarii est personale. — 2° Interitu rei fructuariae, item totali mutatione, v. gr. si pratum fiat stagnum; quia, ex hac parte, jus est reale. — 3° Cessat elapso tempore per legem vel pactum praestituto; — per non usum, accedente praescriptione; — per renuntiationem fructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum; — per consolidationem, i. e. si fructuarius fiat rei dominus; — per abusum, interveniente sententia judicis [1].

4. *Usus.*

846. — Usus, prout hic sumitur, est jus reale utendi re aliena, salva ejus substantia.

Dicitur: 1° *Jus;* et ita differt ab usu *facti,* qui est actualis usus rei alienae, revocabilis ad nutum concedentis, qualis, v. gr., religiosis conceditur. — 2° *Reale,* i. e. afficiens rem ipsam, quae usui obnoxia est. — 3° *Utendi,* quae vox non idem sonat ac haec altera *frui.* Nam *uti* significat ex re illud solum percipere, quod exigit necessitas; *frui* autem dicit percipere omnia, quae ex re proveniunt.

I. Jura usuarii determinantur a conventione vel a lege, sed restringuntur ad necessitatem personalem.

Quare: 1° Jus utendi extenditur ad illa dumtaxat, quae usuario ejusque familiae (etiam filiis nascituris et hospitibus), pro eorum conditione, ad usum quotidianum sunt necessaria. — 2° Si usuarius acceperit, ineunte anno, quae sibi fuerunt ad integrum annum necessaria, et ante anni finem decedat, haeredes debent id quod superest proprietario restituere. — 3° Usuarius nequit jus suum in alterum transferre, nisi clare pateat talem concessam fuisse facultatem.

II. Onera sunt eadem ac fructuarii, sed tantum juxta proportionem fructuum, quos usuarius percipit. — Usus potest eodem modo ac ususfructus cessare [2].

Nota. Ad usum referuntur: 1° Habitatio, i. e. jus reale utendi pro sua indigentia aliqua parte habitabili alienae domus. — 2° Lignatio, i. e. jus colligendi ligna arida (aut etiam viridia pro consuetudine locorum) in silva aliena, v. gr. nationis vel municipii [3]. — 3° Pastio, i. e. jus ducendi pecora in pascua aliena, v. gr. post foenisicia (cfr. n. 910, 5°).

[1] Cod. gall., 617-624; ital., 515-520; austr., 524; hisp., 491-522: germ., 1061. — Attamen, Jure hisp. ususfructus per rei *abusum* non amittitur, bene vero usus et jus habitationis (art. 501, 502). — [2] Vide Cod. gall., 625-635; ital., 521-530; austr., 504-508; hisp., 523-529; germ., 535, 1090. — *III, 529; cfr. *Bouvier,* de Jure etc., P. I, c. 4, a. 4.

Digitized by Google

5. *Servitus praedialis.*

847. — DEFINITIO. Servitus, generice accepta, est quaedam subjectio, qua res, vel persona aliqua, aliquid pati debet ab alia re, vel persona.

Si persona alii personae tanquam res subjacet et inservit, habetur, stricto sensu, *servitus personalis,* in qua erant servi, seu mancipia apud Romanos. — Si res alii personae, praeter proprium dominum, inservit, habetur *servitus mixta* seu praedialis personalis (apud modernos, personalis simpliciter), qualis est usus et ususfructus. — Si demum res rei servit, habetur *servitus praedialis,* seu realis, de qua hic sermo est.

Servitus PRAEDIALIS definitur: jus reale in re aliena constitutum, quo dominus in re sua aliquid pati, aut non facere, adstringitur in utilitatem tertii.

DIVISIO. 1° Ratione originis, servitus est vel *naturalis,* vel *legalis,* vel *conventionalis;* prout oritur vel ex dispositione locorum, ut cursus aquae; vel ex lege, ut jus prospectus, stillicidii; vel ex contractu, v. gr. donationis aut venditionis conditionatae, etc. [1].

Alicubi tamen, servitutes ex natura ortae revocantur potius ad limitationes proprietatis [2].

2° Ratione modi, est *continua* vel *non continua;* prout durare potest absque hominis facto, ut jus prospectus, aquaeductus, etc., aut sine eo exerceri non potest, uti jus hauriendi aquam, transeundi per agrum, etc.

Dicitur *apparens,* si aliquo exteriori signo aperte declaratur, v. gr. servitus januae, fenestrae; *non apparens,* si tali signo caret, v. gr. prohibitio erigendi altius domum vicinam.

3° Ratione objecti, est *urbana* vel *rustica;* prout vergit in utilitatem praedii urbani, i. e. aedificii habitationis causa erecti, sive in urbe sive in villa, et horti eidem annexi; vel rustici, i. e. agri, vineae, prati, stabuli pecorum a domo sejuncti.

848. — JURA et OBLIGATIONES servitutum pendent a natura rei, a lege, a conventione.

1° Qui active jus habet ad servitutem potest omnia perficere opera, quae necessaria sunt ad ea utendum atque ad eam conservandam. — 2° Si dividatur fundus, ad cujus utilitatem constituta est servitus, haec cuique parti istius fundi debetur. — 3° Dominus praedii servientis nihil potest agere, quo servitutis usus minuatur; et vicissim, is, cui debetur servitus, nihil facere potest, unde conditio praedii servientis gravior fiat.

Nota. Servitutes praediales *exstinguuntur:* 1° Elapso statuto tempore, vel impleta conditione. — 2° Renuntiatione expressa vel tacita proprietarii. —

[1] Cod. gall., 649; germ., 1018. — [2] Cod. austr., 472.

Digitized by Google

3° Consolidatione, qua dominus praedii dominantis fit simul dominus praedii servientis, aut vice versa. — 4° Si res non amplius servire valeat, v. gr. si fons, ex quo haurire poteras aquam, exsiccetur. Si tamen res ad pristinum statum redeat, servitus reviviscit, nisi obstet praescriptio. — 5° Praescriptione, seu non-usu, per tempus a lege positiva requisitum (cfr. n. 899) [1].

6. *Possessio.*

849. — DEFINITIO. In sensu *latiori,* possessio vocatur omnis detentio rei. — Sensu autem *proprio:* possessio est detentio vel insistentia rei, tanquam suae, adminiculo scilicet corporis et juris.

Dicitur: 1° *detentio,* i. e. factum apprehensionis [2], apprehensio prima vel continuata, qua res constituitur in potestate possessoris; — 2° *rei,* etiam incorporeae, ut census, beneficii, servitutis et similium jurium, quae dicuntur quasi-possideri; — 3° *tanquam suae,* i. e. apprehensio fieri debet animo rem habendi tanquam suam, etsi forte sciatur rem esse alienam. Unde depositarius non proprie possidet depositum, nec tutor bona pupilli; — 4° *adminiculo corporis:* quia non incipit, nec est possessio, nisi interveniat actus corporeus, quo vel pede, vel manu, vel oculis, vel alio simili modo apprehendatur res in se vel alio, in quo censeatur contineri; — 5° *adminiculo juris,* non quod necesse sit ut lex positive approbet, sed saltem ut non resistat: i. e. non declaret objectum esse commercio humano subductum, vel subjectum esse illius possidendi incapax. Hinc, detentio rei extra commercium positae, i. e. rei publicae a privato (vel sacrae a laico), non est possessio, ne facti quidem, lege id prohibente et irritante; detentio vero rei furtivae (profanae), licet injusta, est tamen vera possessio facti, quia jus non impedit, ne talis rei detentio sufficiat ad possessionem (*Polman,* 2. 2, n. 356 seqq.).

DIVISIO. 1° Possessio, ratione tituli, est justa vel injusta: JUSTA, si innititur legitimo titulo; INJUSTA, si tali titulo destituitur. — 2° Ratione conscientiae possidentis, alia est BONAE FIDEI, quando possessio reputatur justa a possessore, etsi forsan non sit; alia est MALAE FIDEI, quando rei detentor cognoscit possessionem esse injustam. — 3° Ratione modi possidendi, est naturalis vel civilis vel mixta. *Naturalis* est, qua quis corpore simul et animo rem occupat, sciens vel dubitans se dominum non esse. *Civilis* est, quae corporis adminiculo inchoata, solius animi adminiculo retinetur. Sic possidet res suas, qui ab eis abest, nec a jure possessionis per alium dejicitur. *Mixta* est, quando quis corporis et animi adminiculo rem actualiter ita possidet, ut nullus alius ejusdem rei possessionem civilem retineat: haec est perfectissima possessio (*Schmalzgrueber,* in Decr., l. II, tit. XII).

ACQUIRITUR possessio apprehensione vera, apprehensione ficta et dispositione legis. *Apprehensio vera* fit vel manibus, v. gr. ad rem mobilem manus

[1] Cfr. *De Luca,* in S. C. Ep. et Reg., 10 Jun. 1887 (*A. S. S.,* 20, p. 350). Vide Cod. gall., 637-710; ital., 531-672; austr., 472-530; hisp., 530-604; germ., 1018-1030; *Crolly,* t. I, n. 616. — [2] Possessio ergo toto coelo differt a dominio. Hoc enim consistit in jure quo res *est* domini.

Digitized by Google

injiciendo; vel pedibus, insistendo scilicet in fundo quem velut nostrum habere contendimus. *Apprehensio ficta* perficitur actu qui ex fictione juris apprehensioni verae aequivalet, v. gr. traditione clavium vel scripturae. *Legis dispositio* tribuit aliquando possessionis commoda absque ulla rei apprehensione.

850. — EFFECTUS POSSESSIONIS. Possessio tribuit certa commoda ex lege naturali, et adhuc majora ex lege civili. Cfr. *Vermeersch,* Quaest. de Just., n. 255; *Delama,* n. 15.

I. Ex lege naturali, *in dubio melior est conditio possidentis.* Quo spectat illud juris (l. II, ff. *Uti poss.*): « Qualiscumque possessor, hoc ipso quod possidet, plus juris habet, quam is qui non possidet ». — Et ratio est, quia, sicut supra (n. 44) fuse dictum est, nemo praesumitur malus, ideoque nemo possessor injustus, nisi probetur. — Insuper hoc privilegium possidentis ad pacem publicam conducit, sollicitatque civium diligentiam in rebus suis custodiendis.

Hinc: 1° In judicio *petitorio* (i. e. circa rei proprietatem) possessor praesumitur esse dominus: ideoque onus probandi transfertur in petitorem. — 2° Durante lite, possessor debet in sua possessione retineri, donec jus petitoris probetur. — 3° Possessor legitimus non potest elidi, nisi ab alio jure certo. — 4° Possessor turbatur illegitime a privata auctoritate, in sua possessione. Quare potest possessionem per seipsum tueri et vim vi repellere. — Secus, habet in judicio actionem, quam dicunt *possessoriam,* i. e. potest a judice petere, vel ut omnis molestia cesset, vel ut possessio jam de facto sublata sibi restituatur.

II. Ex lege civili, possessor habet beneficium *praescriptionis,* jus aliquando acquirendi fructus, etc., ut n. 890 explicabitur. — Si ipsa possessio *dubia* sit, in judicio possessorio vincet is, qui toto superiori anno, non vi, non clam, non precario possedit. — Quod si neuter tali modo possederit, possessio adjudicanda est illi, qui rem in praesenti detinet, vel res inter utrumque dividenda est (cfr. n. 945, 3°).

Nota. Amittitur possessio: 1° *naturaliter,* quando quis re possessa ita privatur, ut ipsa ponatur extra ejus custodiam; — 2° *civiliter,* quando possessor, etiamsi rem apud se retineat, animum tamen eam possidendi abjecit, aut quando lex eum in tali possessione defendere desinit; — 3° *naturaliter* simul et *civiliter,* quando rem abdicat vel derelinquit, animo efficaci eam non amplius habendi ut suam, sive hoc faciat libere, sive coacte [1].

---

[1] Cfr. Cod. austr., 309-352; ital., 685-709; hisp., 430, 446, 460 seqq.; germ., 856, 872 seqq.

Digitized by Google

CAPUT II.

De objecto et subjecto dominii.

Cfr. Enc. *Leonis XIII*, 28 Dec. 1878 (*A. S. S.*, 11, p. 369), 15 Maii 1891 (*A. S. S.*, 23, p. 641) de Socialismo et de condit. opificum; praeter auctores cit., *Leroy-Beaulieu*, Le Collectivisme, passim; *Cathrein*, Sozialismus, Moralphil., II, p. 124; *Pesch*, Die soziale Frage, III vol.; *Biederlack*, id.; *Weiss*, id.; *Schrijvers*, Man. d'Écon. polit.; *Vermeersch*, o. c., n. 231 seqq. et 529, ubi de personis moralibus.

ARTICULUS I.

De objecto dominii.

851. — OBJECTUM humani dominii sunt omnes res, quae hominis usui subjiciuntur. Unde Scriptura: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves*, etc. (*Ps.* 8, 8). — *Terram autem dedit filiis hominum* (*Ps.* 113, 16).

Privatum vero dominium fundatur in jure naturali, quatenus hoc postulat ut res nullius fiant primi occupantis, utque hic fructus proprii laboris percipere valeat. — Porro DOMINIUM est omnino INVIOLABILE: 1° *de jure naturae;* nam, sublato dominio, subverteretur societas: quisque enim vellet omnibus dominari, nulli servire et nulli vacare labori; — 2° *de jure divino*, ut patet ex prohibitione furti; — 3° *de lege humana*, tum *ecclesiastica* tum *civili*, quae tota in eo est, ut jus proprietatis cuique tueatur (*Salmant.*, tr. 12, c. 2, n. 1).

Merito igitur reprobata est a Pio IX (Enc. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846) doctrina *communismi* et *socialismi*, tanquam « infanda ac vel ipsi naturali jure maxime adversa, qua semel admissa, omnium jura vel proprietates ac vel ipsa societas humana funditus everterentur ».

852. — Objecta humani dominii multipliciter dividuntur:

1° Dantur bona interna et externa. — *Externa* sunt omnia sublunaria, extra hominem posita; *interna* sunt quae homo in seipso possidet, et eum ubique concomitantur.

Haec sunt diversi generis: vel enim ab homine *non distinguuntur*, ut vita, membra; de his habet homo solum *dominium utile;* vel ab homine *procedunt*, v. gr. actiones: de his habet dominium plenum; vel sunt *mixta*, quatenus ipse ad ea, licet externa, per actus concurrit, ut fama, honor: de his etiam habeat dominium plenum, sed in multis limitandum (cfr. n. 753, 1198).

2° Bona externa sunt corporalia vel incorporalia. — *Corporalia* sunt illa, quae sensibus subjiciuntur, uti vestes, fundus, domus; *incorporalia*, quae intellectu tantum percipiuntur, et consistunt in aliquo jure, v. gr. jus fruendi, utendi, obligatio a Debito publico assumpta.

3° Bona corporalia dividuntur in mobilia et immobilia. — *Mobilia* sunt, quae, salva propria earum forma, loco moveri possunt; *immobilia*, quae non possunt loco moveri, eo quod solo, vel domui adhaerent.

Digitized by Google

In novis porro codicibus, determinatio rerum saepe fit minutatim; ipsa etiam jura, pro eorum natura, ex legis determinatione, ad alterutram speciem referuntur [1]. — Verbum *mobilia* si solum adhibeatur, habet sensum restrictum; secus si opponatur immobilibus. Verbum *suppellex (meubles meublants)* non comprehendit nisi mobilia destinata ad usum et ornatum aedium et cubiculorum.

Bona mobilia subdividuntur in fungibilia vel non fungibilia. — *Fungibilia* sunt, quae aliarum rerum vice fungi, adeoque his aequivalenter substitui possunt, dummodo sint ex eodem genere ejusdemque qualitatis. Res hujusmodi sunt *oleum, triticum, vinum.* — *Non fungibilia* sunt, quae in propria sua natura tradi debent, v. gr. pictura.

Ad res FUNGIBILES referendae sunt eae, quae constant *pondere, numero, mensura;* — item, *pecunia numerata* [2]; — item, res *primo uso consumptibiles*, ut panis, caro, ligna ad comburendum; non autem regulariter res quibus ex successivo usu detrimentum affertur, ut vestes, suppellex.

4° Bona externa demum sunt vel in commercio, vel extra commercium constituta. — *In commercio* res esse dicuntur quae, ut usibus privatis destinari, ita et in obligationem deduci, et alienari acquirique possunt. *Extra commercium* sunt (secundum Jus romanum) [3]: *a*) res divini juris, i. e. res sacrae et loca sacra; — *b*) res communes, ea scilicet, quarum dominium nullius, usus vero omnium est, ut aër, lux, aqua; — *c*) res publicae, quarum usus spectat ad omnes cives, ut flumina, portus, arces munitae et viae publicae. Secus dicendum de aliis bonis, v. gr. agris, silvis et aedificiis publicis, quibus respublica fruitur ad instar privatorum (cfr. n. 872).

Nota. In ANGLIA, ubi systema feudale multis in rebus vigere perseverat, viget etiam specialis modus distinguendi bona, qui addiscendus est apud auctores qui de Jure anglico scripserunt (cfr. *Crolly*, o. c., n. 253 seqq.).

His generatim praemissis, speciatim inquirendum venit: 1° de dominio hominis in alios homines; — 2° de ejusdem dominio in proprii ingenii fetus.

§ 1. De dominio hominis in alios homines.

853. — PRINCIPIA. I. **Homo non habet in alium hominem plenum proprietatis dominium.** Hoc enim dominium soli Deo competit (cfr. n. 729 et 753). Nullomodo concedi potest, hominem, quoad personalitatem, ad alterum ut ad finem dirigi. Unde illicitum est *nigritarum commercium*. Cfr. Leonis XIII Const. *In plurimis*, 5 Maii 1888, et Litt. Enc. *Cath. Eccl.*, 20 Nov. 1890.

[1] Cod. gall., 517-536; ital., 406-424; austr., 291-301; hisp., 333-347; germ., 90. — [2] *Instit.*, 3, 15 = Leg. 1, ff. 18, 1. — [3] *Instit., de rer. divis.*, § 1-10.

Digitized by Google

854. — II. **Homo potest habere in alium hominem dominium utile,** i. e. potest ipsi competere legitima facultas disponendi, in proprium commodum, de aliis hominis *actibus* deque horum actuum *fructibus*. — Ratio est, quia quilibet homo habet dominium actuum suorum et fructuum laboris suis, ac proinde potest eos alteri locare, ut fit in statu famulatus, vel etiam, nisi quid obstet, alienare in perpetuum.

§ 2. De dominio hominis in proprii ingenii fetus.

Quaestio respicit tum scriptores, tum ingeniosos artifices, qui artes, sive liberales, sive industriales, novis inventionibus illustrant.

855. — Principia. I. **Ex Jure naturali, competit auctori aut inventori dominium plenum suorum operum vel suarum inventionum, certo ante eorum divulgationem, probabiliter etiam post divulgationem.**

1° Quoad opera nondum divulgata, res per se patet. Qui ergo talia divulgat, reus est furti. Atque hoc idem dicendum videtur de eo, qui *publicas* professoris *lectiones* aut sacri oratoris *conciones* typis ederet; quia publice docere, vel concionari, non est opus suum divulgare, publice ita tradere ut quisque illud prelo subjicere possit. Excipe si constet auctorem non esse invitum.

2° Quod dein ad opera in publicum *jam edita* attinet, censent quidam AA., post evulgationem amitti jus exclusivum in opus ingenii (ap. *Vermeersch,* o. c., n. 246). Alii contradicunt, dicentes: dominium et jus ulterius divulgandi remanere apud auctorem, qui operis vulgati solum usum concedit (*Noldin,* II, 379).

Admittendum est saltem *aequitati* esse consentaneum, ut cuilibet auctori jus proprietatis in fructum sui laboris industriaeve tribuatur, et quidem jus exclusivum, ita ut absque suo, suorumve, post se, haeredum consensu, nullus illa opera iterum in publicum edere possit (*Carrière,* l. c., n. 61). Cum ageretur de re nimis incerta, auctoritatis publicae erat omnia clarius determinare.

856. — II. **Ex Jure positivo, competit auctori vel inventori, post divulgationem (modo certae conditiones impleantur), monopolium, quod tribuit jus strictum quoad principalia, minus strictum quoad accessoria.** Conceditur hoc privilegium, ratione boni communis, tum ad fovendam industriam, tum ad compensandas, quae saepe faciendae sunt, impensas, tum ad remunerandum labores, qui cedunt in communem utilitatem. Confert ergo lex civilis auctoribus *jus strictum* in foro tum externo, tum interno (*Carrière,* l. c.).

Distinximus inter principalia et accessoria. *Principale* in his legibus est prohibitio reproductionis quae fieret ad *lucrum* capiendum, per modum commercii. Qui sic violant jus auctoris, agunt injuste. — *Accessorium* est prohibitio

Digitized by Google

reproductionis quae fieret ope machinae *pro restricto coetu*, prohibitio impressionis et diffusionis *in diuitis regionibus* vel versionis in aliam linguam, incorporationis *multarum* partium in aliud opus sub alia forma et alio titulo, secundum c. 1, v. gr. *Noldin*, II, n. 379; *Ami da Cl.*, 1910, p. 115. Haec *arcana* non certo obligant in conscientia. Ratio est, quia auctor ob hanc transcriptionem et reproductionem non patitur damnum tam appretiabile; praeterea *multa*, quae transgressoribus imponitur, est delicto improportionata.

In Gallia, conceditur inventoribus artium industrialium privilegium ad 5, 10 vel 15 annos, ad nutum postulantis, modo proportionatam pecuniam solvat. Qui tale privilegium seu diploma inventionis accepit, potest violatores juris sui vocare in judicium; et nisi reus probet vel diploma falso titulo fuisse obtentum, vel imitationem ex sua parte non exsistere, inventor obtinet adulterinorum objectorum confiscationem et damnorum compensationem. — Quoad libros, picturas, compositiones musicales, etc., conceditur jus exclusivum reproductionis (versionis in aliud idioma) et venditionis ad vitam auctoris, et ad 50 annos post ipsius mortem. — Conditiones pro libris sunt, ut duo exemplaria in archivo publico praefecturae deponantur, et depositi syngraphum ab auctore retineatur. — Jus autem est in integro, vel in parte alienabile, v. gr. in bibliopolam, salvo jure haeredum pro parte legitima. Lex 14 Jul. 1866.

In Italia, scriptor qui easdem fere ac in Gallia legales conditiones implet, acquirit sibi pariter ad totam vitam jus exclusorium *venditionis* una cum jure *reproductionis*. Si ante quadragesimum annum a prima operis editione mortem obit, ejus haeredes iisdem juribus gaudent, donec 40 illi anni fuerint elapsi. Illis autem elapsis secutave morte auctoris, opus prelo ab aliis subjici potest et venale exponi, sub hac tamen conditione ut per 40 alios annos illi, qui defuncti jus acquisivit, 5 pro 100 (ut dicunt) solvantur, ex illo nimirum pretio, quod legitur in singulis exemplaribus inscriptum, et quod fuit apud civilem auctoritatem denuntiatum. — Jus *reservatae* versionis non extenditur, a prima operis editione, ultra decennium. Decr. reg. 17 Sept. 1882.

In Hispania, scriptori, vita durante, ejusque haeredibus per 80 annos post ipsius mortem, jus reproductionis exclusivum et alienabile tribuitur. Idem jus obtinent, qui, accedente licentia auctoris, librum compendiant vel in aliam linguam transferunt. Cod. n. 428, 429; lex 10 Jan. 1879. Vide *Gury-Ferreres*, n. 566 seqq.

In Austria, ex lege 26 Dec. 1895, perstat jus haeredum quoad omnia opera per 30 annos, quoad photographias per 10 annos. Abrogata sunt privilegia.

In Germania (ex lege Introd., n. 76), non idem, in singulis regnis, jus viget. Communiter auctorum privilegium non extenditur ultra 30 annos post mortem primi editoris. Cfr. *Kürschner*, Lexicon des deutschen Reiches v. *Urheberrecht*.

In Anglia, conceditur auctori jus vel ad vitam et 7 annos post ejus mortem, vel ad 42 annos a prima operis editione (*Crolly*, t. I, n. 654).

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De subjecto dominii.

§ 1. De subjecto dominii in genere.

857. — Principium. **Omnis et sola natura intellectualis est dominii subjectum.** Sola enim natura intellectualis potest gaudere facultate disponendi *pro libitu* de aliqua re tanquam sua. — Praeterea, dominium secum trahit jus arcendi eos qui invito quod suum est arripere vellent. Invita autem sola natura intellectualis esse potest.

Hinc deduces: Incapaces dominii *non sunt infantes,* neque ipsi *amentes:* nam usus rationis necessarius tantum est ad juris exercitium, non vero ad habendum dominium radicale, utpote fundatum in potentiis animae, quae rationis usum praecedunt: secus omnis qui somno se dedit, dominii incapax fieret. — Consonat Jus civile, quod infanti etiam ante suam nativitatem jus possidendi tribuit. Cod. gall., 906; germ., 1923, 2°, 2109, 2178.

§ 2. De subjecto dominii in specie.

Lex positiva, ad bonum tam commune quam privatum, capacitatem possidendi, quae omni intellectuali naturae competit, restrinxit. Restricta est dominii capacitas in filiisfamilias et minoribus, in uxoribus, in personis moralibus (v. gr. municipiis, conventibus, etc.), in civiliter mortuis et interdictis, in religiosis et clericis beneficiatis.

De civiliter mortuis et interdictis sermo erit n. 1042, de religiosis et clericis, n. 2156, 2245.

1. *De dominio filiorumfamilias.*

Bona et jura filiorumfamilias (aliorumque minorennium) multum, apud varias gentes, variant. Praecipuas quae hac de re exsistunt leges hic referemus (recole dicta, de distinctione personarum, n. 698). — Variae hae leges, cum *ad bonum commune jura statuant,* obligant in conscientia (cfr. 838, 1°).

858. — Ex Jure romano in bonis filiorumfamilias distinguuntur: 1° *bona castrensia,* quae filius aut pupillus sibi acquirit ex militia, vel occasione militiae; quibus proxime accedunt *bona quasi-castrensia,* quae acquirit ex militia togata seu ex officiis publicis, v. gr. judicis, advocati, lectoris, medici, clerici, etc; — 2° *adventitia,* quae filiofamilias proveniunt vel a matre, vel a materna linea, vel intuitu matris, vel alia via, v. gr. haereditate, donatione, fortuna (ut si thesaurus inveniat), negotiatione cum bonis non paternis, vel nomine proprio, etc.; — 3° *profectitia,* quae filius accipit a patre, vel intuitu patris, vel quae ex rebus patris, negotiando ejus nomine, lucratur (*Doveri,* Instit. di Diritto rom., l. 1, § 134).

Digitized by Google

859. — Ex NOVIS CODICIBUS, bona filiorum generatim in duplicem classem dividuntur. *Prior* comprehendit bona *labore separatave industria* a filiis comparata, vel quae ipsis donantur *cum expressa conditione* ut eorum usufructus non obveniat parentibus. *Posterior* omnia *alia* bona complectitur quae filiis obveniunt, v. gr. donatione vel alio simili titulo.

860. — Porro, quoad haec ambo bonorum genera, sedulo distinguendum inter dominium directum, administratio et usufructus. — 1° *Dominium directum omnium bonorum,* quae justo titulo filiis obveniunt, *pertinent ad eos,* licet minores sint nec emancipati, cum talis dominii sint capaces. Justus titulus est donatio, haereditas, industria separata, etc. — 2° *Administratio omnium bonorum* est *penes patrem vel tutorem,* qui filiorum incapacitatem vel imperitiam supplere debet, donec ipsi majorennes vel emancipati sint. Majorennes obtinent plenam, emancipati autem restrictam bonorum suorum administrationem. — 3° *Ususfructus* competit vel *filiis* vel *genitoribus,* prout JUS POSITIVUM statuit.

861. — In GALLIA. Usufructus, generatim, pertinet ad patrem (vel, eo defuncto, ad matrem in viduitate permanentem), usque ad filiorum emancipationem vel annum 18^{m} completum. Ex proventibus tamen debet proles, pro conditione sua, ali et educari. — Diximus *generatim,* quia excipiuntur: 1° bona, quae filii proprio labore separatave industria sibi comparant; — 2° bona, quae ipsis donantur sub expressa conditione, ut eorum usufructus non obveniat parentibus. Cod. civ., 384-387.

In ITALIA. Usufructus conceditur patri vel matri habenti patriam auctoritatem, donec filii sint majorennes vel emancipati. Amittitur ab alterutro parente, qui, post mortem compartis, ad novas nuptias convolat. Parentes fructuarii tenentur procurare proli talem educationem, quae ejus fortunae et conditioni sit consentanea. — Excipiuntur: 1° bona quae filii proprio labore et separata industria sibi acquirunt; — 2° bona quae ipsis donantur cum adnexa conditione, ut parentes usumfructum non percipiant; — 3° bona quae ipsis, juxta legis dispositionem, dissentiente patre, obveniunt. Cod., 228-239.

In HISPANIA. Usufructus generatim patri (vel matri patriam potestatem habenti) conceditur. *Excipiuntur a*) bona quae filiis, ut eorum educationi inserviant, dantur; — *b*) bona quae filii industria separata acquirunt, si de patris consensu propriis expensis extra domum paternam vivant; — *c*) bona filiorum qui recogniti aut adoptati sunt; imo istorum bona pater ne administrare quidem potest, nisi data cautione (*Gury-Ferreres,* n. 545). Cod., 160-162, 166.

In AUSTRIA. Usufructus competit filiis etiam minorennibus et non emancipatis, deductis tamen educationis expensis. Et licet suorum bonorum administrationem filius nondum emancipatus non habeat, libere tamen (ideoque et valide, si aliunde nihil obstet) disponere potest: 1° de bonis propria industria acquisitis, modo ipse a parentibus non accipiat alimenta; — 2° de bonis quae ejus usui tribuuntur, modo si puber (*Delama,* n. 37). Cod., 149 seqq.

In GERMANIA. Jus novum distinguit bona filiorumfamilias in libera et non libera. — *Libera* dicuntur: 1° quae filii proprio labore et separata industria sibi compararunt; — 2° quae dono acceperunt, exclusis parentibus ab usufructu; — 3° quae, parce vivendo, seposuerunt ex bonis quae erant ipsis, extra paternam domum viventibus, ad victum in plenam potestatem concessa. — *Non libera* dicuntur cetera omnia. Horum usumfructum cum administratione habet pater, usque ad tempus, quo filius e potestate paterna excedit. — Usufructus bonorum liberorum competit filio, administratio vero patri vel tertio

Digitized by Google

cui eam bonorum auctor commisit (*Pelt,* o. c., p. 34 seqq.). Cod., 1617 seqq.; 1649 seqq.

In ANGLIA. Ususfructus pertinet ad filios. Utrum vero educationis expensae ex bonis patris, aut ex bonis filiorum refundi debeant, solent tribunalia, pro casus adjunctis, decidere (*Crolly,* n. 456-465).

862. — Quaestiones speciales. Non abs re erit hic sermonem instituere tum de jure ad *mercedem* quod filii, *pro patre laborantes,* acquirunt, tum de jure *in bona minuta* et mobilia, quae a parentibus vel cognatis recipiunt.

I. DE LABORE IN DOMO PATERNA. 1° *Filius minorennis* non habet jus strictum ad mercedem pro labore ordinario, quem in commodum familiae perficit; illud vero jus possidet pro labore extraordinario. Ratio *primi:* parentes jure exigere possunt ut conservandae et augendae rei domesticae adlaboret; — hic labor minorennium est *debitus ex pietate.* — Consonat etiam Jus civile, v. gr. Jus germ., § 1617. — Ratio *secundi:* labor extraordinarius (i. e. qui superat expensas victus, vel ratione aetatis seu conditionis est indebitus) aequiparatur labori ab extraneis suscepto, — unde mercedem meretur. Cfr. *S. Alphonsum,* III, n. 488, 544, 810; *Lugo,* o. c., disp. 5, n. 42; *Delama,* n. 34, q. 1.

2° *Filius majorennis* pro labore etiam ordinario, de se, mercedem meretur: debetur enim extraneo: unde a pari, filio majorenni. Considerandum vero est, quod filius majorennis a patre sustentatur, quod per suum laborem etiam res patris amplificat. Ex hoc sequitur, mercedem filio debitam saepe esse minuendam, deductis nempe expensis pro victu, vestitu, habitatione, et attenta spe haereditatis.

Nota. Aliqui AA. filio, etiam minorenni, strictum jus ad mercedem attribuunt; alii negant filium majorennem jus ad salarium pro labore ordinario possidere. Cfr. diversas opiniones ap. *Tanquerey,* II, n. 149; *Noldin,* II, n. 354; *Lehmkuhl,* in Theol. mor. et in Cas. Consc.; *Delama,* l. c. ad 1. Praeterea, aliqua Jura civilia (v. gr. Jus germ., n. 1617) in genere filiis jus ad mercedem denegant. — Ex hoc sequitur: parentes *non agere injuste,* si filiis laboriosis haereditatem non augeant, — filios vero, qui ante bonorum separationem aliquid pro labore suo seposuerunt, *post factum* non esse ad restitutionem cogendos, maxime si alii filii nihil ad augendam rem domesticam contribuerunt. Cum vero jus ad mercedem pro labore ordinario, ex parte filiorum majorennium, non sit omnino certum, *ante factum* non adest tuto jus compensationis (n. 917).

II. DE LABORE EXTRA DOMUM PATERNAM. 1° *Filius minor extra domum laborans, et a patre locatus,* nomine patris laborat. Lucrum ergo, quod acquirit, videtur esse bonum profectitium, pertinens ad patrem. Ratio: idem debitum pietatis, quod supra indicavimus, hic viget. Attamen, non certo peccat contra justitiam, si aliquid retinet. Cfr. Jus germ., 1651.

Digitized by Google

2° *Filius labores suos ipse locans* lucrum *suum* ipse facit. — Teneretur *ex justitia* parentibus quid solvere, si familiae expensis viveret, *ex pietate* si necessitas parentum adesset.

3° *Filius nomine patris negotians* suum facit illud tantum quod *ex speciali industria* lucratus est, etiamsi, ex furto, patris pecuniam sibi comparasset. Quin imo in hoc ultimo casu, si nempe nomine proprio negotiari intendit, totum lucrum filio est adscribendum (*Lehmkuhl*, I, n. 565).

III. De jure in bona accepta. 1° In bona quae *non sunt illico usu consumptibilia*, uti vestes, libri, etc., filiusfamilias utile tantum dominium possidet; nam, ex communi sensu, filius, quoad illa, non accipit proprietatem, sed tantum usum. Ideo nequit absque parentum vel cognatorum consensu, saltem rationabiliter praesumpto, ea vendere, donare, alienare.

2° In bona quae *sunt primo usu consumptibilia*, ut cibaria vel pecunia, si data sint sine ulla conditione, filiusfamilias perfectum habet dominium: potest ergo ad nutum de iis disponere. — Si autem data sint sub conditione aliqua, v. gr. emendi libros, solvendi pensionem, etc., peccat contra justitiam, ea ad alios usus impendendo.

An, et quando filiusfamilias teneatur ad restitutionem, vide n. 907.

2. *De dominio uxorum.*

863. — *Praenotanda.* 1° Multiplici modo possunt bona in matrimonio inservientia ordinari; unde necesse est diversa bonorum regimina pernoscere, ut dominium uniuscujusque conjugum recte delimitetur. — 2° Bona uxorum possunt esse vel *dotalia*, vel *paraphernalia*, vel *communia* (III, 489; H. Ap., tr. X, n. 5). Hoc dependet sive a voluntate nupturientium, sive a lege.

Dotalia sunt ea, quae ab uxore, vel a parentibus, vel ab alio traduntur marito, ad sustinenda onera matrimonii, i. e. ad familiae providendum.

Paraphernalia *(extradotalia)* sunt ea, quae uxor habet praeter dotem, et in quibus nihil est juris marito, praeter id quod ipsa ei commisit. — Paraphernalibus accensenda sunt, quae uxor ex peculiari solertia sibi acquirit, administrando prudentius atque attentius rem familiarem, vel subtrahendo sibi de bonis ad victum, vestitum, oblectamentum a marito sibi concessis.

Communia sunt quae ex pacto conjugum (vel ex lege pacti vicem supplente) in societatem conferuntur. Ad haec recte referuntur ea, quae uterque conjux, labore ordinario, et cura rei familiaris, acquirit.

Digitized by Google

De *bonis familiae* quandoque loquuntur AA. Sunt ea quae ad prosperitatem familiae data sunt vel communi labore acquiruntur, quin tamen semper communia vocari possint, eo quod maritus eorum dominium habere potest (*Noldin*, II, 376, *c.*)

864. — PRINCIPIUM. **Ex lege naturali, uterque conjux remanet bonorum suorum dominus, cum obligatione sustinendi, pro rata parte, matrimonii onera; sed ex lege positiva et ex pacto jura conjugum in bona possunt esse valde diversa.** Videamus igitur praecipuas dispositiones, quas continent, hac super re, varii variorum populorum Codices, seu jura.

JUS ROMANUM. 1° Adjudicat bonorum *dotalium* usumfructum et administrationem viro, proprietatem autem uxori: ideoque, mortuo viro, ipsa pro repetenda dote, omnibus ejus personalibus creditoribus praefertur. Potest etiam in vita repetere dotem, si timeatur ne vir fiat impotens ad illam restituendam. Si vero dos consistat in pecunia aut in bonis consumptibilibus, vel etiam in bonis stabilibus, quae viro aestimata et animo venditionis traduntur, tunc vir plenum acquirit dominium, cum obligatione valorem restituendi, matrimonio soluto; ideoque, si bona hujusmodi pereunt, viro pereunt. — 2° Bonorum *paraphernalium* uxor habet plenum dominium et usum. — 3° Bonorum *communium* (si adsint ex pacto speciali) proprietas et usus pertinent ad utrumque conjugem: administratio vero ad solum maritum (III, 542; H. Ap., l. c.).

865. — JUS GALLICUM [1]. Concedit sponsis, ante matrimonium, facultatem faciendi quoad bona sua, omnes, quas voluerint, pactiones, dummodo hae pactiones fiant coram publico notario, nec bonis moribus aut legibus, aut paternae maritalive auctoritati adversentur. Quodsi hujusmodi pactio fieri praetermittatur, sponsi censentur inire communitatem legalem. — Jamvero:

I. COMMUNITAS LEGALIS sic se habet: 1° *Propria* cuique conjugi manent bona immobilia acquisita ante nuptias, vel postea ex donatione aut successione obvenientia. Propria vero uxoris bona fiunt quasi-dotalia, et solus maritus habet eorum usumfructum et administrationem; ita tamen, ut sine consensu uxoris ea alienare non possit. — 2° *Communia* evadunt tum bona mobilia ante matrimonium possessa, tum fructus immobilium aliique redditus, tum etiam immobilia in matrimonio ex bonis vel ratione communitatis acquisita. Potest maritus haec bona absque uxoris consensu alienare, oppignerare, etc. De immobilibus tamen, vel de mobilium universalitate aut quotitate, non potest disponere titulo gratuito. — Dissoluta communitate, *bona* et *onera* dividuntur in duas partes, nisi uxor ejusve haeredes maluerint bonis renuntiare, atque ita ab oneribus se eximere.

II. PER PACTUM CONJUGALE constitui potest: 1° Regimen communitatis *conventionalis*, quo extenditur vel restringitur, respectu bonorum, communitas legalis. — 2° Regimen *excludens communitatem* (at sine separatione), quo scilicet omnia bona uxoris fiunt quasi dotalia, et traduntur marito in usum et in administrationem, absque alienandi facultatem. — 3° Regimen *separationis*, quo omnia uxoris bona fiunt quasi paraphernalia; uxor enim retinet usum et administrationem omnium suorum bonorum, nec confert ad onera matrimonii nisi tertiam partem suorum reddituum ad normam juris, vel aliam summam,

[1] Cod. gall., 1387-1581.

Digitized by Google

hancque determinatam, cujus plenum dominium in maritum transfertur. — 4° Regimen *dotale*, quo dos stricte talis constituitur, fere ut in Jure romano.

Notetur: a) Nullum est regimen, in quo uxor sit penitus independens a marito [1]; nullum scilicet, in quo possit alienare sua bona immobilia, aut se sistere in judicio civili, sine mariti vel judicis auctoritate. Potest tamen, marito etiam invito, testamentum facere. — *b*) In contractu antenuptiali, possunt sponsi mutuo a se, vel ab aliis, quasdam accipere donationes, quae post nuptias lege prohibentur.

866. — Jus italicum [2]. Haec habet sibi propria: 1° Dos generatim constituitur juxta regulas Juris romani (n. 864). Haec futura etiam sponsae bona complecti potest; sed post initum matrimonium, non potest amplius a conjugibus nec constitui, nec augeri. — 2° Possunt sponsi ante nuptias inire communitatem, non quidem bonorum, sed fructuum ex ipsis bonis sive mobilibus sive immobilibus, sive praesentibus, sive futuris provenientium. Sed non potest illa societas comprehendere debita et credita exsistentia ante conjugium. In ceteris, Jus italicum cum gallico satis concordat.

Jus hispanicum [3]. Dos constitui potest, sicut in Jure romano; item bona paraphernalia. Seclusa autem, quae institui potest, pactione antenuptiali, viget communitas legalis, sicut in Jure gallico. Dissoluta communitate, restitui prius debent dos et paraphernalia, dein solvi debita communia (*Gury-Ferreres*, n. 551, ubi omnia fuse).

867. — Jus austriacum [4]. Bona uxorum iisdem fere regulis subjiciuntur ac in Jure romano. — Haec solum notanda sunt: 1° Communitas bonorum pacisci potest, sive ante sive post initum matrimonium, sub conditionibus tamen et in forma a lege praescriptis. Regulariter, communitas pro casu mortis tantum inita censetur; ideoque, durante conjugio, proprietas bonorum communium est utriusque conjugis, usufructus illius ad quem pertinebat ante pactum, et administratio solius viri. Soluto conjugio, ex bonis communibus quae supersunt, pertinet dimidia pars conjugi superstiti. — 2° Secluso speciali pacto, uterque conjux retinet jus proprietatis suorum bonorum, nec non jus exclusivum ad ea omnia, quae ipse sibi durante conjugio acquirit, vel quae sibi obveniunt. Uxoris tamen bonorum usus atque administratio marito tradita censentur, quamdiu ipsa non contradixerit. In dubio, quia uxor maritum adjuvare debet, praesumitur quaestum a marito factum esse.

868. — Jus germanicum. Habetur regimen legale vel conventionale (cfr. *Pruner*, n. 609; *Pelt*, o. c., p. 39).

I. Regimen legale [5] imitatur jus dotale Juris romani. Bonorum dotalium administratio et usufructus competit marito qui tamen, uxori id postulanti, statum rerum exponere tenetur [6], nec potest maritus ea bona alienare vel oppignerare sine consensu uxoris. Ut autem in tuto collocentur, competit uxori jus securitatem postulandi vel bonorum separationem. Bonorum vero paraphernalium dominium eorumque libera administratio penes ipsam est. Quoad debita, vide § 1410-1426.

II. Regimen conventionale varias admittit pactiones, quae possunt *ante* vel *post* matrimonium iniri et etiam post matrimonium dissolvi aut mutari [7]. 1° Institui potest *communitas universalis* qua fiunt communia omnia conju-

[1] Lex 13 Julii 1907 mulieri plus juris concessit, ita ut jam contractus aliquos inire, et fructus proprii laboris independenter a marito administrare possit (*Questions actuelles*, vol. 92, p. 316). — [2] Cod. ital., 1378-1446. — [3] Cod. hisp., 315 seqq. — [4] Cod. austr., 1217-1266. — [5] Cod. germ., 1363-1425. — [6] § 1374. — [7] § 1432.

Digitized by Google

gum bona, tum ante matrimonium possessa, tum postea acquisita; sed probe notandum est, in hac bonorum communitate utrumque conjugem posse quaedam bona sibi reservare, quod in regimine dotali et in communitate partiali soli uxori conceditur [1]; vel *communitas partialis,* qua pars tantum determinata fit communis. Haec communitas duplex est: *a*) *communitas quaestus,* in qua bona communia evadunt, tum lucra a conjugibus facta, tum bonorum illatorum reditus; bona vero tum mobilia, tum immobilia, ante matrimonium ab utroque possessa, utrique propria manent. Uxor (non autem maritus) paraphernalia sibi reservare potest; — *b*) *communitas bonorum mobilium,* quae communitati quaestus addit communionem mobilium ante matrimonium possessorum, eisdemque fere regulis subjacet ac communitas legalis in Jure gallico [2]. Bonorum communium administratio competit marito, qui tamen nec de immobilibus, nec de mobilium universalitate aut quotitate disponere valet, absque consensu uxoris. — 2° Institui etiam potest *separatio bonorum* vel ab initio, vel durante matrimonio, quo casu bona uxoris tanquam paraphernalia habentur.

Sub quovis regimine, uxor potest, absque consensu mariti, haereditatem, legata et dona sibi oblata acceptare vel repudiare.

In matrimoniis ante 1 Jan. 1900 contractis, bonorum conditio subsistere pergit secundum leges, quae usque ad hoc tempus viguerunt [3].

869. — JUS ANGLICUM. Ex anno 1870 (9 Aug.) uxor ea bona, quae industria separata acquisiverit (separata arte, mercatura), sine consensu viri, pleno jure sua facere potest, ita ut et usufructus et administratio ad eam solam pertineant. — Recentiori etiam jure (1 Jan. 1883), mulier quae nupserit, circa sua bona possidenda, acquirenda, administranda, pleni juris manet, ut mulier innupta. Quare, quoad jus mariti, videndum est, quaenam forte bona in contractu matrimoniali marito collata sint [4]. — Circa haereditatem mariti vel uxoris, vide n. 1076-1078.

870. — *Ex dictis conclude:* 1° ANTE MATRIMONIUM violatur justitia: *a*) *ab alterutro conjuge,* quando alter alterum decipit circa bona, ea amplificando, vel circa debita, ea dissimulando; — *b*) *ab utroque,* quando in pacto antenuptiali falsum exprimunt (v. gr. si sponsus declarat sibi datum esse bonum dotale, quod reipsa datum non est), ut inde decipiatur tertius.

2° POST MATRIMONIUM committitur injustitia: *a*) *ab uxore,* si ex bonis sive communibus, sive personalibus mariti quidquam surripiat, quod nec suae nec suorum (patris, matris, aut prolis ex priori matrimonio susceptae) sustentationi necessarium est; vel si in eleemosynis et donis excedat consuetudinem, quam aliae uxores ejusdem conditionis observant; si, dissoluto matrimonio, communitati renuntiet, vel inventarium accuratum non conficiat, in fraudem creditorum; — *b*) *a marito,* si dissipet dotem uxoris, aut ejus bona paraphernalia [5], aut bona com-

[1] § 1437-1518. — [2] § 1519-1557. — [3] *Lex introd.,* art. 200. Ea tamen matrimonia quae ante 1ᵐ Jan. 1900 secundum Jus gallicum legale inita fuere, post hanc diem, *de jure,* conventioni communitatis bonorum mobilium subduntur et secundum eam reguntur (*Lex introd.,* art. 144). — [4] *Lehmkuhl,* I, n. 1066. — [5] Maritus male administrans ea bona, quorum ipse est dominus, *contra solam pietatem* peccat. Contra justitiam vero ageret, si *invita uxore* ea bona dissiparet, quorum administrationem vel usumfructum habet.

Digitized by Google

munia, per actus juridicos, *contra legis tenorem,* v. gr. dando titulo gratuito aliqua immobilia, vel totalitatem aut quotitatem mobilium; et in omnibus his casibus tenetur ad restituendum [1].

Quaestio est, an maritus, qui bona communia dissipat indigne, laute vivendo, non tamen contra tenorem legis civilis, praeter peccatum contra pietatem quod certe committit, *peccet* etiam *contra justitiam?* — Controvertitur: communiter affirmant, casu quo uxor omnia bona sua, vel majorem eorum partem, in communitatem tradiderit; secus, si tradiderit tantum fructus, uti fit ex Jure italico (*S. Alph.*, III, 541, 5°; *Marres,* de Just., n. 69).

Notanda quoad uxorem. Uxor non est ancilla, sed socia, adjutrix viri. Aequum est ergo ut ipsi concedatur quaedam libertas in administranda re domestica, in faciendis eleemosynis ordinariis, et hoc etiamsi illa nesciat vir, vel, ex duritia aut avaritia, sit omnino invitus. Cfr. *Ami du Cl.*, 1913, p. 377.

Potest ergo uxor, si vir bona in detrimentum familiae dilapidet, ea abscondere et in bonum familiae reservare; vel subducere aliquid pro necessariis familiae expensis. — Potest etiam, si paraphernalia non habeat, nec vir necessaria dare velit, accipere aliquid de bonis communibus, modo *non sit multum notabile,* ad sublevandam necessitatem parentum vel filiorum ex priori matrimonio susceptorum (probabiliter, etiam fratrum et sororum). — Potest demum media adhibere ut sibi secundum suam conditionem, post mortem, *necessaria* non desint: intellige, si lex non satis de omnibus praeviderit (cfr. Jus germ., 2303).

§ 3. De dominio personarum moralium.

871. — *Praenotanda.* Persona moralis, prout hic accipitur, est *ens juridicum,* seu corpus civile, cui leges privilegium perpetuae successionis concesserunt. — Constat vel ex pluribus personis coexistentibus, uti *collegium;* vel ex una persona, quae nunquam moritur, ut *Episcopus,* qui semper in suis successoribus vivit. — Differt, per se, a societate *conventionali:* haec enim initur contractu inter privatos, qui condominium habent, ideoque jus strictum retinent ad bona communia. Cfr. n. 1157. Societas conventionalis (v. gr. industrialis) exsistentiam legalem accipere potest, sed non fit ens juridicum et corpus morale in stricto sensu.

Collegia habentur, generatim, instar privatorum: unde possunt inire contractus, judicio agere, etc.

Diximus *generatim:* in stabilium enim collegiorum dominiis, socii habent solum jus ea *administrandi* ex eisque percipiendi fructus, idque juxta normam fundationis; *salva tamen dominii substantia.* Quapropter communitates reguntur in multis jure minorum. Sic, v. gr., immobilia et pretiosa mobilia ecclesiarum, monasteriorum, municipiorum, etc. nequeunt injussu supremae potestatis alienari (*D'Annibale,* Summ. I, n. 43 seq.; *Ferraris,* v. Collegium).

His praenotatis, sermo sit *de personis moralibus:* 1° in ordine civili; — 2° in ordine religioso.

[1] Cfr. *Gousset,* I, n. 685-693; *Del Vecchio,* Compend., t. II, n. 366, 367; *Noldin,* II, n. 377; *Lehmkuhl,* I, n. 1069.

Digitized by Google

I. — De personis moralibus in ordine civili.

872. — Personae morales, in ordine civili, sunt Status seu respublicae et communitates, sive regionales (provinciarum vel districtuum), sive municipales.

Respublica et municipia habent jus possidendi bona temporalia eaque administrandi. — Ratio est, quia tale jus requiritur ad finem societatis civilis, i. e. ad bonum commune civium.

Ambitus dominii. I. Dominium REIPUBLICAE, vel *Status,* complectitur res duplicis generis: 1° Res generatim *infructiferas,* sed communibus necessitatibus addictas, v. gr. vias principaliores, flumina navigabilia, littora maris et terras hujus recessu emergentes, portus, naves bellicas, arces munitas et militaria praesidia, aedes summis imperantibus eorumque administris destinatas, bibliothecas et musea publica, etc. — 2° Res *fructiferas,* mobiles et immobiles, quovis legitimo titulo acquisitas, ad sustinendas universalis regiminis expensas.

II. Dominium COMMUNITATUM *regionalium* et *municipalium* constat aedificiis communibus, scholis, hospitiis laicalibus, carceribus, viis publicis, agris, sylvis, etc. — His adnumerantur, in quibusdam regionibus, palatia Episcoporum, seminaria, hospitalia canonice erecta, coemeteria, ecclesiae, imo et vasa sacra; quod certe repugnat Juri canonico, nisi aliqua concessio per concordata facta sit (*Carrière,* o. c., n. 67; *Craisson,* Man. Juris can., 936, 5315).

II. — De personis moralibus in ordine religioso.

873. — PRINCIPIA. I. **Ecclesia potest legitime res temporales acquirere et possidere.** Est de fide, ut constat ex damnatione propositionis 10ae Wicleffi: « Contra Scripturam est quod viri ecclesiastici habeant possessiones » (item, ex propositione 32ª et 33ª). Huc etiam 26ª propositio a Pio IX in *Syllabo* damnata: « Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi et possidendi » [1].

874. — II. **Jus acquirendi et possidendi, quo gaudet Ecclesia, limitari nequit ad bona mobilia.** Immobilia enim sunt necessaria pro ecclesiis, domibus episcopalibus, presbyteralibus, pro monasteriis, hospitalibus, seminariis, etc.; et proinde facultas possidendi hujusmodi bona inhaeret Ecclesiae, jure naturali et divino, eodem videlicet jure, quo ipsi datum fuit exsistere, seque dilatare in universum mundum, independenter ab omni potestate saeculari (cfr. *Aichner,* Comp. Juris eccl., § 222).

Hinc infertur: 1° Status civilis, qui jus praefatum non admittit, laedit *jus divinum,* haud secus ac jus naturale laederet, si personam singularem pro libitu non permitteret fieri subjectum juris (*De Angelis,* l. 3, tit. 5, n. 4).

[1] Cfr. *Tanquerey,* II, n. 195 seq.; *Laurentius,* Instit. Juris eccl., n. 955; *Heiner,* Kirchenrecht, p. 367. Imo multi theologi docent, cum Lugo et Lessio, competere S. Pontifici quoddam jus indirectum in bona temporalia omnium fidelium, si hoc requirit bonum spirituale. Vide *S. Alph.*, III, 592, 615; ed. G., II, p. 80 et 95.

Digitized by Google

2° Dominium bonorum ecclesiasticorum non pertinet ad rempublicam; imo, nec dominium altum illi competit. Ecclesia enim est societas omnino diversa a republica, ipsique superior. — Si igitur respublica aliquo bono ecclesiastico indigeat, v. gr. ad viam construendam, Ecclesiae consensum obtineat necesse est (cfr. n. 149). Vide Concordatum Hisp. anni 1851, art. 40; Cod. civ. hisp., n. 38, 746.

3° Bona ecclesiastica sunt regulariter immunia a tributis et civilibus oneribus; secus enim jus Ecclesiae in temporalia bona non foret independens (*S. Alph.*, de Privil., n. 20). Possunt tamen haec bona, *ex privilegio*, tributis gravari, ut revera subinde contigit quibusdam in locis, ex concessione S. Sedis (*Aichner*, § 227).

4° Violatores dominii ecclesiastici sunt semper rei injustitiae, imo saepe sacrilegii (cfr. n. 583), et merito plectuntur poenis ac censuris (cfr. n. 1325 seqq.).

875. — Quaesita. QUAER. 1° *Quis habeat dominium bonorum Ecclesiae?*

Resp. 1° DOMINIUM DIRECTUM istorum bonorum pertinet *immediate* ad ecclesias particulares, *mediate* vero ad ipsam catholicam societatem, i. e. ad Ecclesiam universalem.

Hinc: si aliquod pium institutum, parochia, monasterium, etc. supprimitur, bona suppressi instituti perseverant pertinere ad universalem Ecclesiam, a qua ad alium finem destinanda sunt. Neque ipse S. Pontifex gerit se, hac in re, ut proprietarium, sed ut supremum administratorem (*Aichner*, l. c., § 223).

2° USUSFRUCTUS respective pertinet ad illas speciales *associationes* seu *instituta*, quibus eadem bona a fidelibus relicta sunt.

Unde fit, ut jura uniuscujusque instituti separata sint, nec possint pro mero praesulum libitu inde auferri, vel ad alia loca transferri. Id tamen potest Summus Pontifex qua summus omnium bonorum ecclesiasticorum administrator [1].

QUAER. 2° *Ad quem pertineat administratio bonorum ecclesiasticorum?*

Resp. 1° Jus seu *potestas administrandi* bona Ecclesiae spectat ad illas personas ecclesiasticas, quibus competit dominium saltem utile: accessorium enim sequitur suum principale.

De jure igitur administratores sunt: *a*) Romanus Pontifex pro toto orbe; — *b*) Episcopus pro sua dioecesi; — *c*) Capitula et Superiores Ordinum pro bonis Ordinis, provinciae, conventus: hi vero omnes Papae inferiores, ad arbitrium S. Sedis, et juxta leges Ecclesiae universalis, penes quam est principale dominium ac regimen.

2° Ipsa administratio spectat, *de facto*, ad eos, quibus fuit ab habente potestatem legitime commissa, ideoque remanet ipsi committenti necessario subjecta [2].

[1] *De dominio clericorum* in patrimonialia, casualia et parcimonalia sermo erit n. 2245 seqq. — [2] Nihil obstat quominus parochus ad hoc adlaboret ut suae ecclesiae ex parte civilis beneficium inscriptionis inter opera artis procuret. Per talem inscriptionem utique coarctatur jurium Ecclesiae exercitium, sed hoc multis aliis compensatur commodis. *Ami du Cl.*, 1913, p. 432.

Digitized by Google

In hac quidem administratione, laici, quandoque, partem suam habere permittuntur; sed exinde ipsi nullum jus acquirunt, sicut nullum acquirunt curatores ex administratione bonorum, quae ad minores pertinent (*Bargilliat*, Prael. Juris can., n. 970; *Craisson*, n. 5303; *Aichner*, § 225).

876. — *Nota.* 1° Si praedicta jura Ecclesiae a potestate saeculari *restringantur*, v. gr. si per legem (quam ab *amortizatione* appellant) determinetur quantitas bonorum acquirendorum; vel si consensus gubernii civilis praerequiratur: istiusmodi leges, tametsi sacris canonibus contrariae, possunt observari, in quantum scilicet Ecclesia non contradicit. Imo, saepe debent observari, ne actus administrationis fiant civiliter irriti, et majus inde detrimentum Ecclesiae obveniat.

2° Si Ecclesiae jus penitus *denegetur*, recurratur ad Jus commune, i. e. ad jus, quod leges omnibus civibus concedunt. — Communitates religiosae et pia instituta possunt tribus praesertim modis bona acquirere et conservare; et quidem: *a*) obtinendo *jus collegii* seu *corporationis civilis*, vel recognitionem *publicae utilitatis*; — *b*) ineundo aliquem *societatis contractum*; illum, v. gr., quo bona in communi possidentur ad certum finem legi probatum assequendum; — *c*) curando, ut simplex emptionis contractus nomine privato ineatur. Quo in casu, advigilandum est, ut possidentes proprio nomine bona communitatis, validum statim testamentum perficiant, quod in communitatis scrinio diligenter asservetur (*Konings*, n. 623). Cfr. *Pelt*, o. c., p. 61, quoad Congregationes religiosas.

CAPUT III.

De modis acquirendi dominium.

S. Alphonsus, III, 493 seq.; ed. G., II, p. 17; H. Ap., tr. X, n, 9; *Lugo*, o. c., disp. 6; *Lessius*, l. 2, c. 5; *Molina*, disp. 55; *Lehmkuhl*, I, n. 1079; *Noldin*, II, n. 382; Cas. consc. apud *Lehmkuhl*, *Génicot*, *Bucceroni*; *Pelt.*, Legisl. civ., p. 66; *Tanquerey*, II, n. 210; *Vermeersch*, o. c., n. 211, 267.

877. — *Praenotanda.* Tres sunt tituli quibus acquiritur dominium [1]: *a*) *titulus naturalis*, in lege naturali fundatus, cui accedit determinatio legis positivae, nempe per occupationem et accessionem; — *b*) *titulus legalis*, legi humanae innitens quae quandoque, ratione boni communis, transfert dominium de uno ad alterum, v. gr. per usucapionem seu praescriptionem, aut per judicis sententiam [2]; — *c*) *titulus conventionalis*, seu *voluntas prioris domini*, vel praesumpta (ut in successione haereditaria), vel expressa, ut in variis CONTRACTIBUS initis ad normam legum.

Omisso hoc ultimo titulo, qui in *Diss. IV* explanabitur, hic agemus: 1° de occupatione; — 2° de accessione; — 3° de praescriptione.

[1] Non loquimur *de labore*, quasi labor sit *unicus fons* dominii, ut autumant socialistae. Titulus ex labore desumptus reducitur vel ad *occupationem*, quam labor complet, vel ad *specificationem*, quam labor perficit, vel denique ad *titulum conventionalem* ex contractu libero. Vide dicenda n. 1149. — [2] Sententia judicis, quae mulctam *pro culpa juridica* imponit, non in omni casu *transfert de se dominium*. Adest quidem obligatio solvendi, sed haec urget ex sola justitia legali; — deest facultas postea se compensandi. Vide n. 930 seqq. Cfr. vero n. 1028.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De occupatione.

878. — DEFINITIO. Occupatio est apprehensio rei quae nullius est, animo eam habendi ut suam. — Dicitur: *apprehensio,* i. e. realis et externa occupatio rei.

DIVISIO. Distinguitur: 1° occupatio bellica, de qua n. 751 diximus; — 2° occupatio animalium; — 3° occupatio rerum inventarum, seu inventio, de quibus, praemisso principio, mox loquemur.

PRINCIPIUM. **Occupatio est legitimus modus acquirendi dominium.** Hoc exigitur ab ipsa natura quae hominem possidendi capacem effecit, imo ipsi, propter vitae conditionem, possidendi legem imposuit. Occupatio est primus modus huic legi satisfaciendi, nec potest admitti eam solum valere si accedat vel lex positiva, vel consensus populorum. Unde nequit lex positiva, jus occupationis totaliter supprimere.

§ 1. De occupatione animalium.

Animalia sunt triplicis generis: alia sunt FERA vel *efferata,* quae naturali libertate fruuntur, ut lepores, aves, pisces; vel quamvis mansueta, eam omnino recuperaverunt; — alia MANSUEFACTA seu *cicurata,* quae hominum industria libertate privantur, ita ut, licet exeant, semper redire consueverint, ut apes, columbae; — alia MANSUETA seu *domestica,* quae natura sua hominum consortio utuntur, ut boves, oves, gallinae, etc. [1].

879. — PRINCIPIA. I. **Animalia fera aut efferata fiunt primi occupantis.** Res enim quae nullius sunt, jure naturali, licite occupantur.

Hinc: 1° Nidus a te occupatus, etiam in fundo alieno; animalia ad tempus in alicujus dominio redacta, si primitivam libertatem resumpserint (i. e. si ita custodiam effugerint, ut eorum consecutio evadat difficilis), pertinent ad te, de jure naturae, quando ea occupaveris.

2° Qui feras muro aut sepe circumdatas occidit; qui pisces, ostreas, etc. ex vivario aut stagno bene clauso, et a fortiori ex rete alieno capit, injustitiam committit: occupat enim animalia cicurata. *Lugo,* l. c., n. 72.

3° Fera aut avis in fundo aperto vulnerata vel illaqueata pertinet ad *vulnerantem,* vel ad tendentem retia, si constet illam non amplius potuisse effugere; pertinet autem ad *capientem,* si levi vulnere icta aut levi vinculo impedita effugere poterat, vel a venatore jam derelicta erat; pertinet denique ad *utrumque,* et est pro rata spei dividenda, quando res est dubia.

[1] Quoad cuniculos, fere in libertate viventes (*lapins de garenne*), vide *Ami du Cl.,* 1911, p. 634. Non sunt animalia domestica; sunt potius semicicurata; et ratio est, quia *occupatio,* ex parte domini, non fuit completa. Unde fit, quod non liceat cuniculos mediis injustis e vivario (*garenne*) attrahere; liceat vero eos occupare, quando extra illud vagantur.

Digitized by Google

QUAERITUR. *An obligent leges quae respiciunt* VENATIONEM *et* PISCATIONEM ?

Resp. 1° Ex his legibus, aliae se referunt ad externum regimen et ab bonum ordinem: v. gr. decernunt quo tempore, vel quibus instrumentis venatio aut piscatio permittatur. Hae leges (exceptis iis quae tuentur multiplicationem ferarum) sunt mere poenales (I, 145).

2° Sunt aliae, quae se referunt ad tuitionem juris alieni: v. gr. lex prohibens, ne fundum *clausum* ingrediaris ad laqueum ponendum, ne damnum inferas. Hae leges obligant vi juris naturalis, et nequeunt violari sine laesione justitiae commutativae.

Si tamen fundus circumseptus sit *magnae extensionis,* desume gravitatem damni ex spe quam habebat dominus feras capiendi.

3° Aliae insuper leges tuentur jus venandi vel piscandi in loco *aperto,* concessum alicui exclusive vi *contractus,* v. gr. locationis; et istae eadem justitia adeo stringunt, ut quis jure illo legitimo *acquisito* privari non possit. Jure autem suo privaretur, si alii *tantam multitudinem,* v. gr. piscium in flumine ipsi *exclusive* concesso caperent vel destruerent, ut jus piscationis inde *notabiliter* laederetur. Damnum vero illatum aestimandum est non ex piscium captorum quantitate, sed ex lucro probabili quod propterea cessavit (III, 605, 614; *Konings,* 644; *Noldin,* II, n. 388).

Nota. a) Hujusmodi locator, cum jus habeat delinquentes accusandi, pecuniam accipere potest a delinquentibus, ut a denuntiatione desistat.

b) Venator illegitimus animalia (si sunt in parvo numero) facit sua, nisi obstet aliqua lex civilis (cfr. Jus germ., 958). Meminerit semper confessarius locatorem semper teneri damna a finitimis possessionibus avertere. Ideo non facile damnet agricolam qui, feras aliquas suas faciendo, se compensat.

4° Sunt denique leges quae jus venandi concedunt ad modum *meri privilegii* (v. gr. si nobilibus est concessum), vel merae *licentiae,* etsi pecunia sit comparata. Hae leges minime obligant ex justitia stricta, et locus non est restitutioni (*Lessius,* l. 2, c. 5, n. 44).

880. — II. Animalia cicurata remanent prioris domini, quamdiu ejus custodiam non evaserint, aut consuetudinem revertendi non amiserint. Haec enim ad possessorem pertinent, tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis. — Secus vero, si custodiam evaserint, etc.; in tali enim casu recuperarunt suam connaturalem libertatem, ideoque fiunt primi occupantis, modo fraude non procuretur eorum evasio, vel impediatur regressus ad possessorem.

Leges particulares non definiunt eodem modo tempus, aliasque circumstantias, ex quibus columbae, apes, etc., prioris domini custodiam ita eva-

Digitized by Google

sisse censentur, ut licite ab alio occupari possint [1]. Tempore messis et sationis, columbae notabile damnum inferunt: hinc possunt a domino fundi, in quo reperiuntur, licite occidi [2]. — Lex, quae in Gallia examen apum domino fundi, in quo considunt, adjudicat, proprietario eas jam non insequente, non obligat ante sententiam judicis (*Gousset*, in art. 715. — Cfr. Cod. germ., 833.

881. — III. Animalia mansueta remanent prioris domini, quantumvis aberrent. Unde, non possunt etiam mortua ab aliis occupari, et fructus naturales ex occupatis forte percepti (v. gr. lac, ova, lana, etc.) restituendi sunt.

At vero: 1° si damnum inferunt, dominus illud reparare tenetur, quatenus intervenerit culpa theologica vel sententia judicis; — 2° si censentur totaliter amissa vel derelicta, datur locus inventioni (cfr. n. 886); — 3° si a periculo liberentur, v. gr. ab incendio, locus datur justo stipendio, sed de se restitui debent. Cfr. infra n. 884.

§ 2. De occupatione rerum inventarum.

Bona, quae inveniri possunt, quadruplicis generis recensentur, scilicet *thesauri, bona derelicta, bona vacantia* et *res nuper amissae*.

882. — Notiones. *Thesaurus,* in novis Codicibus, generatim dicitur: quaecumque res pretio aestimabilis, a longo tempore abscondita vel infossa, quae casu reperitur et quam nemo suam esse probare potest [3].

Si ergo rei absconditae vel infossae dominus inveniri posset, res non esset habenda ut thesaurus, sed ut res amissa. — Similiter, si probari posset, rem ab actuali vel priori possessore ibi fuisse reconditam. Cfr. casum apud *Ami du Cl.*, 1910, p. 203. Thesauris non aequiparantur venae metallicae vel carbonicae.

Bona derelicta sunt res, quas dominus rejecit, *cum intentione* earum se abdicandi dominio. Ejusmodi sunt uvae, castaneae, spicae, etc., quae fructibus jam collectis supersunt.

Bona vacantia dicuntur, quae relicta sunt ab intestato, cui nullus haeres juxta legem succedit, vel vult succedere.

Res amissae sunt illae, quas dominus perdidit involuntarie, et quae idcirco dominum adhuc habere censentur.

883. — Principia. I. **Thesaurus, ex jure naturae, fit primi occupantis.** Censetur enim esse res nullius.

Ex Jure positivo: Thesaurus, ab ipso fundi domino inventus, totus ad eum pertinet. — Inventus autem fortuito, *in fundo alieno,* dividendus est

[1] Cod. gall., 564; ital., 462, 711 seqq.; austr., 384; hisp., 609, 612, 613; germ., 960; (angl.) *Crolly*, I, 623-635. — [2] Extende praedicta ad alia animalia nociva, v. gr. feles, canes, modo damnum nequeat aliter averti et sit vere appretiabile, ita ut per animalium occisionem compensari possit. — [3] Cfr. Cod. gall., 716; ital., 714; hisp., 352, 514; germ., 984 seq. Codex austr. (392) tantum pecuniam, monilia et res pretiosas ut thesaurum agnoscit.

Digitized by Google

aequabiliter inter fundi dominum atque inventorem; inventus *in loco publico,* dividendus est inter inventorem et fiscum, si nempe locus fuit profanus; si vero fuit sacer, inter inventorem et fabricam aut praelatum; et docent communiter AA. talem divisionem *obligare in conscientia.* Si inventio dolose facta est, non solum dimidia pars thesauri fundi domino restituenda est, sed totus thesaurus, in poenam delicti inventoris, debet restitui; attamen non ante sententiam judicis. Ita Jus *gallicum, italicum, austriacum, hispanicum, germanicum,* etc. (cfr. *S. Alphonsum,* III, 602; Cod., l. c.). — Jus *anglicum* omnes thesauros regi seu reipublicae adjudicat. Sed, teste *Crolly* (I, n. 642), ista lex non obligat ante judicis sententiam, est enim mere poenalis.

Observandum est: 1° Ille est thesauri inventor, qui eum detegit et visibilem reddit, vel etiam qui eum videt et apprehendit, non autem qui ab alio detectum solum videt. Quare si quis famulus, praesente hero, laborat et thesaurum visibilem reddit ac apprehendit, herus injuste talem thesaurum retineret, quia non est inventor[1]. — 2° Si quis dominus suspicatus thesaurum conducit mercenarium ad eum quaerendum, non mercenarius, sed dominus eum invenisse censetur. — 3° Qui emit agrum pretio communi, suspicione allectus in eo latitare thesaurum, nullam committit injuriam. Secus vero, si postquam in fundo alieno invenerit fortuito thesaurum, omnia iterum tegit et fundum emit, ne dividere cogatur. Ita communissime theologi, quamvis alii secus sentiant. — 4° Juxta recentiores Codices, parum refert utrum thesaurus in re mobili aut immobili, v. gr. in veste vel in domus angulo repertus fuerit, modo constet esse vere thesaurum, i. e. rem non pertinere ad talem personam, vel ad talem familiam (*Gury,* n. 577, q. 2).

884. — II. **Bona derelicta et vacantia sunt primi occupantis.** Ita ex Jure naturali; quia sunt nullius.

Ex Jure *positivo,* haec bona possunt pertinere ad rempublicam. Et revera, in pluribus regnis, bona illius, qui ab intestato mortuus est, et cui neque uxor, neque alii consanguinei usque ad decimum gradum superstites sunt, ad fiscum devolvuntur[2]. Item ex Jure positivo reipublicae adscribitur pars venae aureae, carbonicae, etc.

Per se, *res projectae,* aut *in periculo relictae,* non accensendae sunt rebus derelictis: nemo enim praesumitur renuntiare dominio rerum suarum, *quamdiu remaneat spes* eas recuperandi. — Qui tamen res e periculo eripuit, jus retinet ad pretium industriae.

Hinc: 1° Pro derelictis haberi *nequeunt* bona reperta in littore post naufragium; res ex incendio (etsi cum aliquo periculo aut labore) salvatae; ligna quae in inundatione ab uno loco ad alium vehuntur; ovis aliena erepta per tuum canem e faucibus lupi, etc.

2° Pro derelicta vero res haberi *potest,* si prudenter judicetur: *a*) dominum non amplius de ea esse sollicitum, v. gr. quia nimis longe distat, vel quia res est exigui momenti (ut nuces, uvae, fructibus jam collectis remanentes (cfr. n. 910, 5°); — vel *b*) amisisse omnem spem rationabilem rem recu-

[1] Si vero ex duobus operariis unus thesaurum detegit et videt, alter videt et apprehendit, illorum pars (secundum aliquos) inter eos *pro rata* est dividenda, quia in ambobus verificatur ratio inventoris. — Alii dicunt illam nonnisi in apprehendente verificari. — [2] Cod. gall., 583, 713; ital., 742 et 758; hisp., 913, 914, 956, 958.

Digitized by Google

perandi sive per se, sive per alium: unde lapilli, gemmae, monetae, quae in fluminis fundo reperiuntur, sunt primi occupantis (cfr. *Lugo,* l. c., n. 99; *Ami du Cl.,* 1907, p. 183, 844; 1910, p. 349; *Lehmkuhl,* Cas. consc., I, n. 601 seq.).

885. — III. **Res amissae, si reperiantur, restituendae sunt earum domino.** Ratio est, quia res clamat domino, neque adversa fortuna illius qui amisit, efficit, ut clamare cesset. Unde *S. Augustinus:* « Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti ».

Multiplex obligatio enasci potest ex rei inventione.

1° Qui invenit, *ex caritate* tenetur (nisi grave incommodum excuset) illius curam in se suscipere, si aliter sit domino peritura.

2° Qui rem amissam apprehenderit, tenetur, *ex justitia: a*) ejus curam gerere, eamque custodire ex quasi-contractu, qui *negotiorum gestio* vocatur; — *b*) eam non occultare, sed media idonea et proportionata (vel determinata per legem civilem) adhibere, ut notitia rei apud se exsistentis ad dominum pervenire possit. Quae si de industria neglexerit, certo tenetur ad restitutionem.

3° Dominus rei amissae tenetur, *ex justitia: a*) inventori vel detentori omnes illas expensas resarcire, quae factae fuerunt tum ut res conservaretur, tum ut ipse dominus potuerit inveniri; — *b*) illam dare remunerationem, quam vel ipse ultro pollicitus est, vel statuit lex civilis.

Nota. Lex civilis pro solis rebus majoris momenti 4 fr. excedentibus media adhibenda indicat, ut ita dominus inveniri possit. — De se nulla urget obligatio in conscientia haec adhibendi. — Si inventor tamen ea neglexerit, dominus rei amissae *non tenetur* dare remunerationem a lege indicatam, quamvis reclamet rei inventor [1].

886. — QUAERITUR. *Quid, si facta diligentia, rei dominus non inveniatur?*

Resp. Dist. 1° Si *nulla spes inveniendi dominum* remaneat (quod dijudicandum est, vel ex determinatione legis civilis, si adsit, vel ex circumstantiis temporis, distantiae loci, aut impossibilitatis recognitionis rei, ut accidit in nummis ordinariis), inventor potest rem sibi retinere, etiamsi dominus postea compareat, quia tunc pro derelicta habetur; et *consulitur* tantum, ut eam det pauperibus.

Nota. Si tamen lex domino comparenti jus tribuat post aliquod tempus rem repetendi, et inventor *omiserit modos legales* dominum detegendi, restitutio domino facienda est, etiamsi ex parte inventoris moralis diligentia ad quaerendum dominum adfuerit (vide Cod., l. c.).

2° Si *aliqua spes remaneat,* res per tempus conveniens servanda est; vel si servari nequeat, servandum est ejus pretium. Quod si neutrum servari possit, vel domino res certo transmitti nequeat, debet impendi in *causas pias* [2]. Ratio est, quia, tali spe durante, *dominus* servat dominium rei, et ideo illa impendenda est juxta *praesumptam* ejus voluntatem. Cfr. etiam quae dicentur n. 999.

[1] Cfr. Cod. austr., 389; hisp., 615-617; germ., 965-984. — [2] Quid sint causae piae, vide infra n. 1083, II.

Digitized by Google

At domino, postquam res in causas pias tradita fuit, comparenti, si in aequivalenti exsistat nec praescripta sit, a paupere vel eam habente restituenda est; traditio enim talis hanc videtur includere conditionem, *nisi dominus innotescat.* Ita *S. Alphonsus* cum S. Thoma, Lugo, etc., contra alios opinantes aliter (III, 589 seq.; H. Ap., X, 69).

Ex his resolves: a) Famula cauponis, quae tabernam verrendo aliquos nummos invenit, quin spes adsit, ob magnum scilicet concursum, fore ut dominus inveniatur, potest eos sibi retinere. — *b*) Qui animalia a domino aberrantia retinet, omissa diligentia ad inveniendum dominum, injustitiae reus est; debetque deinceps, si dominus inveniri nequeat, vel ipse nequeat sine infamia rem prodere, ob omissam diligentiam, pretium impendere in causas pias (*Konings,* n. 656).

Nota. An et quomodo occupari possint bona *absentium,* vide in ipsis Codicibus [1].

ARTICULUS II.

De accessione.

887. — DEFINITIO. Accessionis nomine intelligitur jus illud, quo dominus rei principalis fit dominus rei accessoriae, i. e. omnium quae ab aliqua re sua producuntur, vel ipsi naturaliter aut artificialiter uniuntur.

DIVISIO. Accessio est vel naturalis, vel industrialis, vel mixta.

I. Accessio NATURALIS habetur: 1° *Nativitate* animalium, quando scilicet ex animali tuo aliud nascitur: « partus enim sequitur ventrem ». — 2° *Fructificatione,* i. e. productione fructuum ex fundo, absque industria humana. — 3° *Alluvione,* quando vi aquarum incrementum tuo praedio sensim accedit.

Si vero notabilis terrae pars repente accedat, quae dicitur *avulsio,* hujus prior dominus non amittit dominium, si intra utile tempus jus suum exerceat [2].

888. — II. Accessio INDUSTRIALIS seu artificialis fieri potest:

1° *Aedificatione:* quando quis in fundo suo aedificat ex alienis materiis, vel in fundo alieno ex materiis suis, aedificium est generatim illius, cujus est fundus; facta autem debita compensatione ei, qui bona fide aedificavit (III, 500). Consulantur tamen, hac super re, leges cujusque regionis [3].

2° *Specificatione:* quando materiae praeexsistenti nova forma seu species accedit, v. gr. si ex lana alterius vestem, ex ligno vel auro vas, ex uvis vinum confeceris.

Ex Jure antiquo, species nova artifici cedit, soluto pretio materiae, si haec ad primam formam reduci non possit, v. gr. vas ligneum, etc.; et in

[1] Cod. gall., 120-138; ital., 20-42; austr., 24, 276; hisp., 181-198; germ., 973 seqq. — [2] Cod. gall., 546 seqq.; ital., 444 seqq.; austr., 404-413; hisp., 353-374; germ., 946 seqq.; (angl.) *Crolly,* I, n. 639. — [3] Cod. gall., 555; ital., 449; austr., 417-419; hisp., 358 seqq.; germ., l. c.

Digitized by Google

conscientia probabilius requiritur bona fides. — Secus, res cedit domino materiae, v. gr. vas aureum (III, 496). Vide *Ami du Cl.*, 1913, p. 303.

Ex NOVIS LEGIBUS, in utroque casu, res cedit domino materiae, nisi opus artificis materiam pretio longe superet [1].

3° *Adjunctione:* quando res unius ita jungitur rei alterius, ut unum totum efficiant; quo in casu, totum compositum pertinet ad eum, cujus res se habet ut principale. Hic tamen debet dominum partis accessoriae facere indemnem.

Sic usufructuarius, qui domus parietes depinxit, non potest cum parietum detrimento delere picturam. — Contra, pictor, qui in tela aliena pulchram imaginem expressit, potest pictam telam, soluto hujus pretio, sibi retinere. Ita fere ex jure omnium [2].

4° *Commixtione:* quando res solidae, et *confusione:* quando res liquidae, ad diversos pertinentes, junguntur.

Ex NOVIS LEGIBUS, res fit communis, et debet, nisi inter dominos aliud convenerit, sub hasta vendi ac dividi. Sed si unius pars quasi principalis videri possit, et alias pretio multum superet, hujus dominus potest totum sibi vindicare, refuso pretio ceteris [3].

889. — III. Accessio MIXTA fit praesertim *plantatione* et *seminatione*.

Dicitur *mixta*, quia duo, i. e. natura et industria, in unum coalescunt. Subjicitur iisdem regulis, quibus aedificatio [4]. Unde notissimus versus:

Quidquid plantatur, seritur vel inaedificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

ARTICULUS III.

De praescriptione.

890. — DEFINITIO. Praescriptio est modus acquirendi dominium vel jus, aut se liberandi ab aliqua obligatione, infra certum temporis spatium, sub conditionibus definitis a lege [5].

DIVISIO. Praescriptio est: 1° Ratione effectus, vel *acquisitiva* (usucapio); per hanc acquiritur jus; vel *liberativa:* ista eximit ab aliqua obligatione vel a servitute.

2° Ratione temporis, est ordinaria vel extraordinaria: *a*) *Ordinaria* est illa, quae perficitur spatio annorum infra triginta. Subdividitur in praescriptionem *longi* temporis, si per decennium (vel supra), *brevis* temporis, si infra decennium, vel *brevissimi* temporis, si infra triennium (in Germania, biennium) protrahitur. — *b*) *Extraordinaria* seu longissimi temporis est praescriptio, si 30 annos attingit vel superat.

[1] Cod. gall., 570; ital., 468 (cfr. Cod. austr., 415). — [2] Cod. gall., 566; ital., 484; hisp., 375; germ., 948. — [3] Cod. gall., 573-574; ital., 472, 473; austr., 414; hisp., 382; germ., 947. — [4] III, 501 (ex Jure rom.); Cod. gall., 553; germ., 94; austr., 420-422. — [5] Cod. gall., 2219; ital., 2105; germ., 194-225, 937-945 (cfr. Cod. austr., 1451).

Digitized by Google

891. — PRINCIPIUM. **Praescriptio est legitimus acquirendi vel se liberandi modus, habens vim in foro tum externo, tum interno.** Est sententia communis apud jurisconsultos et theologos; et hujus ratio est, « quia bene potest lex humana transferre dominium de uno in alium ob bonum commune, ad vitanda jurgia, et ne dominia rerum remaneant incerta » (III, 504-517; H. Ap., X, n. 15). Quare Angelicus: « Si quis praescribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse, post praescriptionem » (Quodl. 12, a. 24). Cfr. *Vermeersch,* o. c., n. 270.

Nota. 1° Cum praescriptio *Juri positivo* innitatur, sequitur eam non valere, nisi conditiones a Jure requisitae accurate serventur.

2° Contra *seipsum* nemo potest praescribere, quia justitia est ad alterum. Sic, v. gr., beneficiarius, qui jam a multo tempore quatuor missas ex errore celebravit, cum tamen ex fundatione beneficii ad duas tantum obligetur, non ideo in posterum tenebitur ad quatuor (*Scavini,* II, 356).

3° Quisque *alienandi capax* potest renuntiare praescriptioni, non quidem futurae, sed completae vel inceptae, in quantum scilicet potest cedere jure suo. — Creditores vero, et alii omnes quorum interest, possunt renuntiationi sibi damnosae sese opponere [1].

Agemus separatim de praescriptione acquisitiva et liberativa.

§ 1. De praescriptione acquisitiva.

Ad validam praescriptionem ACQUISITIVAM requiritur, ut res praescriptibilis possideatur, cum aliquo titulo, et cum bona fide, per tempus a lege definitum. — Hinc notissimi illi versiculi:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

1. *Res apta praescribi.*

892. — RES PRAESCRIPTIBILIS est illa, quae pro natura sua, vel ex legum dispositione, a privatis acquiri et possideri potest. Ratio est, quia praescriptio est translatio dominii: ea autem, quae sunt dominii publici stricte sumpti, nequeunt alienari (III, 515). Cfr. dicta n. 852.

Praescribi ergo nequeunt: 1° Quae sunt Juris divini, naturalis aut positivi. Sic, v. gr., jus patris in filium; item jura spiritualia, jus percipiendi decimas, conferendi beneficia, etc., nunquam praescribuntur a laicis; bene vero juspatronatus. — 2° Res sacrae, ecclesiae, coemeteria [2]. — 3° Res publicis usibus deputatae, uti via publica, platea, pontes et similes, nisi earum usus

[1] Cod. gall., 2225; ital., 2112; hisp., 1935. — Non solum dominium directum, sed et usus-fructus et usus, etc. praescriptione constitui potest (cfr. Cod. hisp., 468). — [2] Haec vero praescribi possunt ab ecclesia contra aliam ecclesiam, vel a privato contra privatum qui, v. gr., calicem possideret.

Digitized by Google

in populo cessaverit vel nisi alia *communitas* iis uteretur. — 4° Quae lex ipsa, sive canonica sive civilis, impraescriptibilia declarat. Sic ex *SS. Canonibus* praescribi nequeunt ne immemorabili quidem consuetudine dioecesium limites indubii, aut conditiones piis fundationibus appositae [1] (legata Missarum, onera varia, eleemosynae faciendae; sed vide infra n. 1613); et ex lege *civili*, praescriptio non currit contra bona dotalia, contra bona pupillorum, contra bona minoris respectu tutoris, vel curatoris, etc. [2].

Nota. *a*) Praescriptio bonorum Ecclesiae solis regulis Juris canonici subjecta (VI, 324). — *b*) *Res furtivae* praescribi possunt ab eo qui bona fide eas sub legis conditionibus accepit. Cfr. n. 936.

2. *Possessio.*

893. — Ad praescribendum requiritur possessio (cfr. n. 849). Constat tum ex Regula 3ª Juris in 6°: « Sine possessione praescriptio non procedit »; tum ex unanimi sententia juristarum, qui possessionem praescriptionis fundamentum esse affirmant.

Possessio, ut praescriptionem inducat, debet esse: 1° *dominativa*, i. e. debet haberi animo *proprietarii*, non vero depositarii, coloni, usufructuarii, etc.; — 2° *certa*, i. e. de qua nullo modo dubitetur, secus deficeret bona fides; — 3° *pacifica*, ita ut de ea non litigetur; — 4° *publica*, saltem pro foro externo, ita ut is, contra quem currit praescriptio, possit reclamare. Sic, v. gr., servitutes praediales, quae non sunt apparentes, praescribi nequeunt (maxime si sint absque titulo: quo casu, res certa est; secus, controversa); — 5° *continuata*, i. e. non interrupta per omne tempus a Jure definitum [3].

3. *Titulus legitimus.*

894. — TITULUS generatim est causa, propter quam aliquid possidemus, v. gr. emptio, donatio.

Quintuplex distinguitur titulus: 1° *verus*, qui habet omnes conditiones requisitas ad dominium transferendum, v. gr. emptio rei ab ejus domino [4]; — 2° *coloratus*, seu apparens, qui speciem quidem habet tituli veri, attamen ex occulto vitio caret effectu, v. gr. emptio rei furto ablatae; — 3° *existimatus*, qui ex adjunctis prudenter creditur adfuisse, etsi de facto non adfuerit: ut, si filius ex haereditate possideat rem, quam putat a patre emptam, quamvis non fuerit empta; — 4° *praesumptus*, qui scilicet demonstrari non potest, sed ex pacifica et diuturna possessione intercessisse praesumitur; — 5° *vitiosus*, qui, ob defectum alicujus requisitae conditionis, non est causa sufficiens ad transferendum dominium, v. gr. donatio per metum gravem extorta.

Differt titulus vitiosus a colorato, ab existimato et a praesumpto, in hoc quod hi, prout *apparent, existimantur, praesumuntur*, sunt causa quae reapse ad transferendum dominium sufficiat, dum vitiosus etiam prout existimatur, ejusmodi vim non obtinet, tametsi eam obtinere falso creditur.

[1] Trid., Sess. 25, c. 5, *de Ref.* (cfr. H. Ap., XV, 74); *A. S. S.*, 13, p. 220, 224; 30, p. 149. — [2] Cod. gall., 2252-2258; ital., 2119-2130; austr., 1455-1459; hisp., 1932, 1965; germ., 204. — [3] III, 506; cfr. Cod. gall., 2228; ital., 686; austr., 1460; hisp., 1940, 1941; germ., 208. — [4] In Jure germ. insuper requiritur pro immobilibus inscriptio: § 873, 875, 882, etc.

Digitized by Google

I. *Ad praescriptionem non requiritur quidem* TITULUS VERUS, *sed nec vitiosus sufficit.* Ratio *primi* est, quia titulus verus cum possessione jam per se sufficit, ad acquirendum dominium, sine praescriptione. Ratio *secundi,* quia titulus vitiosus impedit ipsam possessionem a lege requisitam. Unde illud effatum: « Melius est non habere titulum, quam habere vitiosum ».

Sic actus merae tolerantiae (v. gr. quoad transitum per agros), qui amicitiae, viciniae aut consanguinitatis causa alicui conceduntur, non sunt apti ad hoc, ut usucapio decurrat.

II. *Sufficit, ad praescribendum,* TITULUS COLORATUS, *et quandoque etiam existimatus vel praesumptus.* Scilicet: 1° Sufficit *coloratus* quando lex (ut saepius fit) exigit aliquem titulum. — 2° Sufficit *existimatus* vel *praesumptus* (ad fundandam nempe bonam fidem in foro interno), quando nullus titulus in foro externo requiritur (III, 505).

Porro, in foro externo, non requiritur titulus: *a*) Quoad bona *immobilia,* si agatur de praescriptione (usucapione) longissimi temporis, i. e. 30 vel 40 annorum: ex Jure communi [1]. — *b*) Quoad bona *mobilia,* v. gr. ex Jure gallico, si agatur de praescriptione saltem triennali; nam, coram lege, valet illud: « Pro mobilibus possessio titulo aequivalet » [2] (cfr. infra n. 897, II).

4. *Bona fides.*

895. — Per BONAM FIDEM hic intelligitur opinio firma, qua quis prudenter existimat rem, quam possidet, esse suam, quamvis revera non sit.

Pro foro interno, bona fides supponit ignorantiam invincibilem. Non vitiatur tamen, in praesenti materia, per negligentiam inquirendi leviter culpabilem (III, 511, 625).

I. *Ad legitime praescribendum necessaria est* BONA FIDES, non solum ab initio, sed intra totum tempus, quod ad praescribendum requiritur. Constat ex 2ª Regula Juris in 6°: « Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit ». Et ratio est, quia repugnat omni juri, ut aliquis rem non suam sibi vindicet eamve sibi retineat.

Hinc, deficiente bona fide, non valet in conscientia praescriptio, etiamsi lex civilis, in aliquo casu, v. gr. in praescriptione generali 30 annorum, bonam fidem expresse non requireret (*Gousset,* I, n. 723).

II. *Bona fides aliter requiritur in eo qui* INCHOAT *possessionem, et aliter in eo qui eam* CONTINUAT [3]. Etenim, in *inchoante* requiritur

[1] In Cod. austr., 1462, statuitur quod si testator nullum titulum habuit, haeredes nequeunt praescribere. — [2] Cod. gall., 2279; hisp., 1955; cfr. Cod. germ., 929 seqq., quoad praescriptionem mobilium. — [3] Nota, hic agi de sola praescriptione acquisitiva. De bona fide pro praescriptione liberativa infra sermo erit (n. 899).

Digitized by Google

bona fides positiva, ut constat ex dictis de necessitate tituli. Hinc, qui ab initio dubitat an res sit sua, nequit inchoare possessionem. — In *continuante* autem possessionem requiritur tantum, ut mala fides non superveniat, per conscientiam scilicet rei alienae, ut constat ex illo Juris (c. fin. *de Praescript.*): « Oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienae ».

Quare, si possessori bonae fidei supervenit dubium, praescriptio non interrumpitur; et *continuans* possessionem beneficio gaudet annorum incipientis, modo interim (pro foro saltem conscientiae) adhibeat diligentiam ad inquirendam veritatem (III, 504, 511).

896. — QUAER. *An praescribat* SUCCESSOR *qui dubitat de bona fide antecessorum?*

Resp. Affirm., si debitam diligentiam ad dubium solvendum adhibuerit. Ratio est, quia in dubio mala fides praesumi non debet, saltem ordinarie et per se; nemo enim praesumitur malus nisi probetur.

Ex NOVIS LEGIBUS, successor *particularis* (non universalis) in possessione potest incipere praescriptionem, etsi antecessor fuerit in mala fide [1].

5. *Tempus a lege requisitum.*

897. — *Praenotanda.* 1° Tempus ad praescriptionem requisitum non ab hora ad horam, sed *a die ad diem* computandum est, nec prius fit valida praescriptio, quam ultimus dies totaliter effluxerit. — 2° Ad complendam possessionem, potest possessor actualis propriae suae possessioni adjungere possessionem sui auctoris seu antecessoris, quocumque titulo huic successerit, ut supra diximus.

En vero tempus requisitum ex variis legibus :

Ex JURE ROMANO (et CANONICO): 1° Res mobilis cum titulo (colorato vel existimato) praescribitur post triennium; sine tali titulo, nonnisi post 30 annos. — 2° Bona immobilia privatorum praescribuntur sine titulo post 30 annos; cum titulo post 10 annos inter praesentes, et 20 inter absentes. Quodsi quis partim praesens, partim absens sit, anni absentiae sunt duplicandi. — 3° Bona minorum post 30 annos; bona locorum piorum post 40 annos; bona Ordinis S. Benedicti post 60 annos. — 4° Bona Ecclesiae Romanae vel S. Joannis Lateranensis, similiter bona Cisterciensium et Mendicantium, nonnisi post 100 annos. — 5° Res *furtivae*, bona fide acceptae e furis manibus cum titulo, praescribuntur post 30 annos inter praesentes, et post 40 inter absentes. Fur autem nunquam praescribit, etsi per oblivionem in bonam tandem fidem deveniat (III, 515).

II. Ex JURE GALLICO [2] dantur praescriptiones sequentes: 1° Praescriptio 30 *annorum*, qua longior non admittitur. Est universalissima : omnes enim actiones, sive reales sive personales etiam personarum moralium, post 30 annos exstinguuntur, quin defectus tituli vel bonae fidei opponi possit. Possessio

[1] III, 512-516; Cod. gall., 2235 (cfr. *Allègre* in h. loc.; *Delama*, de Just. et Jure, n. 289, quaer. 4°); ital., 2137; germ., 937, 953, 987. — At ex Jure hisp. (a. 442) *omnis* successor haereditarius potest incipere praescriptionem, excipe si noverit praedecessoris malam fidem. — [2] Cod. gall., 2260 seqq.

Digitized by Google

tamen debet esse legitima, sensu quo supra diximus (n. 893). — 2° Praescriptio 10 *vel* 20 ***annorum,*** qua praescribuntur bona immobilia, cum titulo tamen et bona fide. ***Decem anni*** requiruntur et sufficiunt, si ille, contra quem praescribitur, sit praesens, i. e. si habitet in territorio curiae ***appellationis*** in quo situm est immobile. Requiruntur autem 20 ***anni,*** si sit absens (vel pro rata, si fuerit partim praesens et partim absens). — 3° Praescriptio 3 ***annorum,*** quae cum bona fide sufficit in omni casu, ad bonum mobile acquirendum (cfr. n. 895). — 4° Praescriptio quam aliqui vocant ***instantaneam,*** qua scilicet res mobiles, non furtivae, nec amissae, statim post traditionem, legitime a possessore bonae fidei possidentur et acquiruntur; quia pro mobilibus possessio est instar tituli, et quia lex non concedit spatium 3 annorum, nisi ad repetendam rem furtivam vel amissam (cfr. n. 885). An haec in conscientia valeant, olim acriter disputatum est; hodie communiter affirmatur [1]. Quare, in hoc casu, non potest possessor bonae fidei ad restitutionem adstringi. Ast sedulo advertendum est an res sit reapse mobilis sensu legis (cfr. n. 852).

III. Ex JURE ITALICO [2]. Praescriptio 10 annorum valet etiam inter absentes. Biennium, loco triennii, conceditur ad repetendam rem furatam vel amissam. — Cetera cum Jure gallico concordant.

IV. Ex JURE HISPANICO [3]. Admittitur praescriptio 30 annorum, sicut in Jure gallico; item praescriptio 10 vel 20 annorum pro bonis immobilibus. Absentes reputantur qui vivunt extra regnum, vel in regione ultramarina. Pro bonis immobilibus requiruntur 3 anni cum bona fide, vel 6 sine alia conditione. Cetera ut in Jure gallico.

V. Ex JURE AUSTRIACO [4]. 1° Tempus *ordinarium: a*) quoad res mobiles usucapiendas, est triennium; — *b*) quoad res immobiles et servitutes praediales, item triennium, si sint in publicis tabulis, nomine possessoris usucapientis inscriptae; secus, 30 anni. — 2° Tempus *extraordinarium: a*) contra fiscum, ecclesias et alias communitates, quae jure corporationis gaudent, loco triennii requiritur sexennium; et loco 30 annorum, spatium 40 annorum; — *b*) contra absentem voluntarie (at sine culpa) a provincia, ubi res sita est, annus absentiae computatur pro semestri; — *c*) immediate sibi comparanti rem mobilem a possessore vitioso aut malae fidei, aut non valenti indicare suum auctorem, duplicatur spatium temporis ordinarii.

VI. Ex JURE GERMANICO [5]. *a*) Ad rerum ***mobilium*** usucapionem requiritur ut quis rem bona fide per 10 annos tanquam suam possederit. — *b*) Ubi lex de libro fundorum perfecte introducta est, ***immobilium*** usucapio non admittitur nisi casu quo quis, in libro fundorum ut proprietarius fundi inscriptus, rem hanc immobilem per 30 annos tanquam suam pacifice possederit. — Imo sola pacifica possessio (sine inscriptione) sufficit post 30 annos, modo tunc invitatio fiat ad eos qui jura habere possent. Nemine reclamante, acquiritur dominium per inscriptionem. — *c*) Datur etiam ***praescriptio instantanea,*** sicut in Jure gallico, sed sub diversis conditionibus. Vide infra n. 936.

VII. Ex JURE ANGLICO admittuntur quidem aliquae praescriptiones respectu bonorum immobilium (et debitorum); atvero « possessiones mobiles titulo praescriptionis acquiri non possunt » [6].

[1] Cfr. *Aertnys,* Suppl. ad tr. de VII Praec. (1902), n. 17. — [2] Ital., 2133 seqq. — [3] Cod., 1940 seqq. — [4] Cod., 1465-1478. — [5] Cod., 900, 935. 937; cfr. *Pelt,* o. c., p. 74 seqq.; *Barre,* Das bürgerl. Gesetzbuch u. der Cod. civ., §§ 27, 29, 47. — [6] *Crolly,* de Just. oblig., n. 600, ubi plura, si lubet, videre potes.

Digitized by Google

898. — QUAERITUR. *Quomodo* INTERRUMPATUR *vel* SUSPENDATUR *praescriptio?*

Resp. 1° INTERRUMPITUR, ita ut de novo inchoari debeat, vel *naturaliter,* si praescribens amittat possessionem (scilicet naturalem), aut si ipsi mala fides superveniat; vel *civiliter,* si lis circa rem moveatur, nisi movens injuste id faciat ad praescriptionem interrumpendam. — Non interrumpitur autem, si res possessa ab uno in alium transferatur, v. gr. emptione, donatione, etc. [1].

2° SUSPENDITUR seu *dormit* praescriptio, quando impedimentum ei objicitur ne procedat ulterius, ita tamen ut, remoto impedimento, pergat sine alio detrimento, quam temporis dormitionis.

Hoc accidit duplici modo: *a*) quando judicia exerceri nequeunt, v. gr. tempore belli aut pestis in certis regnis [2]; — *b*) quando is, contra quem praescribitur, jus suum prosequi non valet. Sic contra interdictos, contra ecclesiam carentem rectore, non currit praescriptio. Ita *ex Jure romano;* secus tamen *ex novis legibus* [3] (cfr. n. 892, 4°).

Nota. Non obstante legitima praescriptione, conceditur quandoque (v. gr. minoribus per 4 annos post majorennitatem) beneficium *restitutionis in integrum,* i. e. rescissio praescriptionis a judice pronuntianda [4].

§ 2. De praescriptione liberativa.

899. — *Praenotanda.* 1° Sunt leges quae denegant tantum actionem judicialem, sunt et aliae, quae jus exstinctum esse declarant.

2° Duplici modo praescriptio liberativa alicui prodest: *a*) vel ex sua parte adsunt *vera debita,* aut etiam obligatio servitutem patiendi, et tunc praescriptio liberativa obstat quominus alter jus suum in conscientia possit reclamare; — *b*) vel ipse commisit solas *culpas juridicas,* et tunc praescriptio liberativa illi, qui vellet indemnitatem petere, omnem viam intercludit.

3° Ad praescriptionem liberativam (sicut et ad acquisitivam) *requiritur bona fides: a*) Si adsunt vera debita, bona fides *positiva* adesse debet. — *b*) Quoad reclamationes quae fundantur in culpa juridica, in actione petitoria apud judicem (vel quae supponunt usum alicujus servitutis post alium continuatae), sufficit bona fides *negativa;* aliis verbis satis est si alterum nec directe nec indirecte ab exercitio sui juris reclamandi impedias. Sed non obligaris ad eum monendum, ut jure suo utatur.

4° Requiritur etiam *tempus legitimum.* AA., praesertim moderni, distinguunt: *a*) Praescriptionem *longissimi temporis,* seu 30 annorum, qua exstinguuntur omnia debita per 30 annos non repetita, item usus-

[1] III, 511; Cod. hisp., 1943, 1948, 1973 seqq.; germ., 941, 208 seqq. — [2] Cod. austr., 1496. — [3] Cod. gall., 2251-2259; ital., 2145; germ., 206, 207, 939. — [4] III, 514; cfr. *Croix,* l. 3, p. 2, n. 558.

Digitized by Google

fructus, quando ille, qui jus habebat, eo non utitur per 30 annos. Exstingui etiam possunt census, non solum quoad redditus annuos, sed etiam quoad ipsum jus seu capitale (in AUSTRIA [1] tamen 40 anni requiruntur contra fiscum et corporationes). — *b*) Praescriptionem *longi temporis,* seu 10 annorum qua exstinguuntur actiones in nullitatem vel rescissionem contractus, quando lex terminum breviorem non constituit [2]. — *c*) Praescriptionem *brevis temporis,* seu 5 annorum (in GERMANIA 4 annorum, in AUSTRIA 3 annorum), quae respicit summas solvendas periodice per modum fructuum civilium [3]. — *d*) Praescriptionem *brevissimi temporis,* v. gr. 2 annorum pro stipendiis procuratorum, causa finita; unius anni pro stipendiis medicorum, famulorum, mercatorum, etc.; 6 mensium pro stipendiis operariorum, hospitum, etc. [4].

Hae praesertim variae sunt in variis regionibus. — Nulla, in *Jure germanico* [5], admittitur praescriptio contra jura in libro fundorum relata, vel contra jura gentilitia.

900. — I. *Praescriptiones liberativae tum* LONGISSIMI *et* LONGI, *tum* BREVIS TEMPORIS *valent in conscientia,* dummodo bona fides toto tempore perseveraverit. Ita communiter, ex rationibus pro praescriptione in genere allatis (III, 517). Cfr. supra n. 890.

Nota. Quoad praescriptionem *brevis temporis,* non deest controversia. Cfr. *Tanquerey,* II, n. 262; *Lehmkuhl,* Das Bürgerl. Gesetzbuch, ad § 194 et 929.

901. — II. *Praescriptiones* BREVISSIMI TEMPORIS *non valent in conscientia,* nec constituunt nisi praesumptionem factae solutionis, ut omnes fatentur: — Ratio: 1° quia ex ipsis legibus constat, legislatorem *non habuisse intentionem* transferendi dominium, sed solum negandi actionem in foro externo, ne justitiae administratio nimis difficilis redderetur [6]; — 2° nequit legislator hanc habere intentionem, quia quoad hasce praescriptiones brevissimi temporis *deficit* saepe *bona fides,* nec adest ratio boni communis, cum hoc conduceret ad opprimendos debiles et pauperes.

« Debitor, igitur, qui certus est solutionem non esse factam, minime ab obligatione solutionis eximitur », nisi post praescriptionem certo sufficientem, quae ex singulis Codicibus et jurisprudentia est dijudicanda (III, 515). — Si quis tamen, v. gr. successor bonae fidei, transacto tempore a lege assignato, incipit dubitare, v. gr., an auctor suus solverit, potest uti praesumptione juris, nisi omissio solutionis rite probetur. *Noldin,* II, n. 407; *Pelt,* o. c., p. 112.

[1] Cod., 1472. — [2] Cfr. Cod. gall., 1304, 1676, 2270; hisp., 1963, 1964. — [3] Cod. gall., 2276-2277; ital., 2144; hisp., 1966; germ., 197; austr., 1480. — [4] Cod. gall., 2271 seqq.; ital., 2138 seqq.; hisp., 1967, 1968; germ., 196, 222. — [5] § 194, 902. — [6] Cod. gall., 2275; ital., 2138-2143; germ., 222; cfr. *S. Alph.,* III, 516 (et 347, quoad famulum); H. Ap., X, 12. — Jus vero hispanicum modo simili de brevissimis et de longioribus praescriptionibus loquitur.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE LAESIONE JURIS IN BONA EXTERNA.

902. — Laesio juris alieni fit per INJURIAM, tum materialem, tum formalem, ut diximus n. 722. — De injuria *formali* nunc agemus.

Porro, injuria formalis est DUPLEX: 1° *lucrosa,* quae fit, v. gr., per furtum, per iniquam usurpationem, et vocatur generice ACCEPTIO INJUSTA REI ALIENAE; — 2° *non lucrosa,* quae infertur proximo sine emolumento inferentis, v. gr. per incendium, stragem, et est DAMNIFICATIO stricte dicta. De his in duobus capitibus.

CAPUT I.

De injusta acceptione rei alienae seu de furto.

S. Thomas, 2. 2, q. 66; *S. Alphonsus,* III, 518-546; ed. G., II, p. 27 seq.; H. Ap., X, n. 14-34; *Lugo,* disp. 16; *Lessius,* l. 2, c. 12; *Sporer-Bierbaum,* tr. V, n. 779; *Lehmkuhl,* I, 1109; *Noldin,* II, n. 414; *Aertnys,* l. III, n. 285; *Tanquerey,* II, n. 431; *Berardi,* Theol. mor., III, n. 242.

Agendum: 1° de natura et gravitate furti in genere; — 2° de quibusdam furtis in specie; — 3° de causis a furti delicto excusantibus.

ARTICULUS I.

De natura et gravitate furti in genere.

903. — DEFINITIO. Furtum est: Ablatio rei alienae, domino rationabiliter invito.

Dicitur 1° *Ablatio rei alienae,* cum animo nempe eam ut suam habendi. Unde non facit furtum qui rem surripit per jocum, vel ob bonum aut commodum domini; v. gr. vinum ne inebrietur, librum haereticum ne legat. — 2° *Domino,* quo nomine venit ille, cui competit quodcumque jus strictum, v. gr. jus usufructus, depositi. — 3° *Rationabiliter invito,* nam si dominus praesumatur consentire, aut si non possit, vi juris, dissentire (v. gr. cum res aufertur titulo necessitatis vel compensationis), ablatio rei alienae non est furtum.

904. — PRINCIPIA. I. **Furtum est ex genere suo peccatum mortale.** Constat ex 1. *Cor.,* 6, 10: *Neque fures... neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Ratio est, quia furto laeditur justitia commutativa, quae per se obligat sub gravi. Adde quod, si homines passim sibi invicem furarentur, periret humana societas, uti observat Angelicus (l. c., a. 6). — Furtum tamen admittit materiae parvitatem.

Digitized by Google

905. — II. Gravis materia furti determinanda est ex gravitate damni, quod per illud proximo infertur. Ita communiter, ex Regula Angelici Doctoris (2. 2, q. 73, a. 3): « Peccata, quae committuntur in proximum, sunt pensanda per se secundum nocumenta, quae proximo inferuntur; quia ex hoc habent rationem culpae » (cfr. n. 337, II).

Hinc: a) Dimetienda est materia *relative*, ita scilicet, ut attendatur ad varias hominum, locorum ac temporum conditiones et varium pecuniae valorem; etenim, finis juris proprietatis *pro privato* (nempe ut in pace vita fruatur), plus minusve impediri et laedi potest. — *b*) Determinanda est etiam aliqua materia *absolute gravis*, id est materia quae *nunquam*, sine culpa gravi, *ne ipsis quidem ditissimis*, surripi possit; hoc exigit finis juris proprietatis *quoad societatem:* secus furum cupiditas nimis excresceret, et ipsa societas certo pateretur grave damnum. Turba enim ad venialia vix attendit.

906. — Quocirca statuuntur REGULAE sequentes:

REGULA 1ª Materia *relative gravis* illa existimatur, quae damnificato juxta suam conditionem sufficeret pro diurna sui suaeque familiae sustentatione.

Considerato igitur praesenti pecuniae valore (qui saltem duplo minor est quam tempore S. Alphonsi), et attenta aestimatione communi recentiorum theologorum (quorum opiniones hic intrinsece probabiliores fiunt), sequentes gradus, pro norma generali in praecipuis Europae locis, statui posse censemus:

a) Respectu *mendicantium*, materia gravis foret valor unius franci, seu 20 assium; et minus, si quis pauper quotidiana sua mendicatione minus lucretur. — *b*) Respectu fossorum et similiter *operantium*, circiter 2-5 franci. — *c*) Respectu autem *artificum* et mercatorum tenuis fortunae, 4-8 franci. — *d*) Respectu *mediocriter divitum*, seu eorum qui ex propriis redditibus vivunt, 8-10 franci. — *e*) Respectu vero *absolute divitum*, v. gr. respectu mercatorum sat opulentorum, 10-20 franci. — *f*) Respectu *magnatum*, 30 franci, et ultra.

In dubio, v. gr. si ignoras cuinam damnum factum sit, grave reputatur furtum 8-10 francorum; quia damnum praesumitur mediocriter diviti illatum. — Ita hodie communiter. Cfr. *Gousset*, Theol. mor., I, 980; *Crolly*, III, n. 272; *Konings*, n. 695; *Aertnys*, l. III, n. 285.

REGULA 2ª Materia *absolute gravis* est illa, quae, *per se* et *independenter a damno* quod patitur dominus, reputatur communiter habere notabilem utilitatem vel valorem.

Hinc, *S. Alphonsus* (III, 528) assignabat ut gravem, *respectu regum*, summam excedentem 2 aureos, vel 10 circiter francos. *Hodie vero*, mutatis circumstantiis, assignandi videntur 30-40 franci, vel etiam ultra, in locis ubi pecuniae valor est minor. Sic pro Anglia 1 $^1/_2$-2 librae aureae, in America Sept. 7-10 doll. materia absolute gravis nominari possunt.

Nota. 1° Materia relative gravis supra indicata respicit de se furtum quod una actione contra unum eumdemque committitur. Quoad furtula, quae vel uni diversis actionibus, vel diversis una vice damnum inferunt, vide n. 908.

2° *In furto sacrilego*, si res, quoad speciem physicam est pretio aestimabilis, conclude eodem modo ac pro re profana; si secus (v. gr. in sacris

Digitized by Google

reliquiis), considera ejus dignitatem, raritatem, vel attende ad specialem Ecclesiae prohibitionem (cfr. n. 583, 1342).

3° Furtum respectu *communitatis* (v. gr. societatis commercialis), ut sit grave, ordinarie attingere debet materiam indicatam pro absolute divitibus. Alii requirunt materiam absolute gravem. Excipe si communitas sit pauper vel exigua. — Idem dic, si laeditur *communitas religiosa*. Cfr. *S. Alphonsum*, III, n. 528; IV, n. 25, cum notis subjunctis.

ARTICULUS II.

De quibusdam furtis in specie.

§ 1. De furtis domesticis.

907. — In furtis domesticis, i. e. *filiorum, uxorum* et *famulorum*, plus requiritur ad materiam gravem, quam in furtis extraneorum. — Ratio est, quia, respectu illorum, dominus est minus, aut saltem minus rationabiliter, invitus.

Saepe etiam invitus est magis quoad modum, i. e. quod res clam accipiatur; vel quoad finem, v. gr. quod accipiatur ad ludendum, bidendum, etc.; quam quoad substantiam rei surreptae (H. Ap., l. c., n. 32).

1° Filiusfamilias peccat graviter, surripiendo quantitatem *duplo majorem* quam ea quae pro extraneis constitueret peccatum grave.

Minus tamen requiritur, si pater sit tenax, si filius nondum adoleverit, si pecunia impendatur in usus inhonestos (III, n. 543).

Nota. a) Filius saepius graviter peccat abusu pecuniae, quam furtis. — *b*) Etsi furtum fuerit grave, non tenetur filius ad restitutionem, si illud jam consumpserit: quia pater praesumitur condonare. Excipe, si ex adjunctis aliud constet, vel si cohaeredes graviter laesi fuerint (Conf. dir., X, 14). Cfr. *Lugo*, disp. 16, n. 76. — *c*) Quoad *membra religiosae communitatis*, regula, pro filiisfamilias statuta, applicari nequit: non enim eadem est eorum conditio, sive respectu suorum Superiorum qui tam facile quam parentes condonare non censentur, sive respectu bonorum ipsorum, quae religiosis numquam tradentur possidenda. Vide IV, 24; *Lugo*, de Just., disp. 3, n. 172.

2° Uxor peccat graviter (fere eodem modo ac filius), si notabilem summam surripiat, invito marito, etiam ex dote vel bonis communibus; quia licet media pars ad eam spectet, maritus tamen habet illius partis usumfructum.

Nota tamen, cum uxoribus mitius esse agendum, si res ablatae in usum familiae vel propinquorum expenduntur. Alia vide n. 870.

3° Famuli furando peccant inaequaliter: *a*) Si furentur *cibos*, qui non solent caute custodiri, peccant solum *venialiter*; modo illos non vendant aut foras extrahant, et modo non sumant in extraordinaria

Digitized by Google

quantitate, vel res pretii extraordinarii. — *b*) Si autem furentur *alias res,* v. gr. pecuniam, vestes, res lintearias, etc., non requiritur ad peccatum grave major quantitas, quam in furtis extraneorum; quia domini non sunt minus inviti erga ipsos quam erga alios. Imo, talia furta, ex jure, majori poena mulctanda sunt, propter perfidiam quae committitur in dominos, qui res domesticas famulis concredunt [1] (cfr. n. 705).

§ 2. De furtis minutis.

908. — Furtum per se leve potest multiplici modo fieri grave (cfr. n. 905), praesertim vero: 1° per *intentionem* perveniendi ad materiam gravem; — 2° per *damnificationem* gravem ex levi furto obvenientem; — 3° per *conspirationem;* — 4° per *multiplicationem.*

I. Per INTENTIONEM perveniendi ad materiam gravem peccat fur graviter, v. gr. mercator falsis ponderibus utens, quoties minimum quid surripiendo, *renovat,* saltem implicite, suum propositum [2]. Ratio est, quia actus externus desumit suam malitiam ab actu interno, qui est graviter peccaminosus. — Idem dic de eo, qui parvam quantitatem surripit cum animo *notabilem* auferendi, si posset. Sed *sub levi* tantum tenetur ad restitutionem, quia materia non est gravis.

II. Per DAMNIFICATIONEM GRAVEM, quam fur, ex levi suo furto, obventuram esse praevidit, item graviter peccat. Sic, v. gr., auferre acum sartori potest esse materia gravis, si ipse non posset habere aliam, qua valeat sibi victum comparare (H. Ap., X, 22).

Qui a domino aufert exiguam rem ipsi *valde caram,* v. gr. florem rarum ac singularem, primos fructus ex arbore ad aliquem praecipuum virum honorandum destinatos, praevidetque simul dominum graviter affligendum ex tali amissione, graviter peccat contra *caritatem;* contra *justitiam* vero leviter, nisi forte grave damnum inde secuturum praevideatur.

III. Per CONSPIRATIONEM committuntur furtula, cum plures, communi consilio et consensu, simul vel successive, uni vel pluribus parvum quid surripiunt. — Jamvero, hujusmodi furtula sunt gravia peccata, si simul sumpta materiam constituant vel relative vel absolute gravem: tunc enim singuli fures cooperantur vere et efficaciter ad totum damnum.

Diximus: *communi consilio,* quia si singuli *independenter ad invicem* agant, sive ignoraverint, sive cognoverint damnum ab aliis illatum; tunc nullus eorum est causa totius damni gravis (III, 535 seqq.).

[1] Cod. poen. gall., n. 386; ital., 419; hisp., 593; aliter tamen Cod. germ., 247. — Quoad famulos qui res pro domino emunt, et 5 centesimos ex libella retinent (*le sou du franc*), vide *Ami du C.*, 1903, p. 294. — Abusus est, nec potest tolerari, nisi *constet* dominos conscios et consentientes esse. — [2] V, 44; 2. El. qq. ref., 6. Vide dicta n. 328. Ad hanc propositi renovationem, ut vere novum evadat, requiritur aliquod intervallum; secus, si ratione externationis, continuum remaneat.

Digitized by Google

Si plures *mutuo exemplo* permoti levia furta committant, singuli peccant contra *caritatem* ratione scandali (et peccant quidem graviter, si damnum totale sit grave, illudque impedire facile potuissent); sed probabilius *non tenentur* ad restitutionem solidarie quoad totum; quia exemplum non est causa directe influens in damnum alienum, sed tantum occasio (cfr. n. 949, 2ª Cond., et 989). Unusquisque tamen, ut patet, tenetur quoad suam partem (III, 537; II, 45).

IV. Per MULTIPLICATIONEM furta levia possunt in materiam gravem *coalescere,* et inducere gravem obligationem restituendi.

Furta levia possunt coalescere physice vel moraliter. — *Physice* si res conserventur, ita ut cumulus fiat materia gravis. *Moraliter* si res consumantur quidem, sed furta *intra breve temporis intervallum* repetantur. Pro furtulis modicis ordinarie intervallum 15-30 dierum, pro furtulis majoribus interpolatio duorum mensium impediunt quominus furtula moraliter coalescant (III, 530).

Probatur assertum. 1° Constat ex propositione 38ª ab Innocentio XI damnata. — 2° Quoad furtula physice coalescentia (sive unum sive plures laedant), adesse potest physica unio, unicus cumulus, ex quo fur injuste et praeter modum ditescit. — Quoad furtula moraliter coalescentia, habetur quid unum in genere moris, ex quo exsurgere potest damnum notabile pro privato, vel, si diversi laesi fuerint, damnum notabile pro communitate et recto ordine. *Lugo,* l. c., n. 37.

Nota. Materia in furtis minutis requisita, *ut fiat gravis,* non est semper eadem: 1° Si fiant *eidem* diversis vicibus, vel diversis (si sunt pauci) *eodem tempore,* materia est gravis, si excedat ex dimidia parte summam ad furtum grave communiter requisitam. — 2° Si fiant *diversis paucis personis* per diversas vices, materia censetur per se gravis, si est duplo major, quam summa ad furtum grave communiter requisita. — 3° Si demum fiant *diversis personis in magno numero,* requiritur *materia absolute gravis,* vel duplo major quam absolute gravis, prout furta semel vel per diversas vices commissa sunt (III, 530). Cfr. *Lehmkuhl,* I, 1115.

909. — QUAERITUR. *An peccet graviter qui, post completam materiam gravem, furatur adhuc aliquid aliud leve?*

Resp. Disputatur. Sententia tamen probabilior *negat,* nisi, interruptione facta, v. gr. per voluntatem restituendi, fur pertingat, vel pertingere intendat ad aliam novam quantitatem gravem. Ratio est, quia furtulum respectu acceptionis est certe leve; respectu autem detentionis videtur constituere unum peccatum cum praecedenti: non enim multiplicatur peccatum, quando renovatur vel confirmatur propositum non restituendi, sed solum quando moraliter interrumpitur, ut diximus in tr. *de Peccatis* (n. 328, Reg. 3ª). Cfr. III, 538.

910. — *Ex his resolves:* 1° Sartores, horumque famuli, graviter peccant contra justitiam, ubi materiam gravem attingunt, retinendo sibi aut vendendo panni fragmenta, dominis adhuc utilia, quae supersunt. — Excipe, si alicubi

Digitized by Google

vigeat consuetudo, ut minus solvatur, et fragmenta sartoribus remaneant; aut si constet, dominos opulentos non velle fragmenta sibi restitui, vel de illis parum curare.

2° Qui *carbones* effodiunt, prohibentur ab iis in sui usum auferendis, nisi certo quodam pretio soluto. — Attamen qui carbones familiae suae necessarios subinde auferunt, etsi reprehendendi sint, non videntur cogendi ad restitutionem; in fodinis enim tanta est carbonum copia, ut domini vix censendi sint omnino inviti, et ordinarie non adhibent sollicitudinem ad fures hujusmodi detegendos. — Secus dicendum de iis, qui crebro id faciunt, vel carbonum in ripis fluminum vel alibi depositorum magnam copiam auferunt (*Konings*, 703, 8°).

3° Qui ligna caedunt *in silvis communitatis* propriae (vel vicinae) non peccant, nec ad restitutionem tenentur, nisi magnam stragem faciant cum damno communitatis; quia lex stricte prohibens omnem caesionem lignorum censetur esse poenalis: unde, sola poena solvenda est, et quidem post judicis sententiam. — Secus vero in *silvis privatorum* nisi res sit de leviori quadam arbuscula, vel de lignis exsiccatis, pro quibus possit praesumi domini consensus (III, 529, q. 1). — Quoad *pauperes*, certum est eos posse colligere ligna exsiccata non solum ad comburendum, sed etiam ad vendendum, si sint in gravi necessitate. Cfr. *Göpfert*, II, n. 148, ubi multa.

4° Qui fructus edunt in aliorum *vineis* vel *pomariis*, facile excusari possunt, dummodo nihil foras asportent, nec fructus sint rari et magni pretii. Hoc probabiliter licere colligitur ex *Deut.*, 23, 24 (item *Luc.*, 6, 1), et ex lege caritatis quae apud christianos mitigat rigorem juris. — Id saltem certum est « quod in furtis rerum expositarum, ut sunt fructus juxta vias et ligna in silvis, ut furtum sit grave, requiritur major materia » (H. Ap., X, 23). Hoc tamen addiderimus: fructuum etiam expositorum valorem in aestimatione communi hodie multum crevisse.

911. — *Nota.* Confessarius, in furtis minutis, non debet quidem *urgere restitutionem*, nec tamen facile dissimulare, sed pro conditione et capacitate personarum semper aliquam restitutionem injungere, ipsis creditoribus vel pauperibus faciendam. Alioquin enim, cum impune dimittuntur, poenitentes fiunt ad hujusmodi furtula faciliores, et ad majora gradum faciunt (*Lessius*, l. 2, c. 12, n. 50; *Ami du Cl.*, 1903, p. 97).

ARTICULUS II.

De causis ablationem rei alienae excusantibus.

Ablatio rei alienae non habet rationem furti, si dominus censeri nequit rationabiliter invitus. Nequit autem censeri rationabiliter invitus, si proximus rem aufert, aut ratione *necessitatis*, aut titulo *compensationis*. — Hinc duo paragraphi.

§ 1. De necessitate excusante rei alienae ablationem.

912. — *Praenotanda.* 1° Necessitas alia est extrema aut quasi-extrema seu gravissima, alia gravis, et alia communis (recole dicta n. 480, 3°).

2° Jus ad vitam potius est jure ad proprietatem.

Digitized by Google

3° Dives ex *sola caritate* tenetur proximo, in casibus ordinariis, providere: debet igitur dare, non occultare res quibus ille indiget. — Ex *justitia* vero tenetur dives ad non impediendum pauperem mediis violentis quominus jure suo ille utatur; si impedivit, restitutioni obnoxius est.

4° Quaerendum est hic: quandonam pauper jure suo legitime utatur.

913. — PRINCIPIA. I. **Non licet aliena surripere in gravi, nec a fortiori, in communi necessitate.** Ratio est, quia tunc domini sunt rationabiliter inviti; et secus direptionibus facilis aditus pateret. Confirmatur ex prop. 36ª ab Innocentio XI damnata. Excipe cum *Viva* (Theses damn., prop. 36ª, n. 10), si ex adjunctis, v. gr. ex pietate domini opulenti, prudenter praesumatur ejus consensus.

914. — II. **Quilibet in extrema necessitate constitutus potest alienum surripere, quantum sufficit ad se a tali necessitate liberandum.** Ita communiter cum *S. Thoma* (2. 2, q. 66, a. 7). — Ratio est, quia finis primarius, in quem Deus res creavit, est conservatio vitae humanae; unde jus proprietatis juri ad vitam cedere debet (cfr. n. 216). — Excipitur casus, quo ipse dominus per ablationem rei suae redigeretur in aequalem necessitatem. Tunc enim valet regula: « In pari causa, melior est conditio possidentis »; et ideo dominus esset jure invitus (III, 520, q. 3).

Hinc infertur: 1° Non tenetur in extrema necessitate constitutus rem a domino *petere,* si res illa in specie est sibi *absolute* necessaria; tunc enim habet jus eam sibi vindicandi.

2° Si res, qua quis in tali necessitate indiget, est *magni valoris,* potest nihilominus, ex veriori sententia, eam sibi vindicare; quia habet jus sumendi quidquid est actu ad suae vitae conservationem necessarium. — Dives tamen non tenetur rem illam pretiosam dare ex justitia, quae non imponit onus providendi proximo; nec ex caritate, quae non obligat cum tanto dispendio, ut dictum est n. 488, 2°. — Ex pietate vero teneretur dare patri, vel filio; et ex justitia tenetur non impedire positive pauperem ab usu juris sui (*S. Alph.,* l. c.).

Diximus: *quantum sufficit* etc. Sic enim exigit ordo justitiae, quae jure quidem suo utitur, illud vero non praetergreditur.

Unde: *a*) Si sufficit *solus usus rei,* v. gr. equi ad fugiendum, remanet, cessante necessitate, obligatio restituendi. — *b*) Si extreme indigens habet *alibi* in re vel in spe probabili, unde solvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi *cum onere restitutionis:* quia necessitas tunc non exigit rem accipi gratis, quando sufficienter re mutuo accepta vel commodata sublevari potest. — *c*) Si autem extreme indigens nihil habet alibi in re vel in spe, non tenetur, postquam rem alienam *consumpsit,* ad restitutionem, tametsi ad meliorem conditionem pervenerit. — Idem probabiliter dicendum est, si *res fuit furtiva:* quia, si apud dominum exstitisset, indigens potuisset, sine obligatione restituendi, eam auferre et consumere (III, 520, q. 4 et 5).

915. — III. **Eadem valent pro eo, qui versatur in necessitate gravissima seu quasi extrema.** Haec enim necessitas extremae aequiparatur. In tali necessitate potest quis ex alieno sibi providere *per media*

Digitized by Google

ordinaria, non autem per exquisita et extraordinaria. Ita *S. Alphonsus* (III, 520) et alii communiter.

Talis autem gravissima necessitas esse censetur, quando quis est in probabili periculo subeundi mortem, v. gr. a sicariis, nisi talem pecuniae summam tradat; aut amittendi membrum aliquod principale, puta oculum; aut incidendi in perpetuam captivitatem, vel in perpetuum morbum, aut incurrendi infamiam. Non enim opus est, ut hujusmodi mala actu inferantur; sufficit, ut proxime et moraliter certo immineant, imo ut immineat eorum periculum certo probabile.

QUAERITUR. *An liceat rem alterius surripere, ad subveniendum extremae necessitati proximi?*

Resp. affirm.: ratio est, quia tunc vices geris indulgentis et ostendis te diligere proximum sicut teipsum (*S. Thomas,* l. c., ad 3). Imo pietas et, secluso gravi incommodo, ipsa caritas qnandoque ad id te obligare potest. — « Si vero potuisses rem largiri tuam, et dedisti alienam, videtur quod tenearis ad restitutionem; quia non poteras determinare alienam, cum tibi propria suppetebat ». Ita *S. Alphonsus,* II, n. 33. Cfr. dicta n. 489, q. 2°.

§ 2. De occulta compensatione.

NOTIO. Compensatio occulta est actus, quo quis illud, quod sibi debetur, accipit, inscio debitore.

916. — PRINCIPIUM. **Occulta compensatio, concurrentibus certis conditionibus, est justa ac licita.** Est 1° *justa,* quia qui se occulte compensat, nemini facit injuriam, sed tollit unice quod suum est; — 2° *licita,* quia, servatis conditionibus, servatur etiam ordo justitiae legalis et caritatis (III, n. 521).

917. — Conditiones sunt: *ut illaesae maneant* JUSTITIA COMMUTATIVA, JUSTITIA LEGALIS *et* CARITAS.

1° *Non laedatur justitia commutativa: a*) Debitum ergo sit *strictum, certum* et *exigibile* [1]; injusta enim esset compensatio, si debitum esset vel non strictum, i. e. ex sola caritate aut gratitudine; vel incertum, i. e. solummodo probabile, quia in dubio melior est conditio possidentis; vel nondum exigibile, quia « qui terminum habet, nihil debet ». — *b*) Excludatur *damnum debitoris,* id est non exponatur periculo iterum solvendi (vel vivendi in conscientia erronea). Quod excludi potest, v. gr., per fictam condonationem. — *c*) Vitetur *damnum tertii,* unde non auferas rem commodatam vel oppigneratam.

2° *Non laedatur justitia legalis:* quare creditor debet prius, *si possit,* in judicio postulare, ad servandum scilicet ordinem publicum.

[1] Mulcta a judice pro culpa juridica imposita, si *soluta fuerit,* ideo nequit per compensationem repeti, quia post solutionem alter rem justo acquisivit. Qui ex motivo justitiae legalis cogitur ad dandum, revera dominium in acceptantem transfert. — Qui autem per vim *coactus fuit* ad dandum vel ad solvendum, se compensare potest, quia revera non transtulit dominium. Cfr. n. 617, 3° et 1051.

Digitized by Google

Attamen, si hoc negligitur, non erit restituendum, nec erit peccatum grave; imo nec leve, si per viam judiciariam sumptus, odia aut alia gravia incommoda subeunda essent.

3° *Non laedatur caritas:* praecaveatur ne proximus detrimentum recipiat, v. gr. ne quis injustam furti accusationem et damnationem subeat, etc.: quod tamen non teneris vitare cum tuo magno incommodo (n. 949). Cfr. H. Ap., X, 21; *Lugo,* disp. 16, n. 87.

Compensatio fieri potest etiam *in alia specie,* si fieri nequeat in eadem; modo debitor nullum subeat detrimentum ex privatione cujuspiam rei determinatae, v. gr. equi, rei pretiosae, etc.

918. — QUAERITUR. *An famuli, operarii, officiales gubernii possint aliquid surripere ad compensandam operam suam, quam* SALARIO, *de quo convenerunt, majorem esse judicant?*

Resp. Neg., generatim loquendo, ut patet ex prop. 37ª ab Innocentio XI damnata. — Ratio est, quia agerent contra pactum, quo in pretium minus consenserunt (III, 522-524).

Diximus *generatim,* quia (ad infimum usque pretium) compensare sibi potest famulus, operarius, etc.: 1° Si necessitate compulsus fuerit ad consentiendum in pretium notabiliter inaequale. Excipe tamen, si dominus alios pro eodem parvo pretio jam juste invenisset, vel si famulum rogantem ex sola misericordia suscepisset. — 2° Si operas augeat ex voluntate domini sive expressa, sive tacita; quia tunc servanda est regula, quod nempe quivis operarius dignus est mercede sua. Secus vero, si augeat ex electione propria; quia tunc censetur operam suam condonare, ad sibi conciliandam domini gratiam. — 3° Si dominus in compensationem consentire censeatur, ut, v. gr., cum aurigis pretio minore conductis contingere potest; cum enim se a plerisque fraudatum iri cognoscat, non est praesumendus velle honestos aurigas debito salario privare, eo quod sibi ab inhonestis caveat.

Nota. 1° Confessarii *non facile* compensationem permittant, upote rem periculis plenam. At vero, compensationi jam factae, cui nulla a justitia commutativa requisita conditio defuit, eatenus connivere licet, ut poenitens ad restitutionem haud adstringatur. — 2° Quaenam compensatio justa sit, creditoris etiam judicio quandoque relinqui potest, si nempe timoratus sit ac prudens, et proprii amoris periculum absit; quod tamen admodum raro eveniet (*Konings,* n. 710; *Aertnys,* l. III, n. 298).

Digitized by Google

CAPUT II.

De injusta damnificatione.

S. Alphonsus, III, n. 582-588; ed. G., II, p. 73 seqq.; H. Ap., X, n. 60; *Aertnys*, I. III, n. 341; *Lehmkuhl*, I, n. 1160; *Génicot*, I, n. 514; *Noldin*, II, n. 430; *Tanquerey*, II, n. 587; *Berardi*, Theol. mor., III, n. 305.

919. — NOTIO. Damnificatio INJUSTA, in sensu stricto, est actus, quo per formalem injuriam damnum proximo infertur, sine ullo inferentis emolumento (cfr. n. 948 seqq.).

PRINCIPIA GENERALIA. I. **Damnificatio injusta est peccatum ex genere suo grave.** Ratio patet. Unde non secus ac furtum admittit parvitatem materiae quae a peccato gravi excusat (cfr. n. 904).

II. **Damnificatio formalis non latius patet quam praevisio, saltem confusa, ipsius damni illati.** Ratio liquet ex dictis n. 724.

Haec injuriae species permulta secum inquirenda ac perpendenda afferet in Dissertatione III, ubi de restitutione agemus. — Hoc loco satis erit disseruisse de tribus casibus, *in quibus injuria solet apparere dubia*, scilicet: 1° de re in periculo derelicta vel reposita; — 2° de privatione rei speratae, seu de impediente consecutionem justi boni; — 3° de iniqua officiorum distributione.

1. *De re in periculo derelicta vel reposita.*

920. — QUAER. 1° *An rem alienam periclitantem, apud te depositam vel tibi quomodocumque commissam, propriae rei tuae* ANTEPONERE *debeas, ita ut tenearis de damno, si eam non anteposueris?*

Resp. Dist.: contractus vel actus, vi cujus habes rem alienam, vel cedit in tui tantum utilitatem, vel in utilitatem alterius tantum, vel in utilitatem utriusque. — Si *primum*, v. gr. si rem commodato, i. e. ut ea utaris, acceperis, debes eam tuae anteponere; nisi tua sit pretiosior, sed, in hoc casu, teneris dominum rei alienae facere indemnem, quia res in tui solius gratiam periit. — Si *secundum*, v. gr. si rem deposito acceperis, subdistinguendum est: *a*) si res aliena sit *longe pretiosior*, debes illam conservare; attamen, potes exigere compensationem totius damni, quod passus es eam servando. — *b*) Si res tua sit fere *aeque pretiosa*, non teneris, secundum alios, rem alienam tuae anteponere, cum hanc in alterius tantum utilitatem retineas; secundum alios, obligaris rem alterius anteponere, cum respectu illius intercedit ratio justitiae, respectu vero tui, ratio solius caritatis. — Si *tertium*, v. gr. si tanquam proxeneta ad rem alterius vendendam pretio conductus sis, sunt qui putant, posse te, ceteris paribus, rem tuam anteponere; quia caritas non obligat ut in pari necessitate rem alienam tuae anteponas; alii vero existimant, alteri parti deberi aliquam compensationem, quod aequius

Digitized by Google

videtur. Sunt hic *Codices commercii* consulendi (III, 752; *Lessius*, l. 2, c. 7, n. 27).

QUAER. 2° *An reus sit damni injusti qui rem alienam, quam periculo subtraxit, rursus committit* EIDEM PERICULO, *in quo dein perit?*

Resp. Alii valde probabiliter *affirmant*, eo quod illa melior conditio, quam res aliena adepta est, facta sit quaedam quasi-accessio in commodum domini. — Alii non minus probabiliter, et forte probabilius, *negant*, quoties vitatio proprii damni exigit ut res suo loco reponatur; sic enim nulla fit injuria, quia nemo tenetur rem domino servare cum proprio damno.

Si ergo rem alienam in via inventam abstulisti, et postea scias damnum te passurum, si eam retineas, bene potes illam in eodem loco reponere et permittere ut alter auferat, licet id faciendo in deteriorem statum rem immittas; tunc enim acceptio furis evenit ex sua malitia, et tua cooperatio est tantum permissiva detrimenti alieni, quod tu evitare non teneris cum proprio damno (III, 569).

2. *De impediente consecutionem justi boni.*

STATUS QUAESTIONIS. Quaeritur, utrum ille sit damnificator injustus qui impedit alium a consecutione justi boni. Potest nempe homo damnificari non solum in bonis quae *actu* possidet, sed etiam in iis quae sperat, qualia sunt, v. gr., bona spiritualia (sive supernaturalia, sive naturalia), et bona temporalia beneficii, eleemosynae, legati, etc.

NECESSARIAE DISTINCTIONES. 1° Haec bona, quae sperat proximus, saepe *ex justitia* ipsi debentur, eo quod circa ea jus in re vel jus ad rem possidet; aliquando etiam ex *sola libera voluntate* conferentium dependent.

2° *Impediri* potest proximus, quominus sperata bona consequatur, multiplici modo: *a*) *directe* vel *indirecte*, prout ponitur impedimentum cum intentione vel cum sola praevisione damni inferendi; — *b*) *efficaciter* vel *non efficaciter*, prout actio impediendi in se virtutem plus minusve magnam obtinet; — *c*) *mediis justis* vel *injustis*, prout media adhibita *in se* contra aliquid tendunt ad quod jus habet, v. gr., si quis per fraudem, preces importunissimas, calumniam, vim proximum impedit, utitur mediis injustis; quia proximus jus habet ad libertatem in agendo, ad famam conservandam. Si quis vero ad suasionem, consilium, preces non importunas recurrit ut proximus a consecutione sperati boni avertatur, sermo esse nequit de *injustitia*, cum nec collatoris libertas in volendo et agendo, nec adspirantis ad beneficium fama laedantur.

Nota. Media illa dirigi debent contra proximum; si autem diriguntur contra benevolum collatorem boni sperati, tunc tantum formaliter in sperantem beneficium injusta erunt, si directe redundant in ejus damnum; v. gr. si benefactor timore percutitur, ne ulli unquam beneficium conferat.

Digitized by Google

921. — PRINCIPIA. I. **Impedire alium efficaciter, etiam mediis non violentis, a consecutione boni ex justitia ipsi debiti, est damnificatio injusta, sive fiat directe sive indirecte sine causa justa.** Ratio: verificatur in hoc casu, quod tua actio est *vera causa* damni proximo illati. — Vide quae n. 949 et 979 dicentur, de actione effective injusta et de consilio injusto.

Ex his conclude: Si quis sine causa precibus patrem ad hoc movet ut filium haereditate debita privet, est auctor damni quod filius patitur. — Generatim, quocumque modo strictis juribus tertii impedimenta *vere efficacia* apponuntur, adest injustitia, quae ad restitutionem obligat.

II. **Impedire efficaciter proximum a consecutione boni, ex libera voluntate conferendi, tunc solum erit damnificatio injusta, si fiat mediis injustis.** Ratio, quia, quoad bona hujusmodi, alter non habet jus, cum sint libere conferenda.

Diximus 1°: *Erit damnificatio injusta.* Magnitudo vero reparandi damni hic non *ex magnitudine bonorum,* quae exspectabantur, erit dimetienda, sed potius EX SPE IPSA quam habebat proximus. In praxi ergo semper ad minus obligabitur talis damnificator.

2° *Tunc solum... si fiat mediis injustis.* Nulla erit damnificatio injusta, si ex odio, vindicta quis agat; aderit sola caritatis laesio.

Conclude ex dictis: a) Non tenetur ad restitutionem, qui (quamvis ex odio hoc faciat) absque dolo vel vi movet testatorem ne amico relinquat haereditatem; qui dehortatur Episcopum, ne conferat alicui beneficium simplex, ad quod non adhibetur concursus; qui mendaciis impedit fiscum quominus pro culpa juridica sententiam sibi favorabilem obtineat (III, 583, 588). Cfr. *Lehmkuhl,* Cas. Consc., n. 690-694; *Ami du Cl.,* 1903, p. 297.

b) Tenetur vero ad restitutionem, qui calumniatur pauperem, ne eleemosynam obtineat, famulum, ne ad servitium admittatur, etc. Tenetur, etiam si haec incommoda solum praeviderit, dummodo suae calumniae privatio boni sperati sit adscribenda.

c) Tenetur ad restitutionem qui apertas alterius litteras suppressit, aut tamdiu retinuit, donec ipse vel alii scribentem praevenerint ad obtinendum, ejus loco, bonum quod exspectabat. — Idem probabilius dicendum de eo, qui licet litteras tempestive tradiderit, usus est scientia quam ex illis acquisivit, ut scribentem praeveniret, vel impediret (III, 585). Vide dicenda n. 1188.

III. **Impedire aliquem, quominus damnum proximi avertat, est damnificatio injusta si fiat mediis injustis, vel si ille, qui impeditur, ex officio ad avertendum damnum deputatus sit.** Ratio *primi* ex praecedenti principio patet. — Ratio *secundi* est, quia ex eo quod ille ex officio damnum avertere debet, proximus ad hoc jus habet strictum, ne vel suasione eum ab implendo officio avertas.

Nota. Semper hic supponitur media adhibita *efficax* impedimentum apponere (cfr. n. 980).

Digitized by Google

QUAERITUR. *Si quis alterum, etiam mediis injustis, impedit a consecutione boni, quod nequit accipi vel conferri sine peccato, utrum restituere debeat?*

Resp. Negative, modo acceptio vel collatio a *parte rei* sint peccaminosae, v. gr. donatio sit prodiga, dispositio testamentaria sit illicita. Ratio est, quia, quamvis adsit peccatum in fraude vel calumnia adhibitis, huic tamen non adjungitur nova malitia injustitiae, ratione impedimenti appositi, cum proximus non possideat neque jus ad bonum quod ambit, neque jus ne quibuscumque mediis impediatur a consecutione hujus boni. Cfr. *Lehmkuhl,* I, 1162.

3. *De iniqua officiorum distributione.*

922. — Iniquus publicorum officiorum distributor laedit principaliter justitiam distributivam et legalem, ac subinde justitiam commutativam (cfr. n. 400).

QUAERITUR. *An teneatur de damno secuto, qui eligit* INDIGNUM *vel* MINUS DIGNUM?

1° Respectu SOCIETATIS: *a*) Qui eligit *indignum,* tenetur de damnis quae inde communitati obveniunt, et praevisa fuerunt. Ratio est, quia vi quasi-contractus inter ipsum et societatem, et saepe vi stipendii quod accipit, incumbit ei obligatio ex justitia procurandi bonum societatis, ac proinde non eligendi indignum. — *b*) Qui eligit dignum, *praetermisso digniore,* probabilius ad nihil tenetur erga societatem, etsi forsan graviter peccaverit. Ratio est, quia non censetur societas electores tam rigoroso titulo obligare, titulo nempe justitiae strictae, ad eligendos digniores (III, 585; IV, 106).

2° Respectu ELIGENDORUM: *a*) Probabilius ad nihil tenetur erga dignum vel digniorem praetermissum, si non fuerit institutus concursus. Ratio, quia nullius jus strictum violavit. — *b*) Secus dicendum, in casu concursus, ut communissime docetur contra nonnullos, quorum tamen sententiam ceu improbabilem damnare non audet *S. Alphonsus* (IV, 109; H. Ap., XIII, n. 37).

Ratio dubitandi est, quia officia publica et beneficia sunt instituta unice vel principaliter in bonum commune; ideoque non conferuntur sicut praemia concurrentibus ad luctationem promissa, quae principaliter ut praemia meritorum sunt instituta. — De his n. 2240 fusior sermo erit. Cfr. *Noldin,* II, 454.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE JURIS LAESI REPARATIONE SEU DE RESTITUTIONE.

923. — « Praesens materia restitutionis sedula consideratione indiget: tum quia scatet quaestionibus implicatissimis, tum quia confessarius aeque scrupulum sibi facere debet, si non obligat ad restitutionem poenitentes, qui restituere tenentur, ac si obliget qui non tenentur » (H. Ap., XIII, n. 35).

Disseremus: 1° de obligatione restituendi; — 2° de iis qui tenentur ad restitutionem; — 3° de mensura et ordine restitutionis; — 4° de iis quibus est restituendum; — 5° de circumstantiis restitutionis; — 6° de causis eximentibus a restitutione.

CAPUT I.

De obligatione restituendi.

S. Thomas, 2. 2, q. 62; *S. Alphonsus*, III, n. 582; ed. G., II, p. 73; *Lugo*, disp. 8, n. 17; *Lessius*, l. I, c. 7, dub. 4; *Carrière*, III, n. 1021; *Vermeersch*, o. c., n. 155; *Hohenlohe*, Gründe der Schadenersatzpflicht. — Quoad casus pract., praeter *Lehmkuhl*, *Génicot*, *Bucceroni*, vide *Ami du Cl.*, Tabl. génér., verbo *Restitution*, et *Linz. Quart. Schr.*, v. *Restitutionspflicht*.

Duo sunt, de quibus hic disputandum est: 1° de notione ac gravitate obligationis restituendi; — 2° de radicibus, ex quibus haec obligatio enascitur.

1. *De natura et gravitate obligationis restituendi.*

924. — DEFINITIO. Restitutio (rursus statuo) definitur: actus justitiae commutativae, quo rèparatur damnum proximo per injuriam illatum.

Differt ergo restitutio: 1° a *satisfactione;* etenim, satisfactio est offensae, quae sine *externo damno* illata fuit, compensatio; — 2° a *solutione;* nam solutio est pretii numeratio seu debiti expunctio, ad quam quis tenetur quin injuriam irrogaverit, v. gr. solutio pretii pro re empta.

Dicitur: *actus justitiae commutativae;* idcirco, quando de sola justitia legali vel distributiva agitur, restitutioni stricte dictae locus esse non potest. Quod si dicitur aliquoties (v. gr. n. 949, 3ª Cond., 3°) restituendum esse, intelligendum est de restitutione improprie dicta, quae est potius necessitas legi justae obediendi (*Vermeersch*, de Just., n. 158).

DIVISIO. Duplex distinguitur restitutio: 1° *Restitutio* in sensu strictiori, qua res aliena vel aequivalens redditur. — 2° *Compensatio*, qua reparatur damnum injuste illatum et lucrum cessans.

Si compensationi adjungatur satisfactio seu reparatio offensae, habetur id quod vocatur in Jure *plena satisfactio*.

Digitized by Google

925. — PRINCIPIA. I. **Restitutio facienda est, in re vel in voto, ex praecepto Juris naturalis et positivi.** *a*) *Juris naturalis:* dictat enim natura: *Prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter* (*Luc.*, 6, 31; *Matth.*, 7, 12). Jamvero quisque ex animo quaerit laesionis reparationem. — Insuper, jus naturae innuit spoliationem, quae restitutione non reparatur, revera prorogari (cfr. n. 726). — *b*) *Juris positivi:* dicitur enim *Exod.*, 22, 5: *Si laeserit quispiam agrum vel vineam ... pro damni aestimatione restituet;* et *Rom.*, 13, 7: *Reddite omnibus debita.* Unde *S. Augustinus* ait: « Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest » (Epist. 153, ad Maced., n. 20). Cfr. Reg. 4 in *Sexto.*

Diximus 1° *Restitutio facienda est ex praecepto,* id est restitutio non est facienda necessitate medii; nam eadem ratione necessaria est ac omissio furti, non aliter. Unde ab aeterna salute non excluditur qui bona fide, vel ob impotentiam, restitutionem omittit.

2° *Facienda est in re vel in voto;* etenim, qui restituere nequit, nunquam excusatur a restitutione *in voto,* i. e. debet semper firmum habere propositum restituendi, quando poterit; secus enim retineret affectum ad rem malam.

926. — II. **Praeceptum de restitutione facienda est affirmativum simul et negativum.** Est *affirmativum* secundum formam suam; est *negativum,* in quantum includit prohibitionem rem alterius detinendi. Ita *S. Thomas* (2. 2, q. 62; a. 8, ad 1).

Hinc: 1° Obligatio restituendi urget *semper* et *pro semper,* i. e. quolibet momento, usquedum restitutio facta fuerit. — 2° Restitutio, *quamprimum moraliter fieri potest,* facienda est; quia nullo tempore licet retinere rem alienam, sine domini consensu saltem praesumpto [1]. — 3° Qui rem non potest hic et nunc restituere, tenetur (pro sua conditione) saltem *curare,* ut quamprimum obligationi suae satisfaciat; quia obligatus ad finem etiam ad media obligatur. — 4° Qui *totum* restituere nequit, tenetur ad *partem,* si de re divisibili agatur (H. Ap., X, 118).

927. — III. **Praeceptum de facienda restitutione obligat graviter in materia gravi, et in materia levi leviter.** Ita omnes.

Hinc: 1° Qui proximo magnam pecuniae summam surripuit, vel grave damnum intulit, tenetur *sub gravi* restituere illam saltem partem, quae materiam gravem complet, quamvis haec in se foret levis. — 2° Qui leve damnum intulit, tenetur ad restitutionem *sub levi,* et cum incommodo rei proportionato. Facilius ergo poterit excusari a restitutione, praesertim ipsi domino facienda (III, 534 seqq.).

Haec regulariter; sed notetur (III, 706): *a*) In dubio, utrum res ablata et *in specie exsistens* sit materia gravis an levis, teneris sub gravi ipsam restituere, ne exponas dominum periculo grave damnum subeundi. — *b*) Si du-

[1] Ex hoc tamen non sequitur, peccata multiplicari *dilatione* restitutionis, si nempe mala voluntas moraliter non interrumpatur (vide dicta n. 328, Reg. 2).

Digitized by Google

bites, an *debeas* plus vel minus, ad minus teneris ; item, si dubites, an *damnum* quod intulisti sit leve aut grave, non teneris compensare nisi leve (vide n. 44, et 949, 4ª Cond.). — *c*) Imo fieri potest ut *levis* duntaxat vel *nulla* adsit restitutionis obligatio, quantumvis gravis in se fuerit materia. Cfr. infra dicenda n. 949, 950.

928. — Corollaria. 1° Qui impotens est ad restituendum in uno genere bonorum, *non tenetur restituere in altero inferiori;* v. gr. qui hominem occidit, vulneravit, aut infamavit, non tenetur pecuniam dare, etsi nequeat aliter damnum compensare. Ratio est, ait *S. Alphonsus* (III, 627), « quia justitia commutativa obligat ad restituendum juxta *aequalitatem* damni illati; ubi autem restitutio facienda sit in genere diverso, nulla adest aequalitas, nec ulla erit unquam compensatio damni; per quamcumque enim pecuniam damnum minime reparabitur, neque in toto, neque in parte ».

Attamen, sententia opposita (quae est *D. Thomae,* 2. 2, q. 62, a. 2, ad 1) est etiam probabilis. — Doctrinam S. Alphonsi applica ad eos casus ubi adest damnificatio *in bonis spiritualibus:* haec enim, quoad se, pecunia compensari nequeunt. Ceterum saepe in eodem ordine reparari potest injuria, v. gr. reducendo scandalizatum in viam bonam, corrigendo errores. *Noldin,* II, n. 464; *Ami du Cl.,* 1911, p. 409.

2° *Judex* vel *Superior* potest, pro injuria circa unum bonum, imponere, ut ratione poenae aliquid praestetur *ex bonis alterius ordinis,* et huic sententiae est parendum.

Laesus insuper, cum jus habeat apud judicem denuntiandi illum, a quo injuriam accepit, potest ab isto pecuniam accipere, ut denuntiationem omittat. Sic, v. gr., mulier violenter oppressa, cum violatorem ad judicem compellere valeat, potest, ut suo juri renuntiet, pecuniam a nebulone exigere (III, 556; cfr. Jus germ., § 847). Vide aliud exemplum, n. 879, 3°, nota *a*.

3° *Confessarii* denique possunt imponere poenitenti pro poenitentia, vel ex aequitate, aliquid laeso elargiri.

929. — REGULAE PRACTICAE. I. Absolutione *indigni* sunt (semper praesupposita materia gravi): 1° Nolentes restituere, dum id facere possunt. — 2° Restituere non valentes, sed restituendi facultatem sibi comparare negligentes. — 3° Committentes haeredi restitutionem, quam ipsi per se facere possunt. — 4° Ex integro restituere valentes, et partem tantum restituentes. Vide tamen mox dicenda sub III. — Atque hic notandum est, *absolutionem procrastinandam esse* illi, cui restitutio moraliter possibilis est, donec restitutionis obligationi satisfecerit: « Bona enim sunt quidam sanguis, qui a venis non eruitur, nisi cum magna vi et dolore. Unde, si restitutio non fit ante absolutionem, cum difficultate maxima fiet postea, ut experientia admodum docemur. — Potest excipi tantum aliquis poenitens, qui ita meticulosae conscientiae esset, ut de eo nullus dubitandi locus superesset » (III, 681, 682; Praxis Conf., n. 43).

II. Cum pluribus, praesertim cum MORIBUNDIS, caute agendum est: 1° Si poenitens videatur in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione

Digitized by Google

prudenter admonendi, vel si admonitio non profutura praevideatur, omittenda est. — 2° Si vero monitio profutura speretur, aut si poenitens versetur in mala fide, seu in ignorantia vincibili, fortiter simul et suaviter admonendus est de sua obligatione, et ad illam statim peragendam adjuvandus. — 3° Si obligatio occulta sit nec statim fieri queat, erit inducendus aeger ad summam pecuniae ipsi confessario, seu potius viro fideli committendam, ut postea creditori secreto remittatur; vel, si prudenter fieri possit, ad eam summam in testamento eidem creditori relinquendam, omissa restitutionis mentione. — 4° Si obligatio non sit occulta, nec statim adimpleri possit, efficiat confessarius, ut adimpleatur sive per haeredes, sive per schedulam creditori tradendam, etc.

III. Ad ipsam restituendam QUANTITATEM quod attinet, caute similiter in hoc agendum est; nam, in damnificantibus, maxime in cooperantibus, reperitur frequenter *bona fides*. — Hinc, si monitio de *restitutione*, vel de ejus *quantitate*, minime vel dubie profutura videatur, relinquendus est debitor propriae suae conscientiae. — Quod si res ipsa dubia sit, et possessio poenitenti faveat, pro ipso in praxi positive pronuntiandum est (cfr. n. 927, not.).

2. *De radicibus restitutionis.*

930. — RADIX RESTITUTIONIS est causa, propter quam restitutio facienda est.

1° Radix restitutionis REMOTA et *generalis* est omnis realis laesio justitiae commutativae, ita ut proximus minus habeat quam jure stricto habere debet; unde per redditionem rei reducenda est aequalitas (*Viva*, de Restit., init.).

2° Radix restitutionis PROXIMA et *specialis* duplex distinguitur: *a*) RES ACCEPTA, seu *retentio rei alienae*. Huic radici adnectitur obligatio restituendi vel solvendi *ex contractu*. — *b*) INJUSTA ACCEPTIO, vel *injusta damnificatio*, etsi res aliena non retineatur (III, 548; cfr. *S. Thom.*, 2. 2, q. 62, a. 6).

Ad primam radicem dignoscendam, attenditur solum ad hoc, quod *res aliena* in actuali possessione talis vel talis hominis sit; quoad secundam radicem, attenditur ad *voluntatem*, ad *actiones* damnificatoris, in quantum contra legitimum possessorem diriguntur, sub motione sive concupiscentiae (ut in furto) sive odii (ut in damnificatione). — Ex prima ergo radice, quantitas restituenda definitur quantitate *rei alienae*, quam in propria specie vel in aequivalenti retineas; ex secunda, ex quantitate *damni* quod voluntarie intuleris (*Vermeersch*, o. c., n. 160).

931. — PRINCIPIA. I. **Ex re accepta oritur obligatio restituendi, si res aliena reperitur apud aliquem sine justo titulo, quamvis sine culpa ad eum pervenerit.** Ratio est, quia res semper domino suo clamat, et remanet inaequalitas, donec res ad suum dominum redierit; retinens enim plus habet quam suum est, et alius minus. Nemo jus suum amittit, nisi ob consensum voluntarium, vel ob propriam injustitiae culpam, vel ob dispositionem Juris, vel ob casum fortuitum; ideoque

Digitized by Google

solus dominus per se gaudet jure rem possidendi, eaque fruendi. — Hinc axiomata Juris: *Res clamat domino; — Res fructificat domino; — Res naturaliter perit domino; — Nemo ex re aliena locupletari potest* (*Salmant.*, tr. 13, c. 1, n. 6).

Nota. 1° Obligatio solvendi debitum EX CONTRACTU vel QUASI-CONTRACTU reducitur ad hanc primam radicem: quatenus non facta solutio est *injusta retentio illius quod alteri debetur*, quamvis debitum non provenerit ex culpa. — 2° Quod si in ineundo vel exsequendo contractu intervenerit dolus, fraus, violentia, vel in implendo officio negligentia, exsurgit, in his casibus, etiam *secunda radix*, de qua est statim dicendum.

932. — II. Ex injusta acceptione oritur obligatio restituendi, si quis scienter atque injuste, v. gr. furto, fraude, usura, etc. rem alienam occupaverit. Eadem etiam obligatio oritur EX INJUSTA DAMNIFICATIONE; nam, qui alium damnificat, etsi sine proprio suo emolumento, aufert ei, et fictione juris occupat aliquid, nempe idipsum in quo eum damnificat. — Unde, cum utroque modo inaequalitas culpabiliter ponatur, haec per actum justitiae, i. e. per restitutionem, ita resarcienda est, ut totum praevisum damnum reparetur.

933. — *Ex his colliges:* 1° Onus restituendi ex *una* tantum, vel ex *utraque* radice, enasci potest. Sic, v. gr., fur, qui rem alienam accepit ac retinet, ex utroque capite restituere tenetur. Si rem consumpserit, nec factus sit ditior, obligatur tantum ex injusta acceptione.

2° Inter ambas radices multiplex intercedit *discrimen: a*) Prima potest exsurgere sine actione laesiva; non autem secunda, quae exsurgit semper ex delicto, ut satis patet. — *b*) Illa interire potest, quin de facto restituatur, v. gr. si res casu pereat, quia perit domino; non item altera. — *c*) Obligatus tantum ex re accepta debet restituere quantum detinet: id tamen sine proprio detrimento, quia non admisit culpam. Obligatus autem ex injusta acceptione, seu ex delicto, debet tantum restituere quantum damnificavit; ita nempe ut non seipsum, sed alterum indemnem reddat (*Viva*, l. c.; cfr. *Lugo*, disp. 8, sect. 2, n. 25).

3° Onus restituendi ex justitia commutativa non exsistit nisi una saltem adsit ex his radicibus. Sententia igitur judicis tunc *tantum* inducit obligationem justitiae commutativae, quando ipsi accedit radix restitutionis; secus obligat ex *sola* justitia legali. Sic, v. gr., rescisso per judicis sententiam testamento informi, haereditas non transit in proprietatem haeredis testamentarii, qui, si eam detineat, restituere tenetur ex re accepta. E contra, famulus, damnatus ad resarciendum damnum *ex culpa mere juridica* illatum, id praestare tenetur ex *obedientia* tantum, vi justitiae legalis; quia nec rem alienam detinet, nec damnificationis formaliter injustae est auctor (cfr. n. 949, 3ª cond.). — Sententia vero judicis, quae jus auctoris, thesauri inventoris, etc., tuetur, ex justitia commutativa obligat, cum lex ipsa talia jura constituat.

Digitized by Google

CAPUT II.

De iis qui tenentur ad restitutionem.

S. Alphonsus, III, n. 542-552; ed. G., II, p. 52; *Soto*, l. IV, c. 7, a. 3; *Reuter*, P. III, tr. III, c. 2; *Lehmkuhl*, I, n. 1127 seqq.; *Noldin*, II, n. 437; *Aertnys*, tr. VII, n. 307; *Genicot*, I, 511; *Loenartz*, Restitutionspflicht des Besitzers fremden Gutes; *Carriere*, n. 10355 seqq.; *Ciolli*, Dir. prat. du j. conf., II § 30.

934. — Ad restitutionem tenentur: 1° injustus rei alienae possessor; — 2° damnificator injustus: — 3° injustus cooperator.

ARTICULUS I.

De injusto rei alienae possessore.

Injuste res aliena possideri potest triplici modo: 1° cum *bona fide:* in quo caso exsurgit obligatio restituendi ex prima radice tantum, i. e. ex re accepta; — 2° cum *mala fide:* et in hoc casu exsurgit secunda radix, injusta nempe acceptio; — 3° cum *fide dubia,* ex qua nasci potest, pro variis dubii conditionibus, prima vel secunda radix.

§ 1. De possessore bonae fidei.

Definitio. Possessor bonae fidei est ille, qui invincibiliter ignorat rem a se possessam esse alienam. Ut patet, talis non laedit jus proximi nisi per injustitiam mere materialem (I, 34).

In Jure civili, dicitur *possessor bonae fidei* ille, qui possidet tamquam proprietarius, ex titulo proprietatis translativo, cujus vitia ignorat [1].

935. — Principia. I. **Possessor bonae fidei non debet ex re aliena ditescere.** Excipitur, si res jam fuerit praescripta; quo in casu, non ditescit ex re aliena, sed ex re quae, vi legum, facta est sua (III, 556, 607).

II. **Possessor bonae fidei debet, per se, servari indemnis:** id est, sicut ex re aliena nihil potest acquirere, ita nihil debet perdere; quia non est in culpa.

Diximus *per se,* quia, in casu conflictus inter possessorem et dominum, dominus rei exstantis est potior jure; leges autem, ob bonum commune, quandoque domino rei, quandoque possessori favent.

Ex his principiis effluunt possessoris bonae fidei tum obligationes tum jura, sive quoad *rem* ipsam, sive quoad *fructus* et *expensas.*

[1] Cod. gall., 550; ital., 701; hisp., 433; germ., 932.

Digitized by Google

936. — *A.* Jura et obligationes quoad rem ipsam. 1° Si rem *adhuc habeat*, v. gr., equum, pecuniam, etc., tenetur eam, detecto errore, in toto vel in parte exstantem domino restituere. Res enim clamat domino. Ita ex Jure naturali et romano.

Ex Jure GALLICO, ITALICO, AUSTRIACO, HISPANICO, qui rem in foro publico, vel de mercatore talia vendente mercatus est, is non tenetur eam domino reddere, nisi refuso sibi pretio, quod rei dominus dein vicissim a venditore repetere potest [1].

Ex Jure ANGLICO, si res empta fuerit in nundinis (*market overt*), excepto casu evictionis per judicis sententiam, dominium pariter transfertur in emptorem bonae fidei [2]. Et cum hoc ad commercii securitatem statutum sit, res potest retineri tuta conscientia.

Ex Jure GERMANICO, qui bona fide rem alienam (non furtivam nec amissam) a persona non suspecta acquisivit, fit eo ipso rei dominus et potest eam retinere. — Imo, quamvis postea constet eam esse furtivam vel amissam, potest eam retinere si eam acquisivit in licitatione, vel si agitur de pecunia, vel de titulis *(titres au porteur)*. In omni casu fit sua post decem annos [3].

2° Si possessor rem *non amplius habeat*, in re vel in aequivalenti, ad nihil tenetur; quia res naturaliter perit domino; nisi factus sit ditior [4]: quo in casu debet id, in quo ditior factus est, domino restituere. — Porro, *ditior factus* dicitur, qui vel rei suae pepercit, dum uteretur aliena, vel habet aliquid, quod alioquin non habuisset. — *In dubio* an ditior factus sit, ad nihil tenetur; quia in dubio nemo debet re sua privari (III, 706) Cfr. supra n. 45.

Hinc: a) Si bona fide rem furto ablatam *emeris* et *vendideris sine lucro*, nihil teneris restituere; sed solus ille, apud quem res est. Quod si lucrum perceperis, debes hoc, nisi sit fructus industriae tuae, domino repetenti refundere. — *b*) Si *vendideris* rem alienam *dono tibi datam*, debes totum pretium, quo ditior factus es, reddere; domino quidem, si is jus suum aliter recuperare nequeat; emptori autem, si ipsa res jam fuerit domino restituta. — *c*) Si rem *donasti* vel consumpsisti, *rebus tuis parcendo*, teneris restituere quantum pepercisti. — *d*) Si rem donasti vel consumpsisti, *unice quia eam habebas*, aequivalentem non donaturus, nec consumpturus, ad nihil teneris (III, 601, 609).

Nota. Facta *donatione rei alienae*, donator, detecto errore, tenetur *ex caritate* monere aut donatarium, ut rem domino reddat, aut ipsum dominum, ut iste rem suam recuperare possit. — Imo et *ratione justitiae* ad idem teneri videtur, ex obligatione nempe, quam incurrit auctor etiam mere materialis injustitiae (III, 564).

3° Si possessor rem vendiderit, et *illa in manibus emptoris perierit: a*) ad nihil tenetur, si rem habuerit *ex titulo oneroso:* obligatio enim restituendi neque ratione rei (quam jam non habet), neque ratione

[1] Cod. gall., 2280; ital., 709; austr., 367; hisp., 464. — [2] *Crolly*, de Restit., n. 512. — [3] Cod. germ., 929-935; 1000. — [4] Ita etiam Cod. gall., 1302 seqq.; hisp., 1897.

Digitized by Google

damni (cujus non est causa) exsurgit; — *b*) ad restituendum praetium venditionis obligatur, si rem obtinuerit *ex titulo gratuito:* in hoc enim factus est ditior. Restitutio autem ad libitum vel emptori vel domino fieri potest: cum utriusque jura aeque fundata appareant.

Excipe: 1° si res apud dominum aeque periisset, v. gr. ex vetustate; — 2° si culpa emptoris pereat; — 3° si jus aliter disponat (III, 607-609).

Nota. Non desunt auctores qui dicunt, etiam casu quo possessor rem quae periit *ex titulo gratuito* acceperit, eum ad nihil teneri. Vide *Noldin,* II, n. 439, 2.

937. — *B.* **Jura et obligationes quoad fructus.** 1° Nemo tenetur restituere fructus *industriales;* quia non sunt fructus rei, sed hominis, qui eos, occasione rei, vel per rem, lucratus est. Unde, qui ex aliena pecunia negotiando, divitias sibi comparavit, nihil ex his domino pecuniae largiri tenetur (III, 610 et 825).

2° Ad fructus *naturales* et *civiles* quod attinet: *a)* Ex Jure *naturali,* possessor bonae fidei debet restituere omnes fructus certos, v. gr. locationis, sive exstantes, sive etiam consumptos, in quantum ex eis factus est ditior; expensis tamen et laboribus deductis. — Et idem dicendum de fructibus *mixtis,* in quantum non sunt industriales (III, l. c.). — *b*) Ex Jure autem *positivo,* certe non tenetur restituere fructus praescriptos et probabiliter etiam jam perceptos.

Jus GALLICUM, HISPANICUM, AUSTRIACUM, ITALICUM et GERMANICUM transmovent ad possessorem bonae fidei *omnes fructus,* durante ejus pacifica possessione perceptos[1] (exceptis, in GERMANIA, fructibus e re titulo donationis vel haereditatis accepta perceptis); quae juris dispositio probabilius valet etiam in foro conscientiae, cum bono publico faveat, amovendo innumeras difficultates ac querelas, quae jugiter circa restituendos fructus moveri possent. Ita Gousset, Gury, Del Vecchio, Porpora, et alii non pauci.

938. — *C.* **Jura et obligationes quoad expensas.** Ex Jure naturali: 1° Licet possessori bonae fidei, restituenti rem alienam, deducere expensas *necessarias,* imo *utiles,* quas ad rei *conservationem,* vel *augmentum,* fecit. Secus enim dominus plus quam suum est reciperet. — 2° Nihil autem repetere vel retinere potest pro expensis mere *voluptuariis,* quas scilicet in rei *ornamentum* insumpsit, v. gr. pro picturis, viridariis; quia aequum non est, dominum sumptus in res sibi inutiles factos tolerare. — Ipsa ornamenta possessor auferre potest, dummodo id faciat absque rei detrimento.

[1] Cod. gall., 549; ital., 703; austr. 330; hisp., 451; germ., 987-989, 2020 (vide *Lehmkuhl,* Bürgerl. Gesetzbuch, § 953). — Imo, ex Jure hisp., dividendi sunt fructus *pendentes* pro rata temporis possessionis inter possessorem et dominum, qui insuper expensas pro cultura factas possessori refundere debet, nisi omnes fructus pendentes illi cedere maluerit. — In Jure austr., non solum omnes fructus naturales percepti, sed etiam fructus civiles jam debiti pro tempore possessionis et jam percepti, possessori bonae fidei attribuuntur.

Digitized by Google

LEGES MODERNAE Jus naturale propemodum confirmant [1]. — Movent tamen, in aestimandis factis, plures difficultates; neque ante judicis sententiam cogunt rei dominum ad refundendas impensas dubie utiles, aut dubie necessarias.

939. — Quaesita. QUAER. 1° *An qui rem furtivam bona fide emit, possit* EAM FURI REDDERE, *ad pretium suum recuperandum?*

Resp. 1° *Neg.*, si compareat dominus *rem suam repetens*. Tunc enim debet eam ipsi reddere, etiam cum pretii sui jactura; quia de Jure naturali dominus rem suam occupare potest, in quocumque loco eam reperiat; actio tamen emptori datur in furem. — Sed vide n. 936, 1° quoad leges civiles.

2° Si dominus rem suam *non repetat*, valde probabiliter, et forte probabilius, potest emptor (cui nulla alia via suppetit ad se servandum indemnem) rem furi remittere, ut pecuniam recuperet: tum quia nullus tenetur rem domino servare cum proprio damno aequali; tum quia unusquisque habet jus ad sua bona recuperanda; « et nemini interdicitur actio, quae per se est necessaria et directa ad suum damnum reparandum, licet inde indirecte et per accidens damnum alteri obveniat » (III, 569).

QUAER. 2° *Quid demum agendum, si scias quidem rem a te possessam esse alienam, sed* NESCIAS DOMINUM?

Resp. De hoc statuendum est, sicut de re inventa (cfr. n. 886). Si ergo dominus reperiri nequeat, potes retinere pecuniam. « Et idem dicendum est de paupere, cui fur dedit furtum, cum dominus inventus non sit. Nam si spes non erat illum inveniendi, jam in pauperem dominium translatum est, ita ut non teneatur rem domino reddere, licet hic postea compareat » (H. Ap., X, 69, fin.).

Nota. Si possessor bonae fidei sit *in mora culpabili* restituendi, incipit esse *malae fidei:* ideoque tenetur ad compensandum damnum ex mora proveniens, ut patebit ex dicendis. — Cum autem restituere debeat in loco ubi dominus commoretur, poterit, si dominus absens est, restitutionem differre.

§ 2. DE POSSESSORE MALAE FIDEI.

DEFINITIO. Possessor malae fidei est ille, qui rem accipit vel retinet, sciens sibi nullum justum titulum esse, ad illam accipiendam vel retinendam. Laedit jus alterius per injuriam formalem.

940. — PRINCIPIA. I. Possessor malae fidei, ex titulo rei acceptae, numquam potest ex re aliena ditescere. Ratio est evidens.

II. **Possessor malae fidei, ex titulo injustae damnificationis, debet rei dominum reddere indemnem**; aliis verbis, tenetur ad compensandum lucrum cessans et damnum emergens, saltem in confuso praevisum. Ratio etiam patet.

Hoc tamen intelligitur si dominus plenum *jus in re* habeat; nam si possideat tantum *jus ad rem*, compensatio perpendi debet *pro valore spei* quam dominus habebat rem efficiendi suam.

941. — Ex his principiis sequentes effluunt obligationes:

A. **Obligationes quoad rem ipsam.** 1° *Si res adhuc exsistit,* haec debet in individuo restitui. — Si tamen res, apud dominum non fu-

[1] Cod. gall., 1381; ital., 707; austr., 331; hisp., 453, 454; germ., 102.

Digitized by Google

tura deterior, in deteriorem statum apud furem devenit, iste tenetur, pro domini optione, vel eam restituere, addito facti detrimenti valore, vel restituere in integro ejus pretium (III, 620).

Diximus: *debet in individuo restitui*, et quidem etiamsi res ablata interea pretio creverit, et nonobstante quod dominus eam ante ejus incrementum consumpturus fuisset: res enim, quamdiu exsistit, fructificat domino.

Nota. Si res furtiva pretio primum crevit, postea decrevit, majus pretium restitui debet. Ratio: res fructificat domino, et fur ob moram culpabilem causa est damni quod patitur dominus, eo quod dominus re sua, dum pluris valebat, uti nequivit (H. Ap., X, 78).

2° *Si res periit* (etiamsi casu fortuito), in aequivalenti debet restitui. Ratio: praesumitur non futurum fuisse, ut res apud dominum periret. — Praeterea, fur propter subductionem omne damnum in se suscepit.

A fortiori, in aequivalenti restitui debet, si ob *solam furis vel alterius culpam* res periit, v. gr. si equus ideo occisus est, quia a fure ex loco tuto abductus fuit. — Obligatio restitutionis non ex eo cessat, quod post rei destructionem advenerit periculum commune in quo res certe periisset; quia obligatio jam est contracta.

Nota. a) Si tamen res periit sine furis culpa, et alias apud dominum certe periret, ad nihil fur tenetur: adest enim *sola injuria* sine damno.

b) Si fur, eodem tempore quo imminentem ruinam praevideret, rem consumeret, probabiliter ad nihil teneretur.

c) Si, elapso periculo communi, res in alio communi periculo periit, fur *practice* ad nihil aliud tenetur quam ad *solos rei fructus* restituendos, quos dominus ex re percepturus fuisset (H. Ap., X, n. 79). Ratio: mora culpabilis in restituendo dominum a perceptione impedivit.

d) Plures Codices moderni obligant furem ad restituendum pretium, *quocumque modo* res perierit vel deperdita fuerit (Cod. gall., 1302, ital., 1298; hisp., 457). Hoc tamen conscientiam nonnisi post sententiam judicis ligat.

B. **Obligationes quoad fructus.** Possessor malae fidei tenetur restituere fructus omnes, tum eos quos ipse utiliter percepit, tum eos quos consumpsit, quin inde factus sit ditior; et insuper omnes fructus, quos ex re sua dominus percepturus esset.

Sic fur tenetur furtivam pecuniam cum fenore restituere, si constet vel conjiciatur non futurum fuisse, ut pecunia penes dominum otiosa remaneret. Quod pro hodierna hominum consuetudine certissime conjiciendum est, si de magna pecuniae summa agatur, et maxime quia Jus civile etiam pro summulis ad solvendum fenus adstringit. H. Ap., X, 74 [1].

Nota. 1° Ne vero in computandis infaustis consectariis exorbitemus, notare juvat mala, quae alicui inferuntur, non ad inanes possibilitates extendenda, sed ita dimetienda esse, prout ex communi hominum aestimatione taxari solent. Sic, v. gr., ridiculum foret, illi qui alterius gallinam occidit,

[1] Cod. gall., 1378; austr., 1333; hisp., 455, 1896; germ., 249, 987.

Digitized by Google

calculum proponere, quot pulli ex hac gallina successu temporis nasci potuissent. — Ratio item habenda est *accidentium,* in quibus res perire possunt; item illarum *expensarum,* quae reparationis causa faciendae fuissent, etc.

2° Ad fructus *industriales* quod attinet, hi semper retineri possunt. Si quis ergo arbusculas furatus, easdem plantaverit, non arborum quae creverunt, sed arbuscularum pretium restituere debet; quod pretium utique majus sit oportet. Jus romanum dicit pretium duplex esse solvendum (*Lehmkuhl,* Cas. cons., n. 654).

C. **Jura quoad expensas.** Possessor malae fidei potest deducere, praeter fructus industriales, *expensas* tum necessarias tum utiles; imo et mere voluptuarias, ubi, intacta substantia, separari possunt [1]. — Ratio, quia ad plus non tenetur, quam ut dominum servet indemnem; atqui nisi expensas deducere queat, dominus lucrum faceret, plus accipiendo quam suum est. Excipe casum, quo in poenam delicti ad omnes expensas, saltem non necessarias, amittendas condemnaretur (III, n. 618).

942. — Quaesita. QUAER. 1° *Quid, si res aliena per manus* PLURIUM *malae fidei possessorum transierit, ex donatione vel venditione?*

Resp. 1° *Quoad rem,* restituenda est ab ultimo possessore. Hoc deficiente, tenetur raptor pro pretio rei. Quod si neuter satisfaciat, ceteri per aequas portiones debent rei pretium solvere. Tandem, ceteris deficientibus, quisque ad totum tenetur. — 2° *Quoad rei fructus et damna,* singuli ad compensationem tenentur pro parte temporis, quo rem detinuerunt. — Si reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non restituant, totius damni reparatio unicuique incumbit, pro rata temporis elapsi a die, quo successive facti sunt rei alienae injusti possessores.

QUAER. 2° *An ille qui scienter rem alienam emit* A FURE, *possit eam ipsi* REDDERE, *ad pretium recuperandum?*

Resp. Communius negant DD., testante *S. Alphonso.* At vero sententiam affirmativam, ceu absolute probabilem et forsan probabiliorem tenet ipse S. Doctor. « Ratio, quia, licet iste peccaverit rem mala fide emendo, tamen post emptionem habet jus, aeque ac emptor bonae fidei, ad contractum rescindendum », nec fit damni domino illati reus; quia reddendo rem furi non collocat eam in pejori, quam ipse invenerat, statu : a quo ceteroquin non tenebatur ex justitia eam retrahere (III, 570). — Secus tamen, si propter diuturniorem detentionem, res non possent amplius a domino recuperari.

943. — *Ex his resolves:* 1° Qui frumentum alienum alio deportatum carius vendidit quam dominus id fuisset venditurus, non tenetur illud pretii augmentum restituere. — Quod si idem frumentum in agro suo seminaverit,

[1] Item ex Cod. gall., 1381; germ., 850, 994; austr., 326, 1035-1040.

Digitized by Google

tenetur solum ad simile frumentum reddendum, ita ut dominus indemnis servetur. Item, si quis aliena ova supponat gallinae suae incubanda, ad ovorum valorem tantum restituendum tenetur (III, 609, 8°).

2° Si quis accipit rem alienam cum rebus furis commixtam (v. gr. frumentum alienum cum frumento furis), accipiens, licet mala fide, non tenetur ad restitutionem, si fur restituendo par est; quia acceptum jam proprium furis erat, ut diximus n. 888, 4°. — Si vero fur propterea non esset par restituendo, accipiens tenetur restituere; quia per illam acceptionem efficaciter influit in alienationem rei, cum creditoris detrimento (III, 612).

3° Qui se *finxit pauperem* ad extorquendam eleemosynam notabilem, tenetur hanc domino aliisve pauperibus restituere. Secus, si modica fuisset eleemosyna, aut si vere pauper probum se finxerit (III, 622).

4° Qui ob simulatam paupertatem pensiones obtinent destinatas pauperibus adolescentibus, qui *ad sacerdotium aspirant,* tenentur ad restitutionem; quia benefactorum voluntatem fraudant, cum commode propriis expensis studiorum curriculum conficere possint. — Et idem dicendum de iis, qui pauperes quidem sunt, sed ob alium finem studiis vacant; non vero de iis, qui clericandi animum initio non excludentes, postea re maturius perpensa, cognoverunt se ad tale vitae institutum non esse vocatos; hi enim satis in bona fide sunt; et ipsi benefactores nolunt aliquem non vocatum obrepere ad sacerdotium (*Konings,* n. 703, 7°).

§ 3. De possessore dubiae fidei.

944. — Notio. Possessor dubiae fidei est ille, qui *positive* (ob rationes probabiles) dubitat, utrum res, quam accipit aut possidet, sit sua an aliena (I, n. 37).

Principia. I. **Omnis possessor dubiae fidei tenetur serio inquirere, ut ita suum dubium deponat.** Ratio est, quia, si dubium hujusmodi contemnit, exponit se periculo rem alienam retinendi ac frustrandi alium saltem spe dominii.

Secus, si rationes tenues sunt; quia istae infirmare non possunt certitudinem moralem, quam ipsa possessio gignit (cfr. n. 44).

II. **Dum fit inquisitio, possessor dubiae fidei non potest re abuti tanquam proprietarius; nec potest eam alienare, nisi novum possessorem de exsistente dubio praemonuerit.** Potest autem eam accipere, non animo retinendi, ut patet, sed animo restituendi domino, si hic post diligentem inquisitionem compareat (*Bouvier,* de Jure, P. II, c. 2, a. 1, § 3).

Quia vero dubium oriri potest, *incipiente* ipsa possessione, vel possessione *jam incepta,* duo quoad ipsam restitutionem discutienda veniunt.

Digitized by Google

1. *De dubio incipiente cum ipsa possessione.*

945. — 1° Qui in dubio incepit possidere, *deturbando* alium a sua possessione, v. gr. auferendo a possessore rem litigiosam, tenetur ei *rem totam* restituere, nisi constet eum cum mala fide incepisse possessionem. In dubio enim melior est conditio possidentis (*Lugo*, disp. 17, n. 80).

2° Qui rem accepit *cum titulo de se legitimo*, v. gr. donationis, emptionis, sed cum dubio utrum sit aliena et bona fide ab antecessore possessa, si *post inquisitionem anceps remaneat*, tenetur restituere, *pro rata dubii*, domino probabili, si cognitus sit; vel pauperibus, si dominus ignoretur.

Ratio est quia, ex una parte, illi non favet possessio incepta cum dubia fide, et ideo nequit rem sibi totam retinere; ex altera vero, aequum non videtur eum obligari ad totum restituendum, cum dubium sit, an res sit aliena (III, 625). — Jura civilia et consensus omnium hic nequeunt invocari, ut tali possessori possessio facti evadat utilis: ab initio enim defuit bona fides positiva.

3° Si *nemo litigantium* rem ipsam de facto possideat, et dubium *aequale* sit, res, vel ejus pretium, *aequaliter* inter illos dividenda est. — Si vero dubium sit inaequale, dividenda videtur juxta dubii proportionem (*Lacroix*, l. 3, P. 2, n. 566).

Adverte: 1° Qui rem vel jus, v. gr. haereditatem, accepit a possessore bonae fidei, et cum dubio possidere incepit, potest antecessoris jure se tueri, seque gerere quasi esset possessor bonae fidei, cui supervenit dubium. — 2° Qui negative dubitat, utrum suus antecessor fuerit in bona fide, uti potest axiomate: « Nemo praesumitur malus, nisi probetur ». — Secus, si eum reperit in mala fide, et dubitet an cum tali animi dispositione suam possessionem inceperit; quia « semel malus semper praesumitur esse malus » juxta 8^am^ Regulam Juris in Sexto (I, 36, 37). Recole dicta n. 895.

2. *De dubio incipiente post possessionem.*

946. — 1° Possessor bonae fidei, cui suboritur dubium circa rem possessam ex motivo probabili (nam leve est contemnendum), si, debita adhibita diligentia, *dignoscat rem esse alienam*, tenetur eam restituere, simulque id in quo factus est ditior, tanquam possessor bonae fidei.

2° Si dubium *perseveret hinc inde aequale*, vel si possessor habeat pro se opinionem probabilem, et contra se *probabiliorem;* vel pro se meram possessionem, et contra se opinionem *unice probabilem:* potest adhuc rem sibi retinere, donec non constiterit moraliter (i. e. per probationem superantem praesumptionem possessionis) rem esse alienam. — Ratio est, quia statim ac ipsa possessio est certa et legitima, illa, quamvis sola, parit per se de justitia possessionis praesumptionem

Digitized by Google

certam, quae praeponderat omnibus rationibus non convincentibus, nec cedit nisi veritati (I, 35, 36). Cfr. dicta n. 45.

3° Possessor rei alienae, qui, exorto dubio, culpabiliter *neglexerit inquirere*, tenetur, si postea non possit amplius praesumptus verus rei dominus inveniri, aliquid restituere, vel domino (praesumpto), vel pauperibus, si dominus sit incertus. Ratio est, « quia cum ipse culpabiliter dominum privarit spe, quam dominus ad rem habere poterat, et illa spes erat quidem pretio aestimabilis, jam damnum certum est illatum domino, qui spem illam etiam certe possidebat ». Ita sententia *verior*, quam tuetur *S. Alphonsus* (I, 37) contra Tamburini (cfr. *Lehmkuhl*, I, 1144).

Non est tamen facienda restitutio *pro rata dubii*, sed minus et forte valde minus; quia rei detentor est in conditione meliori, propter jus possessionis quod ipsi favebat et adhuc favet; possessio enim rei multo quidem majoris aestimatur, quam possessio spei.

Nota. In uno casu sententia Tamburinii forse sustineri posset: si nempe possessor rei alienae tantum modo indeterminato dubitat, num res sit aliena. Cfr. *Génicot*, I, 534, v. fin.

947. — De dubia solutione. *Ad quid teneatur debitor, si serio dubitet* DE PERACTA SOLUTIONE?

Resp. Tres sunt sententiae. *Prima* sententia dicit talem debitorem jam *non teneri ad solutionem*, modo ipse non culpabiliter incertitudinem causarit. Ita ex recentioribus *Waffelaert, Génicot, Noldin*. Ratio eorum est, quia, ex una parte, debitum hic et nunc est incertum, ex altera vero, nemo spoliandus est re sua, nisi constet de debito. — *Secunda* sententia censet, omnia *pro rata dubii* esse componenda. Eam tuentur *Marres, Ballerini, Lehmkuhl*. Rationem hujus opinionis sic exponit *Lehmkuhl* (I, 1147): valor illius debiti in neutrius (neque creditoris neque debitoris) pacifica possessione est, sed est res, de cujus possessione et proprietate contenditur inter utrumque; unde pro rata dubii est inter litigantes dividenda. — *Tertia* demum sententia (quae est *S. Alphonsi*, I, 34; H. Ap., I, 20) affirmat debitorem, qui vere dubitat utrum solverit, *debere totum solvere*. Cfr. etiam, III, 700; H. Ap., X, 120. Hanc sententiam docent *Lugo, Suarez, Vasquez, Sanchez* et alii. Ratio: creditor, qui est in possessione sui crediti, certum jus habet ad *totum* recuperandum. Si debitor, qui de solutione dubitat, solvere recusat, semper se exponit periculo laedendi jus certum et antiquius creditoris; quod fieri nequit, ut diximus n. 84. In dubiis enim *facti periculosi*, tutius est sequendum, licet nostra libertas quodam modo coarctetur.

Diximus: 1° *Qui vere dubitat.* Debitor enim non teneretur ad solvendum, si, ex ordinarie vel de jure contingentibus, credat cum morali certitudine solutionem esse factam. Praesumptio practice hic multum proderit.

Digitized by Google

2° *Debet totum solvere,* casu nempe quo ipse solus dubitaret. Si autem et ipse *creditor* de suo jure dubitaret, debitor teneretur ad partem tantum, pro rata dubii; quia possessio ex utraque parte est infirma. « Subdit tamen *Laymann,* quod non auderet condemnare creditorem, si totum reciperet » (I, 34).

Nota. Ratio, a S. Doctore adducta, dirigitur contra duas contrarias sententias, quae idcirco a nobis rejiciuntur. Prima sententia praesertim non apparet tuta. Recte dicit *Lehmkuhl* (l. c.): « Sunt aliqui qui in casu dubiae solutionis ab omni ulteriore obligatione dispensant; — quod solida ratione sustineri nequit ».

ARTICULUS II.

De injusto damnificatore.

Agendum 1° de damnificatore injusto in genere; — 2° de variis damnificatoribus in specie.

§ 1. De damnificatore injusto in genere.

948. — Damnificator injustus dicitur qui jus alienum laedit, seu proximo in bonis nocet, quin inde per se seu directe ditior evadat.

Principia. I. **Injustus damnificator tenetur restituere pretium aequivalens, tum rei damnificatae, tum aliorum damnorum, quae ex sua actione provenerunt et saltem in confuso ab ipso praevisa fuerunt.** Ratio est, quia dominus laesus omnino indemnis fieri debet, ad aequalitatem (cfr. n. 931). Attamen injuria non ex damno tantum sed etiam ex *voluntate* agentis est aestimanda (n. 724).

949. — II. **Ut actio damnificativa obligationem restitutionis ex jure naturae inducat, triplex requiritur conditio, videlicet ut actio sit stricte, effective et formaliter injusta, haecque tria sunt omnino certa.** Quae sunt per partes explicanda (cfr. *Lugo,* disp. 8).

Conditio 1ª Requiritur ut actio damnificativa sit stricte injusta, i. e. ut proximus spoliatus fuerit aliqua re, ad quam jus strictum habet. Ratio est, quia restituendi obligatio, ut saepe jam diximus, ex solius justitiae commutativae violatione enascitur (III, 547).

Explicatur: 1° Jus strictum, quod laedi potest, est vel jus in re vel jus ad rem, quod titulum legitimum supponit. Non ad omnia *jus habes* ad quae proximus, in conscientia, sive ex caritate sive ex religione (voto) obligatur.

2° Jus strictum violat, qui aufert rem proximi, licet ipse ea abutatur ad peccandum (vide tamen n. 1020); imo licet eam acceperit pro remuneratione, praeeunte pacto de re turpi (n. 1036). Cfr. *Lehmkuhl,* Cas. consc., n. 691.

3° Jus strictum violat, qui actionem alteri damnosam inculpabiliter quidem posuit, sed eam, ne progrediatur, culpabiliter non impedit; v. gr. si quis non exstinguit ignem sine culpa aedibus alienis ab ipso admotum; vel non monet emptorem, postquam adverterit se venenum pro remedio dedisse (III, 564, 994; VI, 621). Adest igitur obligatio restitutionis.

Digitized by Google

4° Non tenetur tamen ad restitutionem damnificans, qui habebat *jus ponendi actionem* alteri nocivam. Huic enim favet Regula Juris (Leg. 151, *de Reg. Jur.*): « Nemo damnum facit, nisi quia id facit, quod facere jus non habet ». Sic injustus non est mercator, qui infimo pretio vendit, etsi aliis mercatoribus noceat; proprietarius, qui aquas a suo agro in alium cursum proximo nocivum contorquet ne ipse graviter patiatur; faber, qui ensem vendit homicidae, ne ipse morte pereat. — Secus vero, si absque justa causa actiones hujusmodi ponantur (III, 584, 697). — Similiter injuste non agit dominus, qui in suo praedio foveam fodit, quamvis intenderet ut inimicus, quem scit aliquando illicite illuc transire, cadendo crus frangat. *Lehmkuhl*, Cas. consc., n. 672. Caritas tamen exigit ut inimicus saltem in genere moneatur.

5° Non tenetur etiam ad restitutionem qui solam *caritatem* laesit, v. gr. si incendium domus alienae impedire commode potuisti, et noluisti; vel solam *religionem*, ut si votum tuum neglexisti; vel *pietatem*, v. gr. si parentes inopes non aluisti; vel *justitiam legalem*, si, v. gr., crimen qua reus vel testis negasti, ne bona tua vel aliena fisco applicarentur; vel *justitiam distributivam*, si, v. gr., distribuendo eleemosynas, legato pauperibus relictas, pauperiores neglexisti. — Et idem dicendum de omni debito, quod non oritur ex justitia commutativa (III, 547, 583).

Conditio 2ª Requiritur ut actio damnificativa sit EFFECTIVE INJUSTA, i. e. *vera atque efficax causa damni*. Ratio liquet: solus enim auctor damni tenetur illud reparare. — Requiritur ergo: *a*) ut damnum fuerit *revera illatum:* damnum enim mere volitum (sicut et illud, cujus tu causam quidem posuisti, sed quod alius impedivit, v. gr. in incendio a te facto, sed ab alio exstincto) nullam restitutionis obligationem importat; — *b*) ut damnum *ex tua actione* tanquam ex sua propria causa emanarit: restitutionis enim obligatio nulla esse potest, nisi constet de causa damni, deque vero hujus causae in damnum influxu (III, 562; 584; cfr. II, 43, 45).

Hinc: 1° Non sufficit ad restitutionis obligationem, quod intercesserit *injuria sine damno*. Sic, qui commisit adulterium sine alterius damnificatione, ad nullam, in conscientia, restitutionem tenetur; quamquam a judice cogi potest ut satisfaciat pro injuria (III, 556).

2° Non sufficit *causa occasionalis* damni; quia non est causa efficax, sed tantum efficacis causae occasio, i. e. ad cujus praesentiam agit causa principalis. Unde, si, occasione furti vel homicidii a te patrati, alius fuerit accusatus et damnatus, non teneris ejus damnum reparare. — Et idem valet, etsi *hoc praevideris* aut *etiam intenderis;* nisi actionis circumstantiae tales fuerint, ut proxime influxerint moraliter ad imputationem in tertium, puta si occideris indutus vestibus aut armis Pauli (III, 635). — In hoc ultimo casu tenetur reus *ex justitia* se denuntiare, vel saltem suspicionem ab accusato avertere; secus ex *sola caritate* teneretur. — Unde etiam, si, occasione violati sigilli sacramentalis, Petrus furti auctorem cognoverit, ita ut per probationes et indicia bonum suum apud judicem repetere possit, — ipse (Petrus), licet peccaverit furis confessionem auscultando, non est causa efficax damni, quod ex sententia judicis furi obvenit. *Linz. Quart. Schr.*, 1906, p. 829. Aliter utique *Ami du Cl.*, 1905, p. 971. Cfr. dicenda n. 1188.

Digitized by Google

3° Non sufficit de se causa *sine qua non* eveniret effectus; v. gr. si tu non redderes gladium, alter non occideretur: ex hoc non fis causa efficax damni.

4° Non sufficit *causa remota* et *accidentalis:* causa enim hujusmodi per se et directe non influit in damnum, sed per aliquod accidens impraevisum et improbabile; ideoque dici nequit efficax causa damni (III, 632). Porro damnum sequi censetur per accidens, quando ut plurimum a causa posita non oritur, vel etiam ab ea sola, sine *aliarum* causarum concursu, oriri non posset.

5° Non tenetur similiter ad restitutionem (juxta communiorem ac probabiliorem sententiam), qui *pravo suo exemplo* alios ad inferendum damnum induxit. Nam pravum exemplum non est proprie dicta causa, positive influens in damnum, quia per se non tendit ad hoc ut alios ad idem faciendum impellat; sed est mera occasio, ad cujus praesentiam alii, sponte sua, inferendi damni cogitationem ac consilium capiunt. Vide dicta superius, sub 2°. — Secus tamen dicendum, si exemplum indueret naturam consilii vel mandati, v. gr. si dux militum inciperet praedari (II, 44).

Nota. a) Secundum graves AA., aliquando causa quae *ordinarie per accidens* in damnum influit, consideratur tanquam causa *per se* damnum causans, si unice cum intentione nocendi ponatur. Hujusmodi causae essent, v. gr., avaro quid parvum furari, *ut* aegrotet; in silva laqueum ponere, *ut* inimicus, raro transiens, forte sibi malum inferat; ignem in loco remoto accendere, *ut,* si forte exoriatur ventus, horrea inimici accendantur. — Non negandum est tamen, hanc theoriam, de efficacia intentionis respectu actionis, non omnibus placere, ut n. 727 notavimus. Vide *Lehmkuhl,* Cas. consc., n. 713.

b) Cum ad actionem in se consideratam potius attendi debeat, sequitur quod si quis *culpabiliter* causam damni posuit, et postea, poenitentia ductus, damnum impedire conatus est, sed frustra, *nihilominus ad restitutionem tenetur.* Retractatio enim tollit culpam coram Deo et contumaciam coram Ecclesia (n. 1264), sed non mutat actionis naturalem influxum. — Excipe, si agatur de consilio, cujus influxum revocatio tollit (n. 982). Cfr. *S. Alph.,* III, 559; VII, 40.

Conditio 3ª Requiritur ut actio damnificativa sit FORMALITER INJUSTA, i. e. *theologice* culpabilis.

Duplex enim distinguitur culpa: theologica nempe et juridica.

Culpa theologica est omissio diligentiae *ordinariae,* quam materia postulat, et a timoratis in proprio officio adhiberi solet; et quidem omissio *voluntaria* sive in se, sive in causa. Pro gradu damnificationis, constituit peccatum, sive grave, sive leve.

Culpa juridica est omissio diligentiae a Jure positivo, vel a contractus natura requisitae ad damna praecavenda, licet in omissione nulla intercedat culpa theologica. Haec omissio dicitur culpa *lata,* si omittatur diligentia, quam homines communiter in simili negotio adhibere solent; *levis,* si omittatur diligentia, quam diligentes (ut bonus paterfamilias) adhibent; *levissima,* si omittatur diligentia, quam diligentissimi ponunt (III, 549). — Culpa juridica efficitur tunc solum culpa theologica, quando *debita* diligentia *advertenter* omittitur; quia, quando non adest advertentia, ne in causa quidem, aut in confuso,

Digitized by Google

deest consensus voluntatis in damnum, seu animus nocendi. — Persaepe culpa juridica lata comitem habet culpam theologicam.

Sensus ergo 3ae conditionis hic est: Ut adsit restitutionis obligatio requiritur, ex parte damnificantis, culpa juridica lata advertenter posita.

Probatur: « Ut conscientia obligata remaneat, opus est ut in conscientia sit patratum delictum » (H. Ap., X, 39). Ita ex Jure naturali.

Hinc, *nulla est restitutionis obligatio,* saltem ante judicis sententiam: *a*) Si inimicum occidisti, quem occidendo putasti esse feram, etsi gaudeas post factum. — *b*) Si fur, occasione furti, efficaciter quidem, sed praeter omnem advertentiam, novum intulit damnum, v. gr. quia lumen evertendo magnum excitavit incendium. — *c*) Si famula ex culpa mere juridica frangit vasa cristallina domini. — *d*) Si vir industrialis omisit in sua officina modicas cautelas a lege praescriptas (de cetero omnia prudenter ordinans), et accidit magnum infortunium (*Lehmkuhl,* Cas. consc., n. 665). — Censent utique aliqui AA. adesse obligationem restitutionis, si quis, in *dubio* an ex sua actione proximo damnum obveniat, omittit diligentiam a lege tantum requisitam. De hac obligatione tamen non constat (III, 551).

Nota. 1° Ex culpa *mere juridica* oritur quandoque obligatio restitutionis; et hoc fieri potest ex duplici capite: *a*) Vi *legis positivae,* post judicis sententiam. Sic judex potest te juste condemnare ad reparationem damni, per tua animalia vel per pueros tibi commissos, absque theologica culpa vere illati [1]; et talis sententia obligat in conscientia ex justitia legali (cfr. n. 192). Ipsa tamen lex non obligat ante sententiam, nisi adfuerit culpa theologica, ut communiter docent (cfr. n. 933). — *b*) Vi *expressae conventionis* in contractibus, vel in adimplendis officiis; potes enim saepe juste te obligare etiam de casu fortuito, ut suo loco dicetur (cfr. n. 1162).

Diximus *vi expressae conventionis,* in contractibus; docent enim Lessius, Lugo et alii valde probabiliter, aequum non esse obligare aliquem in conscientia ad gravem poenam, sine gravi sua culpa, quoties non constat eum voluisse se subjicere soli culpae juridicae (III, 554). — Valet eadem ratio pro quasi-contractibus, seu adimplendis officiis. Quare, nemo obligat medicos, advocatos, confessarios ac theologos, ad restitutionem ex sola culpa juridica; nam si res aliter se haberet, nullus probus ac timoratus his officiis fungi vellet: quod in reipublicae damnum cederet (III, 555). Vide tamen dicenda n. 974.

2° Ex culpa theologica *veniali,* quandoque, quamvis grave damnum revera adsit, nulla oritur obligatio restitutionis: si nempe culpa theologica est venialis *ratione inadvertentiae* sive indeliberationis. Ita sententia communior et probabilior. — Non inducitur restitutionis obligatio *sub gravi,* quia talis obligatio non habet proportionem cum culpa levi; *non sub levi,* quia levis obligatio non habet proportionem cum materia gravi; tanto magis quod culpa imperfecte deliberata non potest inducere perfectam obligationem; sicut in contractibus et votis e consensu non plene deliberato non oritur obligatio [2].

3° Omnes denique norunt, culpam theologicam quae *ratione damnificationis* est venialis, ad restitutionem sub levi obligare (cfr. n. 927).

[1] Cfr. Cod. gall., 1382, 1386; ital., 1153; austr., 1294; hisp., 1905 seqq.; germ., 831 seqq. — Ordinarie tamen non damnabit judex accusatos, si probare possunt se factum non potuisse impedire. — [2] III, 552; H. Ap., X, 40. Cfr. *Linz. Quart. Schr.,* 1909, p. 81; *Lehmkuhl,* Cas. consc., I, n. 694.

Digitized by Google

Additur 4° HAEC TRIA SINT OMNINO CERTA. Dubia circa actionem damnificantem moveri possunt: *a*) *Ante factum;* de his dubiis antecedentibus sermo non est. Sciunt omnes nemini licitam esse actionem de qua quis antecedenter ac positive dubitat utrum sit injusta necne (cfr. dicta n. 81). — *b*) *Post factum,* i. e. subsequenter ad actionem damnificantem jam positam. Jamvero, objectum dubii in casu esse potest: vel *exsistentia* damni, vel actionis *efficacia,* vel ejusdem *injustitia* objective sumpta, vel theologica *culpabilitas* agentis; et dicimus: *quamdiu haec dubia in certitudinem non transierint, non adest obligatio restitutionis.* Ratio est, quia, ubi agitur de bonis fortunae, nemo jure suo certo privari debet, nisi jus amissum fuisse constet (n. 44, 850). Confer *S. Alph.,* III, 562, 658; Conf. dir., X, 20.

Duplex tamen admittenda est exceptio: 1° Si plures *communi consilio* egerint, et postea dubium oriatur quo in gradu quisque concurrerit. — 2° Si quis damnum inferens animadvertat se, sua actione, in causa esse cur damni certi auctor evadat incertus. Cfr. n. 963, 2°.

950. — *Quaestio specialis:* **De errore in damnificatione.**

In materia damnificationis, duplex potest esse error invincibilis: unus circa *objectum,* alter circa *personam.*

I. ERROR CIRCA OBJECTUM. Si quis existimat ex errore invincibili damnum a se illatum *multo minus* esse ac revera est, probabiliter non tenetur ad restituendum nisi *pro rata* damni cogniti. Ratio: non censetur volitum, illud damnum quod non est cognitum, saltem in confuso.

Sic ergo, qui projicit in mare gemmam alterius, valentem 100 aureos, existimans eam 10 tantum valere, nonnisi 10 aureos restituere debet (III, 613). Vide tamen notam infra ponendam.

II. ERROR CIRCA PERSONAM. Si quis intendens nocere uni, *quocumque alio excluso,* noceat per errorem invincibilem alteri, probabiliter *non potest obligari* ad restitutionem in foro interno, ante sententiam judicis. Ratio est, quia non sufficit actionem damnificantem esse injustam, sed requiritur ut sit formaliter injuriosa *in damnificatum;* ac proin error circa personam est *error substantialis.*

Si quis ergo volens occidere Caium, occidit Titium; intendens incendere domum inimici, incendit domum amici, etc., non erit ad restitutionem adigendus. Ita *S. Alphonsus* (III, 628, 629), *Lugo, Croix* et alii.

Altera datur sententia probabilis super hac quaestione. Eam tuentur (praeter *Bonacina, Haunold*) AA. recentes, ut *Lehmkuhl, Vermeersch, Noldin, Tanquerey, Schindler, Pruner.* Affirmant in casu adesse obligationem restitutionis, quia, aiunt, illa actio est injusta, causa efficax damni et theologice culpabilis, et error circa personam est tantummodo accidentalis. — Non exilia quidem sunt haec argumenta; haud spernenda tamen est ratiocinatio nostri S. Doctoris (quod et adversarii concedunt): unde favendum possessori.

Digitized by Google

Nota. In utroque tamen modo errandi adest restitutionis obligatio: *a*) Si damnificator ita animo *actualiter* comparatus fuerit, ut *etiamsi scivisset,* damnum tamen intulisset; quia tunc ignorantia non fuit causa damnificationis. — *b*) Si condemnatus fuerit a *judice;* quia in dubio pro judice standum est (III, l. c.). Cfr. *Génicot,* I, 522; *Linz. Quart. Schr.,* 1905, p. 890; *Ami du Cl.,* 1905, p. 984.

§ 2. De variis damnificatoribus injustis.

951. — Damnificatores injusti, de quibus est peculiariter agendum, sunt: 1° homicida; — 2° stuprator vel fornicator; — 3° adulter; — 4° defraudans tributa; — 5° damnum inferens occasione militiae; — 6° negligens in officio adimplendo. — De damnificante in spiritualibus, vel in aliis bonis, vide n. 513, 928, 1205, 1214.

1. *Ad quid teneatur homicida?*

Ut sciatur *quid* et *quibus* homicida restituere debeat, distinguendum est TRIPLEX genus damnorum, quae in bonis fortunae per homicidium inferri possunt, scilicet damna quae inferuntur 1° ipsi interfecto ante ejus obitum; — 2° ejus familiae, i. e. filiis, genitoribus et uxori; — 3° ejus creditoribus.

Non loquimur de compensatione danda ob corporales cruciatus, vel cetera damna quae nullam in bonis jacturam afferunt. Ex his enim non exsurgit obligatio restituendi nisi post judicis sententiam, si nempe leges positivae damnificatis jus concedunt reparationem exigendi. Cfr. Jus germ., 847.

952. — Principia. I. **Homicida vel mutilator tenetur compensare omnia damna temporalia, quae, ex suo facinore, occiso vel vulnerato illata sunt.** Ratio patet ex supra dictis (n. 948); occisio enim est per se causa damni. — Ipse *invasus* qui, vera cum *deliberatione* excedens moderamen inculpatae tutelae, *occidit* invasorem, ad damni compensationem tenetur. Inimicus enim ob suam iniquam aggressionem non omnino jus amittit quod habet ad vitam. *S. Alphonsus,* III, 637, cum Lugone et alii. Cfr. dicta n. 734.

Homicida tenetur compensare *omnia damna;* et quidem: *a*) damnum emergens, seu expensas curationis, etc.; — *b*) lucrum cessans, i. e. lucrum, quo percussus tempore infirmitatis suae ob laboris intermissionem privatus est, et quod in spe habebat: deductis tamen, juxta prudentem aestimationem, expensis quae ad consequendum lucrum fieri debuissent; deductis similiter expensis funeris, nisi forte occasione illatae necis, v. gr. extra patriam, majores fieri oportuerit, vel nisi per judicem ad eas refundendas adstringatur [1]. — In *Germania* illas solvere tenetur (§ 844).

Non solum ipsi vulnerato danda est compensatio, sed haec debita, utpote *realia,* solvenda sunt occisi haeredibus, quicumque illi sunt; quia omnes

[1] III, 626, 631; cfr. *Lessim,* l. 2, c. 9; *Lugo,* disp. 11, s. 4; Cod. germ., 823.

Digitized by Google

haeredes succedunt in omnia jura realia defuncti. Excipe, si defunctus ea ante mortem occisori valide remiserit. Dicimus *valide;* invalide enim ea remitteret si esset adeo pauper, ut ex suis bonis necessarias expensas facere non potuisset, vel si ex tali remissione alii, v. gr. medici, benefactores, injuste gravarentur (III, 630; H. Ap., X, 86).

953. — II. Homicida tenetur resarcire percussi familiae lucrum ipsis cessans et damnum emergens, ob vulnerationem vel mortem occisi. Ratio est, quia omnes praefatae personae (non autem fratres aut sorores) censentur moraliter una persona cum occiso, quoad sustentationem; unde etiam post ejus mortem damnum in ipsis continuatur (III, 631; H. Ap., X, 87; Cod. germ., 844).

Advertatur: 1° Reparatio damni debet fieri, *juxta valorem spei,* quam singuli, attenta occisi aut vulnerati aetate, valetudine, etc., habebant accipiendi bona vel commoda ab eodem, si occisus (vulneratus) non fuisset. — 2° Compensatio praefatis personis facienda est, non ex titulo haereditatis occisi, sed *ex titulo damnificationis eisdem illatae,* nec proinde ab occiso condonari potuit. — 3° Si nullum adest damnum, vel quia illae personae aliunde sustentationem aeque accipiunt, vel quia defunctus nihil utilitatis ipsis afferebat, nulla adest compensandi obligatio. — 4° Optimus compensandi modus est pacifica transactio cum dictis personis (III, 631).

954. — III. Homicida tenetur restituere, pro rata spei, omnibus illis, quibus directe nocere intendit. Sic, v. gr., tenetur damna compensare creditoribus consanguineis, vel pauperibus, quos spe solutionis, haereditatis, vel eleemosynae frustrari voluit; quia quisque jus habet, ne directe et per vim a consecutione justi boni impediatur.

Dictum est: *quibus directe nocere intendit;* quia si damna hujusmodi *praevisa* tantum, non autem intenta fuerint, certus deest nexus inter homicidium et damna secuta; ista censentur evenisse *per accidens,* et probabilius est occisorem, in hoc casu, ad nihil teneri ratione justitiae (cfr. 921, 949, Cond. 2ª). *S. Alph.*, III, 632, 633 [1]. Vide tamen dicta n. 727, II, v. fin.

IV. In defectu homicidae, tenentur ejus haeredes ad supradicta damna compensanda, etiamsi occisor morte plectatur. Ratio: Poena satisfacit justitiae vindicativae (ergo legali), non vero commutativae. Haeredes succedunt in omnia stricta onera occisoris. Excipe, si laesi jure suo cedere censeantur, ex eo quod non petant restitutionem (III, 631, 705).

955. — Quaesita. QUAER. 1° *Ad quid teneatur provocans ad pugnam, si acceptantem occidat, v. gr., in duello?*

Resp. Ex sententia Suaresii, tenetur restituere damnum; quia provocatio fuit vera damni causa. — Sed probabilius contradicunt *Lugo* (disp. 11, n. 66)

[1] Advertatur tamen saepe ex homicidio non oriri damnum creditoris, cum haeres onera defuncti in se transferat; saepe etiam aliorum fraudibus tribui debet, quod juribus realibus creditorum non satis fit. Cfr. *Lehmkuhl,* I, 1180, 4.

Digitized by Google

cum Vasquez et aliis; quia licet provocans peccet contra caritatem, alter tamen, cum libere pugnam acceptat, renuntiat suo juri ad damni reparationem (III, 638).

Nota. Huic quaestioni affinis est alia: *utrum adsit obligatio restituendi,* si provocans ad duellum causa est quare provocatus, certamen respuens, ab exercitu expellatur, vel alia damna subeat.

Resp. Non constat provocationem esse *causam per se* damnorum quae patitur provocatus; ipsa potius horum est causa occasionalis: unde restitutio non est imponenda. Cfr. jam dicta n. 949, Cond. 2ª et notam adjectam.

QUAER. 2° *Ad quid teneantur administratores viarum ferrearum aut navium, si, non servatis prudentiae regulis, aliquis in eis occidatur aut vulneretur?*

Resp. Tenentur ad solvendum, quantum judex aequo arbitrio solvendum decernit; et peccant ac tenentur ad restituendum, si fraude, dolo, muneribus judicem inducunt, ut injustam ferat sententiam (*Konings,* n. 808, q. 4).

Nota. Consilium est, ut confessarius pro ipsa occisione injungat eleemosynas et missas in beneficium occisi (III, 631, 5). Cfr. dicta n. 928. — Si homicidium tertio innocenti imputetur, vide n. 2302, q. 1 et 2306 seqq.

2. *Ad quid teneatur stuprator vel fornicator?*

956. — Stuprator hic intelligitur, in lato sensu, quicumque rem habuit cum persona libera et honesta, i. e. quae nec nupta sit, nec meretrix. Unde, quae dicemus de puella, intelligenda sunt pariter de vidua bonae famae (III, 646, fin.; Conf. dir., X, 38).

Porro, triplex distinguendus est casus: vel femina *sponte* consensit in crimen; vel inducta est *per vim aut metum;* vel *sub promissione* matrimonii.

957. — PRINCIPIA. I. **Qui puellam consentientem, absque ulla matrimonii promissione, violavit, ad nihil tenetur, per se stricte loquendo, nisi ad prolis, si forte nascatur, educationem.** Ratio: 1° nihil debet puellae, etiamsi eam donis aut precibus sollicitarit: quia scienti et volenti non fit injuria; — 2° nihil debet parentibus; quia non violavit jus eorum, cum filia sit sui corporis domina. — Unde, communissime dicunt AA., « quod non tenetur vir reficere patri damnum bonorum ratione majoris dotis, qua indiget pro filia collocanda in matrimonium » (H. Ap., X, 91).

Diximus 1° *Per se;* quia excipitur: *a*) si stuprator *manifestaverit* delictum; tunc enim tenetur de damnis sequentibus ex infamatione; — *b*) si sit *valde dives,* et puella pauper; nam, in hoc casu, ista praesumitur consensisse sub conditione alicujus compensationis; — *c*) secundum nonnullos, si *per judicis sententiam* ad damna reparanda cogatur; at vero, cum leges praesumant deceptionem aut vim, talis sententia, si femina revera sponte consensit, non ligat conscientiam (cfr. n. 191).

Digitized by Google

2° *Stricte loquendo,* seu in rigore justitiae; nam, stuprator, *saltem ex pietate,* contra quam simul cum puella deliquit, debet parentum injuriam reparare aliqua honoris significatione vel petitione veniae; nisi hi forte delictum ignorent, vel talem honoris reparationem recusare praesumantur. Ita probabiliter *S. Alphonsus* cum Sanchez, Croix, Lugo, etc., contra S. Thomam et S. Antoninum, etc., qui aeque probabiliter dicunt, eum *ex justitia* ad honorem patris reparandum teneri (III, 641).

3° *Nisi ad prolis educationem;* nam, cum stuprator et puella pariter in culpa sint, *tenentur ambo,* et quidem *ex jure naturae,* aequaliter et in solidum, alere atque educare prolem, donec haec sibi providere possit. Neque ab hac obligatione ulla legis dispositio judicisve sententia eximere potest (cfr. n. 700). Cfr. Cod. gall., 340; germ., 1708; austr., 166-171.

Nota. Si puella cum pluribus amasiis rem habuerit, ipsi de se non licet quem maluerit tanquam patrem prolis denuntiare. Similiter hoc non licet parentibus vel tutori puellae. — Attamen, si leges civiles (cfr. Cod. austr., 163), in poenam delicti, fornicatorem, *qua talem* delatum, ad alendam prolem obligant, non videtur injuste agere puella (vel parentes), quae unum ex amasiis denuntiat, casu nempe quo ipsa ignorat quis sit praecise pater prolis. Ita *Noldin,* II, n. 471; *Delama,* n. 391, nota; *Lehmkuhl,* Bürgerl. Gesetzb., 1717.

958. — II. Qui vi vel fraude puellam violavit, tenetur reficere omnia honoris et fortunae damna, tam puellae, quam parentibus obvenientia. Ratio est, quia horum damnorum est causa efficax et injusta.

Diximus *qui vi,* scilicet absoluta; quia si violentia fuit solummodo *moralis,* i. e. si minae, aut metus reverentialis, preces importunae, aut similia, mulierem traxerunt ad consensum, seductor *ad partem* tantum damnorum tenetur (III, 642; H. Ap., X, 92; Cod. germ., 825).

Ex his infertur: 1° Si crimen sit *manifestum,* debet STUPRATOR a parentibus quidem veniam petere, nisi hi rem hujusmodi non curent; puellae vero augere dotem, ut ita aeque bene nubere valeat, ac si violata non fuisset. — Nec tamen illam ducere tenetur, cum id non promiserit, nisi forte damnum aliter reparari nequeat, vel nisi ex judicis sententia ad conjugium cogatur (III, 641, 646).

2° Si *proles* suscepta fuerit, tenetur solus nutritionis et educationis expensas sustinere, vel eas matri refundere (in *Germania,* § 1708, usque ad annum 16^{m} completum, et amplius si ob certos prolis defectus necesse est). Et haec quidem obligatio urget vi Juris naturalis: ergo etiam in casu, quo lex matri vel proli non faveret, et omnem actionem civilem negaret. Cfr. *Gousset,* in Cod. gall., a. 340; Cod. hisp., 464.

3° Si crimen sit *occultum,* et puella aeque nubat, ad nihil tenetur stuprator. Nihil enim debet pro violatione honestatis, quae non est pecunia com-

Digitized by Google

mensurabilis; nihil pro damno, quia nullum adest; nihil pro injuria parentum, quia crimen ignorant. — Attamen, si mulier a viro postea, ob cognitam defloratione m, male tractetur, tenetur damnum ei compensare (III, 642; *Lugo*, disp. 12, s. 1).

959. — III. Qui, sub matrimonii promissione, sive vera, sive ficta, puellam violavit, tenetur eam sibi accipere in uxorem. Ratio est: *a*) quia tale damnum nullo alio modo potest adaequate reparari; — *b*) quia in contractibus innominatis *do ut des, facio ut facias*, statim ac alter partem suam onerosam implevit, tenetur etiam alter, et quidem ex justitia, implere suam; dummodo, ut in casu, id absque peccato facere possit. — Nec obstat quod *ficte* promiserit, quia tenetur, praecise ad tollendam injuriam, praestare verum consensum, dum hoc necesse est, ut a contractibus fraudes, quae cum damno communi impedirent commercium humanum, removeantur (III, 642, q. 1; *Vind. Alph.*, P. III, q. 16). Ita sententia communis et tenenda, quam in praxi S. C. Concilii pluries confirmavit (*A. S. S.*, I, 341; III, p. 304).

Nota. Decreta 19 Apr. 1908 super sponsalibus nihil quoad *praesentem* materiam innovaverunt. Sane ea tantum pacta sunt vere sponsalitia, quae scripto conduntur; sed obligatio *matrimonii ineundi* non solum ex sponsalitiis, sed etiam ex contractu oneroso innominato oriri potest (cfr. n. 1036). Vide *Lehmkuhl*, I, 1250; II, 842.

Exceptiones. 1° Cessat *sola ineundi matrimonii obligatio*, remanente obligatione restitutionis: *a*) Si puella juri suo cedat, etsi parentes dissentiant; quia jus ad matrimonium ipsi proprie competit. — *b*) Si obstet lex de vitando scandalo, vel dedecus familiae. — *c*) Si timeatur pessimus exitus, puta, si puella noscatur nimis levis vel si sit acatholica, et timeatur perversio prolis, etc. — *d*) Si obstet lex canonica (v. gr. ob consanguinitatem), votum (v. gr. castitatis), etc., nec soleat concedi dispensatio, vel solum cum magnis expensis aut incommodis, quae minime paevisae fuerunt. Secus probabilius, in casu contrario; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media (in nostro casu, ad dispensationis petitionem). — *e*) Si obstet lex civilis, v. gr. ob dissensum parentum viri, et matrimonium fiat moraliter impossibile. — *f*) Si femina jam fuerit inhoneste, i. e. extra matrimonium, corrupta; quia inire matrimonium cum tali femina (in multis saltem regionibus) multo pluris aestimatur quam id quod struprator ab ea accepit, et ceteroquin damnum ipsi illatum sufficienter alio modo reparari potest. — *g*) Si seductor sit longe nobilior vel ditior, licet puella non potuerit deceptionem advertere: quia seducta, in his adjunctis, rationabiliter intendere non potest reparationem injuriae per matrimonium, et seductor eam sibi matrimonio copulans, redderet plus quam aequale injuriae illatae (cfr. *S. Alphonsum*, III, 643, dub. 2, 646-650). Juxta quosdam tamen, improportio in divitiis non liberat ab obligatione ineundi matrimonium.

2° Cessat *et ipsa obligatio reparandi damna: a*) Si seductor paratus sit promissioni stare, et femina sine ratione sufficienti renuat. Secus, si renuat juste, v. gr. quia vir se finxit melioris vel aequalis conditionis, cum sit inferioris. — *b*) Si femina ex verbis aliisve circumstantiis facile animadvertere potuerit deceptionem, puta si cognoverit seductorem sibi esse in nobilitate aut fortuna multo superiorem; tunc enim merito praesumi potest ipsam vo-

Digitized by Google

luisse aut finxisse deceptionem. — *c*) Si femina seductorem deceperit, fingendo se virginem; deceptio enim compensat deceptionem. — *d*) Si ideo infametur, quia ipsamet stuprum clam patratum manifestavit. — *e*) Si promissio matrimonii non fuerit causa motiva consensus puellae; quia, in tali casu, interpretanda est sicut quaelibet alia gratuita promissio (cfr. n. 1062). Legatur *S. Alph.*, III, 645-648; *Lugo*, disp. 12, s. 2; *Lessius*, l. 2, c. 10, dub. 3.

960. — QUAERITUR. *Quid, si vir habeat solos* TACTUS *cum virgine?* *Resp.* Non tenetur ad matrimonium; quia soli tactus non sunt tantae injuriae, ut inducant obligationem ineundi matrimonium ficte promissum, nec tanti ponderis, ut non ingerant feminae fictionis suspicionem; modo (excipitur) femina non esset nobilis aut multum honesta; aut vir solos tactus cum matrimonii promissione requisisset, et puella remaneret propter illos jam patefactos, aut ob notoriam familiaritatem, infamia notata (III, 645; H. Ap., X, 95).

Nota. LEGES MODERNAE non obligant deceptorem ad matrimonium; sed plerumque obligant ad reparationem damni illati per non adimpletam promissionem (Cod. austr., 46; hisp., 464; germ., 825, 847). Si quis autem his legibus bona fide satisfecerit, non videtur inquietandus. — Alia vide n. 963, q. 2° et 3°.

3. *Ad quid teneatur adulter?*

Hic agitur de solo adulterio, ex quo nata est proles et secutum damnum; nam sola injuria personalis conjugi irrogata nequit pecunia reparari (cfr. n. 928).

961. — PRINCIPIA. **I. Si uterque adulter in crimen libere consensit, uterque tenetur, in solidum, ad reparationem damni.** Ratio est, quia uterque fuit totius damni causa efficax et formaliter injusta (III, 655, 659; *Lugo*, disp. 13, s. 1; *Lessius*, l. c., dub. 5).

Hinc: 1° Tenentur ambo restituere omnes sumptus, quos fecit maritus ad prolem spuriam alendam et educandam. — 2° Si spurius cum filiis legitimis, aut aliis legitimis haeredibus, haereditatem accepit, tenentur hos pro rata compensare. — 3° Adultera, quae non habet bona separata, debet damnum reparare, meliori quo poterit modo, v. gr. administrando diligentius rem familiarem, detrahendo sibi superflua in vestitu, in victu, etc. — Uterque autem reparare damna tenetur, in quantum potest sine detrimento altioris boni, et sine illatione majoris mali (cfr. n. 1018). Vide *S. Alph.*, II, 652.

« Dicunt nonnulli AA., quod si adulter non induxisset matrem ad prolem supponendam inter legitimos, sed in hoc se negative habuisset, tunc non teneretur ad alimenta, aut saltem non ad haereditatem. — Sed nos dicimus (cum communi sententia) ad utrumque obligari; quia ille semper est causa moralis proxima damnorum praefatorum, conjiciendo adulteram in moralem necessitatem prolem supponendi. — Secus autem dicendum, si adultera, sine sua infamia et periculo suppositionis, possit prolem extra domum tenere et alere » (III, 659; H. Ap., X, 101).

Digitized by Google

962. — II. **Si unus adulter vi, metu, aut fraude, consensum alterius extorsit, ipse solus debet totum damnum reparare.** Ratio est, quia ipse est totius damni causa efficax et injusta. — Illo tamen deficiente, tenetur alter, nisi vim absolutam aut deceptionem invincibilem passus fuerit (cfr. n. 995, 3°).

963. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An* ADULTERA, *quae sola criminis manifestatione potest damna reparare, illud* MANIFESTARE *teneatur?*

Resp. Neg. regulariter loquendo. Ratio est: 1° quia hoc modo, ut plurimum, damna reparare nequit; nemo enim tenetur credere uni testi, licet probatissimo, ideoque nec filius spurius matri asserenti illum esse illegitimum, nisi ea indicia accedant, quae in foro externo rem evidenter probarent, v. gr. impotentia vel absentia mariti, etc.; — 2° « quia raro fieri potest, quod ex tali manifestatione non sit subitura ingentia damna », puta gravem infamiam, saevitiam, discordiam, etc. Imo, ipsius mariti atque filiorum legitimorum generatim magis interest, ut res maneat in occulto.

Excipe: a) si sit jam perditae famae, nec timeat gravem indignationem mariti; — *b*) si secus timeatur publicum damnum, quod impediri possit, v. gr. si spurius sit perditis moribus et succedere debeat in principatu; — *c*) si sit probabilis spes fore, ut spurius ei credat, renuntietque haereditati. — Ratio est, quia excusatur, quando proprium damnum certe et notabiliter praeponderat damno alieno; minime vero, quando est aequale vel parum excedens (III, 653 seqq.).

QUAER. 2° *Ad quid teneatur adulter* DUBITANS, *an proles sit sua aut alterius?*

Resp. 1° Si dubitet *an sit sua aut mariti,* ad nihil tenetur. In hoc enim casu, non constat de damno; et proles praesumitur esse mariti, nisi contrarium probetur (III, 657).

2° Si dubium sit *inter duos adulteros,* utrius sit proles, absolute probabilius est neutrum ad restitutionem teneri (et idem valet pro fornicatoribus). Ratio est, quia nemo tenetur ad reparandum damnum, nisi moraliter constet eum damni causam fuisse.

Excipe: a) Si secundus adulter adverterit (quod rarum est) se suo facto causam fore cur dignosci nequeat, cujus sit proles. Quo in casu, teneretur solus ad damnum ex illa incertitudine illatum. — *b*) Si ex communi consilio adulterium patraverint: tunc enim quisque teneretur pro rata, et, altero deficiente, ad totum (cfr. n. 908, III, et 984, Quaer., et n. 992, 2°).

Nota. Quoad adulteros qui mittunt prolem ad hospitale, vide superius dicta n. 700, 2, cum nota.

Digitized by Google

4. *Ad quid teneatur defraudans tributa?*

964. — NOTIONES. Tributum seu vectigal, generice sumptum, est omne id quod a legitima potestate imperante civibus solvendum imponitur, ad sustinenda communia reipublicae onera.

Tributa hodierna generatim duplicis sunt generis. Alia dicuntur DIRECTA, quae personam, vel ejus bona, immediate et nominatim, juxta aestimationem facultatum afficiunt. Hujusmodi sunt tributa *realia*, v. gr. super agros et domos, et *personalia*, v. gr. pro familia ejusque membris vel pro exercitio mercaturae. — Alia sunt INDIRECTA, et cadunt immediate quidem in res vel merces, mediate vero in personas. Huc maxime veniunt *vectigalia* circa merces conficiendas vel transvehendas, et *gabellae*, circa res vendendas vel emendas; item quae solvenda sunt pro jure successionis, pro descriptione contractuum, pro litterarum obsignatione, pro sale, tabaco, etc. Cfr. *Waffelaert*, de Just., II, n. 414; *Vermeersch*, o. c., n. 97; *Willems*, Philos., III, p. 505; *H. Pesch*, die Soz. Frage, I, p. 144; *Staatslexicon*, v. *Steuern*.

Nota. Tributa non sunt ea omnia quae ab Officio postarum vel curruum ferreorum, etc. imponuntur. In his omnibus Status *quasi homo privatus* operam exercet et *verum contractum* cum privatis init. Plurima tamen statuta, quae ab administratoribus feruntur, sunt *mere poenalia*, v. gr. ne pecunia litteris adjungatur, ne tessera aliis tradatur, etc. Cfr. *Génicot*, I, p. 574; *Ami du Cl.*, 1906, p. 265, 367, 467; 1911, p. 369. Severiorem sententiam amplecti videtur auctor artic. in period. *Linz. Quart. Schr.*, 1901, p. 388.

965. — PRINCIPIA. I. **Tributa justa imponere possunt omnes, penes quos est suprema rerum administratio.** Ratio: id necessarium est ad onera communia sustinenda.

Diximus 1° *Tributa justa:* cum enim agatur de impositione populis onerosa, onus aequaliter dividi debet.

Justa autem sunt tributa, si adsint: *a*) *causa gravis*, i. e. necessitas boni communis (ad quod merito pertinet digna sustentatio principis), non vero mera utilitas vel abundantia principis; — *b*) *proportio tributi simul cum necessitate*, ne populus plus aequo gravetur, et *cum divitiis singulorum*, ita ut qui plus habent, et plus solvere debeant. — Justa etiam sunt tributa, si deest *laesio privilegiorum* a lege Superioris concessorum, v. gr. immunitatis realis quoad clericos (cfr. n. 201).

2° *Imponere possunt*, et quidem in conscientia, cum auctoritas suprema possit subditos in finem proprium dirigere. — Ex hoc tamen non sequitur omnia tributa justa in conscientia obligare, ut statim videbimus.

3° *Omnes, penes quos* etc. Tributorum enim impositio, cum in bonum ultimum et universale societatis tendat, nonnisi a suprema auctoritate oriri potest.

Hinc ea imponere possunt: *a*) imperatores, respublicae, principes (una cum comitiis si exsistunt); — *b*) concilia et S. Pontifices, ratione regiminis spiritualis (cfr. n. 873); — *c*) civitates, communitates, annuente principe.

Digitized by Google

966. — II. Officiales, ministri ex justitia commutativa obligantur ad justam tributorum exactionem. Ratio: quidquid enim tenetur de obligatione tributorum persolvendorum, ipsi *ex officio, ex stipendio* ad exactionem obligantur. Ergo ex justitia commutativa.

Ex praesumpta tamen voluntate Superioris possunt exactores benignius agere cum pauperibus, cum iis qui diligenter solvunt, aut res deferunt in proprium usum (III, 616).

967. — III. Defraudantes tributa directa regulariter peccant contra solam justitiam legalem; defraudantes tributa indirecta laedunt legem mere poenalem. Ratio *primi* est, quia subditi, in genere, in conscientia tenentur leges justas servare quae directe ad bonum commune conducunt; quod est justitiae legalis. Huc pertinent verba Apostoli (*Rom.*, 13, 5): *Reddite ... cui tributum, tributum.* — Ratio *secundi* est, quia, quoad tributa indirecta, indicia ordinaria legum mere poenalium adsunt: *a*) mulcta maxima; — *b*) non tam intima connexio cum bono communi; — *c*) improportio cum statu fortunae cujusque, cum subinde quaedam tributa indirecta pauperes plus aequo gravent; — *d*) praxis timoratorum; — *e*) probabilitas denique extrinseca. Cfr. n. 183, 2°.

Diximus 1° *Defraudantes tributa directa* etc. Mediam igitur viam tenemus inter opinionem quae tributa omnia *in conscientia* obligare proclamat, et opinionem quae dicit omnia esse *mere poenalia.*

Prima opinio patronos habet Sanchez, Lacroix, Lessius, Lugo, etc., inter modernos Schindler et alii pauci; secundam tenent Génicot, Bucceroni, Berardi, Gury-Ferreres. — *S. Alphonsus* (III, 616; H. Ap., X, 81) potius in sententiam Lugonis et Lessii inclinat, et hanc populis suadet (vide ed. G., II, p. 96). — Nostram sententiam tuentur *Aertnys*, l. III, 377; *Lehmkuhl*, I, 1173; *Noldin*, II, 314; *Hamm*, Steuermoral, p. 310; *Porpora*, Theol. mor., p. 383.

Notetur tamen: *a*) Quamvis ex dictis sequatur, obligationem adesse statum bonorum suorum rite declarandi, ut tributorum directorum quantitas, a quoque solvenda, possit determinari; ex hoc non sequitur omnia ad amussim esse indicanda. Generaliter (ut constat ex consuetudine circa aedium valorem determinandam) $^1/_4$ vel $^1/_3$ infra valorem deprimere, etiam accedente juramento, non est illicitum (*Lehmkuhl*, l. c.).

b) In dubio sive negativo sive positivo, *de tributi justitia* nulla est obligatio solvendi. Nec hic obstat axioma: Superiori praecipienti in dubio parendum est; quia subditus hic rem evidenter onerosam, damnosam praestare debet, et haec incommoda, una cum dubio de potestate imperandi, praeponderant possessioni Superioris (III, 617, ed. G., II, p. 100). *Exactores* vero, in dubio de justitia tributi, exigere tenentur (ib.).

2° *Regulariter.* Potest enim fieri quod ex mente legislatoris vel ex interpretatione usuali, etiam quoad tributa directa, res tanquam mere poenalis dijudicetur.

Digitized by Google

In Anglia, texte *Crolly* (de Rest., n. 1032), universim leges tributariae ad modum legum poenalium obligare existimantur. — In Gallia vero et in Germania conclusio nostra satis communiter admittitur.

3° *Peccant,* equidem non semper graviter. Materia autem gravis non *ex sola quantitate* tributorum defraudatorum est dimetienda, sed etiam *ex spe* quam habet Status jus suum recuperandi, et *ex gravitate nocumenti* quod ex non-solutione *aliis* forte obvenit.

Ex hoc concludit *Schindler* (II, p. 803) ad materiae gravitatem in hoc casu summam maiorem requiri, quam si agatur de damno quod Statui in bonis jam possessis inferretur.

4° *Contra solam justitiam legalem,* ita ut ex non-solutione nulla *restitutionis* obligatio adstrui possit (*Linz. Quart. Schr.,* 1909, p. 484 seqq.). Cfr. *Pastor bonus,* 1908-1909, p. 67.

Omnino ergo recedimus ab opinione cl. *Marres, Waffelaert, Koch, Linsemann* et aliorum, qui demonstrare conantur tributa ex justitia stricta obligare (vide eorum argumentum apud *Génicot,* I, n. 574).

Nota. In uno casu adesset obligatio solvendi tributa *ex justitia commutativa,* si nempe cuidam coetui (v. gr. mercatorum, vel notabilium) *quota certa et determinata* ab auctoritate fuisset imposita (*Kontingentierte Steuern*). Tunc enim non solvente uno, alii ejusdem categoriae certe plus solvere tenerentur (*Lehmkuhl,* I, 1170; *Schindler,* l. c.).

968. — Consectaria. I. Peccant et *ad restitutionem tenentur:*

1° LEGISLATORES vel *ministri inferiores* qui, in distributione onerum, v. gr. in municipiis, *scienter* causa sunt cur aliquis plus debito solvat. Quisque enim jus strictum habet ne onus ferat inaequale.

2° EXACTORES. Tenentur nempe restituere: *a*) *privatis,* si exigant aliquid ab eis ultra taxam legalem; — *b*) *fisco,* si diligentiam debitam et convenientem ad tributum exigendum non adhibuerint; si, absque justa causa, leniter vel dissimulate erga aliquem egerint, ut is totum vectigal, vel ejus partem respective notabilem, defraudare posset; si mulctas non imponendo, audaciam scienter addant fraudantibus, et fiscus inde damna subeat; si mulctas non exigant post sententiam (secus probabiliter casu quo non intervenerit sententia); vel si alio quocumque modo conniverint cum fraudatoribus. Debent enim ex justitia suum officium implere, etsi lex esset mere poenalis (IV, 237).

3° FRAUDATORES. Certe hi tenentur restituere fisco vel secundum alios causis piis: *a*) si *ex pacto* expresso vel tacito cum exactoribus solutionem justi tributi evitaverint; — *b*) si *vi* erga eos adhibita, sive tributum, sive mulctam juste impositam solvere detrectaverint; — *c*) si ratione tributi vel mulctarum, quas juste solverunt, aliquid *clam* surripuerint. In his enim casibus justitia aperte laeditur.

969. — II. Excusantur, *saltem ab injustitia,* et ob consuetudinem vel interpretationem satis receptam: 1° Illi omnes a quibus tributa *non fuerunt petita.* Quare, si nullus adsit qui vectigal exigat, potest mercator citra culpam omittere solutionem tributi, quod peti solet ratione transitus per portam vel per pontem. Imo, probabile putat Sanchez cum aliis, ne illos quidem peccare, saltem contra justitiam, qui se aut merces consulto occultant, ad declinandam tri-

Digitized by Google

buti petitionem. Ratio est, « quia hujusmodi tributa ita sunt recepta, ut non debeantur nisi petita ». — 2° Illi qui, interrogati ab exactoribus quas vehant merces, quas aut quo pretio eas vendiderint, quisnam sit bonorum jure successionis acceptorum valor, etc., veritatem infirmant. Cum enim exactor summo rigore incedere remque verificare posset, si id non praestat, satis indicat se velle agere humaniter, et praesumitur non sine rationabili causa ita se gerere. Atque hoc maxime valet, cum tributum est valde onerosum, aut dubie justum. — 3° Illi qui sunt ita *pauperes*, ut, si tributa solverent, se et suos alere non possent, sive quia mediocre ex sua negotiatione lucrum reportant, aut numerosa prole gravantur, sive quia aere alieno premuntur, etc. « Hoc enim postulat Jus naturale, ut quis prius alat se et suos, deinde tributa solvat » (III, 616, 617). Cfr. *Sanchez*, Consil., l. 2, c. 4, dub. 10, n. 11, 12.

970. — REGULAE PRACTICAE. Admonendi sunt quidem populi, ut tributa solvant. Sed, *post factum*, non sunt cogendi ad restitutionem, « si probabiliter sibi suadeant, in tanta vectigalium multitudine se aliquid injustum solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates ». Ita *S. Alphonsus* (l. c.) cum Lugo et Molina, quibus consonant Billuart, Gousset aliique communiter. — Nec proinde expedit ut confessarius a poenitentibus de tributo tacentibus exquirat an alicujus defraudationis rei sint; ne forte ipsis, si in bona fide sunt, inutiliter malam fidem injiciat.

N. B. De modo restituendi ob damna reipublicae illata, vide n. 1015, q. 3.

5. *Ad quid teneatur inferens damnum occasione militiae?*

Praenotanda. 1° Distingue inter milites *conductos* (voluntarios), qui pro mercede ad serviendum se obligant; milites *conscriptos*, qui conscriptione universali vel particulari ad militiam vocantur; milites denique qui *pro aliis se locant*.

2° Juvenes ad militiam destinati considerari possunt sive ut *conscribendi*, sive ut in *castris versantes*, sive ut *actualiter in bello occupati*.

971. — PRINCIPIA. I. **Milites in bello tenentur de omnibus damnis, quae per privatam actionem intulerunt. In bello autem, quod sciunt injustum, singuli tenentur, pro rata proprii influxus, de damnis ab ipso exercitu illatis.** Ita per se; sed ordinarie excusantur, sive propter ignorantiam, sive propter metum gravioris mali, si obedire renuerent, sive tandem propter physicam aut moralem restituendi impotentiam (cfr. n. 1017).

II. **Principes et duces tenentur primario, et in solidum, de toto damno per exercitum illato.** Ratio est, quia ipsi fuerunt veri mandantes, vel saltem quia non impediverunt actionem damnificativam, ad quod ex officio tenebantur (cfr. n. 978, 988). Vide *S. Alphonsum*, III, 407, 580; *Gousset*, I, n. 1003.

972. — III. **Soli milites conducti ex stricta justitia ad militiam tenentur; non certo autem constat, juvenes ad mititiam vocatos in conscientia obligari ad munus subeundum.** Primum

Digitized by Google

patet, quia adest contractus. — Quoad secundum, AA. dissident de justitia et de natura legis, quae *a conscriptione* nuncupatur.

Alii dicunt eam esse injustam, ex hoc saltem capite, quod justitiae distributivae adversetur, cum solae familiae, quae filios militiae idoneos habent, durum jugum subire cogantur. — Alii negant quidem eam esse injustam (saltem apud *nationes,* quibus milites stipendio conducti sufficere nequeunt), sed affirmant recensendam esse inter leges poenales, propterea quod delinquentes gravissime puniantur. — Alii demum (et horum sententia videtur esse communior) docent, conscriptionis legem obligare quidem in conscientia, sed tantum ex justitia legali. Cfr. *Pruner,* de Jure, P. II, § 72, II; *Schindler,* II, p. 799.

Ex his colliges: 1° Juvenes, qui militiam *callide declinant,* v. gr. mendaciis, verbis exaggeratis, praevia mutilatione, etc., probabiliter non tenentur restituere: *a*) neque *gubernio,* casu quo alii non supplent eorum vices; quia certe probabilius est legem non ex justitia stricta obligare; — *b*) neque *aliis* alicubi vices eorum supplentibus; quia non constat praefatas artes esse simul injustas et per se efficaces ad inferendum illis damnum; secus enim restituere teneretur, qui non recte vivendo vires suas ita enervavit ut militare nequeat. Causa vere efficax illius damni est voluntas legislatoris qui, deficiente uno, alterum vocat ad arma (cfr. n. 949, Cond. 2ª).

2° Juvenes qui *largitionibus corrumpunt* medicos vel magistratus, ut ab eis inhabiles declarentur: *a*) certo ad nullam restitutionem tenentur, si *omnes juvenes apti* ad militiam assumuntur, cum nemini damnum inferatur; — *b*) probabilius vero restituere debent, casu quo uni exempto alter succedere debet: sunt enim formalis injustitiae cooperatores, nam *excitant efficaciter publicos officiales ad inferendum damnum injustum alteri.* Qui enim ex lege non cogitur militare, *strictum* jus habet ad servandam libertatem. — Nec dicas dari licite pecuniam ad redimendam injustam vexationem; hic enim non constat de legis injustitia, nec proinde de injustitia vexationis: nisi res sit cum clericis, vel aliis, qui ab illa lege sunt jure immunes. — Ita *Gousset,* I, n. 1002; cfr. *Bonal,* Tr. de Just. et Jure, n. 337; *Haine,* t. II, q. 196; *Vermeersch,* de Just., n. 129; cfr. etiam *Nouv. Rev. Théol.,* vol. 37, p. 381. — Alii tamen opinantur, quod corrumpere officiales vel medicos non est inductio ad actionem ad quam ipsi (officiales nempe, vel medici) *ex justitia commutativa* tenerentur. Vide *Lehmkuhl,* I, n. 1177. Saltem de obligatione ex titulo strictae justitiae non constat.

In praxi caute agendum est, tum quia *plerique* non advertunt ad damnum nec sunt formalis injustitiae rei, tum quia perpauci monitis obtemperarent.

973. — IV. Peccant milites qui exercitum deserunt, et redire tenentur. Hoc exigitur ab obedientia seu justitia legali, et alicubi a religione jurisjurandi, quo se obligarunt ad militandum pro tempore a lege praescripto; vel etiam a justitia commutativa, si pacto libero se locaverunt.

Excusantur tamen: 1° si bellum sit certe injustum; tunc enim tenentur aufugere, si possint (cfr. n. 750, *Hinc,* 2°); — 2° si grave salutis periculum offenderent, v. gr. si media confitendi non suppeterent in articulo mortis, etc.; — 3° si redeuntes morte, aliisve poenis gravissimis, plectendi forent.

Digitized by Google

QUAERITUR. *Ad quid teneatur, qui* SE LOCAVERAT *pro alio, et deinde militiam deseruit?*

Resp. Tenetur per se: 1° restituere pretium acceptum, quia pacto non stetit; — 2° reparare damnum praevisum, si ille pro quo se locaverat militiam subire cogatur. Quod si nullum damnum nullumque periculum hujusmodi incurratur, non videtur urgenda restitutio, quia conductor pacto nihil intendit nisi suam liberationem; si igitur liberatio subsistat, conductus non committit injustitiam, nec pactum proprie frangit.

6. *Ad quid teneatur negligens in officio?*

Qui fuit negligens, vel imprudens, in implendo suo officio, potest teneri ad restitutionem: 1° ex injusta acceptione; — 2° ex damno illato bonis sive fortunae sive animae.

974. — PRINCIPIA. I. **Ex injusta acceptione tenentur ad restitutionem omnes stipendiati, qui sui muneris obligationes non impleverunt.** Qua de re sic Catechismus Romanus: « Illi quoque in furum numero reponendi sunt, qui, cum ad privatum aliquod vel publicum officium conducti sunt, nullam vel parvam operam navantes, munus negligunt, mercede tantum ac pretio fruuntur » (de 7° Praec.).

Hinc: 1° Episcopus, canonicus, parochus, quilibet sacerdos beneficio instructus, aut animarum curae vel alicui officio praepositus, si desint legi residentiae, aut non satisfaciant obligationibus per canones impositis, illicite atque injuste accipiunt, quae sibi sunt assignata, honoraria. — Quod si sui muneris *partem* impleant, possunt quidem honorarii partem, quae peracto labori respondeat, sibi retinere, reliquam vero tenentur conferre in Ecclesiae bonum (cfr. n. 2264, Quaeres, 2248, 2268). — 2° Judices, magistratus, professores, magistri, medici, etc., qui ob incuriam, vel ob longam aut frequentem absentiam, officio suo, sive erga rempublicam, aut communitatem, sive erga privatum, fungi negligunt, tenentur pariter illam stipendii partem restituere, quae suae incuriae absentiaeve respondeat.

975. — II. **Ex injusta damnificatione tenentur ad restitutionem quicumque, sive ob stipendium, sive sine stipendio, munus aliquod susceperunt, et alicui per incuriam graviter culpabilem damna intulerunt.** Ratio est, quia suscipientes, etiam sponte, aliquod munus, se obligant, saltem implicite et quasi-contractu, ad illud cum ordinaria diligentia obeundum (III, 555; H. Ap., X, 41). — Recole dicta n. 949.

Hinc: 1° Si quis scienter *falsa docuerit,* et damna inde alumno vel aliis probabiliter eventura praeviderit, tenetur non solum retractare falsam suam doctrinam, sed etiam reparare omnia damna, quae ex ea secutura praevidit (cfr. n. 513, 928). — 2° Si quis alumnus ad officium per consuetas obtinendum probationes studiis vacaverit, et propter professoris graviter culpabilem negli-

Digitized by Google

gentiam officium non sit adeptus, aut diutus scholam frequentare coactus fuerit: *professor,* eoque deficiente, *scholae praefectus,* professoris negligentiae culpabiliter particeps, tenetur omnia alumni vel hujus parentum damna reparare secundum aestimationem prudentum. Cfr. *Crolly,* de Rest., n. 1252.

ARTICULUS III.

De injusto cooperatore.

976. — NOTIONES. 1° Cooperator largiori hic sensu sumitur pro omni illo, qui, praeter exsecutorem, influxit in damnum proximo illatum, sive id fecerit movendo exsecutorem ad inferendum damnum (quod scandalum esse diximus); sive praebendo ei auxilium in exsecutione (quod cooperationem in strictiori sensu inscripsimus).

Cooperatores, in hoc sensu acceptos, recenset *S. Thomas* (2. 2, q. 62, a. 7) sequentibus versiculis:

> Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
> Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

2° Ex his cooperatoribus: *a*) Sex priores concurrunt POSITIVE et *directe,* quatenus mandato, consilio, suffragio, etc., moraliter movent exsecutorem ad inferendum damnum, aut quatenus physice cum eodem participant; — *b*) tres posteriores concurrere dicuntur NEGATIVE et *indirecte,* quatenus damnum quod impedire possunt, quodque ex justitia impedire tenentur, non impediunt.

Nota. In Gallia, occasione legum iniquarum, quae Ecclesiam et Ordines religiosos evertere conabantur, non parvus fuit labor peritorum, ut pro diversis cooperatoribus gradus culpae et obligatio restitutionis statuerentur. Hac super re exstant gravia S. Poenit. responsa, quae superius n. 526, II, retulimus.

§ 1. DE IIS QUI COOPERANTUR POSITIVE.

977. — PRINCIPIUM GENERALE. **Qui ad alterius damnum positive cooperantur, tenentur ad restitutionem, si eorum cooperatio certo fuit: 1° injusta; — 2° causa influens et efficax damni; — et 3° theologice culpabilis.** Constat ex dictis de damnificatore injusto (n. 949).

Unde: 1° Non teneris ad restitutionem, si exsecutor jam per se, vel per alios, ad damnum inferendum *erat determinatus,* quamvis jussione, consilio, consensu, etc. scandalum ipsi dederis. — Contra, ad restitutionem teneris, si eum tua actione revera movisti, etiamsi certe alius non defuisset, qui eum ad ipsum movisset (III, 562, 563).

2° Si influxeris, non in ipsam quidem damni substantiam, sed in damni *modum,* v. gr. ut damnum citius, animosius, vel facilius aliis mediis inferretur, non teneris ad ejus reparationem, nisi quatenus ipse ille modus damnosus

Digitized by Google

fuisset, aut damnum certe auxisset: quo in casu, de solo damni excessu teneris (III, 576).

3° Si *materialiter* tantum, seu physice, ad damnum cooperatus fueris, et principalis agens sine tua cooperatione adhuc damnum certe *intulisset,* probabilissime non teneris ad restitutionem. Sic, v. gr., excusatur a restitutione, qui tenet scalam furi ascendenti, si hic etiam sine auxilio ascendisset (III, 563, fin.).

4° Si *dubium* sit de cooperatione, i. e. de influxu tui mandati, consilii, consensus, recursus..., taciturnitatis, etc., ad nihil teneris (recole dicta n. 949, additur 4°).

His in genere praemissis, de singulis cooperatoribus dicendum est. Cfr. *Lugo,* disp. 19, s. 2; *Lessius,* l. 2, c. 13.

1. *De mandante.*

978. — NOTIONES. Mandans seu jubens dicitur ille, qui rogat aut jubet aliquid *suo nomine* fieri. — Mandatum datur vel *expresse* vel *tacite,* verbo nimirum, vel facto, quo quis alicui significat sibi gratum fore, si damnum inferat.

PRINCIPIA. I. **Mandans tenetur reparare damnum injustum vi mandati proximo illatum, et saltem in confuso praevisum.** Ratio est, quia est causa efficax et culpabilis damni injusti; qui enim facit per alium, per se facere censetur. — Secus autem, si damnum suo nomine, vel in sui gratiam illatum, *postea* tantum approbet (III, 558; H. Ap., X, 43).

II. **Mandans tenetur de damnis, quae mandatario ob mandati exsecutionem obveniunt, si illum per fraudem, vim aut metum gravem adegit, et damna secutura saltem in confuso praevidit.** Ratio, quia est causa injusta damnificationis. Secus probabiliter, si mandatarius sponte, vel mercede conductus, totum onus et consectaria in se suscipere voluerit (*Croix,* l. III, n. 24).

Ex his sequitur: 1° Mandans *ad nihil* tenetur: *a*) si mandatum revocaverit, et revocatio mandatario ante mandati exsecutionem innotuerit [1]; — *b*) si mandatarius, ex errore evitabili, alium damnificaverit, v. gr. si jussus occidere Petrum, occiderit Paulum; — *c*) si damnum evenerit, ex eo quod mandatarius mandati limites sponte excesserit. — In his enim casibus, damnum non ex mandato, sed ex malitia vel errore mandatarii secutum est.

2° Tenetur ad restitutionem: *a*) Superior qui *propositum* damni inferendi ratum habuit, atque in illud vere influxit; — *b*) mandans, cui constat mandati revocationem non fuisse auditam vel intellectam a mandatario, v. gr. ob surditatem, distractionem, aut quia interceptae sunt litterae, etc. (cfr. n. 949). Vide *Ami du Cl.,* 1913, p. 23.

[1] Si mandans suum mandatum revocasset, et revocatio *ex negligentia* Officii postarum *tardius* ad mandatarium pervenisset, de se mandans ad restitutionem teneretur, quia ipsius mandatum agere pergit, ita ut actio servi remaneat actio heri; — sed ipse habet regressum ad Officium postarum, supposito quod istud suspicari potuerit litteras transmittendas continere mandati revocationem, et eas ex negligentia culpabili retinuerit.

Digitized by Google

2. *De consulente.*

979. — NOTIONES. Consulens dicitur ille, qui consilio, precibus, promissis (ergo corrumpendo), suggestione motivi, vel ostensione viae nocendi, inducit alium ad damnum inferendum.

Differt a **mandante**: quia exsecutor mandati agit nomine et in commodum mandantis: exsecutor autem consilii proprio nomine, etsi ex alterius consilii impulsu.

Consilium est: 1° Ratione actus, *doctrinale,* si consulens de alicujus actus justitia aut injustitia pronuntiat; vel *impulsivum,* si movet exsecutorem ad actum; — 2° Ratione modi, *nudum,* si mere enuntiat sententiam de justitia vel injustitia actus, vel ad illum mere adhortatur, nullis additis motivis; aut *vestitum,* si rationes affert quibus consilium, sive doctrinale, sive impulsivum, confirmatur.

980. — PRINCIPIA. I. **Consulens tenetur reparare damnum per exsecutorem illatum, si huic dedit consilium injustum, efficax et graviter culpabile.** Constat ex dictis (n. 977), et confirmatur ex prop. 39ª ab Innocentio XI damnata: « Qui alium movet ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati ». Tenetur igitur consulens, qui propriam imperitiam noverit et illud damnum saltem in confuso praeviderit.

Nihil ad rem pertinet, etiam sine suo consilio damnum aliter eventurum fuisse, v. gr. inundatione, vel futurum fuisse ut alius idem consilium daret. — Imo tenetur consulens, si consilium, de se non sufficienter efficax, movit conjunctim cum consilio aliorum (cfr. n. 992 seqq.).

Ex his colliges: 1° Suadens MINUS MALUM parato inferre majus respectu *ejusdem personae,* nihil restituere tenetur; quia ipse non est causa damni, sed causa imminutionis majoris mali. — Tenetur vero, si id suadeat *in praejudicium tertii;* nam respectu hujus rationabiliter inviti, suasio foret injusta damni causa. Excipe, si hic tertius deberet ex caritate hoc minus malum pati, ad avertendum damnum proximi gravissimum, ne scilicet ipse proximus incidat in gravissimam necessitatem (cfr. n. 520). *S. Alph.,* III, 565, 577.

2° Qui ad damnum jam determinato suasit solum inferendi MODUM, non tenetur ad restitutionem, si modus fuerit mere accidentalis, uti sunt communiter circumstantiae temporis, loci et medii. Secus, si modus in ipsam substantiam aliquatenus redundaverit, v. gr. si auxerit damnum, si ex incerto illud reddiderit certum (III, 563, 576).

981. — II. **Consulens generatim non tenetur de damnis, quae illi ipsi, cui consilium dedit, obveniunt.** Ratio est, quia consulens, secus ac mandans, exsequenti *nullam vim* infert; praeterea, qui consilium petit, eo *libere* utitur. Scienti autem ac volenti non fit injuria.

Excipe: 1° si consulens, ratione status vel muneris, existimetur peritus, v. gr. advocatus, medicus, confessarius; — 2° si consilium dolose datum fuerit, ad hoc nempe ut petenti consilium damnum obveniret; — 3° si consilium

Digitized by Google

fuerit doctrinale, et consulens affectet peritiam, qua caret. In his enim casibus habetur deceptio et damnosa injuria, ex qua oritur obligatio restituendi (III, 564, 578).

982. — III. Consulens, qui datum consilium ante damni eventum revocat, a restitutione excusatur. Ratio est, quia, licet etiam vestitum fuerit consilium, si consulens conetur meliori quo potest modo damnum dissuadere, adducendo saltem rationem salutis aeternae, quae christiano omnibus aliis rationibus mundanis praeponderare debet, damnum non amplius *ex vi consilii,* sed *ex sola malitia* exsecutoris evenit. — Quod si exsecutorem ab inferendo damno avertere non possit, tenetur ex justitia monere laedendum, ut sibi caveat (III, 549).

3. *De consentiente.*

983. — NOTIONES. Consentiens hic intelligitur qui, injusto suffragio, voto vel sententia, est causa alterius damni. Huc veniunt illi, qui *communi consilio* aliquid decernunt vel faciunt; item *consiliarii, deputati, senatores, judices,* etc., qui ad leges vel sententias edendas, ad officia distribuenda, etc., positive concurrunt.

Consentientis suffragium est vel *consultativum,* vel *decretorium,* prout datur per modum consilii tantum, vel per modum sententiae, vi cujus exsecutio fieri debet. Praeterea, consensus datur non solum actione positiva, sed etiam negatione, absentia, silentio, abstinentia a suffragio, etc.

PRINCIPIA. I. **Consentiens, voto mere consultativo, ad restitutionem tenetur, sicut consulens;** i. e. quatenus Superiorem, vel alium, certo et efficaciter induxerit ad inferendum injustum damnum. Hoc autem ipsi innotescere potest ex circumstantiis, v. gr. si sciat Superiorem suo voto omnino, vel partim, motum fuisse (cfr. n. 980).

984. — II. Consentiens, voto decretorio, tenetur ad restitutionem sicut mandans, i. e. quotiescumque et quatenus scienter ac libere dedit consensum efficacem in damnum injustum proximi. In hoc enim casu, decretum damnificans exsurgit ex omnibus suffragiis efficacibus, seu ad validitatem decreti necessariis: unde, quisque tenetur *pro rata* et *in solidum,* ut infra explicabitur.

Hinc: 1° De damno *non tenetur* consentiens: *a*) Si bona fide tulit suffragium injustum (attamen, errore detecto, tenetur, si potest, et quidem ex justitia, suum revocare suffragium). — *b*) Si suffragium, etsi injustum et culpabile, non influxit in damnum; v. gr. quia datum est expleto jam numero votorum necessariorum, vel quia authentice revocatum est tempore opportuno. — *c*) Si, seclusa fraude, impedivit alium per suum suffragium a consecutione boni, ad quod ille jus strictum non habebat (cfr. n. 921).

2° Atvero, de damno injusto *tenetur: a*) Si fuerit ex primis suffragantibus, quorum suffragia erant necessaria ad rem definiendam, etsi praeviderit

Digitized by Google

non defuturos alios, qui consentirent. — *b*) Si fuerit quidem ex ultimis seu ex superfluis, sed dederit injustum suffragium ex praevia conventione seu conspiratione. — *c*) Si eodem tempore cum aliis, per modum unius, dederit suum votum, v. gr. per acclamationem (III, 566).

Nota. Quoad judicem, qui sententiam injustam exsecutioni mandat, vide infra n. 2292.

QUAERITUR. *An dubitans utrum suum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis, teneatur restituere?*

Resp. Vera sententia docet, teneri dubitantem sicut ceteros, pro rata, et aliis non restituentibus, ad totum; quia saltem suo suffragio deterioravit jus, quod damnificatus habebat ad exigendam restitutionem damni ab alio suffragium praebente, rem nempe incertam reddendo. Unde minime dubium est, quin sit aliquo modo concausa totius damni [1] (*Lugo,* disp. 19, n. 22 et 85).

Nota. Consentiens, qui ad restitutionem non tenetur praecise vi suffragii decretorii, v. gr. quia fuit unus ex ultimis suffragantibus, potest teneri ex alio titulo, nimirum: 1° qua *consulens,* si nempe futurum praeviderit, ut Superior vel princeps, vel coetus legislativus superior, magno superfluorum suffragiorum numero moveretur ad approbandam iniquam legem vel sententiam, quae aliter non fuisset approbata; — 2° qua *non obstans,* si cum suo voto contrario damnum impedire potuisset, et ex justitia debuisset. Vide dicenda n. 988.

4. *De palpone et receptante.*

985. — I. Palpo est ille, qui laude, adulatione, exprobratione ignaviae, aliterve, alium ad inferendum damnum impellit. — Iisdem plane obligationibus, ac *consulens,* obnoxius est, modo sciat (et hoc sufficit) se in damnum efficaciter influere (III, 567).

II. Receptans seu *recursum praebens* est ille, qui malefactori securitatem vel protectionem praestat; ex quo illatio damni vel omissio restitutionis consequitur.

Talis tenetur ad restitutionem, quatenus, cum culpa gravi, positive atque efficaciter in injustum damnum influit: v. gr. recipiendo furem, occultando furtum, aut furti instrumenta, et praestando talia, quibus malefactor animatur vel adjuvatur ad inferendum damna, vel ad non reparandum illata (cfr. 949).

Non tenetur autem, qui, post patratum furtum, coadjuvat malefactorem ad fugiendum, aut qui eum cum furto in tutum recipit ex amicitia, vel ex officio, ut stabularius; modo per hoc in futura furta non influat, praebendo furibus spem refugii in posterum. Nec similiter tenetur ille, qui furem recipit ex metu gravis damni; hic enim habendus est generatim qua participans in delicto, et ideo qua talis tractandus est quoad restitutionis obligationem (III, 568; H. Ap., X, 52).

[1] Cfr. *S. Alphonsum,* III, n. 566 cum adnotationibus P. Gaudé (II, p. 63). Ibi ostenditur, per doctrinam hic propositam non everti principia n. 963 (q. 2) et n. 994 (q. 2) admissa.

Digitized by Google

5. *De participante.*

986. — NOTIONES. Participans duplex est: alius ***in praeda,*** alius in ***delicto*** seu in actione damnosa (cfr. n. 517).

De participante in *praeda,* seu in re injuste ablata, cum sit possessor rei alienae, jam diximus (n. 940 seqq.). — De participante in *delicto* hic sermo erit.

Participans in delicto ad damnum proximi cooperari potest, vel *formaliter* vel *materialiter;* si materialiter cooperatur, hoc potest facere *proxime* vel *remote, immediate* vel *mediate,* uti notavimus supra (n. 517).

PRINCIPIA. I. **Qui formaliter cooperatur cum alio in actione damnosa, tenetur semper ad restitutionem.** Ratio est, quia talis cooperatoris actio est stricte, efficaciter et formaliter injusta.

Hinc, si secutum est damnum, tenetur ad restitutionem, qui ad majorem furis vel sicarii securitatem egit custodiam. — Item, qui, per actionem intrinsece malam, ad alterius damnum cooperatus est, v. gr. si duo in hoc consenserunt, ut aedibus ignem injicerent.

987. — II. **Qui solum materialiter cum alio ad illationem damni concurrit, potest excusari a peccato et a restitutione, si nempe agat ex causa justa et proportionata, absque pravo nocendi animo.** Ratio est, quia, in talibus conditionibus, cooperatio non est illicita, neque injusta. — 1° *Non est illicita,* etsi furi vel damnificanti adjumento sit; quia licet ex justa causa materialiter cooperari ad peccatum alterius (n. 519). — 2° *Non est injusta,* quia, in jurium conflictu, minus debet cedere majori, ut notavimus n. 914. — Insuper, cum quisque jus habeat ad sua bona conservanda, nemini interdicitur actio illa, quae per se est necessaria et directa ad proprium damnum avertendum, licet indirecte et per accidens damnum alteri eveniat. Sic nauta projicit licite merces alienas in mare, ne ipse pereat (cfr. n. 739, 949, Cond. 1ª). Vide S. Doctorem (III, 569, 571, 697).

Hinc: 1° Qui furem adjuvat, coactus ***metu mortis*** vel ***gravis infamiae,*** non peccat, nec de damno tenetur; quia dominus rei tenetur cedere juri suo inferioris ordinis, et consentire, etiam cum jactura suorum bonorum, ut alter vitae suove honori consulat. In causa enim impari seu inferiori, non est melior conditio possidentis.

2° Qui positive et directe, concursu immediato, furem adjuvat ad inferendum damnum, *ob metum similis damni* in propriis bonis, tenetur ad restitutionem; quia nemo potest positive et directe ad damnum alterius cooperari, ut in eodem genere bonorum se servet indemnem; in pari enim causa, est melior conditio possidentis. — Attamen: *a*) cooperans non peccat, si id faciat cum animo compensandi postea; — *b*) non peccat, nec ad compensationem tenetur, si absque sua cooperatione damnum fuisset certo et aequaliter illatum;

Digitized by Google

fert enim adagium: « Quod mihi prodest et tibi non nocet, teneris permittere »; — *c*) non peccat, nec ad restitutionem tenetur, qui indirecte, seu mediato tantum concursu participat, v. gr. restituendo gladium occisuro, quando id facit *ob metum majoris*, vel *similis damni*. Lege *S. Alphonsum*, III, n. 571 (ed. G., II, p. 67), qui profunde et, ut ipse fatetur, nemine eum praecedente, quaestionem hanc intricatissimam dirimit. Vide etiam superius dicta n. 520.

§ 2. De iis qui negative cooperantur.

Notiones. Cooperatores negativi sunt illi qui, ob culpabilem in proprio officio incuriam, causa sunt cur proximo damnum injuste inferatur. — Hujusmodi sunt mutus, non obstans, non manifestans.

Mutus dicitur qui ante damnificationem tacet et non monet, dum monere tenetur. — *Non obstans*, qui, dum infertur damnum, illud non impedit, licet teneatur impedire. — *Non manifestans*, qui post illatum damnum, illud non denuntiat, quamvis teneatur denuntiare.

Cooperatores negativi alii proprie, alii improprie dicuntur. Cooperatores negativi *proprie dicti* sunt illi soli qui ex *justitia*, ex officio quod ortum habuit saltem ex *quasi-contractu*, damnum proximi impedire debent, et suo muneri non satisfaciunt; cooperatores negativi *improprie dicti* sunt illi qui ex aliis motivis, v. gr. *caritatis, justitiae legalis*, haec damna avertere debent, et culpabiliter non avertunt.

988. — Principia. I. **Cooperatores negativi proprie dicti tenentur de damno alieno, si illud impedire moraliter potuerint, et culpabiliter omiserint.** Est conclusio principiorum n. 949.

Dicitur 1° *Moraliter potuerint*, i. e. cum *efficacia* et absque *nimio* incommodo, respectu habito ad gravitatem damni impediendi, ad stipendium acceptum, etc., juxta aestimationem prudentum. — Ratio est, quia leges et pacta solent ita benigne accipi et observari (cfr. ib., Cond. 3ª). Unde fit, ut cooperatores negativi saepe excusentur, ob metum gravem, a reparatione damni (*Lehmkuhl*, Cas. consc., n. 737).

2° *Et culpabiliter omiserint;* quia, sine culpa theologica, nequit esse obligatio restituendi titulo damnificationis, ut n. c. dictum est. In dubio, valent ea quae ibidem (add. 4°) notavimus. Cfr. *S. Alph.*, II, 40; III, 573; IV, 237.

Ex his resolves: 1° Princeps, magistratus, belli dux tenentur ad restitutionem damnorum, quae a feris, latronibus, militibus ob ipsorum culpabilem negligentiam dantur. — Item consiliarii, canonici tacentes, absentantes se, non impedientes iniquam constitutionem vel electionem. — Item tutores, administratores bonorum, etc., non impedientes damna pupillis, minoribus, ecclesiis obvenientia. — Item custodes montium, vinearum, silvarum, agrorum, piscinarum, qui damna non impediunt, vel facta non manifestant (confer n. 968, 2°) . . . Famuli custodientes bona domini, ipsis specialiter commissa, si non impediant damna ab extraneis . . . Item principes et domini territoriorum,

Digitized by Google

si sciant vias publicas infestari a praedonibus, et cum possint, non impediant, tenentur mercatoribus et ceteris viatoribus damna, quae ab istis accipiunt, compensare.

2° Consiliarius, deputatus, senator, etc., qui in ferendis suffragiis fuit ultimus suffragator, et praevidit futurum fuisse, ut aliorum injustum suffragium invalidaret, vel infirmaret, vel immutaret, tenetur ad restitutionem, si suffragationem *praetermiserit*. — In dubio autem, an futurum fuisset ut alii se retractarent, consilium mutaturi praesumuntur, si inculpabiliter erraverint; secus si culpabiliter, quia tunc possidet prava eorum voluntas (III, 566).

Nota. Non raro accidit, ut officiales stipendiati, non solum *omissione*, sed etiam *actione*, ad inferenda damna concurrant. In hoc casu, ex duplici titulo, ob cooperationem scilicet negativam et positivam, ad restitutionem tenentur.

989. — II. Cooperatores negativi improprie dicti peccant quidem, si damnum proximi, citra grave incommodum, non impediunt; sed non tenentur ad restitutionem, nisi judicis sententia adstringantur. Ita communiter. — Recole dicta n. 949, Cond. 1ª.

Hinc: 1° Pater, maritus, herus non tenetur de damnis subditorum, nisi ea ex speciali et publico officio praepedire debeat; vel nisi suo silentio damnificantes *positive* approbare videatur; vel nisi sua incuria damnum intendere videatur. — Idem dicendum de magistro erga discipulos, de confessario erga poenitentes, et generatim de omni Superiore non publice constituto ad temporalia inferiorum damna propulsanda. — 2° Attamen, lex positiva, ideoque judex, merito in quosdam ex illis, v. gr. in parentes, animadvertit, ad eos reddendos vigilantiores, ut l. c., Cond. 3ª, nota 1° jam diximus (cfr. *S. Alph.*, III, 40; *Gousset*, I, 963 seqq.).

CAPUT III.

De mensura et ordine restitutionis.

S. Alphonsus, III, 579; ed. G., II, p. 71; *Laymann*, l. 3, s. 5, tr. 2, c. 6; *Salmant.*, tr. 13, c. 1; *Noldin*, II, n. 498; *Aertnys*, tr. VII, n. 335, et alii cit. AA.

Cum plures damnificantes, vel seorsim singuli rem suam agere possint, vel conjunctim, atque alii aliis plus minusve in damnum influere: hinc, ex tali ordine et mensura, influxus, ordo et mensura restitutionis desumenda est. — Ad quod explicandum agemus: 1° de mensura restitutionis cuique damnificatori assignanda; — 2° de ordine servando inter eos, qui restituere debent. — Ordo autem eorum, quibus restitutio facienda est, in c. sequenti describetur.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De mensura restitutionis.

990. — *Praenotanda.* Mensuram restitutionis, respectu cujusque damnificati, jam cognoscimus ex c. praecedenti, ubi dictum est damnum reparandum esse *ad aequalitatem.* — Hic mensura determinanda est respectu cujusque damnificantis, quando *plures,* diverso influxu, ad idem damnum concurrerunt.

I. Triplex est cooperatorum genus: 1° Dantur cooperatores, quorum unus est damni *causa principalis,* alii vero sunt ejus *instrumenta.* — 2° Dantur cooperatores qui totius damni sunt *concausae,* totum damnum *aeque efficaciter* producunt, sive quia praecessit conspiratio, sive quia unusquisque ope alterius necessario indiguit, sive denique quia unusquisque sufficienter ad totum concurrit damnum, v. gr. duo consiliarii. — 3° Dantur denique cooperatores qui seorsim, independenter ab aliis, hoc vel illud efficiunt, ex quo totum damnum exsurgit.

II. Duplex est restitutionis mensura: alii enim dicuntur obligari *in solidum,* alii *pro rata* simpliciter.

1° Obligatio restituendi IN SOLIDUM *(solidaritas)* est onus incumbens *singulis* cooperatoribus reparandi *totum* damnum illatum; et subdistinguitur. Est nempe *a*) vel *absoluta,* si quis tenetur *solus* totum damnum reparare, quin habeat jus se recompensandi ab aliis cooperatoribus; — *b*) vel *conditionata,* si quisque tenetur quidem, nisi alii suam partem refundant, totum restituere, sed cum jure se ab his recompensandi. Unde talis dicitur obligari *pro rata et in solidum.*

2° Obligatio restituendi PRO RATA *simpliciter* est onus, unicuique incumbens, reparandi illam tantum damni partem, quae suae cooperationi respondeat.

991. — PRINCIPIA. I. **Quicumque fuit totius damni causa principalis, tenetur ad restitutionem in solidum absolute.** 1° *In solidum,* quia fuit totius damni causa. — 2° *Absolute,* quia ceteri cooperatores non fuerunt nisi ejus instrumenta, et quidquid ab his actum est, actum est in nomine et in favorem illius. Ita omnes (III, 580, 4°).

Hinc, v. gr., fur qui alios vocat ad asportandas res furtivas, et iis utitur tanquam instrumentis, in solidum absolute restituere tenetur. Idem dic de mandante. Vide tamen n. 995, 3°.

992. — II. **Quilibet ex cooperatoribus aeque principalibus, concurrens ad totum damnum efficaciter, tenetur ad restitutionem in solidum conditionate.** 1° *In solidum,* quia totum damnum ejus actioni adscribendum est. — 2° *Conditionate,* quia, ex hypothesi, idem damnum adscribendum est etiam aliis concausis (III, 579).

Digitized by Google

Hinc, si duo latrones duo vulnera aeque lethalia inferunt, vel alium spoliant ita tamen ut unus operi perficiendo non sufficiat, tenetur quisque in solidum conditionate ad restituendum (cfr. *Ami du Cl.*, 1911, p. 202). — Item, qui praebuit suffragium necessarium ad injustam sententiam. Cfr. *Gury*, I, 695; Cod. germ., 830, 840; austr., 1301-1304.

993. — III. Qui seorsum, sine conspiratione et sine mutuo auxilio, ad idem damnum inferendum contulerunt, tenentur singuli pro rata parte cooperationis. Ratio est, quia nullus eorum fuit causa efficax *totius* damni. — Hinc, si plures, absque mutua ope vel motione, concurrant ad furandum thesaurum, ad depopulandam vineam, singuli eorum *pro rata* tantummodo tenentur (Praxis Conf., 44).

994. — Quaesita. QUAER. 1° *Ad quid teneatur cooperator injustus, si* ABSQUE CONSPIRATIONE *concurrat ad damnum* INDIVIDUUM *seu indivisum, v. gr. ad incendendam domum?*

Resp. 1° Si concurrit ad totum damnum *totaliter*, seu influxu totali, ita scilicet, ut sine ejus opera damnum non evenisset, certe tenetur ad totum (i. e. pro rata et in solidum); etiamsi, ipso deficiente, alius eamdem operam certe praestitisset. Ita communiter cum Lessio; quia tenebatur, ex justitia, tum causam damni partialem non ponere, tum suum concursum denegare ad impediendum totum damnum.

2° Si concurrit *partialiter*, seu influxu partiali, ita nempe ut, eo deficiente, ab aliis concausis adhuc positus fuisset totus effectus, tenetur tantum pro rata sua parte. — Ratio est, quia in tali casu, etsi totum damnum ab ipso et a concausis indivisim et una actione processerit, a singulis tamen non processit nisi partialiter, unde totum damnum minime singulis imputandum est. Ita probabiliter Navarrus, Lugo et alii, contra alios, qui putant eos teneri in solidum conditionate (III, 579; *Crolly*, III, 1054).

QUAER. 2° *An teneatur in solidum,* IN DUBIO *utrum causa fuerit totius damni?*

Resp. Cum sententia communi: Non tenetur nisi ad partem suam; quia onus certum (scilicet totum restituendi) imponi nequit pro incerta obligatione. — Excipe, nisi per suam actionem rem incertam reddiderit (cfr. n. 963, q. 2).

QUAER. 3° *Utrum, in casu solidaritatis conditionatae, teneatur* TOTUM *restituere, qui dubitat an* ALII *partem suam restituerint?*

Resp. Affirmative; quia, in casu, jus domini totum recuperandi possidet; et obligatio illum indemnem reddendi tenet nocentem, donec hic probaverit, vel moraliter certus fuerit integram solutionem esse factam. Cfr. n. 947.

Digitized by Google

REGULAE PRACTICAE. « *Rudes,* praesertim illi qui *parum sunt meticulosae conscientiae,* difficulter suaderi possunt ad restituendum, quod ab aliis acceptum est; et contra, domini ipsi contenti sunt de portione illorum, ob idipsum, quod si quis obligaretur ad totum, faciliter restituere omitteret, nedum quod alii acceperunt, sed etiam quod accepit ipse » (III, 579). Confessarius igitur quemlibet istorum hortetur, ut restituat quod debet, quin quantitatem explicet, se remittens dictamini conscientiae illius. Cfr. Praxis Conf., n. 44; H. Ap., X, 54. Vide jam dicta n. 929.

ARTICULUS II.

De ordine restitutionis inter cooperatores injustos.

Haec quaestio arcte cum praecedenti connectitur. Scienti enim in qua mensura restituere debeat, inquirendum statim venit, an alius, qui sibi in inferendo damno cooperatus est, teneatur ante ipsum, vel post ipsum, vel aequaliter cum ipso, restituere.

995. — PRINCIPIA. I. **Restitutionis ordo sequitur gradus concursus, si cooperatores in diverso gradu ad damnum concurrerunt;** v. gr. si unus mandavit, alius consuluit, alius exsecutus est. Ita communiter (III, 580; cfr. *Lugo,* disp. 19, s. 4).

Jamvero, GRADUS sunt sequentes:

1° Primum locum tenet injustus rei alienae DETENTOR; res enim clamat domino. — Si rem consumpsit bona fide, ad nihil tenetur, nisi in quantum factus est ditior; si consumpsit mala aut dubia fide, tenetur restituere totum ejus pretium; quia « pro possessore habetur qui dolo desiit possidere » (Reg. 36, in Sexto). Hic valent quae n. 935-948 fuerunt statuta.

2° Deficiente detentore injusto (item si de mero damno agatur), tenetur MANDANS; quia est principalis auctor damni. — Idem dicendum est de *consulente,* qui alteri suasit, ut in sui gratiam damnum inferret, vel qui eum induxit in errorem invincibilem; etenim mandanti aequiparatur.

3° Tenetur EXSECUTOR (quo nomine venit etiam participans in crimine, v. gr. adulter ob metum consentiens); ratio est, quia exsecutor, utpote physice in damnum influens, et proprio quoque nomine agens, est principalis causa damni, post mandantem; debet igitur consulentem proprie dictum et alios praecedere.

4° Tenentur ALIAE CAUSAE POSITIVAE, ut consilium dantes in gratiam alterius, etc. — Inter hos autem est nullus ordo, quia nulla est subordinatio; consulens enim non agit per consentientem, nec consentiens per palponem aut receptatorem: nulli ergo potest totum damnum primarium imputari (cfr. 996).

5° Tenentur CAUSAE NEGATIVAE, in defectu nempe omnium positive cooperantium. Sed neque inter hos assignandus est ordo, quia nulla ex his causis est instrumentum alterius. — Ex contractu tamen tenetur ante alios ille, cui cura rei erat specialiter demandata. Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1210.

996. — II. **Indiscriminatim restituere debent cooperatores qui in eodem gradu concurrerunt,** v. gr. duo mandantes, duo consentientes. Attendendum est tamen ad mensuram influxus, seu efficaciae, quam quisque ad patrandam injustitiam contulerit (III, 581).

Digitized by Google

Ex his deduces: 1° Si causa principalis (seu superioris gradus) restituerit, vel condonationem obtinuerit, ad nihil tenentur causae secundariae, quae in inferiori gradu veniunt.

2° Si una ex causis secundariis seu subalternis restituerit vel condonationem obtinuerit, non ideo liberatur causa superior; haec enim debet facere indemnem vel inferiorem, quae jam restituit, vel dominum, qui inferiori condonavit.

3° Si una ex causis pro rata et in solidum obligatis totum restituerit, aliae tenentur ei suas partes refundere. Si qua ex eis non possit, aut nolit restituere, ejus pars reddenda est a ceteris. — Si condonationem obtinuerit, non ideo liberantur aliae causae ejusdem gradus: nisi condonatio fuerit omnino plena, vel talis merito praesumi possit.

Notandum, « quod si creditor promittat alicui ex debitoribus aeque principalibus, se eum non molestaturum, censetur *remittere* partem illius; nam si totum exigeret ab aliis, ille cogeretur ab illis ad restitutionem, et sic promissio frustranea esset » (III, 581; cfr. *Laymann*, l. III, tr. 2, c. 6, n. 3-5).

CAPUT IV.

De iis quibus restitutio facienda est.

S. Alphonsus, III, 589; ed. G.. II, p. 77; *Lessius*, l. 2, c. 4, d. 6 et 7; *Lugo*, disp. 21, n. 102; *Lehmkuhl*, I, n. 1214; *Aertnys*, tr. VII, n. 344; *Tanquerey*, II, 552.

Dicemus: 1° cuinam in genere, — 2° cuinam prius sit restituendum.

ARTICULUS I.

Cuinam sit restituendum.

Dominus laesus, cui restitutio debetur, est vel *certus et cognitus*, vel *dubius* inter plures, vel plane *incognitus;* vel denique *adiri nequit.*

997. — PRINCIPIA. I. **Si dominus sit certus et cognitus, ipsi (vel suo successori) facienda est restitutio.** Res enim clamat domino.

Attamen: 1° Si res accepta fuerit e manibus tertii justi *possessoris*, v. gr. a conductore, custode, etc., *huic tertio*, non autem domino, restituenda est, nisi ea probabiliter abusurus praevideatur, cum domini injuria (H. Ap., X, 64).

2° « Accepta a filiofamilias, pupillo, furioso, uxore, religioso, si sint ex iis bonis, quorum administratio ipsi non competit, plerumque restituenda sunt *patri, tutori, marito, praelato* » (III, 596, 4°). — Quoniam vero alia in aliis regionibus praescribuntur, standum est ordinarie, hac in re, ipsis verbis legis.

Digitized by Google

3° Si creditor coactus fuerit suorum bonorum cessionem facere, restitutio ac debitorum solutio, generatim, faciendae sunt *administratori,* quem publica auctoritas constituit.

Licet tamen, quandoque, et ipsi *creditori* restituere, si nempe in tanta necessitate versetur, ut illo debito ad vivendum absolute indigeat; quia, uti communiter docent, cedens quis bonis potest ea certe subducere, quae sibi et familiae ad vitam sunt necessaria (cfr. n. 1023).

4° Restituendum est *communitati,* si communitas damnum passa est. Attamen restitutio bonorum ad rempublicam pertinentium, etiam pauperibus fieri potest. Vide quae dicentur n. 1015, q. 3.

Restituendum est communitati laesae, etiamsi haec societas, ratione finis, prava esset, v. gr. secta acatholica. Excipitur casus quo societas jus exsistendi non haberet, v. gr. franco-murarii; tunc enim ejus membris esset restituendum (S. Off., 21 Sept. 1842). De modo restituendi societati assecurationis, vide ib., q. 2.

Ex his conclude: a) Qui haeredibus defuncti restituere debet, nequit *ope missarum,* in gratiam *defuncti* persolutarum, debitum exstinguere. Excipe, si vere praesumatur consensus haeredum. *Ami du Cl.,* 1913, p. 23.

b) Si quis, *stante domino certo,* de consilio confessarii restitueret pauperibus, in rigore juris non satisfaceret. S. Doctor tamen (III, 704) non audet eum obligare ad denuo domino restituendum.

Notanda, EX LEGE CIVILI: 1° Solutio bona fide facta illi, qui crediti titulum possidet, valida est; etsi postea possessor crediti evictionem patiatur [1]. — 2° Nulla est solutio facta creditori, qui ad eam recipiendam incapax est, puta minori, interdicto, etc. Excipe, nisi debitor cognoscat rem, quam solvit, attulisse utilitatem creditori [2].

998. — II. Si inter plures dubius sit dominus laesus, pro numero personarum de quibus est dubium, vel inter eas dividendum est, vel restituendum pauperibus, aut causis piis, aut civibus.

1° Si dominus dubius sit *inter paucos* (tres aut quatuor alicujus loci), debet res vel pretium *inter illos* dividi, nec potest dari pauperibus; quia dominus non debet privari spe, quam habet recuperandi partem rei suae. Potest etiam locus esse compositioni inter hos omnes.

2° Si dominus, vel pauci domini, qui certe defraudati sunt, sint dubii *inter multos,* v. gr. quia discerni nequeunt inter loci habitatores, restitutio non est necessario facienda incolis illius loci, sed sufficit si fiat *quibuslibet pauperibus,* vel *piis causis* [3]. Ratio est, quia res verisimiliter non potest pervenire in manus proprii domini, vel solum in minima portione (III, 589).

[1] Cod. gall., 1240; ital., 1242; hisp., 1164; germ., 822, ex quo dispositio paululum diversa viget. — [2] Cod. gall., 1241; ital., 1243; austr., 1424; hisp., 1163; germ., 107. — [3] Vide n. 1083, II, quae sint causae piae.

Digitized by Google

3° Si *multi* domini incerti alicujus communitatis fuerint damnificati, restitutio absolute facienda est hujusce laesae communitatis vel civibus, vel saltem pauperibus.

a) Facienda est *civibus* quando hoc moraliter possibile est, puta si mercator defraudaverit multos in pondere vel pretio, et possit deinceps sine infamia augere pondus, vel minuere pretium erga ementes ordinarios, qui defraudati praesumuntur. — *b*) *Pauperibus loci* est facienda, accedente aliqua rationabili causa, puta si quis non possit restituere civibus sine aliquo notabili incommodo, vel si urget necessitas aliquorum valde indigentium, quibus praesumuntur cives illi non esse inviti restitutionem fieri (Praxis Conf., n. 41, 3°).

999. — III. Si dominus penitus lateat vel nequeat adiri, res aliena vel retineri potest, vel tradi debet ex toto aut ex parte causis piis pro diversitate circumstantiarum.

1° Si res accepta fuerit *bona fide,* puta si quis ex inculpabili errore acceperit majus debito, habenda est tamquam *res casu inventa,* Quare, si dominus, facta morali diligentia, reperiri nequeat, res retineri potest, quia pro derelicta habetur (cfr. *S. Alph.,* III, 603). Vide dicta n. 884 seqq.

2° Si accepta fuerit *mala fide,* seu ex delicto, eroganda est, juxta communem sententiam, in *eleemosynam* vel in *alias pias causas,* pro salute domini. Etenim: *a*) talis res retineri nequit, quia nemo ex malitia sua commodum reportare debet; — *b*) eroganda est in pauperes vel in causas pias, et non in alium usum; quia praesumitur talem esse domini voluntatem. — De hoc certo constat ex Jure canonico, quoad lucrum usurarium et simoniacum; et ita fert consuetudo generalis, quoad ceteros casus, quae consuetudo nititur Jure naturali, ut notat *Lugo* (disp. 21, n. 100). Cfr. *Lehmkuhl,* I, 1216 [1].

3° Si accepta fuerit *dubia fide,* debet, perseverante post debitam inquisitionem dubio, partim impendi in causas pias, et potest partim retineri (cfr. n. 945 et 946, 3°). Vide S. Doctorem, III, 588; H. Ap., X, 64-70.

Notanda. a) Si, praetermissa debita diligentia ad inveniendum dominum, res erogata fuerit pauperibus, damnum domino postea comparenti resarciendum est. — Secus si, spectatis omnibus circumstantiis, prudenter judicetur jam non amplius fieri posse, ut dominus reperiatur; quia, in hoc casu, pauper acquirit rei absolutum dominium, sine ullo restitutionis onere (III, 589, 590).

b) Si nullus ex dominis sive cognitis, sive dubiis, graviter laesus fuerit, restitutio ipsis solum sub levi facienda est, ut patet; pauperibus autem vel causis piis, sub gravi; quia grave est, ut supponitur, totum damnum communitati illatum (III, 534, q. 2).

c) Si ipse fur vel damnificator sit pauper, potest, ex prudenti aestimatione, restitutionem pauperibus debitam *sibi,* aut *suae familiae* applicare (Praxis Conf., n. 44, 3°).

[1] Non desunt qui, saltem pro iis qui ante baptismum modo praedicto deliquerunt, obligationem restituendi unice ad normam Juris naturalis statuunt. Cfr. *Linz. Quart. Schr.,* 1908, p. 338.

Digitized by Google

QUAERITUR. *Cuinam simplex damnificator restituere debet, si dominus, qui damnum passus est, ignoretur, vel adiri nequeat?*

Resp. Fictione juris, damnificator eo ipso ditescit, quod retinet aliquid, quod ob damnificationem solvere deberet. Videtur igitur quod eadem principia ipsi sint applicanda ac pro fure, qui rem alterius detinet. Unde, in casu, damnificator pauperibus restituere debet. Ita probabiliter *Lugo* (disp. 21, n. 100) et alii. — Probabilis tamen est etiam opinio eorum qui dicunt in casu *nemini esse restituendum:* damnificator enim non retinet rem alienam; — praeterea, obligatio causis piis restituendi non omnino certo a jure naturae imponitur. Vide *Aertnys,* l. III, n. 346, q. 4°.

N. B. De COMPOSITIONE cum S. Sede, super *debitis incertis,* vide n. 1029.

ARTICULUS II.

Cui prius restituendum sit.

1000. — Si debitor universis suis creditoribus satisfacere potest, in restituendo nullus ordo necessario servandus est. — Secus, servandus est ordo creditorum (III, 684). Cfr. *Lessium,* l. 2, c. 15; *Lugo,* disp. 20, s. 1-7.

Hic ordo duo sibi exposcit: 1° alterum, ut priori classi creditorum integre satisfiat, nulla ratione habita de classe posteriori; — 2° alterum, ut, si bona non sufficiant ad integre satisfaciendum creditoribus ejusdem classis, singulis ex ipsis satisfiat pro rata parte.

Praefatum ordinem praescribit sive lex naturalis, sive lex positiva. Sed, prae omnibus servandus est ordo, quem *lex positiva* praescribit, in quantum est determinatio ipsius legis naturalis, et notandum, quod ordo a lege positiva statutus *in conscientia obligat,* quoties non repugnat Juri naturali (III, 689, 6°).

§ 1. ORDO CREDITORUM EX LEGE POSITIVA.

1001. — Ordo creditorum varius est, pro variis regnis.

Ante omnia, res aliena, in individuo apud debitorem exsistens, *domino* reddi debet. Cfr. n. 995, 1°.

Quoad *creditores,* ex Jure moderno primum locum obtinent creditores privilegiati, juxta ordinem a lege statutum; secundo loco veniunt reliqui creditores hypothecarii; tertio denique chirographarii seu communes, qui nulla juris praerogativa fruuntur (cfr. H. Ap., X, 109).

1002. — I. **Creditores privilegiati.** Per PRIVILEGIUM hic intelligitur jus, quod qualitas crediti ita tribuit creditori, ut hic ceteris creditoribus, etiam hypothecariis, anteponatur. — Hujusmodi privilegia possunt esse super *mobilibus,* vel super *immobilibus,* vel super *utrisque simul:* prout creditor praelationem habet, ut prius sibi solvatur ex debitoris mobilibus tantum, vel ex immobilibus, vel simul ex utrisque. —

Digitized by Google

Insuper privilegia sunt *generalia,* vel *specialia,* prout se extendunt ad omnia mobilia vel immobilia, vel tantum ad quaedam specialia.

Inter credita privilegiata generatim veniunt impensae judiciales, funerales, medicinales pro ultimo morbo, stipendia famulorum, debita pro alimentis, merces architectorum et operariorum pro aedificiis constructis, etc. Videatur JUS PARTICULARE cujusque loci [1].

Nota. Ordo, inter ipsos privilegiatos, statuitur non ex prioritate temporis, sed ex qualitate cujusque crediti, cui ipsa lex suum locum seu praelationis gradum assignat.

1003. — II. Creditores hypothecarii. HYPOTHECA est jus *reale,* quod habet creditor in bonum aliquod immobile, ut ex illo solutionem obtinere possit, si debitor aliter non solvat. — Hypotheca est vel *legalis,* vel *judiciaria,* vel *conventionalis,* prout lege, judicio, aut pacto constituitur. — In *Germania* vero, sola conventionalis viget [2].

Hypothecam LEGALEM habent: 1° uxor in bona mariti, pro dote recuperanda; — 2° minor vel interdictus in bona sui tutoris; — 3° gubernium, municipia, et instituta publica in bona suorum administratorum, qui sunt reddendae rationi obnoxii.

Hypotheca JUDICIARIA, ex judicis decreto, statuitur in gratiam eorum, qui causam obtinuerunt: si, v. gr., judex aliquem damnat ad certum damnum resarciendum, tunc, vi illius sententiae, cuncta bona immobilia damnati pro damno reparando hypotheca gravantur.

Hypotheca CONVENTIONALIS est contractus *sollemnis,* quo, servatis determinatis formalitatibus, persona ad contrahendum habilis bona specialiter designata creditori obligat, in debiti determinati assecurationem et solutionem. — Bona minorum, interdictorum et absentium non possunt hypotheca gravari, sine consensu Consilii familiae vel sententia judicis (cfr. n. 1174).

EX NOVIS LEGIBUS: 1° Privilegium hypothecarium non valet, nisi a die inscriptionis apud conservatorem hypothecarum. — 2° Nullus ordo servatur inter eos, qui eodem die (aut sub eodem numero) inscribuntur; sed singuli habent jus pro rata parte debiti. Pro aliis vero, qui diversis diebus (vel numeris) inscribuntur, valet regula: « Qui prior est tempore, potior est jure » [3].

§ 2. ORDO CREDITORUM COMMUNIUM EX LEGE NATURALI.

Ex lege naturae pauca sunt certa, ideoque plura controversa.

1004. — PRINCIPIA. I. **Res aliena, exstans apud debitorem, debet reddi domino, nec potest aliis dari in solutionem.** Ratio est, quia res clamat domino, et debita ex propriis solvenda sunt, non ex alienis. Ergo dominus rei semper praeferendus est, nisi intercedat lex positiva, ut diximus n. 936. Cfr. *Lugo,* disp. 20, s. 2.

[1] Cod. gall., 2095-2113; ital., 1952-1963; hisp., 1921-1929; in Austria viget lex 25 Dec. 1868 (cfr. *Delama,* de Just., n. 365); in Germania lex 17 Maii 1898, § 61 (cfr. *Kürschner,* Lexicon des d. R., v. *Konkursforderungen*). — [2] Cfr. *Barre,* Bürgerl. Gesetzbuch und Cod. civ., § 59 seqq.; Cod. austr., 449. — [3] Cfr. Cod. gall., 2114-2203; ital., 1964-2075; hisp., 1874-1880, lex Hypoth., 8 Febr. 1861; germ., 879.

Digitized by Google

II. **Debita ex titulo oneroso** (*sive ex contractu orta sint, sive ex delicto*) **solvenda sunt prae iis, quae titulo tantum gratuito nituntur.** Ratio est, quia in pacto gratuito semper subintelligitur conditio: ut sine damno tertii fieri possit, vel: nisi rerum status notabiliter mutetur. Urget nempe axioma: « Nemo liberalis, nisi liberatus ». — Hinc debita defuncti solvenda sunt ante omnia vota et legata, etiam pia (III, 684-689).

1005. — Minus certa, *probabilia* tamen sunt sequentia:

1° *Creditores certi* sunt probabiliter anteponendi creditoribus incertis, seu incognitis. — Ratio est, quia in id consentire praesumuntur creditores incerti vel incogniti: tum ut debitor liberetur a creditoribus certis eum prementibus, tum ut ipsi conservent jus suum integrum, casu quo postea, mutatis circumstantiis, illud recuperare possint. Ita communiter.

Sed probabilis est etiam sententia opposita, quae dicit tunc pauperes esse aequales in jure suo cum creditoribus certis: « Talis enim praesumitur voluntas creditorum, ut quod ipsis nequit restitui, restituatur pauperibus pro ipsorum animabus » (III, 687).

2° *Creditores pauperes* divitibus probabiliter praeferri possunt. Ratio *D. Thomae* (Opusc. 73, c. 18, v. fin.) est, quia pauper majus damnum suffert.

Sed probabilius alii dicunt, pro rata, tam diviti quam pauperi, restituendum; quia justitia commutativa ad jus tantum, non ad personas attendit. — Excipe casum, quo alii creditores tenerentur, ex praecisa obligatione eleemosynae, tali creditori pauperi subvenire (III, 691; H. Ap., X, 113).

3° *Creditores tempore priores* possunt posterioribus anteponi, ex probabiliori et communiori sententia. Nam Regula 45 in Sexto: « Qui prior est tempore, potior est jure », licet a lege civili pro solis hypothecariis assignetur, assignatur tamen a Jure canonico pro omnibus, et fundatur in ipsa lege naturae.

Sed etiam sententia negans probabilis est; quia creditoribus chirographariis seu communibus non obligantur bona, sed ipsa debitoris persona; id vero aequaliter pro omnibus, sine prioritate (H. Ap., X, 112).

4° Si unus creditorum *petat prior* solutionem *in judicio,* potest ei totum debitum solvi, etsi aliis tempore posterior sit; quia sententia judicis confert ei privilegium. — Et idem probabilius dicendum est, si petat *extra judicium;* quia jura favent vigilantibus, eisque speciem privilegii conferunt (III, 692; H. Ap., X, 114).

Excipe, si *publice* jam declarata sit cessio bonorum; quia tunc jam exsistit debitor spoliatus bonorum suorum administratione, et juridica cessio confert omnibus creditoribus communibus jus ad ratam cujusque partem (cfr. n. 1021).

Digitized by Google

1006. — *Ex his colliges: a*) Creditori *probabile jus* praelationis habenti potest debitor integre satisfacere, sed non tenetur. — Creditor autem, facta hujusmodi solutione, potest illam retinere. Ita videlicet ex principiis aequiprobabilismi (cfr. n. 74).

b) Creditori nec *certum* nec *probabile* jus praelationis habenti non potest debitor, omnibus solvendis impar, satisfacere integre, sed pro rata tantum, sicut aliis creditoribus aequalis gradus. — Quare juxta *veriorem* sententiam, si creditor integram solutionem *ultro sibi oblatam* accepit, non potest eam retinere, sed debet ex ea aliis creditoribus ratam partem restituere. « Nec prodest creditori quod acceperit in bona fide; nam licet accipiendo non fecerit injuriam aliis creditoribus, facit tamen retinendo cum damno ipsorum, qui saltem aequale jus habebant ad bona debitoris » (III, 693).

Verumtamen, si creditor, qui *bona fide* integram solutionem accepit, non facile eo adduci possit, ut credat se ad restitutionem teneri (maxime quando ad id Jure positivo non constringitur), restitutio non videtur urgenda. — Ceterum, quia versamur in materia juris stricti, *omnino constare* debet de injusta acceptione. Non desunt AA., qui cum Lugo dicunt creditorem (de quo sermo est) non teneri ad restitutionem. Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1221.

CAPUT V.

De circumstantiis restitutionis.

S. Alphonsus, III, 676; ed. G., II, p. 151; H. Ap., X, 104; *Lugo,* disp. 20; *Billuart,* Diss. VIII, art. 14-19; *Laymann,* l. 3, s. 5, tr. 2, c. 10; *Salmanticenses,* tr. 13, c. 1, ubi fuse; *Lehmkuhl,* I, n. 1222.

1007. — Hic tractanda sequenti enuntiantur generali principio: **Restitutio facienda est tempore, loco et modo, quibus damnificati jus atque utilitas id requirunt, et quibus moraliter fieri potest a debitore;** id est *sine gravi incommodo,* quod in re sua propria ultra debitum pateretur (III, 676). — Hoc principium omnia quidem continet, sed ad majorem rei intelligentiam paulo fusius explicandum est.

1. Quo tempore sit restituendum.

1008. — Principia. I. **Restitutio, quae obligat ex delicto vel ex possessione rei alienae, facienda est quamprimum fieri potest.** Jus enim naturale exigit, ut res aliena, invito rationabiliter domino, non retineatur. Recole dicta n. 926.

Hinc: 1° Qui advertit ad restitutionis obligationem et *sine justa causa* differt restitutionem *per notabile tempus,* peccat graviter, si exinde dominus grave damnum patiatur, vel restitutio impossibilis evadat. — Secus, si dilatio esset modica, v. gr. 20 dierum, et creditor nec damnum pateretur grave, nec graviter censeretur invitus (III, 679).

Digitized by Google

2° Qui differt *ex justa causa,* v. gr. ad vitandum scandalum, infamiam, etc., non peccat. — Atvero, si debitum sit *ex delicto,* fur, etsi juste differat, tenetur reficere totum damnum, quod creditor inde patitur; quia per furtum antea patratum exsistit causa damni. Ita ex communi et probabiliore sententia. — Secus, si debitum sit *ex alio titulo,* v. gr. ex contractu, vel ex possessione bonae fidei. — Secus etiam, si dominus merito censeatur id non exigere; vel si damnum non fuerit ullo modo praevisum (III, 680).

Nota. Alia opinio non improbabilis dicit: furem, *si juste differat,* non obligari posse ad compensandum damnum ex dilatione domino obveniens. Ratio est: quia fur (qui supponitur velle restituere) desinit esse damnificator injustus quoad nova damna. Praeterea, consentire censetur dominus ad dilationem, si differendi causa est justa.

1009. — II. Restitutio ex contractu (seu potius solutio) facienda est tempore de quo fuit conventum. Ubi tempus non fuit determinatum, non peccat graviter debitor, si non restituat donec moneatur a creditore. Ratio est, quia sic fert praesumpta voluntas creditoris.

Excipe, nisi creditor ob timorem, oblivionem, aut impotentiam omittat monere; vel nisi debitor obligaverit se cum juramento; quia juramentum de se obligat quamprimum. — Imo, licet creditor petat, non est damnandus de culpa gravi, qui differt solvere debitum *ex contractu,* sine gravi damno creditoris; quia talis dilatio non videtur graviter injuriosa, nec ideo creditor censetur graviter invitus (III, 678, 680).

Nota. Creditor, nisi ad id pacto vel sententia judicis adigatur, non tenetur debitum accipere per partes. Ita ex Jure civili et naturali [1].

2. Quo loco sit restituendum.

1010. — Principia. I. Possessor bonae fidei satisfacit, si rem restituat in loco, ubi eam possidet. Hinc, non tenetur, *ex justitia,* rem transmittere ad dominum, si is forte in alio loco degit. Ratio est, quia non tenetur in statum pristinum restituere illum, quem per formalem injuriam inde non dejecit (cfr. n. 935). Secus tamen *ex caritate,* citra incommodum grave.

1011. — II. Possessor malae fidei et injustus damnificator debent rem restituere in loco, ubi dominus eam habiturus esset, si non fuisset ablata; idque suis sumptibus. Ratio est, quia dominus injuste damnificatus debet servari indemnis (cfr. n. 941).

Quoad *expensas,* ad quas tenetur fur, ut rem domino restituat, alii eum obligant ad quascumque; alii ad illas tantum, quae valori furti aequivaleant. — Sed sententia probabilior cum *Lugo* (disp. 20, n. 190) dicit, furem generatim teneri rem, vel rei valorem, si ipsa res mitti nequeat, domino transmittere, licet transmissionis expensae forent *duplo majores* quam debitum. Si vero

[1] Cod. gall., 1244; ital., 1246; austr., 1415; hisp., 1169; germ., 266.

Digitized by Google

expensae hanc proportionem superent, restitutio vel differri potest, si nempe spes adsit serius praestandi dominum indemnem, vel tali spe deficiente, facienda est pauperibus, ex praesumpta domini voluntate. — Probabile est etiam, furem posse differre restitutionem, quae *cum gravi suo damno* facienda esset; dummodo dominus ex restitutionis dilatione non simile detrimentum patiatur (III, 598, 697, 702). — Ceterum, ut notat *Aertnys* (l. III, 353), haec quaestio hodie supervacanea est in multis casibus, cum valor rei faciliter fere ubique gentium mitti possit.

Nota. Semper a possessore malae fidei deduci possunt illae expensae, quas dominus ad rem servandam vel deferendam facere debuisset (III, 677).

1012. — III. **Debitor ex contractu debet eo loco solvere, de quo inter partes conventum fuit expresse vel tacite.** Tacite, i. e. juxta leges, quae pro variis contractibus vigent. — Regulariter, praecisis pactis, solutio eo loco facienda est, ubi initus fuit contractus, et sumptibus illius, in cujus favorem contractus factus est (III, 678; cfr. Cod. germ., 269, 270).

1013. — QUAERITUR. *An debitor liberetur, si debitum transmissum per nuntium* FORTUITO *vel* CULPA NUNTII *perierit?*

Resp. Dist. 1° Si fuerit possessor *bonae fidei,* et rem miserit per nuntium fidelem (eo magis per confessarium), liberatur a restitutionis obligatione. Ratio est, quia (seclusis culpa, mora et pacto) res perit domino seu creditori. — Teneretur tamen post judicis sententiam, si culpa juridica intercessisset.

2° Si fuerit possessor *ex delicto,* non liberatur. Ratio, quia debitor hujusmodi tenetur absolute creditorem indemnem reddere, ac proinde omne etiam fortuitum periculum subire. Et quamvis creditor praesumatur consentire in restitutionem per alium, ne fur se prodat, non censetur tamen nec tenetur remittere jus suum, quamdiu non fuerit factus indemnis (cfr. *Ami du Cl.,* 1910, p. 746).

Vide tamen quomodo *S. Alphonsus* sententiam suam temperat (III, 704; ed. G., II, p. 172). Addit enim: « Quia *Lessius* et *Sporer* non audent sententiam contrariam (quae deobligat furem) damnare, nec ego audeo ».

3° Si fuerit debitor *ex contractu,* liberatur, casu quo *creditor* dominium rei habeat, ut in deposito et commodato. — Secus, si dominium rei sit penes *debitorem,* v. gr. si agatur de solvendo rei emptae pretio (III, 704; cfr. *Gury,* I, 711.

Etiam in hoc casu, non desunt qui affirment debitorem liberari, si per confessarium debitum transmiserit. Vide *S. Alphonsum* (l. c. in fine). Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1224.

Nota. Debitor, quicumque sit, ab omni onere eximitur: 1° Si creditor (item, si lex aut judex) designaverit personam per quam, aut modum quo, sibi rem debitam mitti velit. — 2° Si reliquerit libertatem eligendi personam, quam vellet, modo prudens et fidelis eligatur. — Confessarius igitur, ait *Konings*

Digitized by Google

n. 794, qui onus restituendi pro poenitente in se assumpsit, *prudenter* creditorem interrogabit, qua ratione rem ad se mitti cupiat (cfr. n. 1014, 1°). Cfr. etiam quae sapienter notat *Aertnys*, III, n. 357.

3. Quomodo sit restituendum.

1014. — Principium. **Generatim requiritur et sufficit, ut restitutio eo modo fiat, quo justitia violata plene seu ad aequalitatem reparetur.** Constat ex notione restitutionis (n. 924).

Hinc: 1° Non est necessarium, ut restitutio fiat *per ipsum debitorem;* sed fieri potest per alium quemlibet, modo res suo domino reddatur. — Potest fieri, v. gr., per confessarium, si necesse sit; sed tunc magna cautela opus est, tum ut sigillum confessionis illaesum remaneat, tum ut poenitens resciat creditorem vere debitum recepisse, ne unquam suspicio contra confessarii probitatem suboriri queat.

2° Non est necessarium, ut restitutio fiat *advertente domino;* quia hoc non requiritur, ut sit indemnis. Sic, v. gr., debitor restituere potest, augendo pondus vel mensuram in vendendo, aut debitum opus in laborando (cfr. 998, 3°).

3° Valet, probabilius, restitutio facta *per simulatam donationem,* ut communiter docetur. Si tamen creditor, gratitudine motus, aliud donum rependeret, hoc iterum ei restituendum esset; quia donatio antidoralis, in hoc casu, falso niteretur fundamento, ac proinde non valeret (*Ami du Cl.*, 1906, p. 249).

4° Valet etiam, restitutionis loco, *donatio gratuita* creditori facta a debitore quamvis iste sit debiti *immemor,* nec ad restitutionem attendat (III, 700, 2°). Item dic de eleemosynis, si nempe quis pauperibus restituere debeat.

Notetur: a) Si creditor injuriae sibi factae sit conscius, auctoris autem nescius: prudenter ipsi manifestanda est restitutio, ut cesset ab omni inquisitione. — A fortiori manifestanda est cognoscenti injuriae auctorem, ut abstineat ab inimicitia, a repetitione, a compensatione occulta. — *b*) Si quis publice contra justitiam deliquerit, tenetur etiam, saltem ex caritate, reparare scandalum (cfr. n. 514).

1015. — **Quaesita.** Quaer. 1° *Quomodo facienda sit restitutio a* domesticis?

Resp. 1° *Uxor et filii* tenentur restituere ex bonis propriis. — Quod si propria non habeant: *uxor* tenetur parcimonia et opera reparare damnum, aut saltem post mortem viri, in divisione bonorum communium, debitum computare in suam partem; item *filius* tenetur furta conferre in divisionem haereditatis, si quantitas rei ablatae sit *valde magna,* nec pater restitutionem tacite vel expresse remiserit (III, 542, 546). — 2° *Famuli,* si absque magna difficultate restituere non valeant, jubeantur compensare officiis et obsequiis extraordinariis, quantum possunt (cfr. n. 907).

Quaer. 2° *Quomodo facienda sit restitutio pro damnis* cuidam *privatae* societati (*v. gr. assecurationis contra incendia, etc.*) *illatis?*

Notandum quod hic non agitur de *societate publica* assecurationis, quae ad fiscum pertinet; in quaes. sequenti de hac sermo erit.

Digitized by Google

Resp. Aliqui opinantur impossibile esse, ut restitutio ad veros dominos, et ad horum unumquemque pro parte sibi debita certo perveniat, si facienda sit societatibus assecurationis sic dictae *mutuae,* vel illis saltem, quarum multi sint socii, v. gr. pro viis ferreis; eo quod post damnum societati illatum et ante restitutionem, plurimi forte socii ex ea exierint, ac ignoretur qui illi sint, et qua portione socii fuerint. — Id nobis videtur valere *pro solo casu dissolutionis* societatis; nam sociis, qui ex societate exeunt, alii succedunt cum jure ad credita et obligatione ad debita societatis. Unde *per se* restituendum est administratoribus societatis.

Casu autem quo constaret, v. gr. ob infidelitatem officialium, restitutionem ad aerarium societatis non fore transmittendam et singulis sociis pro rata sua parte distribuendam, *causis piis* restituendum esset (*Aertnys,* l. III, n. 358; *Konings,* n. 1040).

Idem dicendum, si constat societates esse *retroassecuratas;* tunc enim si damnum ipsis obvenit, illud certe pro majori parte compensabitur. Illi vero quos damnificator indemnes facere deberet, in permultis casibus remanent ignoti (cfr. *Göpfert,* II, n. 126).

QUAER. 3° *Quomodo facienda sit restitutio pro damnis* REIPUBLICAE *illatis?*

Resp. 1° Praeter media a lege forte assignata (lex hujusmodi exsistit in Austria; pro Belgio, cfr. *Haine,* II, q. 170), datur modus facilis et efficax, in hoc consistens ut restitutioni obnoxius emat et comburat *obligationes* aerarii publici, vel publica sigilla ad litteras a taxa liberandas *(timbres-poste, francobolli),* vel aliud quid ejusdem generis. — 2° Si nullum praesto est medium aptum, restituendum est in usus pios. Talis enim restitutio reipublicae certe prodest, eo quod minus in pauperes insumere debebit; et insuper, in multis locis, tanquam compensatio pro injuriis Ecclesiae illatis considerari potest (*Konings,* 795).

CAPUT VI.

De causis a restitutione excusantibus.

S. Alphonsus, III, n. 696-706; ed. G., II, p. 161; *Lugo,* disp. 21; *Lessius,* l. 2, c. 16; *Billuart,* tr. VIII, art. 20; *Carrière,* n. 1267; *Lehmkuhl,* I, 1228; *Reuter,* P. III, n. 351; *Noldin,* II, 514; *Génicot,* I, n. 557; *Aertnys,* tr. VII, n. 359.

1016. — Causae, quae a restitutione excusant, sunt illae, ob quas obligatio restituendi jam contracta vel *suspenditur,* vel omnino *tollitur.*

PRINCIPIUM GENERALE sic enuntiari potest: **Quotiescumque creditor rationabiliter consentire debet, ut restitutio differatur vel**

Digitized by Google

omittatur, potest haec differri vel omitti, etiamsi creditor esset de facto invitus. Ratio palam est: ubi enim dominus non est rationabiliter invitus, detentio rei alienae nequit dici injusta. Cfr. n. 727.

Ad elucidandum autem istud principium, speciatim agemus: 1° de causis, quae *suspendunt* obligationem restituendi; — 2° de causis, quae eam *tollunt*

ARTICULUS I.

De causis quae restituendi obligationem suspendunt.

Praeter *ignorantiam invincibilem,* quae quamdiu perseverat, excusat a restitutione, recensentur tres aliae causae, videlicet: 1° debitoris impotentia; — 2° damnum creditoris aut tertii; — 3° cessio bonorum.

An excuset *dubia* solutio debiti, vide dicta n. 947.

1. *Impotentia debitoris.*

Duplex haberi potest restituendi impotentia: *a*) *physica* seu *absoluta*, quando debitor non habet unde restituat; — *b*) *moralis,* quando absolute quidem habet unde restituat, sed non potest restituere *sine magna difficultate,* sive ob praesentem necessitatem sui vel suorum (i. e. filiorum, patris, matris, conjugis), sive ob damnum ex restitutione secuturum.

1017. — PRINCIPIA. I. **Impotentia physica suspendit obligationem restituendi.** Patet ratio; nam ad impossibile nemo tenetur (vide tamen dicta n. 926).

Impotentia physica, si est perpetua, obligationem restituendi exstinguit. Hoc extende ad religiosum cum votis perpetuis, injustitiae noxium; qui tamen, secundum aliquos AA., a Superiore petere debet condonationem; secus enim talis religiosus melioris esset conditionis quam laici ad restitutionem obligati (*Ami du Cl.,* 1913, p. 1032; 1914, p. 366).

II. **Impotentia moralis eamdem obligationem pariter suspendit:** i. e. nullus tenetur statim restituere, si ex restitutione notabiliter majus detrimentum sibi obveniret, quam foret commodum creditoris. — Ratio est, quia, in tali casu, creditor prudenter et rationabiliter permittere debet suspensionem juris sui, ut servetur ordo caritatis (III, 598). Cfr. *Ami du Cl.,* 1912, p. 634.

1018. — Excusatur itaque DEBITOR, *etiam ex delicto:*

1° Si restituere nequeat absque periculo *salutis animae* propriae vel suorum: v. gr. si sit periculum, ne uxor aut filiae se prostituant, ne filii se dent in latrocinia.

2° Si restituere nequeat absque periculo *vitae* aut *famae,* modo jactura famae non sit minima vel infima respectu damni magni et notabilis, quod creditor in bonis subiret (III, 698).

Digitized by Google

Sic, v. gr., notarius non tenetur falsum a se confectum instrumentum pandere, ut damnum in bonis fortunae aliis illatum, cum gravissimo famae suae detrimento et carceris periculo reparet. Tenetur tamen cum damno fortunae etiam graviori (cfr. supra n. 915).

3° Si restituere nequeat absque damno suo tanto, ut inde *duplum valoris rei* superetur. Item probabilius, si non possit *statim* sine gravi damno; modo ex restitutionis dilatione creditor non aequale damnum subeat. — Nec vero potest debitor differre solutionem ob solam lucri amissionem, nisi quando ex dilatione nullum creditori damnum obveniret (III, 697; H. Ap., X, 117).

4° Si restituendo non posset vivere secundum decentiam sui status *juste acquisiti*. Unde si nobilis, v. gr., non potest statim solvere, nisi se privet famulis, equis, armis, etc.; vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel agricola, nisi vendat frumentum ad colendos agros necessarium; vel negotiator, nisi cum magno detrimento vendat obligationes crediti; vel mechanicus, nisi vendat instrumenta sua, quibus vivit: potest differre et paulatim restituere sine jactura sui status (III, 698).

Diximus *juste acquisiti;* nam si *injuste*, v. gr. furtis vel fraudibus, statum suum acquisivisset, non posset eum cum damno creditoris conservare, ut communiter docetur. Et idem dicendum putant DD., si debitor culpabiliter, v. gr. ludis, crapula, in praefatam necessitatem sese conjecerit. « Sed, hoc non obstante, ait *S. Alphonsus* (III, 702; ed. G., II, p. 170), semper ac debitor (ex eo quod lusit, etc.) a suo statu juste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Recte advertunt S. Antoninus et alii, quod, in tali casu, semper tenetur debitor *expensas diminuere*, ut restituat saltem quod potest ».

1019. — *Nota. a*) Si debitor, ob restitutionem, vel solus, vel cum suis, *in necessitatem extremam* conjiceretur, non tenetur restituere, licet res in specie exsistat, et dominus in eadem necessitate versetur. Ratio est, quia, in tali casu, omnia sunt communia, juxta dicta n. 914. — Secus vero, si et ipse creditor praecise ex illo particulari furto in extremam necessitatem conjectus fuisset; quia auferre alicui rem sibi ad vitam necessariam est idem ac eum occidere; unde, in eo casu, melior debet esse conditio domini prius possidentis.

b) Si agatur de necessitate *gravi* tantum, distinguendum est: vel solus debitor, vel solus creditor, vel ambo in illa necessitate versantur. — Si *primum*, potest differri restitutio, ut patet ex dictis. — Si *secundum*, debet debitor restituere, licet in aequalem necessitatem conjiciatur; quia, in aequali necessitate, melior est conditio creditoris, utpote jus ad rem habentis. — Si *tertium*, est probabile restitutionem posse differri; quia debitor per restitutionem se exponeret damno multo majori, cum ex gravi necessitate in quasi-extremam conjiceretur. Excipe: si res exstet in specie; — vel si creditor praecise ob illius rei furtum in pari necessitate reperiatur (cfr. n. 1018, 3°). Vide *S. Alph.*, III, 701-703).

Digitized by Google

2. *Damnum creditoris aut tertii.*

1020. — PRINCIPIA. **I. Si dominus rei restituendae ea abusurus esset ad peccandum, non tenetur debitor ad restituendum.** Ratio a *S. Thoma* (2. 2, q. 62, a. 5 ad 1) datur: « Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, non debet ei tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui restituitur. Omnia enim, quae possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui detinet sic rem alienam, sibi appropriare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutius conservandam » (III, 697).

Hinc, nisi tibi impendat grave damnum aut incommodum, non potes restituere: 1° pecuniam tibi mutuo datam ei qui vult ea uti ad peccandum; — 2° librum omnino pravum, qui nullius potest esse utilitatis; quia, cum facile alterius peccatum impedire vales, illud non impediendo peccas contra caritatem (cfr. n. 493).

II. Si dominus rei praevideatur ea abusurus in damnum tertii, tenetur debitor illam denegare, cum potest sine suo graviori vel saltem aequali damno. Ratio patet ex allegatis Doctoris Angelici verbis. — Imo, in tali casu, peccaret non solum contra caritatem, sed etiam *contra justitiam,* ut communiter docent Lugo et alii; quia proximus habet jus, ne coopereris damno suo, tradendo aliquid alteri in suam perniciem (III, 697 et 753; H. Ap., X, 116). Recole dicta n. 520, 3°.

Hinc, debitor, etiam ex delicto, qui restitutionem differt ob veram domini utilitatem, non tenetur de damnis minoribus ex dilatione consecutis; quia rem domini recte gessit (*Lugo,* disp. 21, n. 31; *Croix,* III, P. 2, n. 426).

3. *Cessio bonorum.*

1021. — DEFINITIO. Cessio bonorum est omnium bonorum derelictio, quam debitor, solvendo impar, facit suis creditoribus, ad suam servandam libertatem.

DIVISIO. Cessio est vel 1° *voluntaria,* seu libere ab omnibus creditoribus acceptata; et tunc habet eos effectus, de quibus debitor et creditores conveniunt; — vel 2° *judiciaria,* i. e. declarata per legitimi judicis sententiam. Haec est quoddam beneficium ab ipsa lege concessum infortunato et bonae fidei debitori, ut ita, non obstante qualibet alia in contrarium stipulatione, a creditorum molestiis liberetur.

Notetur EX JURE MODERNO: 1° Decoctio (status debitoris solvere cessantis) est vel *inculpabilis,* vel *culpabilis.* — In priori casu, si decoctus commercium exerceat, tota ejus res agitur apud tribunal commercii, ubi exsistit (*faillite*); secus, apud tribunal ordinarium (*déconfiture*). — In posteriori casu, decoctio

Digitized by Google

judicatur, vel ut delictum (*banqueroute simple*), vel ut crimen (*banqueroute frauduleuse*), et inde proportionatis poenis plectitur [1].

2° Creditores non possunt recusare cessionem judiciariam, nisi in casibus per legem exceptis, si debitor nempe sit extraneus, prodigus, fraudulenter decoctus, de furto aut usura damnatus, etc.

3° Cessio judiciaria non confert creditoribus, ipso facto, dominium bonorum decocti, sed jus, vi cujus illa, ipsorum nomine, administrantur ac dein in ipsorum utilitatem venduntur.

1022. — PRINCIPIA. I. **Per cessionem bonorum peractam sine fraude suspenditur quidem, sed non tollitur restituendi obligatio.** 1° *Suspenditur,* tum in foro interno, ob impotentiam; tum in externo, ex beneficio creditorum vel ipsius legis. — 2° *Non tollitur:* quia, nisi de opposito alicubi constet, *nec lex* (saltem in plerisque Europae Statibus [2]), nec communiter creditores intendunt remittere debitori illam debiti partem, quam nondum solvere potuit. Hinc, si debitor pinguiorem postea fortunam adipiscitur, tenetur ad integram solutionem; imo tenetur, quantum potest, laborare ac bona acquirere, ut integrae solutioni satisfacere possit (III, 699).

Dictum est *nisi de opposito alicubi constet:* sive nempe 1° per legem et communem ejusdem interpretationem; haec enim, sicut in praescriptione, potest, intuitu boni communis, transferre dominium; hoc in Anglia, teste *Crolly* (III, n. 1201) et in America Septentrionali (*Konings,* n. 861), communiter tenetur; — sive 2° per creditores, si, v. gr., per 30 annos solutionem non petierint. — Imo non desunt AA. qui probabiliter asserunt, compositionem debitoris cum creditoribus aequiparari cuidam virtuali remissioni. Cfr. *Aertnys,* l. III, n. 365; *Ami du Cl.,* 1910, p. 1069.

1023. — II. **Per cessionem bonorum, nihil detrahitur juri debitoris ad congruam sui suorumque sustentationem.** Cessor enim non est pejoris conditionis quam ceteri debitores, quibus gravis familiae necessitas est justa causa differendi restitutionem (cfr. n. 1008, 2).

Hinc, si debita proveniant *ex contractu,* cessor tenetur illa solvere, si plus acquisivit quam ad sui status decentiam requiritur. Si vero proveniant *ex delicto,* v. gr. furto, usura, illa sola sibi retinere potest, quae ad victum sunt necessaria (H. Ap., X, 117).

Ex his resolves: 1° Uxor et filii licite recipiunt *alimenta* a patre debitis gravato, si aliunde non habeant sustentationem. Imo, tametsi uxor possit vivere bonis propriis vel propinquorum, potest tamen a viro (etiam usurario) ad restituendum impotente, recipere alimenta; quia vir non minus tenetur alere uxorem quam solvere debita (III, 695).

2° Famulus recipit licite *salarium* a domino debitis gravato, si huic sit necessarius, vel si in creditorum utilitatem laboret. — Quod si non sit neces-

[1] Cod. gall., 1268; ital., 2090; hisp., 1912; austr., lex 25 Dec. 1868 (cfr. *Delama,* n. 368); germ., lex de concessione bonorum 17 Maii 1898 (cfr. *Kurschner,* l. c.). — [2] Cod. gall., 1270; Cod. comm. ital., 543; hisp., 1920, Cod. comm., 900 seqq.; lex judic., 1130 seqq.; austr., lex 1868, § 5.

Digitized by Google

sarius, et advertat herum ex tali famulato reddi ad satisfaciendum debitis impotentem, tenetur discedere, ne causa fiat damni creditorum. Potest tamen licite retinere quod bona fide jam recepit (III, 694; H. Ap., X, 115).

3° Qui accepit *dona* ab homine *debitis gravato,* tenetur ad restitutionem, si debitori ob hanc praeposteram liberalitatem adimitur facultas suis satisfaciendi creditoribus; nam per talem acceptionem fit positiva causa cur creditores damnum patiantur (III, 722; H. Ap., X, 128). Vide tamen infra n. 1065.

4° Qui debitis gravatur, nequit sine injustitia recusare haereditatem, qua reddendo par fieri potest (*Ami du Cl.,* 1910, p. 94).

N. B. An debitis gravatus RELIGIONEM ingredi possit, vide n. 2139.

ARTICULUS II.

De causis quae tollunt obligationem restitutionis.

Tres causae numerantur: 1° compensatio legitima; — 2° condonatio creditoris; — 3° auctoritas publicae potestatis. — De *transactione,* quae his causis adjungi solet, vide n. 1160.

1. *Compensatio legitima.*

1024. — Compensatio alia est impropria, seu *extra-legalis,* qua creditor ipse sibi satisfacit, sumendo rem debitoris debito aequivalentem. Alia est propria, seu *legalis,* et habetur quando duo sibi mutuo sunt debitores: v. gr. debeo tibi centum pro frumento, et tu mihi debes centum pro vino. Haec vocatur in Jure: « debiti et crediti inter se contributio » [1].

Utraque compensatio *exstinguit obligationem restituendi,* quia tollit inaequalitatem (cfr. n. 924).

1025. — QUAERITUR. *An liberetur a restitutione, qui debitum solvit* CREDITORI *creditoris sui?*

Resp. Affirm. per se et in rigore Juris. Sic, v. gr., tibi debeo centum francos, tu vero debes centum Titio: satisfacio tibi, solvendo *creditori tuo* Titio; huic enim solvendo id quod tu ipsi debes, acquiro jus, quod ipse habebat debitum suum a te requirendi; et inde exsurgit debiti et crediti inter se contributio, seu legalis compensatio. — Diximus: 1° *per se;* quia non liberor, si tu forte adhuc cogaris solvere, vel si creditores privilegiatos aut hypothecarios habeas; — 2° *in rigore Juris;* quia talis solutio, si fiat absque causa, illicita erit ob varia incommoda, quibus obnoxia est. — Foret autem ratio sufficiens, si creditor creditoris debitum suum aliter recuperare nequiret (III, 699, 700). Sed in foro externo talis solutio impugnari potest [2].

[1] Cod. gall., 1289; ital., 1285; hisp., 1196; germ., 387, 393. — [2] Cod. gall., 1296; ital., 1291; austr., 1441; hisp., 1162; germ., 414.

Digitized by Google

2. *Condonatio creditoris.*

NOTIO. Condonatio, in materia justitiae, est remissio debiti libere facta a creditore habili ad condonandum.

1026. — PRINCIPIUM. **Ad tollendam obligationem restitutionis non requiritur semper condonatio expressa, sed sufficit tacita, aut etiam praesumpta, modo sit moraliter certa.** Ratio est, quia ad rem alienam absque injustitia accipiendam vel retinendam, non requiritur positiva voluntas domini, sed sufficit, ut ipse non sit positive invitus; id nempe te excusat a culpa, saltem mortali. — Quod si dominus jure supponatur quoad modum (v. gr. clam auferendi) invitus, omittens restitutionem utique non peccat mortaliter, attamen non potest excusari a veniali.

Hinc: 1° Dominus expellens *servum, operarium,* ob levia furta, remittit ei tacite omnem obligationem, eo quod nihil petat. Ex hoc tamen non sequitur, condonationem adesse respectu donationum quas servus forsan extraneis fecerit. — Similiter remittere omnem obligationem praesumitur dominus, si famulum in manifesto gravi furto deprehenderit, et eum expellit vel tantum corripit, quin restitutionem exigat. — 2° Parentes juste praesumuntur remittere *suis filiis* obligationem reparandi furta etiam gravia, si res sint jam consumptae nec graviter cohaeredibus noceatur [1] (vide etiam n. 907). — 3° Quoad *pauperes,* qui diversis parva fuerint furati, condonatio ex parte dominorum praesumitur. — Si in damnum unius furtula commiserint, condonatio partialis praesumi potest.

Nota. Quomodo, in foro *externo,* probetur vel praesumatur condonatio vel remissio debiti, vide in variis Codicibus [2].

3. *Auctoritas publicae potestatis.*

1027. — *Praenot.* Facultas transferendi dominium competit tum principi civili, in ordine ad bonum publicum temporale, tum S. Pontifici, in ordine ad bonum publicum spirituale (cfr. n. 841 et 873, not.). Inde sequitur restitutionis onus posse, justa intercedente causa, tolli ab utraque potestate.

Huc referuntur, quae supra de *inventione* thesauri, de *praescriptione liberativa,* de *fructibus* rei alienae bona fide perceptis, fuse diximus. — Quibus nonnulla hoc loco addere juvat: 1° de sententia judicis; — 2° de compositione cum S. Pontifice; — 3° de sanatione super Ecclesiae bonis injuste alienatis.

1028. — I. **De sententia judicis.** Apud omnes in confesso est, sententiam judicis, fretam veritate, tollere restitutionis obligationem. Ipsa enim fulcitur auctoritate legum, quae, ratione boni communis, rerum dominium legitime transferunt.

[1] III, 543; H. Ap., X, 32, 116. — [2] Cod. gall., 1282; ital., 1280; hisp., 1187; germ., 397.

Digitized by Google

Hinc, non teneris restituere: 1° si judex in poenam alicujus delicti *a creditore tuo* patrati, imponit hanc mulctam, ne tu ei restituas quod ipsi debes; — 2° si ex aequitate adjudicat tibi aliquid, quod alias in rigore justitiae tibi non deberetur (*Viva,* de Rest., q. 5, a. 4, III).

1029. — II. **De compositione cum S. Pontifice.** Compositio cum S. Pontifice tunc habetur, cum Romanus Pontifex, ex suprema sua potestate, ita transigit, ut una quidem pars debiti in pias causas impendatur, altera vero debitori condonetur, supplendo tamen de thesauro Ecclesiae utilitatem spiritualem, quae domino obveniret, si totum debitum in eleemosynam datum fuisset (cfr. H. Ap., X, 117, 2°; *Lugo,* disp. 21, n. 91).

Controversia non est quin compositio legitima debitorem in foro conscientiae liberet. Ratio est, quia S. Pontifex *ob bonum commune* sic omnia ordinat. Nec legitimi domini jura prorsus ignorantur, cum ex bonis spiritualibus compensatio accedat.

Diximus: 1° *Compensatio legitima.* Requiritur enim: *a*) Ut bona sint omnino *incerta;* si enim domini aliqualiter cognoscantur, ut in furtis minutis mercatorum fraudantium in pondere et mensura, non possunt sine injuria, directe et absque eorum consensu, spoliari; — *b*) ut adsit *justa causa:* secus enim valida quidem esset compositio, sed illicita in rebus ecclesiasticis; in ceteris vero, deficiente causa, etiam invalida foret: quia, in primo casu, S. Pontifex dispensat in lege propria, non item in secundo. — 2° *Debitorem liberat;* compositio enim semel facta non revocatur, *quamvis compareat dominus;* quia dominium jam legitime translatum est. Ita *Lugo* contra alios, qui volunt debitorem in eo casu teneri restituere domino illud, in quo factus est ditior (III, 592, 593).

Nota. a) Ad compositionem obtinendam moneri potest sacerdos, qui anxius est, ob missas cum materia dubia celebratas. Cfr. n. 1620. — *b*) Compositio quoad bona incerta fit per Bullam CRUCIATAE, pro iis quibus illa concessa est. — Potest etiam obtineri a S. POENITENTIARIA, quae valet, ex Bulla *Pastor bonus,* remittere partem de male ablatis vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus, et delinquens pauper. Pars vero, quae non remittitur, eroganda est in pauperes vel in pia opera, et quidem, si fieri possit, in ipsis locis, ubi facta est injusta illorum bonorum comparatio (cfr. n. 999). — *c)* Ad *Episcopos* quod attinet, verior sententia tenet, compositionis facultatem ipsis non competere, cum sit actus supremae potestatis (III, 696, 2°).

1030. — III. **De sanatione.** Sanatio super bonis Ecclesiae injuste alienatis tunc fieri dicitur, cum S. Pontifex, qua supremus bonorum Ecclesiae administrator, ob justam ac gravissimam causam, istiusmodi alienationes convalidat. — Sic convalidavit alienationes, quae tempore perturbationis gallicae factae fuerunt. — Pro Austria, quoad decimas sublatas, sanatio data est per Concordatum, 18 Aug. 1855.

1031. — *Notanda.* 1° SANATIO GENERALIS, *pro toto regno,* saepius a S. Sede concessa est. — Talis facta est: *a*) Pro ANGLIA, post Henricum VIII, ex facultate a Julio III Cardinali Polo concessa. — *b*) Pro GALLIA et BELGIO, die

Digitized by Google

15 Augusti 1801 per Bullam *Ecclesiae Christi* [1]. — *c*) Pro regno UTRIUSQUE SICILIAE, die 7 Martii 1818 per Const. *In supremo*. — *d*) Pro PEDEMONTIO et GENUENSI ducatu, die 20 Dec. 1816 per Breve *Datis ad nos demum*. — *e*) Pro BORUSSIA, die 16 Julii 1821 per Const. *De salute animarum* [2]. — *f*) Pro toto SARDINIAE regno, die 14 Maji 1828 per Bullam *Gravissimae* Leonis XII. — *g*) Pro HISPANIA, duplex facta est sanatio: 1ª per *concordatum* 16 Martii 1851, 2ª per *conventionem additionalem* 25 Augusti 1859 (cfr. *Gury-Ferreres*, I, n. 750; pro America Latina vide ejus App. ad n. 558).

Vigore harum sanationum, ut declaravit S. Poenit., die 10 Martii 1818, bona ecclesiastica jam in plena acquirentium proprietate exsistunt, adeo ut ea retinere, iis gaudere, atque alienare etiam illa tuto ac libere possint in foro tum externo, tum interno, dummodo tamen acquisitio facta fuerit secundum leges tunc vigentes. *Hortatur* tamen S. Sedes acquirentes istos, ut pro sua pietate ac religione satisfacere velint piis missarum, eleemosynarum, aliarumque rerum similium oneribus, quae bonis illis olim forsan infixa erant [3]. Prodierunt similia rescripta pro Italia superiori, annis 1845 et 1847 [4].

Ex his colliges, *quaenam bona ecclesiastica sint adhuc* RESTITUTIONI OBNOXIA: *a*) ea scilicet, quae non fuerunt a Gubernio unquam occupata, sed ejus manus effugerunt, quia vel apud privatos, v. gr. eorum bonorum colonos, remanserunt, vel a privatis ipsis vi usurpata fuerunt; — *b*) bona quae fuerunt, post initas jam cum S. Sede conventiones (v. gr. in Gallia post concordatum), a Gubernio occupata; — *c*) bona, quae, dum inirentur conventiones, Ecclesiae tradenda promissa fuerunt a Gubernio, nec tamen postea tradita sunt. Haec omnia per se patent.

Horum bonorum restitutio facienda est *juxta regulas*, quibus subjacent possessores bonae vel malae fidei, prout nempe usurpatores, eorumve haeredes, in bona vel in mala fide versantur [5].

2° NULLA SANATIO GENERALIS promulgata est post recentem spoliationem iniquam Ordinum Religiosorum vel Ecclesiae in Gallia. *Sola compositio* admittitur, quae sit, ut ait S. Poenit., simul aequa et benigna. Vide decisa Secret. Status, 21 Sept. 1907, et S. Poenit., 16 Jan. 1909 [6]. — Hoc idem jam antea statutum fuit, quoad bona Ecclesiae usurpata *et nondum condonata*, v. gr. bona in Italia ab anno 1860 usurpata.

Episcopi obtinuerunt peculiares facultates vi quarum acquisitores bonorum ecclesiasticorum possunt, sub certis conditionibus, ad compositionem admitti. Facultates conceduntur ad annum juxta normam datam a S. Poenitentiaria, die 15 Aprilis 1892 [7].

[1] Pro GALLIA, declaravit Pius VII, 20 Oct. 1821, concessionem factam indiscriminatim applicari posse omnibus bonis ecclesiasticis, quae a Gubernio die 15 Jul. 1801 occupata erant. Pro BELGIO, statuit Gregorius XVI quemvis emere posse bona ecclesiastica *eo adhuc tempore* a Gubernio detenta (16 Sept. 1833). — [2] Die 27 Nov. 1891, concessum est pro archid. Colon. cum dioec. Trevir. et Monast., ut quae per Breve Pii VII, ex anno 1821, datae fuerint sanationes, ad occupationes a Gubernio gallico usque ad finem anni 1814 in *sinistra Rheni ripa* continuatas, applicarentur. — Die 7 Febr. 1824, hoc extensum est ad bona ecclesiastica quae in *toto regno Borussiae* usque ad finem a. 1824 saecularisata sunt, sive de praesenti a privatis possessa, sive in futuro possidenda (*Anal. eccl.*, III, 211). — [3] *Bouvier*, de Contr., P. II, c. 2, a. 1, § 3, s. 1. — [4] *Scavini*, IV, n. 219. — [5] Cfr. *Anal. Jur. Pont.*, ser. V, a. 1861, col. 122. — [6] *Ami du Cl.*, 1907, p. 1134; 1908, p. 403; 1909, p. 235; *Nouv. Rev. Théol.*, 1908, p. 98. — [7] *Monit. eccl.*, vol. VII, P. II, p. 52.

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

DE CONTRACTIBUS.

Disseremus: 1° de contractibus in genere; — 2° de contractibus gratuitis; —3° de contractibus onerosis; — 4° de contractibus aleatoriis; — 5° de contractibus subsidiariis.

CAPUT I.

De contractibus in genere.

S. Alphonsus, III, 707; ed. G., II, p. 174; *Lugo*, disp. 22; *Lessius*, l. 2, c. 17 seqq.; *Salmanticenses*, de Contr., tr. 14, c. 1; *Comitolus*, de Contr. universe; *Vermeersch*, Quaest. de Just., q. 7; *Marres*, l. 3, n. 1-6; *Berardi*, Theol. mor., III, n. 505; *Schwane*, die Verträge; *Carrière*, de Contr.; *Wernz*, Jus Decret., III, tit. 9, p. 228.

Agendum: 1° de notione contractus; — 2° de requisitis ad contrahendum; — 3° de effectu seu de obligatione contractus.

ARTICULUS I.

De notione contractus.

1032. — DEFINITIO. Contractus est duorum vel plurium in idem placitum consensus, animo obligationis contrahendae [1].

Dicitur: 1° *consensus*, i. e. practica voluntatis determinatio; — 2° *duorum vel plurium*, quia non est obligatio justitiae aut fidelitatis, nisi saltem inter duos; — 3° *in idem placitum*, hoc est de aliquo dando vel faciendo, quod necessario ab omnibus eodem modo intelligi debet; — 4° *animo obligationis contrahendae*; secus esset merum propositum.

In omni contractu *tria* a jurisperitis distinguuntur, nempe essentia, natura et accidentalia. — Ad *essentiam* pertinent ea, sine quibus contractus existere nequit: ut, v. gr., in venditione res, pretium et consensus. Uno deficiente, nullus est contractus. Si loco pretii, v. gr., alia res detur, non erit contractus venditionis, sed permutationis. — Ad *naturam* spectant ea, quae, licet non expressa, ex lege tamen, vel usu, vel aequitate, in contractu comprehensa intelliguntur, quamvis essentialia non sint. Sic, v. gr., in venditione, securitas ab evictione per specialem conventionem excludi potest; at conditione non expressa, venditor talem securitatem praestare debet (cfr. n. 1125). — *Accidentalia* demum dicuntur ea, quae contractui adjungi possunt, quin lege aut rei natura censeantur adjecta; v. gr. talis dilatio in solutione pretii et similia.

1033. — Duplex est FONS, ex quo *jus contrahendi* emanat: *a*) *ex natura*, i. e. ex mutua hominum indigentia, quae eos ad mutuas ineundas obligationes

[1] Cfr. Dig., l. 2, tit. 14; Cod. gall., 1101-1107; ital., 1098-1103; austr., 863, 864; hisp., 1254-1259; germ., 104, 145 seqq.

Digitized by Google

adigit ipsisque eas ineundi potestatem elargitur; — *b*) *ex lege humana*, quae generatim modos contrahendi ita constituit ac regit, ut cives nec impediantur ab aequo juris exercitio, nec sinantur eo graviter abuti in aliorum perniciem. Sed quamvis lex civilis, ob publicum bonum, jus naturale privatorum limitare possit ut supra diximus, n. 838, non potest tamen illud violare, nec valide quidpiam constituere contra Jus ecclesiasticum (cfr. n. 149).

1034. — DIVISIO. Contractus est: 1° Formalis seu *expressus*, aut virtualis seu *tacitus*. — Prior est ille, qui fit verbis, scriptis, aliisve signis consensum directe manifestantibus. — Posterior vero est ille, in quo consensus in rem conventam exsistit quidem realiter, sed implicite tantum aliquo dicto vel facto manifestatur.

Sic medicus exercens suam artem promittere censetur, se facturum esse id omne, quod ejus professio requirit, secundum juris effatum: « spondes peritiam artis ». Hic contractus communiter *quasi-contractus* nuncupatur.

2° Nominatus vel innominatus. — *Nominatus* habet nomen proprium in Jure, ut emptio, locatio . . .; *innominatus* caret in Jure nomine proprio. — Omnes contractus innominati ad *quatuor* species revocantur, nempe, DO UT DES; DO UT FACIAS; FACIO UT DES; FACIO UT FACIAS.

3° Unilateralis vel bilateralis seu *synallagmaticus*. — Prior fit, cum unus aut plures se obligant erga unum aut plures *non obligatos*, ut in contractu promissionis. — Posterior habetur, quando unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios *pariter obligatos*, ut in variis permutationibus. *Est contractus stricte sumptus*. — Attamen, etiam aliqui contractus gratuiti sunt bilaterales, v. gr. depositum, commodum.

Contractus BILATERALIS est commutatorius, vel aleatorius. — *Commutatorius* est, si uterque contrahens censetur dare aut accipere aliquid aequivalens et certum, ut in venditione. — *Aleatorius* (seu fortunae) dicitur, si, quod datur vel promittitur, pendeat ab eventu accidentali, ut in ludis alearum.

4° Gratuitus vel onerosus. — *Gratuitus* est ille, ex quo una duntaxat pars commodum accipit, quod altera pars ei gratis tribuit, v. gr. donatio, commodatum. — *Onerosus*, ex quo utraque pars onus suscipit pro commodo, v. gr. venditio, locatio.

5° Principalis vel accessorius. — *Principalis* est, qui non pendet ex alio contractu, ut venditio, permutatio, donatio, etc. — *Accessorius* seu *subsidiarius*, qui pendet ex alio, ad cujus pleniorem securitatem ordinatur, ut fidejussio, pignus et hypotheca.

6° Sollemnis vel simplex, prout requirit speciales legis formalitates, vel generalibus tantum dispositionibus subjicitur. — Simplex subdividitur in *scriptum* et *verbalem*.

7° Nudus aut vestitus. — Contractus *nudus* est ille, cujus obligatio naturalis non confirmatur Jure positivo. — *Vestitus* est ille, qui, praeter conventionem, habet adminiculum Juris. Hic confert *actionem*

Digitized by Google

ad exigendam exsecutionem apud tribunalia; illi, in Jure NOVO, etiam favor generatim conceditur, modo probari possit (vide *Lehmkuhl*, I, n. 1241). Ita, v. gr., Jus tuetur retentionem accepti.

8° Realis vel consensualis. — *Realis* est ille, qui, in sua specie, non perficitur nisi per rei conventae traditionem: ut est commodatum, mutuum, depositum, etc. — *Consensualis* est, qui solo contrahentium consensu rite exhibito completur, ut est locatio.

9° Purus (seu *absolutus*) vel non purus (seu *conditionatus*), prout nulla vel aliqua conditio ei apponitur.

10° Firmus vel rescindibilis, prout ejus vis obligandi statim absoluta evadit, vel a competenti auctoritate in irritum constitui potest.

ARTICULUS II.

De requisitis ad contrahendum.

Quatuor essentialiter requiruntur: 1° materia apta; — 2° persona capax; — 3° consensus legitimus; — 4° forma conveniens.

§ 1. De materia contractus[1].

1035. — DEFINITIO. Materia contractus est quaelibet res vel actio possibilis, honesta, pretio aestimabilis, in commercio civili posita, propria contrahentis, determinata.

1° *Possibilis:* nam impossibilium nulla est obligatio. Heroicam tamen actionem quis sponte promittere potest.

Si res ex parte tantum sit possibilis, valet contractus pro hac parte; quia « *utile non debet per inutile vitiari* » (Reg. 37, in 6°). Excipe, nisi ita conventum sit, ut vel *totum* vel *nihil* praestari debeat. Qui autem sua culpa efficit, ut res fiat impossibilis, tenetur reparare damnum. Cfr. etiam n. 1057.

2° *Honesta:* ut nempe nec legibus nec bonis moribus adversetur; secus enim esset iterum impossibilis. Satis tamen est rem esse *substantialiter* honestam: contractus enim potest esse validus, licet, ob aliquam accidentalem circumstantiam, vel ob meram prohibitionem, sit illicitus; secus stipulationes circa laborem, in diebus festivis peractum, essent invalidae.

Difficultas moveri potest circa pacta de re turpi, vel de rebus aliunde jam debitis. Vide infra n. 1036.

3° *Pretio aestimabilis,* i. e. utilis aut rationabiliter jucunda; « stipulationes enim fiunt, ut unusquisque acquirat sibi, quod sua interest »[2].

[1] Cfr. Cod. gall., 1126-1130; ital., 1116-1118; austr., 878; hisp., 1271-1273; germ., 138, 306; *Crolly*, II, 81 seqq. — [2] *Instit.*, l. 3, tit. 20, § 19; Cod. gall., 1131; ital., 1119.

Digitized by Google

Hinc, nullae sunt conventiones, quarum objectum est omnino inutile aut ridiculum.

a) Res, quae fit objectum contractus, non censetur utilis (pretio aestimabilis) si ipsa solummodo contrahenti aliquod emolumentum affert (secus, monstrare viam, dare mutuum posset fieri objectum stipulationis); — censetur autem utilis, si simul alteri emolumentum praebet, et *aliquid oneris* ex parte praebentis importat. Sic medicus ex caritate pauperem adjuvans, stipendium stipulari potest.

b) *Spes rerum futurarum* apud omnes pretio aestimabilis habetur, unde et res, quae sunt jam in spe, possunt constituere objectum contractus. Excipitur tamen haereditaria personae *adhuc viventis* successio, circa quam omnis stipulatio seu pactum, apud diversas gentes, est nullius roboris; idque optimo jure, ne scilicet occasio inde habeatur optandae mortis alienae [1].

Nota. In Jure germ., irrita declaratur omnis dispositio onerosa circa bona futura propria et successionem alterius viventis (§ 310, 312). Hoc nonobstante, possunt religiosi, qui profitentur, testamentum condere de bonis futuris.

4° *In commercio civili posita.* Extra commercium sunt viae publicae, flumina, etc., et, in Jure romano, quaecumque res sacra (n. 852, 4°). — Ad res spirituales vel spirituali annexas quod attinet, vide dicta n. 545 et 584 seqq.

5° *Propria contrahentis,* i. e. exsistens sub dominio illius, qui eam tradit; quia nemo plus juris in alium transferre potest, quam quod ipse habet.

Hinc emptor rei furtivae non acquirit ejus dominium. Vide tamen quae per legem positivam statuuntur de iterata venditione taliis objecti (n. 939 seqq.). — Etiam de re *ab alio praestanda* contractus fieri potest eo sensu, quod contrahens promittit *se curaturum* ut res ab alio praestetur.

6° *Determinata*, sive in individuo, sive in quantitate et qualitate; secus enim illusorius foret contractus: ut si cui promitterem, v. gr., quodcumque animal, vel frumentum in genere, satisfacerem promissioni dando culicem, vel unum frumenti granum: quod foret absurdum.

1036. — Quaesita. QUAER. 1° *An obligationem inducant pacta et contractus* DE RE TURPI *seu* ILLICITA, *v. gr. de ferenda injusta sententia, de patrando homicidio, fornicatione, furto etc.?*

Resp. 1° *Ante perpetrationem operis,* certum est talia pacta esse nulla. Justitia enim non potest obligare ad illicitum. Unde, opere nondum perpetrato, promissum pretium non debet ab altero *solvi,* nec potest ab altero *accipi* aut *retineri* (III, 712; H. Ap., X, 123).

Si quis tamen donum acceperit datum per modum *allicitivi,* absque pacto rei malae perpetrandae, potest sine justitia illud retinere, etiam denegato consensu. Tunc enim donatio uti omnino liberalis habenda est, etsi facta sit ex intentione seducendi donatarium.

[1] *S. Alph.*, III, 934; Cod. gall., 1130, 1600; ital., 1118, 1460; austr., 879, 1383; hisp., 1271; germ., 312.

Digitized by Google

2° *Post perpetrationem operis,* certum est meretrices posse saltem ex Jure romano (l. 4, ff., *de Condict. ob turp. caus.*) infame suum lucrum, absque injustitia, exigere et retinere. Ita communiter AA. cum *D. Thoma* (2. 2, q. 62, a. 5, ad 2). Unde S. Poenitentiaria die 22 Aprilis 1822 pro foro interno ita decidit: « Mulier poenitens non *cogenda* est, sed *hortanda* ut pretium meretricii, juxta prudentis confessarii judicium, eroget in usus pios ».

Pro aliis autem actionibus illicitis, *controvertitur*. Alii, inter quos Adrianus, Medina, Collet, Gousset, Lyonnet, Carrière, negant tum obligationem solvendi conventum pretium, tum facultatem pretium jam solutum retinendi. Ratio est, quia actio mala non est vendibilis, nec potest contractus antea nullus per complementum operis fieri validus. Probabilis est haec sententia. — Alii, cum Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Lehmkuhl, Vermeersch tenent affirmantem sententiam (eamque probabiliorem et communem). Rationes sunt: *a*) urget Regula generalis: « cum unus contrahentium partem suam posuit, alter suam ponere tenetur »; — *b*) opus malum jam positum, licet non sit dignum pretio uti malum, est tamen aestimabile et uni utile et alteri onerosum. Unde ex eo quod alter hoc opus ponit, exsurgit quasi novus contractus innominatus: *facio ut des, facio ut facias* (cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1249; *Vind. Alph.,* P. III, q. 15).

In praxi, quia ex utraque parte stat vera probabilitas, possessori favendum est, nisi judicis sententia secus statuerit, vel specialis circumstantia accesserit. — Nullo pacto tamen liberatur a sua obligatione *stuprator* qui, sub matrimonii promissione, virginem violavit, ut jam diximus n. 959.

QUAER. 2° *An materia contractus onerosi possit esse res aliunde* JAM DEBITA?

Resp. 1° *Neg.,* si jam sit debita *titulo justitiae*. Sic, v. gr., pactum faciendi vel dandi aliquid, pro ferenda justa sententia, pro restituenda re deposita, commodata, inventa, pro abstinendo a furto, detractione, etc., nullius est roboris; nam alter habet jus ad ista, independenter ab omni onere vel pretio sibi imposito, et ideo pretium jam solutum ipsi restituendum est (IV, 216).

Est tamen probabile, integrum alicujus operae pretium posse a pluribus accipi, si singulis ita prodest ac si singulorum gratia fieret. Sic, v. gr., si Titius te conduxit ut alicujus negotii causa iter suscipias, poteris etiam a Petro, ad gerendum ejus negotium, ad idem iter conduci, modo posterius mandatum priori non noceat (III, 862).

2° *Affirm.,* probabilius, si sit debita tantum ex *caritate, religione,* aut simili virtute; tunc enim ex contractu oneroso enascitur jus strictum, quod antea non exsistebat. Sic dives, qui tenebatur ex caritate locare pauperi domum gratuito, non peccat contra justitiam (licet caritatem laedat) si locationis pretium exigat. Item, si quis accipiat pecuniam ad jejunandum tempore quadragesimae, potest illam sine injustitia et alio peccato retinere. Cfr. III, 713; IV, 216; *Lehmkuhl,* I, n. 1247.

Digitized by Google

§ 2. De personis quae contrahere possunt [1].

1037. — Principia. I. **Jure naturae, possunt contrahere ii omnes, qui usu rationis pollent, nec a lege prohibentur.** Ratio *primi:* nemo potest sibi obligationem imponere, nisi sit *actualiter* actionis humanae capax. Vide dicenda n. 1044, 4°.

Hinc, nequeunt contrahere: infantes et perpetuo amentes; lunatici, furiosi, perfecte ebrii et semi-ebrii, tempore rationis deliquii. Est autem haec incapacitas adeo absoluta, ut reddat, jam ab initio, contractum INVALIDUM, independenter ab omni legislatoris vel judicis interventu (*Lugo*, disp. 22, n. 281).

Ratio *secundi:* leges humanae possunt, ob bonum commune, jus privati limitare et contractus eo fine infirmare, ut damnum a personis imperitis excludatur, atque familiarum paci et morum honestati consulatur.

Reddit haec incapacitas contractum solummodo INFIRMUM seu *rescindibilem* ad arbitrium incapacis, cujus tamen incapacitas nunquam a parte capaci opponi potest, nisi in solo casu deceptionis (cfr. n. 1039, III). — Porro, si conditiones a lege requisitae, v. gr. consensus patris, tutoris, mariti, impleantur, contractus fit omnino firmus; quod idem evenit, si contrahens, incapacitate sublata, contractum ratum habeat, sive explicite, sive implicite, non manifestando nimirum suam rescindendi voluntatem infra tempus a lege statutum.

1038. — II. **Jure positivo, ad firmiter contrahendum inhabiles communiter declarantur illi omnes, qui non habent liberam bonorum suorum administrationem.** Tales sunt: *minores, uxores, interdicti, prodigi, civiliter mortui* et *alienigenae.*

Plures praeterea stabiliti sunt casus incapacitatis relativae: sic tutores et curatores vetantur acquirere bona minorum administrationi suae commissa; vetantur similiter judices et magistratus acquirere jura, de quibus apud eorum tribunal lis movetur, etc. — Non agemus de his separatim. Dixisse sufficiat hujusmodi leges, cum justae sint, *obligare in conscientia.*

1. *De minoribus.*

1039. — I. Minor firmiter contrahere *potest* in sequentibus casibus: 1° si agatur de acceptando commodo, quod ipsi omnino liberaliter tribuitur; — 2° si agatur de rebus spectantibus ad mercaturam vel artem, quam ipse ex consensu patris vel tutoris exercet; — 3° si sit emancipatus, potest operam suam locare, aliosque inire contractus, qui spectant ad meram bonorum administrationem.

[1] Cfr. Cod. gall., 1123-1125 et 1304-1314; ital., 1105-1107 et 1300-1311; austr., 865-868; hisp., 1263 seqq.; germ., 104-115.

Digitized by Google

II. Praeter praedictos casus, minor *non potest* solus per se contrahere firmiter; sed debent ejus nomine agere, vel saltem ipsi assistere pater, tutor, judex, pro diversitate circumstantiarum, quas civilistae exponunt. — Unde si, praetermissis conditionibus quas lex apposuit, contraxerit, contractus est *rescindibilis,* et judex potest decernere restitutionem in integrum, quae est repositio in pristinum statum, in quo res fuit ante laesionem (III, 918). At vero, non est ubique eadem, hac de re, legis dispositio.

In JURE GALLICO (1305) et ANGLICO (*Crolly,* I, 461) conceditur minori rescissio, non ad libitum, sed tantum si ex contractu sine debita assistentia inito laesus fuerit, ex adagio: « Minor restituitur non ut minor, sed ut laesus ».

In JURE ITALICO (1303), AUSTRIACO (863), HISPANICO (1300) et GERMANICO (107-113), exceptis tamen supra indicatis, minor nullam potest civilem obligationem contrahere; ideoque potest rescindere contractum, quin se laesum fuisse probare teneatur.

III. Rescissionem petere possunt tum administrator bonorum minoris, tum ipse minor, tum ejus haeredes: minime vero illi, qui cum minore contraxerunt. — A rescissionis beneficio excluditur minor, qui se fraudulenter *majorem* asseruit; vel qui major factus approbavit contractum a se minore initum [1]. — Praeterea, tenetur ad restitutionem, si contrahendo alios deceperit, vel damnificaverit. Cfr. Cod. austr., 866.

In GERMANIA tamen (n. 108), et altera pars quae cum minore contraxit, donec consensus necessarius datus fuerit, a contractu resilire potest, si consensus defectum vel minorennitatem ignoraverit.

In variis locis [2], viget juris dispositio, ut in casu rescissionis minor non teneatur rem acceptam restituere, nisi in quantum res adhuc exsistit in se vel in aequivalenti; dum altera pars totum, quod recepit, restituere tenetur.

1040. — QUAERITUR. *An* MINOR, *ejusve causam agentes, possint, in foro conscientiae, uti beneficio legis civilis?*

Resp. 1° Affirmant communiter AA. *quoad simplicem rescissionem,* cum aptum sit remedium contra inexperientiam minorum; « fragile enim est atque infirmum hujusmodi aetatum consilium, et multis captionibus suppositum » (l. I, ff., *de Minoribus*).

2° Controvertitur vero quoad legis dispositionem, quae minorem a restitutione excusat, si res accepta (v. gr. ex mutuo) *non amplius exsistit,* nec in se, nec in aequivalenti. Alii enim affirmant remanere obligationem naturalem restituendi. Alii autem hanc obligationem a lege sublatam esse dicunt, ob bonum commune (*Allègre,* Cod. civ., in art. 1305; *Bucceroni,* I, n. 953). — Alii denique censent esse restituendun, si pecunia impensa fuerit *ad usus utiles et necessarios,* pro quibus pater conferre debuisset (*Lehmkuhl,* I, n. 1253). Quare, meliorem esse conditionem possidentis ducimus, donec aliter a judice decisum fuerit.

[1] Cod. gall., 1310; ital., 1305; hisp., 1302; germ., 109. — [2] Gall., 1312; ital., 1307-1309; hisp., 1304, 1314.

Digitized by Google

2. *De uxoribus* [1].

1041. — 1° In omni jure cautum est, ut UXOR absque *mariti* consensu, vel, casu quo maritus consensum injuste denegaverit, absque consensu judicis, plures actus ponere prohibeatur. — Regula generalis haec est, ut absque consensu mariti FIRMITER contrahere nequeat.

Dicitur *regula generalis;* nam nulla speciali incapacitate restringitur: *a*) quoad testamentum; — *b*) quoad actus merae administrationis circa bona paraphernalia, vel separata; — *c*) quoad mercaturam quam, consentiente marito, publice exercet; — *d*) quoad emptionem eorum, quae sunt necessaria sustentationi familiae. Recole dicta n. 863-871.

2° Si uxor facultates sibi concessas praetergrediatur, contractus est *rescindibilis.* Rescissio autem peti potest tum a marito, tum ab ipsa uxore (nisi fraudulenter egerit), tum ab eorum haeredibus. — Tunc autem adest obligatio restituendi id omne, in quo uxor vel ejus causam agentes ditiores facti sunt, vel etiam in integrum, pro diversa Juris dispositione [2].

QUAERITUR. *An* UXOR *ejusve causam agentes possint, in conscientia, uti privilegio legis civilis?*

Resp. Id certe potest *maritus* (vel ejus haeredes), cum lex ob justa motiva in ejus favorem lata sit. — Nec desunt theologi, qui eodem legis beneficio *ipsam uxorem* uti posse affirment. Merito tamen addunt ipsam, si contractum rescindere velit, ad restitutionem in integrum teneri, etiamsi res accepta non amplius exsistat, nec in se, nec in aequivalenti. Cum enim lex in ejus favorem lata non sit, merito concluditur, naturalem uxoris obligationem non esse a Jure positivo sublatam.

SCHOLIUM.

De interdictis, prodigis, civiliter mortuis et alienigenis.

1042. — 1° INTERDICTI [3] sunt illi, qui judicis sententia habentur incapaces actus civilis exercendi, v. gr. ob imbecillitatem aut dementiam. — His constituitur TUTOR, qui eorum nomine agat. Hinc, omnes contractus, quos ineunt, sunt rescindibiles, et eorum causam agentes (vel ipsi in jura sua restituti) possunt illorum rescissionem petere. — Porro, interdictus restituitur *tanquam interdictus,* i. e. quin laesionem probare teneatur. Tollitur autem interdictio cessante ejus causa, non ipso facto, sed per judicis sententiam.

2° PRODIGI [4], juridice denuntiati, sunt inhabiles ad certos contractus lege determinatos. Hos inire nequeunt absque assistentia consiliarii a judice designati.

[1] Cod. gall., 215-226; ital., 134-135; hisp., 59-66, 188; germ., 1357 et 1363 seqq. — [2] Cod. gall., 225, 1312; ital., 137, 1307; hisp., 1384-1387, 1441-1444; germ. 1396 seqq. — [3] Cfr. l. I, ff., *de Curat. furiosi;* Cod. gall., 489-512; ital., 324-338; austr., 21, 270; hisp., 228-230; germ., 114, 115. — [4] L. I, ff., l. c.; Cod. gall., 513; ital., 339; austr., 21; hisp., 221-227; germ., l. c.

Digitized by Google

3° CIVILITER MORTUI dicuntur ii, qui ob damnationem ad gravissimam poenam, omnibus juribus civilibus spoliantur: non possunt de suis bonis disponere, sed, posthabito quocunque testamento, aperitur successio legalis. — His accensendi sunt in *jure romano* religiosi sollemniter professi (cfr. n. 2156).

Poena *mortis civilis*, in pluribus Europae regnis, jam abrogata est, eique generatim substituitur *interdictio perpetua*.

1043. — 4° ALIENIGENAE sunt illi, qui in loco, ubi versantur, non gaudent civium juribus. Hi, partim legibus patriae, partim legibus regionis ubi degunt, reguntur (cfr. n. 208).

a) Quoad *formam* seu sollemnitates contractus, debent generatim observare leges loci, quia « locus regit actum ». Plures tamen actus possunt vel etiam debent confici apud legatos vel consules propriae nationis.

b) Quoad *alias actuum conditiones*, reguntur legibus proprii domicilii personalibus, non autem realibus. Sic, v. gr., Gallus potest in Anglia testamentum condere juxta formam ibidem admissam, sed ipse regitur gallica tantum lege, quoad capacitatem propriae personae, et quoad quantitatem bonorum disponibilem. Administratio tamen et alienatio bonorum immobilium pendet semper a legibus loci, in quo ipsa reperiuntur. Cfr. *Nouv. Rev. Théol.* (a. 1883), p. 602; Cod. germ., Lex introd., art. 7-28.

§ 3. DE CONSENSU CONTRAHENTIUM [1].

Consensus contrahentium est *anima contractus*. De eo in duplici puncto agemus, stabiliendo: 1° quaenam sint dotes legitimi consensus; — 2° quaenam vitia illi opponantur.

1. *De dotibus legitimi consensus.*

1044. — PRINCIPIUM. **Consensus contrahentium debet esse: 1° internus; — 2° mutuus; — 3° externe manifestatus; — 4° liber et deliberatus.**

1° *Internus;* quia obligatio contractus ex sola contrahentium voluntate, sive explicita, sive implicita, oritur. Ita communiter, contra Vasquez et aliquos. Cfr. *Lehmkuhl*, I, n. 1256.

Hinc: si quis ficte consentit, i. e. *sine animo contrahendi*, non tenetur in conscientia ratione contractus, qui nullus est; sed *ratione deceptionis* tenetur alterum indemnem facere, et si aliud non suppetat medium reparandi injuriam, debet verum consensum praebere et stare contractui. — Idem probabilius dicendum, si quis sciens obligationem contractus consentit quidem cum animo contrahendi, sed *sine animo se obligandi*. Ratio, quia apposita conditio, contraria substantiae contractus, contractum invalidat. — Nec vero invalidus fit contractus, si ineatur *sine animo illum implendi* (III, 172, 709, 710; VI, 833; H. Ap., X, 122).

In foro externo, supponitur semper consensus verus, donec contrarium fuerit certo probatum; quia praesumitur factum quod de jure faciendum erat. Item, nemo tenetur credere ei, qui asserit se interius non consensisse, nisi evidenter constet, v. gr. ex circumstantiis, consensum fuisse jocosum.

[1] Cod. gall., 1109-1122; ital., 1108-1115; austr., 869-877; hisp., 1262-1270; germ., 116 seqq.

Digitized by Google

2° *Mutuus,* etiam in contractu gratuito. Nam, ut ait *Lugo* (disp. 23, n. 39): « licet aliquis possit sola sua voluntate amittere dominium vel possessionem rei suae, non tamen potest sola sua voluntate facere quod res sua ad alium pertineat: ad hoc enim requiritur etiam internus consensus illius, ad quem pertinere debet », juxta illud Juris: *Invito beneficium non datur* (l. 69, ff., *de Reg. Jur.*).

3° *Externe manifestatus,* tali nempe modo, ut consensus unius possit ab alio cognosci et acceptari, et acceptatio, ex parte secundi, innotescere: est enim actus humani commercii, qui nequit esse talis, nisi exterius manifestetur. — Hinc, si offeram tibi rem centum libellis venalem, et tu acceptes, contractus perficitur, non quando interne consentis, sed quando tua acceptatio per aliquod signum externe prodit.

Super his notentur sequentia: *a*) Taciturnitas reputatur pro consensu, si tales sint circumstantiae quae nullum rationabile dubium admittunt (cfr. Cod. austr., 863). Hoc regulariter accidit, si materia est favorabilis tacenti, v. gr. in donatione; tunc enim valet Regula Juris: « Qui tacet consentire videtur ».

b) Non satis est, in contractu bilaterali, si consensus unius alteri innotescat modo qualicumque, sed requiritur ut oblatio consensus manifestetur per *modum denuntiationis,* i. e. ut *intimetur* ex intentione et voluntate ponentis; secus merum internum propositum censetur (*Vermeersch,* n. 316). — Non requiritur tamen, ut consensus utriusque contrahentis emittatur *eodem tempore:* sed sufficit ut consensus unius datus non revocetur, antequam consensus alterius eidem adjungatur.

c) Si contrahitur *per procuratorem,* contractus perficitur statim ac procurator acceptat, tametsi ille, in cujus nomine agit, nondum acceptaverit; quia acceptatio procuratoris est moraliter contrahentis acceptatio.

d) Quoad contractus *per litteras* peractos, disputatur, quo praecise tempore perficiantur, utrum nempe eo momento quo alter, v. gr. scribendo responsionem (epistolam), propositionem alterius offerentis acceptat, an potius eo momento quo offerens alterius acceptationem cognoscit. — Spectato solo Jure naturae, contractus perfici videtur, statim ac alter acceptat, nisi lex aut consuetudo, vel expressa proponentis voluntas aliter disposuerit. Tunc enim duorum in idem placitum consensus adest (*Lehmkuhl,* I, n. 1258; *Carrière,* I, 34, 4°; *Crolly,* II, 104). — Altera tamen opinio recentiori jurisprudentiae (in Gallia et in Italia praesertim) magis est conformis. Cfr. *Camillo Re,* Tratt. sulla compra e vendita, n. 10. In Austria (n. 862), in Hispania (n. 1262), in Germania (n. 147-156 et Cod. comm., 321) et in pluribus regionibus regulae practicae hac super re in ipso Codice habentur.

4° *Liber et plene deliberatus,* ita ut contrahens, etiam si agatur de materia levi, non solum sui sit compos, sed cum ea advertentia agat, quae ad peccatum grave requiritur. — Secus non esset nisi voluntas imperfecta ac proinde actus imperfectus, qui perfectam obligationem parere non posset. Unde *semi-ebrii, semi-fatui* validum contractum non ineunt, eo minus quod hic de onere sibi imponendo agitur. Vide quae de voto diximus n. 625.

Digitized by Google

2. *De vitiis consensui oppositis.*

1045. — Vitia opposita consensui sunt: 1° error et dolus; — 2° vis et metus. — De dolo dicemus simul cum errore, et de vi cum metu.

1. *De errore et dolo.*

Praenotanda. Error et ignorantia hic aequiparantur (cfr. dicta n. 287).

ERROR est *substantialis* vel *accidentalis,* prout versatur circa substantiam contractus, vel aliquid ei accidentale. — *Substantia contractus* est id, circa quod intentio contrahentis primario et principaliter versatur, et potest esse vel ipsa rei substantia (v. gr. donatio vel venditio), vel etiam illius qualitas (v. gr. si rem emas, praecise quia in usum fuit alicujus hominis celebris), vel etiam utrumque simul. — Item, ad substantiam contractus pertinere potest persona contrahentis, si illius consideratio est motivum principale tui consensus, ut generatim evenit in contractibus gratuitis (*Crolly,* II, 121).

DOLUS, in praesenti materia, est machinatio vel calliditas adhibita ab una parte contrahente, ad alteram fallendam (l. 1, ff., *de Dolo malo*).

1046. — PRINCIPIA. I. **Error circa substantiam contractus irritat contractum Jure naturae.** Et hoc, etiamsi error non dederit causam contractui, i. e. etiamsi, patefacto errore, pars adhuc contraxisset. Est communis sententia. — Ratio est, quia, deficiente cognitione objecti, deficit requisitus consensus (III, 714; cfr. *Lugo,* disp. 23, s. 6; Cod. hisp., 1266).

Hinc: 1° Nullus est contractus, si erraveris *circa naturam conventionis,* v. gr. si ineas contractum, quem putas commodatum, cum sit locatio; vel circa rei substantiam, v. gr. si acetum pro vino, vitrum pro gemma vendas.

2° Nullus est contractus, si error sit *circa qualitatem, quae redundat in substantiam,* vel quia *unice* vel *primario* illam qualitatem intendebas, v. gr. si picturam emas, eo quod eam existimas opus celeberrimi pictoris; vel quia consensisti aperte sub conditione « si talis adsit circumstantia »; deficiente enim apposita conditione, contractus non subsistit. — Sed notandum, talem conditionem (quae dicitur *sine qua non*) non esse in contractu bonae fidei necessario exprimendam; dignoscitur implicite posita, vel ex dispositione legum, vel ex usu locorum, vel ex aestimatione hominum, vel ex natura contractus, vel ex fine ad quem res vel actio, de qua contrahitur, manifeste deputatur, puta si dicas, te velle vinum pro aegroto, pro missae sacrificio, pannum pro veste sacerdotali, etc. (*Gousset,* I, 735).

3° Nullus est contractus, si erraveris circa personam, *cujus intuitu principaliter* egisti. Hinc nulla est donatio, quam ex errore fecisti Paulo, intendens illam facere Petro; vel quam fecisti Joanni, quia eum tibi consanguinitate conjunctum esse erronee credebas; vel quam fecisti Tito diviti, quem opinabaris pauperem. Item, irrita est venditio, quam facisti Caio, intendens expresse eam Sylvio, huicque soli facere (III, 734, 736; cfr. Cod. austr., 872, 873; germ., 119, 120).

Digitized by Google

1047. — II. **Error accidentalis nullum irritat contractum, sed reddit rescindibilem contractum gratuitum, si ejus causa fuerit; et similiter contractum onerosum, cujus causa fuit, si compartis dolo fuerit causatus, vel si enormi laesioni ansam dederit.** Quae assertio est exponenda per partes.

1° *Error accidentalis nullum irritat contractum:* quia contractus ex tali errore initus non est invalidus, nec de Jure positivo, quod hanc nullitatis causam non admittit; nec de Jure naturali, cum ad contractum validandum sufficiat animus voluntarius quoad substantiam, licet sit involuntarius quoad accidentia. Quare, si vinum emas, quod quadrimum aestimas, dum est bimum, valet contractus; attamen, si vinum non sit ejusdem valoris, contractus est reducendus ad aequalitatem.

2° *Reddit rescindibilem contractum gratuitum, si ejus* CAUSA *fuerit.* Hic enim contractus majorem spontaneitatem requirit; imo sunt DD., qui talem contractum omnino irritum habent. — Hinc, donatio facta pauperi, quia valde probus reputatur, est valida, etsi a donante irritari possit (III, 737; *Lehmkuhl,* I, n. 1262; *Göpfert,* I, n. 95, 3).

3° *Reddit contractum onerosum, cujus causa fuit, rescindibilem, si* DOLO ALTERIUS *contrahentis fuerit causatus:* quia deceptor tenetur dolum removere, et in quantum potest, reponere deceptum in eo statu, in quo esset, si non fuisset deceptus. Sed hoc exigit ut deceptus possit, si velit, contractum rescindere (cfr. Cod. hisp., 1270). — Quod si error causatus sit *dolo alicujus tertii,* contractus non fit idcirco rescindibilis. Excipe, si contrahens ipse doli hujus tertii fuerit particeps (III, 715).

4° *Reddit rescindibilem contractum onerosum, si* ENORMI LAESIONI *ansam dederit.* Hanc rescissionis causam communiter admittit Jus positivum [1], modo laesio sit ultra dimidium valoris rei. Cum autem lex alibi venditori faveat, et alibi emptori, standum est dispositionibus Juris [2]. — Quod si laesio tanta non fuerit, ut rescindendi facultatem tribuat, reducendus est contractus ad aequalitatem. Vide *Lehmkuhl,* l. c.

2. *De vi et metu.*

1048. — VIS *absoluta* tollit omne voluntarium, ac proin contractum absolute irritat (cfr. n. 286). — VIS *non absoluta* non distinguitur a metu. Hinc, de solo metu agendum est.

METUS est: 1° gravis vel levis; — 2° inductus a causa intrinseca vel extrinseca, necessaria vel libera, justa vel injusta; — 3° incussus ad extorquendum consensum, vel ob alios fines (cfr. n. 285).

[1] Cod. gall., 887, 1674 seqq.; ital., 1529; austr., 1060 hisp.; 1266. — [2] Cod. germ., 119, 138; hisp., 1291.

Digitized by Google

Ex Jure naturali plane idem est, si vel ipse metum passus, vel alia persona ipsi arctissime juncta, affici debeat malo, quo metum incutiens minatur. — *Ex Jure positivo*, id valet tantum de descendentibus, ascendentibus et conjugibus, qui aequiparantur consanguineis [1].

1049. — PRINCIPIA. I. **Metus juste incussus non invalidat nec rescindibilem reddit contractum.** *Non invalidat,* quia metus non auferens rationem (ut hic supponitur) non tollit, sed minuit duntaxat voluntarium; *non reddit rescindibilem,* quia contrahenti nulla injuria infertur. — Unde, qui ex metu, ne crimen ad judicem deferatur, ducit puellam, quam sub promissione matrimonii defloravit, valide contrahit.

1050. — II. **Metus levis nunquam invalidat contractum, nec, probabilius, reddit rescindibilem contractum onerosum, exceptis tamen sponsalibus.** Ratio *primi:* talis metus non impedit, quominus vere et libere in contractum consentiatur. — Ratio *secundi:* metus respective levis praesumitur contractui dedisse potius occasionem quam causam, cum contrahens leviter tantum fuerit invitus (III, 718; H. Ap., X, 125). Unde nunquam tali contrahenti conceditur actio civilis, secundum illud Juris: « Vani timoris justa excusatio non est » (l. 184, ff., *de Reg. Jur.*).

Dicitur 1° *Non reddit rescindibilem contractum onerosum;* nam gratuitum, juxta sententiam communiorem, reddit rescindibilem, ob maximam spontaneitatem, quam talis contractus requirit. — 2° *Exceptis sponsalibus,* quae etiam per metum levem contracta rescindi possunt, ex maxima libertate, quam sponsalia sibi deposcunt (cfr. dicenda n. 1950).

Sunt tamen AA., qui affirmant probabiliter, *omnes contractus* (exceptis matrimonio et professione religiosa) initos ex metu levi, esse rescindibiles ad arbitrium metum passi (III, 718).

1051. — III. **Metus gravis, injuste a comparte incussus, non invalidat contractum, sed reddit eum rescindibilem ad arbitrium vexati.** Ita communissima et probabilior sententia.

Dicitur 1° *Metus gravis, injuste a comparte incussus,* et quidem etiamsi non fuerit incussus in ordine ad extorquendum consensum (*Lugo,* disp. 22, n. 177).

2° *Non irritat contractum,* cum id non obtineat, neque Jure naturali neque Jure positivo. « *Non naturali,* quia metus non tollit simpliciter voluntarium; *non Jure positivo,* dum in Jure civili praecipitur judicibus, ut tales contractus rescindant; ergo, per se, lex habet eos ut validos » (III, 716) [2].

Excipiuntur aliqui contractus, vel actus, quos JUS CANONICUM ipso facto *irritos declarat,* si ex metu gravi fiant. Tales sunt: matrimonium (et probabiliter etiam sponsalia); professio religiosa; votum; electio praelati; promissio

[1] Cod. gall., 1109 seqq.; ital., 1108 seqq.; austr., 870; hisp., 1267. — [2] Cod. gall., 1111, 1117; germ., 123; austr., 872. Vide tamen Cod. hisp., 1268.

Digitized by Google

vel traditio rerum ecclesiasticarum; absolutio a censuris; renuntiatio beneficiorum (III, l. c., Quaer. 1°). — Excipitur etiam contractus gratuitus, si metus tollat omnem liberalitatem, et consensus solum praebeatur ad declinandam injustam vexationem. Quo in casu, habetur potius contractus innominatus *do ut facias,* qui est, de se, irritus, ob defectum justae materiae.

3° *Reddit contractum rescindibilem.* Ratio: incutiens metum tenetur injuriam alteri factam reparare: quod fieri non potest nisi metum passus in pristino libertatis statu reponatur. — Hinc dicitur in Jure canonico: « quae metu et vi fiunt, debent in irritum revocari » et in Jure romano: « venditiones, donationes, quae per potentiam extortae sunt, praecipimus infirmari » (l. ult., c. 2, *de his quae vi*).

Rescissio autem potest fieri *privata auctoritate;* idque, etiam si res ad tertium possessorem bonae fidei pervenerit. Quod si alter renuat, metum passus potest occulte sibi compensare (III, 717, 719).

Nota, Contractus, ex metu gravi injusto initus, persaepe *ab initio invalidus est;* quia in eo, qui metum patitur, deest consensus internus. Si vero ille internus consensus adfuerit, stet conclusio quam enuntiavimus.

1052. QUAERITUR. *Quid, si metus non a comparte, sed* A TERTIO *fuerit incussus?*

Resp. Si non fuit incussus in ordine ad consensum extorquendum, contractus est omnino firmus; quia metus tunc potius occasio quam causa contractus dicendus est. Quare, qui invasus a latrone alios in sui adjutorium advocat, tenetur illis auxiliantibus promissa solvere. Si tamen summa enormis esset, imminuenda foret ad arbitrium prudentis.

Si vero fuit incussus ad extorquendum consensum, controvertitur. — Prima sententia probabilis *tenet contractum esse rescindibilem;* quia ratione metus, etiam a tertio incussi, deficit consensus perfecte liber, qui ad firmiter contrahendum requiritur. Sic decernunt varii Codices[1]. — Secunda sententia, etiam probabilis, *negat,* quia cum neutra pars injuriam fecerit, nulla, ex natura rei, ratio adest, cur irritus sit contractus, et cur possit ad libitum unius rescindi, invito altero[2]. — In praxi, possessori favendum est, donec decernat sententia judicis.

§ 4. De forma externa contractus.

1053. — Per FORMAM EXTERNAM intelligitur hic externa mutui consensus manifestatio. Jure quidem naturae, nullus determinatus modus nullaeque peculiares conditiones requiruntur. Jus autem positivum jubet certas FORMALITATES aliquando servari, et ex his aliae sunt accidentales, aliae vero essentiales. — Formalitates *accidentales* sunt illae, quarum praetermissio non infirmat contractum, sed obligat solum ad

[1] Cod. gall., 1111; ital., 1111; hisp., 1268; germ., 123; cfr. *Billuart,* de Contr., Diss. 1, a. 4, fin. — [2] *Reuter,* III, 126; *Lugo,* disp. 22, n. 117; cfr. Cod. austr., 875.

Digitized by Google

solvendam poenam, vel etiam privat contrahentes actione civili. — Formalitates *essentiales* sunt illae, quarum praetermissio invalidat contractum, in foro externo.

In Jure moderno communiter ut assentialis habetur forma requisita pro matrimonio, testamento, donatione et hypotheca. Quae pro ceteris contractibus praescribitur, habetur ut accidentalis, ad probationem in foro externo requisita. Cfr. Cod. germ., 125-129; austr., 883-886.

1054. — QUAERITUR. *An contractus qui legibus civilibus declarantur nulli, quando* ESSENTIALIBUS *carent formalitatibus, jam ante judicis sententiam sint etiam in foro conscientiae invalidi, an tantum rescindibiles?*

Resp. Controvertitur. Invalidi ab aliquibus AA. dicuntur quidam contractus de quibus intentio legislatoris, sic irritantis, ex verborum contextu sat declarata videtur [1]. — Communior tamen et probabilior sententia tenet eos, non pleno jure ante judicis sententiam invalidos, sed tantum rescindibiles esse habendos. Ratio est, quia de legis vi irritante non sufficienter constat, ut patet ex variis jurisperitorum placitis [2]. — Stante controversia, possessori est favendum donec a judice aliter statuatur.

Nota. Quae de defectu *formae* diximus, eadem communiter valent *pro aliis defectibus,* qui contractum aliquem, de sua natura licitum ac validum, Jure positivo irritant vel infirmant. — Recole dicta n. 186 et 188. Vide etiam n. 1068, 1081, etc.

ARTICULUS III.

De obligatione contractus [3].

1055. — DEFINITIO. Obligatio contractus est vinculum, quo quis, vi contractus, adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

DIVISIO. Obligationis alia est mere naturalis, alia mere civilis, et alia mixta. — Obligatio *mere naturalis* est illa, quae ligat quidem conscientiam, sed nullam dat actionem civilem in foro externo; *mere civilis* est illa, quae dat actionem in foro externo, sed nullam vim habet pro conscientia, nisi per accidens, v. gr. ob scandalum vitandum. Obligatio *mixta* est illa, quae valet pro utroque foro, uti obtinet in contractibus, qui juxta formam legalem initi sunt.

1056. — PRINCIPIA. I. **Quilibet contractus parit veram obligationem in foro conscientiae, sive in utroque, sive in alterutro contrahentium, pro natura conventionis** [4]. Animus enim

[1] Cfr. *Marres,* de Just., l. 3, n. 21 seq.; *Wuffelaert,* de Just., I, n. 352. — [2] Cfr. *Aertnys,* l. I, n. 148; *Vermeersch,* de Just., n. 329; *Lehmkuhl,* I, 1276. — [3] Cfr. Cod. gall., 1134 seqq.; ital., 1123; austr., 914; hisp., 1258, 1088 seqq. — [4] III, 734; cfr. *Konings,* 891, 3°; Cod. germ., 525 seqq.; austr., 901.

Digitized by Google

se obligandi est de essentia contractus; qui idcirco instar legis habetur quoad contrahentes (III, 707). — Agitur semper, ut patet, de obligatione *justitiae;* excipitur solus contractus *promissionis* (cfr. n. 1062).

Contrahentes (eorumve locum tenentes, v. gr. haeredes) tenentur non tantum ad ea, quae expressis verbis enuntiantur, sed ad ea omnia quae, ob contractus naturam, legem, vel vigentem consuetudinem, implicite conventa censentur. Hinc, v. gr., venditor tenetur de evictione, etsi de hoc nihil expressum fuerit (cfr. dicta n. 1032).

1057. — II. In contractu qualificato, obligatio determinanda est ex natura adjectae clausulae. Praecipuae clausulae, quae adjici solent, sunt sequentes: 1° sub modo; — 2° sub die; — 3° sub demonstratione; — 4° sub alternatione; — 5° sub conditione.

1° Modus est circumstantia, qua uni parti imponitur onus in substantia contractus non inclusum.

Contractus *sub modo* statim obligat; nec tamen obligatio ex non servato modo exstinguitur, nisi aliter conventum fuerit. Sic, v. gr., haeredes legantis non possunt sibi vindicare annuum legatum, sub praetextu quod non servatur *modus*, v. gr., quod missae non celebrantur: sed habent solummodo jus ad cogendum legatarium, ut missas celebret, vel celebrandas curet [1].

2° Contractus *ad diem certum* (vel ad diem certo aliquando venturum, v. gr. cum pater morietur) parit statim obligationem; nec tamen debitor eam ante diem implere tenetur [2].

Si obligatio sit *in diem incertum*, v. gr. cum navis ex India redierit, resolvitur contractus in conditionalem, et sequitur hujus leges.

3° Contractus *sub demonstratione* est ille, in quo adjiciuntur quaedam verba, rei vel personae designandae gratia.

Si error sit in quantitate, sic distinguendum: *a*) Si quantitas designata fuerit *demonstrative*, i. e. si res primo loco exprimatur, et postea ejus quantitas, v. gr. lego Tito praedium meum, triginta jugerum, debetur tota. — *b*) Si designata fuerit *taxative*, ita ut primo loco quantitas exprimatur, deinde res ipsa, v. gr. lego tres aureos in tali capsula, non debetur excessus quantitatis, nisi ex adjunctis aliud constet.

4° Contractus *sub alternatione* est ille, in quo inter plura aliquid indeterminate designatur, pro libitu unius contrahentium praestandum, v. gr. promitto bovem, vel equum. Cfr. *D'Annibale*, II, 328.

Si ob unius rei destructionem *electio fiat impossibilis*, culpa creditoris, debitor liberatur; si evenerit culpa debitoris, creditor potest petere superstitem, vel alterius aestimationem; si evenerit casu fortuito, contractus dici potest nullus. Vide quae diximus n. 632, Quaer. 1°; cfr. Cod. austr., 906-907.

[1] III, 734; cfr. *Konings*, 891, 3° Cod. germ., 525 seqq.; austr., 901. — [2] Cfr. Cod. germ., 271; austr., 902-904.

Digitized by Google

5° CONDITIO est circumstantia contractui adjecta, a cujus exsistentia volumus dependere valorem illius. — Alia est suspensiva, alia resolutiva. *Suspensiva* dicitur, quando obligationis inceptio pendet a conditionis adimpletione; *resolutiva*, quando obligatio jam exsistens per eventum conditionis revocatur seu resolvitur, ita ut nunquam exstitisse censeatur (cfr. *Porpora*, tr. XI, n. 72; Cod. germ., 158; austr., 696 et 897).

De conditione SUSPENSIVA in primis hic agitur, quippe quae contractum proprie conditionatum facit. Habet varios effectus, pro diversitate rei, de qua agitur (VI, 890).

a) Si conditio sit *de praesenti*, vel *de praeterito*, et reipsa exsistat, contractus statim valet; secus, si non exsistat, quamvis hoc ignoretur. Similiter valet, si conditio sit de futuro necessario. — *b*) Si conditio sit *de futuro contingenti*, oritur statim obligatio exspectandi, et non impediendi conditionis eventum; posita autem conditione, contractus transit in absolutum, quin necesse sit renovare consensum: ita communius. — *c*) Si conditio sit *impossibilis* vel *turpis de futuro*, irritat contractum; quia, si sit impossibilis, signum est non adesse consensum serium, sed potius dissensum; si vero turpis sit, seu illicita, de futuro, non potest inducere obligationem, utpote alliciens ad peccatum (vide dicta n. 1036). — *Excipiuntur* tamen in Jure CIVILI donationes, mortis causa, seu ultimae voluntates (in Jure gall., etiam donationes *inter vivos*), in quibus conditiones turpes, vel impossibiles, pro non adjectis habentur. Sic, v. gr., si quis tibi leget pecuniam sub conditione ut haeresim profitearis, vel ut filios haeresi imbuas, valet legatum, licet impiam conditionem implere nolis. Idem statuitur, in JURE CANONICO, de conditione turpi aut impossibili adjecta matrimonio, ut suo loco videbimus (n. 1973, q. 3°) [1]. — Si tamen constaret donatorem, aut testatorem, plane voluisse liberalem suam dispositionem ab expressa conditione pendere, non valeret donatio.

Nota. Conditio debet impleri in propria specie, nec sufficit ut impleatur aequivalenter; nisi aliter voluisse contrahentes sufficienter constet. — Quoties conditio impletio impeditur ab uno contrahentium, hic peccat et nullum commodum ob non impletam conditionem percipere debet. Unde, si defecerit facto ejus, qui eam implere debuisset, huic nihil debetur; si facto ejus, qui debuisset aliquid praestare, iste obligatur [2]; si neutrius facto, cessat obligatio (*D'Annibale*, II, 309; Cod. germ., 158; cfr. ib., § 134, 138, 308).

1058. — III. Natura et quantitas obligationis aestimandae sunt ex voluntate contrahentium. Hinc, si voluntas clare expressa fuit, ipsi omnino standum est. Si parum clare, est interpretanda ex aequo et bono. Generatim regulae pro interpretatione legum hic applicandae veniunt (III, 707). Vide *D'Annibale*, II, 331.

[1] Similiter pro non adjecta habenda est conditio *coelibatus perpetui*, quae in testamento imponitur, si legatarius (vel haeres) hactenus non nupserit: secus vero, si ista conditio viduae imponatur (*A. S. S.*, 17, p. 479). — [2] Dicunt alii, in hoc casu non amplius valere contractum; ab eo tamen, qui conditionis impletionem impedivit, reparationem esse damna alteri forte obvenientia (cfr. supra n. 632).

Digitized by Google

Hinc: 1° Intentio contrahentium, potius quam litteralis verborum significatio, in dubio, examinanda est. — 2° Si clausula duplicem sensum admittat, eo sensu est intelligenda, quo aliquem possit effectum producere; praesumendum est enim voluisse contrahentes aliquid efficere. — 3° Verba aequivoca accipienda sunt in eo sensu, qui melius in contractus materiam quadret. — 4° Ambiguum interpretandum est juxta consuetudinem loci, ubi celebratus est contractus; quia consuetudo est optima interpres. — 5° Clausulae apponi solitae, si in contractu omissae fuerint, habendae sunt ut appositae; quia unusquisque praesumitur juxta usum contrahere. — 6° Clausulae interpretandae sunt una ex aliis, ita ut cuilibet ille sensus detur, qui arguitur ex actu integro; nam ex toto contextu facienda est interpretatio. — 7° In dubio, conventio interpretanda est in ejus favorem, qui obligationem contraxit: quoniam quaelibet obligatio in benigniori sensu accipienda est [1]. — Postremo, si dubium, omnibus perpensis, tolli nequeat, consulenda est amicabilis TRANSACTIO (cfr. n. 1160).

1059. — Quaesita. QUAER. 1° *Quamnam obligationem pariat contractus* RESCINDIBILIS?

Resp. Ante denuntiatam rescissionem, parit eamdem obligationem ac contractus omnino firmus. Porro, contractus rescindi potest ab illa parte, quae injuriam passa est, vel quae sufficienti capacitate caruit; et nisi res sit dubia, vel nisi rescissionem a judice pronuntiandam lex definierit, potest fieri auctoritate privata. Quod si contractus, intra tempus utile a lege definitum, non rescindatur, fit omnino firmus [2].

QUAER. 2° *An contractus de jure infirmus firmetur per* JURAMENTUM?

Resp. Dist. Contractus declaratur infirmus seu rescindibilis, vel propter bonum commune societatis, vel propter bonum privatum contrahentium. — In priori casu, non firmatur per juramentum, quod, cum non sit vinculum iniquitatis, non potest inducere obligationem faciendi id, quod est contra bonum commune. — In posteriori casu, firmatur quidem per juramentum, sed in *Jure moderno* firmatur solum in foro interno, ex superaddito religionis vinculo, ex quo nascitur tantum personalis obligatio, quae non transit ad haeredes, et jurans potest obtinere dispensationem, quia alter non habet jus strictum. — Hinc, valere videtur juramentum, quo quis libere alteri promittit, se non revocaturum testamentum vel legatum in ejus favorem factum; quia, in his et similibus casibus, jurans potest suo juri cedere. Ita communius et probabilius cum *S. Alphonso* (III, 177, 757).

An, quaeres, *repeti possit quod vi solius juramenti metu gravi et injusto extorti, sine alio titulo solutum fuit?* — *Resp.* Alii *negant*, quia juramentum ob Dei honorem est intelligendum simpliciter et cum effectu: atqui juramentum intellectum de momentanea tantum rei traditione, non intelligeretur

[1] *Porpora*, tr. XI, n. 8; Cod. germ., 133, 157; austr., 914-916. — [2] *D'Annibale*, II, 418; Cod. germ., 143.

Digitized by Google

simpliciter, et foret vera illusio. — Alii vero multo plures *affirmant;* tum quia, quod restitui debet, potest repeti; tum quia per factam solutionem, jam satisfactum est juramento, nec reverentia divino nomini debita violatur ab eo, qui reparationem sibi illatae injuriae exigit. Sed nec traditio rei fuit omnino illusoria, quia semper adest periculum, ne res furi tradita non amplius repeti possit (III, 174). — Recole dicta n. 617, q. 3.

1060. — *Notanda.* 1° CESSAT obligatio contractuum diversis modis, videlicet: *a*) solutione, vel traditione rei debitae; — *b*) novatione, seu substitutione novi debiti debito veteri: v. gr. promisi tibi frumentum, nunc tecum convenio, ut illius loco solvam summam pecuniae; — *c*) condonatione seu remissione debiti; — *d*) compensatione: v. gr. debeo tibi mille francos, et eodem pretio vendo tibi equum: debitum utriusque exstinguitur; — *e*) confusione, i. e. debiti et crediti in eamdem personam conjunctione, ut si fias haeres tui creditoris; — *f*) destructione vel perditione rei debitae, quae aliquando debitorem ab obligatione liberat, ut in contractibus mere gratuitis, aut etiam in aliis, ubi non incidit culpa debitoris; aliquando vero non liberat, v. gr. si evenerit culpa debitoris, vel hic fuerit in mora culpabili; — *g*) rescissione facta sive utriusque consensu sive voluntate illius partis, quae rescindendi facultate gaudet; — *h*) praescriptione, ut suo loco diximus (n. 900).

2° Ad DAMNA quod attinet, quae ex inexsecutione contractus, vel ex solutionis dilatione oriuntur, debent reparari juxta principia exposita, ubi de damnificatore (n. 948).

Plures AA. hoc loco tractant *de probatione obligationum, vel solutionum, in foro externo.* Haec legi possunt in ipsis Codicibus [1].

CAPUT II.

De contractibus gratuitis.

S. Alphonsus, III, 720; ed. G., II, p. 185; *Lugo,* disp. 23; *Lessius,* l. 2, c. 18; *Salmanticenses,* c. 4, n. 65 seqq.; *Sporer,* tr. 6, c. 2, s. 3; AA. mod. supra citati. — Quoad testamenta, vide *Vermeersch,* o. c., n. 222 seqq.

Inter contractus gratuitos potissimum recensentur: 1° promissio; — 2° donatio; — 3° testamentum (cujus occasione dicemus de universa successione haereditaria); — 4° mandatum et negotiorum gestio; — 5° depositum et sequestrum; — 6° commodatum et precarium; — 7° mutuum. — Tres primi contractus sunt unilaterales, alteri bilaterales.

ARTICULUS I.

De promissione.

1061. — DEFINITIO. Promissio est liberalis, deliberata ac spontanea fidei datio, exterius facta et acceptata, de re possibili et honesta.

Dicitur: *liberalis,* et sic differt a contractu oneroso; — *deliberata,* i. e. cum plena advertentia; ac *spontanea,* i. e. immunis ab errore, dolo et metu; — *fidei datio:* sicque distinguitur tum a donatione, in qua res ipsa statim tri-

[1] Cod. gall., 1315-1369; ital., 1312-1377; hisp., 1278-1280; cfr. *Del Vecchio,* t. II, 96.

Digitized by Google

buitur, tum a mero proposito, quod est simplex voluntas aliquid faciendi, et nullam obligationem imponit; — *exterius facta,* i. e. talis ut homo eam cognoscere possit; — *acceptata,* secus consensus non esset mutuus. Sufficit autem acceptatio tacita: imo, potest quis acceptare pro alio, cujus curam gerit. Sic acceptat pater pro filiis, religiosus pro monasterio, praelatus pro ecclesia, maritus pro uxore, etc.; — *de re possibili et honesta;* quia impossibilium nulla est obligatio, et « malis promissis fidem non expedit observari » (Reg. 69, in 6°). Quod si promissio sit prodiga, res promissa reducenda est ad aequitatem, juxta communem aestimationem; et si res sit indivisibilis, nihil debetur (III, 720, 735).

Objectum promissionis potest esse vel *actio* a promittente facienda (promissio personalis), vel *res* ad utilitatem promissarii praestanda (promissio realis).

Si promissio fit sub quadam verborum formula, v. gr. uno interrogante: *dabis mihi librum,* et altero respondente: *dabo,* dicitur STIPULATIO. — Qui promittit, dicitur *promittens* vel *promissor;* cui autem promittitur, appellatur *promissarius.*

1062. — PRINCIPIUM. **Promissionis obligatio pendet a voluntate promissoris.** Si se obligare voluit ex *fidelitate* tantum (quod ordinarie evenit), tenetur duntaxat *sub levi,* etiam in gravi materia. Si ex *justitia* se ligare intendit, obligatio erit gravis vel levis pro quantitate materiae. — Ad constituendam autem *materiam gravem* in promissione ex justitia, requiritur quantitas *quadruplo major* quam in furto gravi, quia promissor disponit de proprio. — In *dubio* circa intentionem promissoris, standum est pro minima parte.

Notanda. 1° Obligatio ex *fidelitate* dicit tantum morale debitum ex honestate promissori impositum; obligatio ex *justitia* superaddit huic debito *jus ad rem* (cfr. n. 839), quod a promissario acquiritur (*Lugo,* l. c., n. 12).

2° *Publica promissio,* publico instrumento expressa, censetur semper ex motivo justitiae elicita; illa enim, legis ad instar, successores ligat. Idem dicendum, secundum aliquos AA., si promissio juramento firmatur. Cfr. *Delama,* n. 178; *Müller,* II, § 110; Cod. germ., 311, 313, 518.

3° Quaevis promissio, per accidens, obligat *ex justitia,* si nempe proximus ex non servata promissione damnum pateretur: v. gr. si mutuum ei promisisses, et ille tua promissione confisus, aliunde sibi non prospexisset.

4° Promissarius nequit *occulte surripere* rem promissam, quia promissio non dat *jus in re* (cfr. n. 917). Excipe si agatur de promissione *remuneratoria* (cfr. *Göpfert,* II, n. 99). — *Post factum* tamen, non videtur teneri ad restitutionem, qui *bona fide* rem sibi promissam occupaverit. Ratio est, quia non constat quod retinet rem alienam domino rationabiliter invito. Cfr. *Aertnys,* l. III, n. 404; *Lessius,* l. c., c. 17, n. 44.

5° *Cessat* acceptatae promissionis obligatio « si postea promissum reddatur impossibile, seu valde nocivum, vel illicitum, vel inutile: et generaliter loquendo, quoties supervenit notabilis mutatio rerum, quae si praevisa fuisset, non fuisset facta promissio; quia semper promissio facta praesumitur sub tali tacita conditione » (III, 720). Cfr. dicta n. 1060.

Digitized by Google

QUAERITUR. *An obliget promissio, si ante exsecutionem* MORIATUR *promissarius, vel promittens?*

1° Si moriatur PROMISSARIUS, ita distinguendum: promissio facta est vel praecipue in ejus favorem, vel praecipue aut saltem aequaliter in favorem ejus familiae, aut haeredum. — Si *prius,* obligatio promissionis evanescit, quia cessat finis in promissione intentus. — Si *posterius,* urget obligatio erga defuncti familiam vel haeredes (cfr. n. 1068).

2° Si moriatur PROMITTENS, haeredes tenentur adimplere ejus promissionem *realem,* sive erga promissarium, sive erga hujus haeredes, eodem modo, eodemque titulo, quo tenebatur defunctus. — Secus vero, si constet promittentem voluisse tantum se personaliter obligare (*Lugo,* l. c., n. 98). Codices hic etiam consulendi sunt: v. gr. Cod. austr., 955.

Nota. Quod si promissio facta fuerit per mandatarium, valebit promissio post mortem promissoris, ita ut haeredes defuncti obligentur, dummodo mandatarius mortem defuncti nondum scire potuerit (cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1287).

Quoad promissionem, quam haeres ab intestato fecit moribundo, vide n. 1083, fin.

ARTICULUS II.

De donatione[1].

1063. — DEFINITIO. Donatio est rei propriae ex liberalitate facta collatio, a donatario acceptata. — Tria igitur ad donationem requiruntur: ex parte *donantis,* liberalitas, ad quam nullum jus cogit; ex parte *donatarii,* acceptatio quae reddit actum perfectum; ex parte *rei,* translatio proprietatis.

Translatio proprietatis in donatarium non ubique eodem modo perficitur. Alibi enim perficitur ipsius rei *traditione,* et alibi etiam ante traditionem.

a) Ex Jure *romano* et *germanico* perficitur sola rei traditione, quam si donator facere recusat, conceditur donatario actio in donatorem, cum jus ad rem habeat[2].

b) Ex Jure *austriaco* translatio perficitur, vel per rei traditionem, vel per authenticum documentum a notario subscriptum (Cod. austr., 943).

c) Ex Jure *gallico, italico, hispanico* perficitur etiam ante rei traditionem. Attamen, si bona mobilia, posthabita donatione, alteri donentur aut vendantur et *tradantur,* hic, modo sit in bona fide, potest ea retinere, jure sic disponente ob bonum publicum. — Donator autem infidelis tenetur de damno erga donatarium[3].

Ex quo inferes: Donatarius, statim ac acquisiverit rei dominium, potest ea uti ut fiat frugifera, etiamsi v. gr. agatur de pecunia pro missis quae post mortem donatoris essent dicendae; modo possessor securitatem praestet. *Ami du Cl.,* 1910, p. 111.

[1] Cfr. pro Jure naturali et romano: *Lugo,* disp. 23, s. 9; *Lessius,* l. 2, c. 18, dub. 2; pro Jure moderno, Cod. gall., 893; ital., 1050; austr., 938; hisp., 618; germ., 516. — [2] *Doveri,* II, § 395; Cod. germ., 929. — [3] Cod. gall., 938; ital., 1062; hisp., 623.

Digitized by Google

Forma, qua fieri debet donatio, a Jure positivo accuratim indicatur [1]. Recolantur tamen quae supra diximus n. 1054. — Ex Jure naturae nulla forma requiritur. — Nulla etiam sollemnitas requiritur a Jure positivo pro *donationibus manualibus*, quae sola traditione perficiuntur.

Ex quo concludes: Si parentes filiis illegitimis occulte (v. gr. per donationes manuales, fideicommissum) aliquid a lege haud concessum donant, non sunt inquietandi, et multo minus filii acceptantes, dummodo talis dispositio nullo alio titulo sit illicita (III, 952).

Divisio. Distinguitur donatio: 1° *simplex*, quae fit absque limitatione, et *qualificata*, quae fit sub conditione aut modo; — 2° *pure liberalis*, quae in donante nullam obligationem supponit, et *antidoralis* seu *remuneratoria*, quae supponit obligationem gratitudinis; — 3° donatio *inter vivos*, qua quis actualiter, et irrevocabiliter, transfert rei suae dominium alteri acceptanti; et donatio *mortis causa*, qua dominium in acceptantem non transfertur, nisi mortuo donatore (cfr. n. 1068, q. 2).

Nota. Jus civile favet, quam minime potest, donationibus; restringit enim donantis capacitatem, limitat materiam disponibilem, et praescribit formam sollemnem adeoque difficiliorem. — Attamen, in *Jure romano* donatio ad pias causas, et in *Jure moderno* donatio matrimonii causa, gaudet peculiaribus privilegiis (cfr. Cod. hisp., § 1327 seqq.).

1064. Principia. I. **Donare possunt omnes, qui nec natura, nec jure impediuntur.** Jamvero, *natura* impediuntur usu rationis carentes; *Jure* [2] autem impediuntur minores, uxores, interdicti, etc. (cfr. n. 1037, 1038). Praeterea, in variis locis viget incapacitas relativa, v. gr. conjugum ad invicem: de qua incapacitate consulendum est Jus propriae regionis [3].

1065. — II. **Donari possunt bona propria et praesentia, quorum cessione nec jura creditorum, nec haeredum necessariorum legitima laeduntur.** Ita ex Jure partim naturali, partim positivo.

Requiritur ergo: 1° ut bona sint *propria;* quare administratores communitatum non possunt ex harum patrimonio facere donationes, nisi sint remuneratoriae, vel nisi expendantur in eleemosynas; — 2° ut bona sint *praesentia;* futura enim Jure positivo [4] communiter donari prohibentur, nisi in determinatis circumstantiis ibidem descriptis; — 3° ut non laedantur *jura creditorum;* nam, bona non intelliguntur, nisi deducto aere alieno, prout fert axioma: « Nullus liberalis, nisi liberatus ». Donatarius autem acceptans fit donantis injustitiae particeps,

[1] Cod. gall., 931; ital., 1056; austr., 943; hisp., 633; germ., 518. — [2] Ib., l. c.; *Crolly*, II, 325. — [3] Cod. gall., 1096; ital., 1054; hisp., 1334. — [4] Cod. gall., 943; ital., 1064; austr., 944; hisp., 635; germ., 523.

Digitized by Google

et tenetur ad restitutionem, modo sciat donantem fieri restituendo imparem (III, 722); — 4° ut remaneat integra *legitima,* seu portio bonorum haeredibus necessariis debita (cfr. infra n. 1081).

Advertendum tamen est, non computari inter donationes proprie dictas donationes *remuneratorias,* quae fiunt pro quantitate et qualitate meriti, juxta aestimationem prudentium; nec donationes *manuales,* quae fieri solent inter conjunctos et amicos, ut munuscula, etc. — Nec prohibet lex civilis donationes *ex meris redditibus;* nam, portio legitima haeredibus necessariis debita constat solo patrimonio, i. e. solo capitali, quod parentes, nullo jure, augere tenentur.

1066. — III. Donatio est semper revocabilis ante acceptationem, etsi juramento sit firmata; est aliquando revocabilis post acceptationem. Ratio *prioris* est, quia nulla obligatio potest sine mutuo partium consensu contrahi, et quia juramentum sequitur naturam actus. Ratio *posterioris,* quia dari potest talis mutatio circumstantiarum, ut revocatio donationis licita evadat. Alia vide n. 1068.

Quoad *primum,* nota: *a*) Sufficit acceptatio *tacita,* v. gr. si fiat donatio praesenti et tacenti; quia in favorabilibus silentium pro consensu habetur. Aliter Cod. gall., 894 et 932. Imo, donatio facta infantibus valet ante donatarii acceptationem, quia ipsa lex acceptat pro infantibus (III, 725).

b) Acceptatio vero non est necessaria (saltem in Jure romano), si donatio fiat immediate Deo, v. gr. his verbis: promitto Deo dare tali ecclesiae, etc.; quia, cum intentio feratur in Deum, donatio valet ut votum. — Si autem fiat immediate ecclesiae, hospitali, etc., requiritur probabilius acceptatio praelati, administratoris, vel saltem alicujus privatae personae, quae nomine ecclesiae acceptet. — « In dubio de intentione donantis, praesumitur habuisse animum vovendi, quia, in causis piis, dum in absentia promissio fit, communiter intentio fertur in Deum » (III, 726).

c) Ex pluribus Codicibus [1], donatio facta in pacto nuptiali non potest ob defectum acceptationis impugnari.

Quoad *secundum,* animadverte: Causae, propter quas donatio, etiam acceptata, revocari possit, sunt sequentes: *a*) Si non implentur conditiones sub quibus donatio facta est. — *b*) Si donatio sit *inofficiosa,* id est si laedat filios in legitima; in quo casu, est communis Juris dispositio, ut donatio ad partem disponibilem reducatur. — *c*) Si donatarius factus sit *enormiter ingratus,* v. gr. si mortem donatori inferre tentaverit, si graves ei injurias intulerit, si necessaria alimenta ei recusaverit. — *d*) Si proles *nascatur donatori,* qui prius ea carebat. — Quousque vero, in his casibus, revocandi facultas sese extendat, quidque donatori observandum sit, recenset Jus positivum, quod maximam hac in re admittit varietatem [2]. Cfr. *Pruner,* de Jure, I, § 144.

In JURE GERMANICO (l. c.), nativitas prolis non est causa revocabilitatis donationis; contra, alia exsistit causa, nempe, si donator non valet semetipsum pro conditione sua sustentare, nempe conjugi aut cognatis debitam sustentationem procurare.

[1] Cod. gall., 1087; ital., 1062; hisp., 1330. — [2] Cod. gall., 953; ital., 1078; austr., 947-954; hisp., 644; germ., 528 seqq.

Digitized by Google

1067. — IV. **Donationes acquirere possunt omnes, qui sunt capaces possidendi.** Quare, sufficit ut donatarius tempore donationis sit conceptus; donatio autem facta nascituro censetur facta sub conditione, quod nascatur vivus et vitalis (cfr. n. 741).

Jure positivo, communiter donationes accipere prohibentur communitates, absque consensu auctoritatis civilis; quae dispositio, in quantum de communitatibus ecclesiasticae jurisdictioni subditis agitur, est plane injusta (cfr. n. 874). — Item, relativa incapacitate plures prohibentur accipere donationes a determinatis personis, vel in peculiaribus circumstantiis. Non est eadem ubique, hac in re, legum dispositio. Sat communiter tamen, filii incestuosi et adulterini non possunt accipere a propriis genitoribus nisi sola alimenta, et filii naturales recogniti solam legitimam [1].

1068. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Si ante acceptationem* MORIATUR *donator aut donatarius, quid juris?*

Resp. 1° Si moriatur *donator,* res dubia est: alii *negant* donationem valide acceptari posse, « quia, post mortem donantis, nequit voluntas ejus uniri cum donatarii consensu, ut ad acceptationem requiritur » (III, 729). Alii vero *affirmant,* « ex eo quod donantis voluntas in litteris, aut in nuntio misso, aut in legatione huic data donationem faciendi, virtualiter perseverat ».

« Posito quod utraque sententia sit probabilis, dico, quod si donatarius bona fide acceptavit donationem, et rem donatam jam accepit, potest eam licite retinere ». Secus, si mala aut dubia fide (H. Ap., X, 130). — Quod si donatio facta fuerit per nuntium, cum nuntius et donatarius donantis mortem adhuc ignorarent, donatio certe est valida (III, 730).

2° Si moriatur *donatarius,* probabilius est ejus haeredes non posse acceptare; « quia haeres succedit in juribus realibus defuncti, non autem in personalibus, ut est jus acceptandi donationem. — Concedit tamen Lessius, quod si haeres sit filius donatarii, ex aequitate posset acceptare, cum talis praesumenda sit mens donatoris » (III, 731).

QUAER. 2° *Quid observandum quoad donationes* MORTIS CAUSA *factas?*

Resp. Donatio *mortis causa* id sibi habet proprium, ut rei dominium neque immediate, neque irrevocabiliter, in donatarium transferat; sed solum sub duplici conditione, nempe ut donator moriatur, utque donationem non revocet. — Differt igitur a donatione *inter vivos,* eo quod est revocabilis; et a testamento, eo quod requiritur donatarii acceptatio (H. Ap., X, 134).

In JURE ROMANO (item in HISPANICO [2]), valet donatio mortis causa, modo fiat de parte disponibili, inter personas habiles, et morte donantis confirmetur. Revocatur ipso facto, si moriatur donatarius, nec transit ad ejus haeredes (III, 741).

[1] Cod. gall., 906; ital., 1053; hisp., 139; germ., 1708 seqq. — [2] Cod. hisp., 620.

Digitized by Google

In JURE GALLICO et ITALICO non admittitur donatio mortis causa. De ea valent quae de contractibus absque debita forma initis dicta sunt (n. 1054).

In JURE AUSTRIACO, donatio mortis causa valet qua *contractus*, si sit acceptata et declarata irrevocabilis; de quo documentum publicum donatario tradendum est. Si vero habet conditiones testamenti, valet qua *haereditas* vel *legatum*[1].

In JURE GERMANICO[2], non admittitur donatio mortis causa; sed donationis promissio mortis causa agnoscitur, i. e. donationis promissio sub ea conditione facta, ut donatarius donatori supervivat; valet ut ultima voluntas.

Probe autem hic notandum est, non omnes donationes, *occasione mortis* factas, esse donationes mortis causa. Sic, v. gr., donatio facta irrevocabiliter, etsi sub conditione mortis, v. gr. do tibi hanc rem, si in hoc periculo moriar, est revera donatio inter vivos, cum conditio a voluntate donantis non pendeat. A fortiori, ut donatio inter vivos habenda est dispositio, qua aegrotus amico vel parentibus rem, sive mobilem, sive immobilem, *actualiter* atque *irrevocabiliter* donat.

ARTICULUS III.

De successione haereditaria.

Agemus: 1° de successione haereditaria in genere; — 2° de successione legali; — 3° de successione testamentaria.

§ 1. DE SUCCESSIONE HAEREDITARIA IN GENERE.

1069. — DEFINITIO. Successio haereditaria est acquisitio juris quod defunctus habebat tempore mortis, seu aliis verbis: est modus acquirendi dominium bonorum et jurium defuncti.

HAEREDITAS, seu *as haereditarius*, est universum jus (universitas bonorum) defuncti, et complectitur omnia ejus jura et onera, quae non sunt mere personalia. — *Haeres* dicitur ille, cui competit jus adeundi haereditatem.

DIVISIO. Successio haereditaria est duplex. — Alia est LEGALIS, quae etiam successio *ab intestato* dicitur; per hanc acquiruntur defuncti bona et jura, ex legis dispositione, sine testamento. — Alia est TESTAMENTARIA, et per hanc acquiruntur bona et jura defuncti, ex ultima ipsius voluntate, sive legitimo testamento. — Ex haeredibus *testamentariis* alii sunt necessarii: hi nequeunt a testatore excludi; alii sunt *voluntarii*, illi nimirum, qui, ex libera testatoris voluntate, haereditario jure potiuntur (III, 945).

Quibusdam in locis, admittitur insuper successio *pactitia*, per quam defuncti bona et jura acquiruntur pacto, quod ipse vivens cum haerede inivit. Tali successioni facile accommodari potest, quod de successione sive legali sive testamentaria dicturi sumus. Cfr. Cod. germ., 2274-2300; austr., 1217.

[1] Cod. austr., 956. — [2] Cod., 2301.

Digitized by Google

1070. — PRINCIPIA. I. **Successio haereditaria est modus acquirendi dominium, qui in Jure naturali radicatur, et qui in Jure positivo distinctius definitur.** Ita communior et probabilior sententia. — Ratio *primi* est, quia societas domestica non potest absque *jure successionis* consistere nec perpetuari. Perpetuitas enim et vigor familiarum requirit, ut filii ex patrum laboribus aliquod beneficium percipere possint. Jamvero, sublato jure succedendi, tollitur principalis stimulus, qui homines ad laborem compellit; tollitur omne studium ad progrediendum in artibus et in scientiis; tollitur ipsius rei familiaris cura, cum nemo sit qui velit thesaurizare ignotis. Similiter, sublato *jure testandi*, pater reducitur ad conditionem meri administratoris, ejusque in propria familia tantopere necessaria auctoritas decrescit. — Ratio *secundi* est, quia multa ad successiones pertinentia sunt obscura vel litigiosa, ita ut sola suprema auctoritate definiri possint. Item, multa sunt, quae debent, ob bonum commune, esse diversa pro diversis circumstantiis temporis, loci, formae regiminis, etc. Ad horum autem ordinationem requiritur potestas suprema.

1071. — II. **Successio aperitur ipso momento mortis, in loco ultimi domicilii defuncti; et bonorum possessio defertur statim haeredi** [1]. Si tamen testator conditionem de futuro apposuerit, exspectandum est donec fuerit impleta, v. gr. si legatum factum sit sub ea conditione, ut legatarius Religionem ingrediatur.

In aliis locis [2], haeres coram judice acceptationem haereditatis declarans potest statim eam adire. In aliis [3] requiritur *judicialis immissio*. Quisque Jus proprium consulat.

1072. — III. **Aperta haereditate, haeres non tenetur eam acceptare** [4], prout fert commune axioma: NEMO HAERES NISI VELIT. Acceptatio autem, nisi judicialis immissio requiratur, potest etiam tacite fieri [5], v. gr. si haeres sese immisceat in negotiis successionis. Ad declinandam autem qualitatem haeredis, requiritur expressa *renuntiatio*, cum haec nunquam supponatur [6].

Ut haeres se *libere* ad haereditatis acceptationem vel renuntiationem determinare valeat, duplex ei beneficium a lege conceditur: 1° JUS DELIBERANDI per certum tempus [7], quo elapso ex Jure *gallico, italico* et *hispanico*, potest cogi ab iis, quorum interest, judicialiter, ut mentem suam aperiat; nemine autem contradicente, tempus ad annos longissimae praescriptionis protrahitur [8]. Ex Jure *germanico*, si haeres, post sex hebdomadas ad deliberandum con-

[1] Cod. gall., 718; ital., 923; austr., 536; hisp., 657. — [2] Cod. gall., 724; ital., 925; germ., 1942, 1960. — [3] Cfr. *Doveri*, II, § 593; Cod. austr., 797; hisp., lex jud. civ., 1001 seqq. — [4] Cod. gall., 775; ital., 929 seqq.; austr., 805; hisp., 988 seqq.; germ., 1942. — [5] Cod. gall., 778; ital., 934; hisp., 999; germ., 1943. — [6] Cod. gall., 784; ital., 944; hisp., 1008; germ., 1945. — [7] Cod. gall., 795 seqq.; ital., 951; hisp., 1004, 1005; germ., 1944. — [8] Cod. gall., 789; ital., 943; hisp., 1016.

Digitized by Google

cessas, non repudiaverit, acceptasse censetur [1]. Atque hic notandum est, posse aliquem renuntiare qualitati haeredis *legitimi,* sibique servare qualitatem haeredis *instituti;* item, recusare legatum titulo universali oblatum et acceptare legatum concessum titulo particulari. Renuntiatio efficit, ut abdicata qualitas, ac proin jura et onera eidem annexa, habeantur quasi nunquam exstitissent [2]. — 2° JUS INVENTARII, i. e. jus describendi omnia bona (credita et debita) defuncti [3], ut ita status haereditatis perfecte cognoscatur. Si inter plures haeredes unus inventarium exigit, alii tenentur consentire [4]; imo semper conficiendum est, si haereditas interdicto, minori, absenti aut corpori morali defertur [5]. Item, in *Germania,* faciendum est si unus e creditoribus hoc postulat [6]. Ordinarie tamen, in lege germanica, usui inventarii non est locus, cum haeres sibi aliis modis providere possit. — Cfr. etiam dicenda n. 1084 seqq.

1073. — IV. Haeres adeundo haereditatem transfert in se non tantum commoda et jura defuncti, verum etiam ejus debita et onera realia. Dicimus:

1° *Commoda et jura,* scilicet *realia;* jura enim personalia, quibus defunctus fruebatur, ut usufructus, jus habitationis, etc., cum eo exstinguuntur.

2° *Debita et onera* item *realia,* quae unusquisque haeredum tenetur ferre pro rata, nisi testator aliud determinaverit [7]. *S. Alph.,* III, 961.

Notetur: 1° Qui *inventarii beneficio utitur* illudque rite et absque fraude perficit, obtinet: *a*) ut non teneatur solvere debita ultra vires haereditatis, utque creditoribus omnia bona cedere possit; — *b*) ut propria sua bona non confundantur cum bonis haereditatis, ideoque ut possit, sicut quilibet alius creditor, suum creditum suaeque administrationis expensas ab haereditate repetere; — *c*) ut valeat vendere haereditatis immobilia sub hasta publica. — Haeres, vel exsecutor testamenti, tenetur sub fine suae administrationis rationem reddere creditoribus et legatariis; sed omnes expensae, etiam pro funeralibus et pro apponendis sigillis. sunt ipsius haereditatis [8].

2° Qui *negligit inventarium,* civili Jure censetur adire haereditatem pure et absolute; et ideo tenetur, etiam ultra haereditatis vires, debita solvere [9]. — Utrum vero ad hoc etiam in conscientia teneatur, *controvertitur.* Sententia communior et probabilior negat (H. Ap., II, 26; *Marres,* n. 271). Imo addunt graves AA., haeredem nequidem post judicis sententiam ad id teneri, eo quod talis sententia fundatur *in praesumptione facti,* sc. fraudis ex parte haeredis, quasi mala fide, ut melius omnia occultaret, inventarium omisisset. Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1398. Creditor tamen legis favore uti potest.

1074. — V. Si plures sint haeredes, partitio haereditatis fit: 1° amicabiliter inter majorennes, praesentes et concordes, sive per actum privatum, sive per actum authenticum coram notario;

[1] Cod., 1942 seqq. — [2] Cod. gall., 785; ital., 945 seqq.; hisp., 1009; germ., 1948. — [3] Cod. gall., 774; ital., 929; austr., 800; hisp., 1010. — [4] Cod. gall., 782; austr., 807; hisp., 1007. — [5] Cod. gall., 776; ital., 930; austr., 805; hisp., 1992. — [6] Cod., 1975 seqq. — [7] Cod. gall., 724, 870-882; ital., 1027-1033; austr., 547; hisp., 661; germ., 1967. — [8] Cod. gall., 793 seqq.; ital., 955 seqq.; austr., 802; hisp., 1023. — [9] Cod. austr., 801; germ., 1975, 1993 seqq.

Digitized by Google

— 2° judicialiter, si adsint minorennes, interdicti, absentes, etc., vel si lis de haereditate moveatur.

Ob nimiam Jurium diversitatem longius foret singula exponere. Quae communiora sunt, leviter tangimus, ad Codices pro ampliori notitia remittentes [1].

Regula praecipua servanda in partitione est AEQUALITAS inter haeredes. — Laederetur autem aequalitas in triplici casu: 1° in casu *anticipatae acceptionis,* si nempe unus ex haeredibus jam quaedam a defuncto accepisset, ex quibus ejus portio ultra jus excresceret; — 2° in casu *laesionis,* si nempe quoddam objectum non justo praetio aestimatum fuisset; — 3° in casu *evictionis,* si nempe unus ex haeredibus e bonis in partitione receptis deturbaretur. — Quae triplex inaequalitas ut excludatur, datur locus contra primam *collationi,* contra secundam *rescissioni,* contra tertiam *assecurationi (Carrière,* II, 535).

a) COLLATIO est actus, quo singuli haeredes ad summam bonorum, quae dividenda relicta sunt, ea bona referunt, quae per donationem inter vivos a defuncto acceperunt.

Hinc, si pater uni, pluribusve filiis, agros vel magnam pecuniae summam, v. gr. occasione nuptiarum, donavit, ceteri filii nullo simili dono aucti possunt exigere, ut in haereditatis divisione ratio hujusmodi donationum habeatur (III, 954-960). Item dicendum, si pater filium a militia redemit, dummodo hoc non fecerit in propriam (patris) vel familiae utilitatem.

A collatione tamen *eximuntur:* 1° Ea quae defunctus dedit eximendo expresse haeredem a collatione. — 2° Ordinariae expensae educationis, i. e. quae expensa sunt ad alimenta, vestes, instructionem, libros, gradus academicos, beneficium, sumptus nuptiales, liberationem a poena carceris vel mortis, et cum consueta munuscula. Haec enim minus dona censentur, quam solutio debiti, parentes ea filiis subministrare teneantur. — 3° Fructus rerum referibilium, qui donatario obtigerunt ante donatoris mortem: nam ex Codice civili non debentur nisi a die apertae successionis. — 4° Bonum immobile, quod periit casu fortuito absque culpa donatarii [2].

b) RESCISSIO est actus, quo, ob laesionem alicujus partis, irritatur praecedens partitio, ut nova instituatur [3]. Simplex alicujus objecti praeteritio in partitione non dat locum rescissioni, sed tantum novae partitioni.

In foro conscientiae, reparandum est omne damnum culpabiliter illatum; in foro autem externo, illud solum quod est ultra quartam partem, si agatur de mera laesione, seclusa vi aut dolo; si autem adfuerit vis aut dolus, sufficit quaecumque laesio alicujus momenti ad obtinendam rescissionem.

[1] Cod. gall., 815 seqq.; ital., 984 seqq.; hisp., lex jud., 1001 seqq.; austr., 554-561; germ., 2032-2063. — [2] Cod. gall., 843-869; ital., 1001 seqq.; austr., 787 seqq.; hisp., 1035; germ., 2050. — [3] Cod. gall., 887-892; ital., 1038; hisp., 1073 seqq.; germ., 756 seqq.

Digitized by Google

c) ASSECURATIO est obligatio, quae omnibus haeredibus pro rata et in solidum incumbit, indemnem praestandi cohaeredem, qui in obtenta portione evictionem passus est. Requiritur tamen, ut evictionis causa ante divisam haereditatem exstiterit [1].

§ 2. De successione legali.

1075. — *Praenotanda.* 1° Haeres legitimus potest succedere aut *jure proprio,* i. e. ob jus quod confert personalis gradus consanguinitatis, v. gr. quando filius patri succedit; aut *jure repraesentationis,* i. e. ob jus quod obtinet, quia suffectus in locum alterius, pro cujus persona habetur quoad successionem occupandum. Sic nepotes in locum defuncti patris ad successionem avi vocantur [2].

Communiter, jus repraesentationis admittitur duntaxat in favorem descendentium tum ex ipso defuncto, tum ex ejus fratribus [3]. — In AUSTRIA tamen extenditur ad omnes haeredes [4]; in GERMANIA ad tres priores ordines [5].

2° Successio vel est *in capita,* quando nempe haereditas ex aequo, pro numero personarum dividitur, vel est *in stirpes,* quando divisio fit pro numero stirpium, quod tunc fit cum aliquis venit jure repraesentationis; vel demum *in lineas,* quando haereditas dividitur in duas partes, quarum una tribuitur consanguineis lineae paternae, altera consanguineis lineae maternae [6].

1076. — REGULAE successionis *legalis* sunt praecipue sequentes:

I. Deficiente testamento valido, ipsa lex determinat modum successionis, ratione habita tum boni communis, tum praesumptae voluntatis defuncti [7].

II. Communiter jus succedendi pertinet ad omnes, qui defuncto *conjuncti* sunt vinculo cognationis, non solum naturalis, sed etiam civilis, i. e. per adoptionem [8].

III. Conjuncti dividuntur in varios *ordines* [9], quorum prior excludit posteriorem, ita ut haeredes ordinis subsequentis non veniant, nisi deficiente quocumque haerede ordinis praecedentis.

IV. Inter haeredes ejusdem ordinis divisio fit secundum regulas speciales, quae apud varias gentes variae statuuntur, sicut varia est ipsa ordinum constitutio [10].

En *regulae* communiores:

1° *Descendentes* [11] constituunt primum ordinem; si in primo gradu deficiunt, veniunt eorum filii, jure repraesentationis. — *Genitores* [12] veniunt in secundo ordine, alibi soli, alibi simul cum defuncti fratribus, vel horum filiis,

[1] Cod. gall., 884-886; ital., 1035 seqq.; austr., 820 seqq.; hisp., 1069 seqq.; germ., 756 seqq. — [2] Cod. gall., 739; ital., 729 seqq.; austr., 733; hisp., 924 seqq.; germ., 1924. — [3] Cod. gall., 740 seqq.; ital., 730; hisp., 925. — [4] Cod., 730 seqq. — [5] Cod., 1924. — [6] Cod. gall., 733; ital., 739; austr., 735; hisp., 926; germ., l. c. — [7] Cod. gall., 723; ital., 720; austr., 727; hisp., 912; germ., l. c. — [8] Cod. gall., 731; ital., 721; austr., 755; hisp., 177, 807; germ., 1757. — [9] Cod. gall., 745 seqq.; ital., 736 seqq.; austr., 730 seqq.; hisp., 921 seqq; germ., 1924. — [10] Ib. — [11] *S. Alph.*, III, 953; Cod. gall., 745; ital., 736; austr., 730; hisp., 930; germ., l. c. — [12] Cod. gall., 746, 748; ital., 738, 740; austr., 735; hisp., 935 seqq.; germ., 1925.

Digitized by Google

jure repraesentationis.— *Ascendentes* in gradu remotiori [1] veniunt alibi in eodem ordine cum genitoribus, alibi in ordine subsequenti.

2° *Fratres* [2] sunt, inter omnes collaterales, privilegiati: veniunt in ordine speciali, et qui ab eis descendunt gaudent jure repraesentationis. — *Germani* [3] seu bilaterales habent ampliora privilegia quam consanguinei aut uterini, seu unilaterales.

3° *Conjux* [4] superstes regulariter computatur inter haeredes legitimos, non in determinato ordine, sed cum haeredibus cujuscumque ordinis, pro sua parte. Sic, v. gr., in ANGLIA uxor accipit tertiam partem bonorum mariti intestati, si hic relinquat descendentes; secus dimidiam [5]; — in GERMANIA accipit in primo casu solum quartam partem, in secundo dimidiam [6]. In AUSTRIA conjux, si tres vel plures sunt filii, succedit cum illis in aequalem partem, sed quoad solum usumfructum. Si defectu descendentium legitimus haeres adest, accipit conjux quartam partem in proprietatem; si nullus, in totam haereditatem succedit [7].

4° Filii *naturales* [8] et *spurii* non gaudent iisdem juribus ac legitimi vel legitimati. Respectu *patris,* vel restringuntur ad sola alimenta vel obtinent portionem majorem minoremve pro diversitate ordinis, in quo veniunt haeredes ex legitima cognatione. Respectu *matris,* naturales succedunt ut legitimi, et spurii possunt probabiliter retinere quod a matre acceperunt.

5° Ubique locorum, *fiscus* [9] venit post omnes, i. e. deficiente quocumque alio haerede (cfr. n. 884).

6° Excluditur a successione legitima tanquam *incapax* is, qui tempore apertae successionis non erat conceptus, vel non natus est vitalis; similiter qui est civiliter mortuus. Cfr. n. 1042, 3°. Filius, cujus parentes cognati sunt in gradu indispensabili, Jure communi pariter ad successionem non admittitur tanquam incapax. *Pruner,* Moraltheol., p. 634 et 638.

7° Excluditur tanquam *indignus,* qui enormis offensae in defunctum reus comprobatus est [10].

§ 3. De successione testamentaria.

1077. — *Praenotanda.* Dispositio de bonis fortunae potest fieri: per testamentum, per codicillum, per legatum vel denique per substitutionem.

1° TESTAMENTUM, ex Jure *moderno* [11], est dispositio de his, quae quis vult fieri de omnibus bonis suis vel de certa illorum parte, pro tempore suam mortem subsecuturo.

Non requiritur formalis institutio haeredis, sed admittitur quaecumque denominatio; dummodo clare exprimatur, quomodo testator de suis bonis, pro tempore suam mortem subsecuturo, disponere intendat.

[1] Cod. gall., 750; ital., 739; austr., 738; hisp., 937; germ., 1926. — [2] Cod. gall., ib.; ital., ib.; austr., 736; hisp., 946. — [3] Cod. gall., 752; ital., 740; austr., 736; hisp., 949. — [4] Cod. austr., 757; hisp., 952, 834; gall., 767; ital., 753 seqq.; germ., 1931. — [5] Cfr. *Crolly,* II, 481 seqq. — [6] Cod., 1924-1931. — [7] Cod., 757-759. — [8] Cod. gall., 755 seqq.; ital., 743; austr., 754; hisp., 939, 840; germ., 1705, 1708. — [9] Cod. gall., 768; ital., 758; austr., 760; hisp., 956; germ., 1936. — [10] Cod. gall., 725; 727; ital., 724 seqq.; austr., 540 seqq.; hisp., 745, 756; germ., 2339. — [11] Cod. gall., 895; ital., 759; austr., 553; hisp., 667; germ., 1937; *Crolly,* II, 332 seqq.

Digitized by Google

2° CODICILLUS est ultimae voluntatis declaratio, minus sollemnis, qua quis, absque directa haeredis institutione, aliquid circa successionem suam decernit.

In Jure *moderno,* codicillus habetur communiter ad instar novi testamenti, in eoque servandae sunt praescriptiones testamenti holographi. Secus tamen in aliquibus Hispaniae provinciis: in Catalaunia, Arragonia et Vasconia.

3° LEGATUM est ultimae voluntatis dispositio, qua testator, ex bonis haeredi universim obventuris, aliquid alteri, directis ad eum verbis, relinquit ab haerede praestandum.

Dicitur: *directis ad eum verbis,* v. gr. relinquo Titio, etc.; nam si verba essent directa ad haeredem, in favorem Titii, esset FIDEICOMMISSUM.

In JURE GALLICO [1] nullum adest discrimen inter haeredem ex testamento et legatarium. Tres in dispositionibus testamentariis distinguuntur species quae eosdem habent effectus, sive sub nomine institutionis haeredis fiant, sive sub denominatione legati, nempe: 1° Legatum *universale,* quo testator universitatem bonorum suorum donat, sive cum onere legata particularia praestandi, sive absque hoc onere. — 2° Legatum factum *titulo universali,* quo testator *quotam* bonorum partem donat, v. gr. dimidiam vel tertiam partem, universa mobilia vel immobilia, etc. — 3° Legatum factum *titulo particulari,* quo determinata bonorum pars donatur, v. gr. mille aurei, bibliotheca, statua, etc.

In JURE ITALICO [2], HISPANICO [3] et GERMANICO [4] prima et altera species dispositionis qualitatem tribuunt haeredis, tertia dispositio qualitatem legatarii.

4° SUBSTITUTIO est ultimae voluntatis dispositio, qua alius in locum haeredis subrogatur. Est *vulgaris* seu directa, et *fideicommissaria*.

Substitutio *vulgaris* est dispositio, qua in locum haeredis, qui non potest aut non vult haereditatem acceptare, alter, imo et tertius et quartus sufficitur. — Substitutio *fideicommissaria* (seu fideicommissum) est ultima voluntas, qua testator fidei haeredis vel legatarii committit aliquid alteri tradendum. Res autem commissa debet vel *statim* tradi, vel servari ab haerede fideicommissario per aliquod tempus, generatim usque ad mortem, et *postea* alteri tradi (cfr. 1068, 2°).

In Jure *moderno* fideicommissum vel omnino excluditur [5] vel peculiaribus legibus subjacet [6]. Verum, recolendum est substitutionem fideicommissariam ad causas pias, valere in foro conscientiae; nam ex Jure canonico, a quo reguntur, validae habentur.

His praemissis, agendum: 1° de requisitis ad valorem testamenti; — 2° de testamenti exsecutione.

1. *De requisitis ad valorem testamenti.*

Ad VALOREM testamenti requiruntur alia ex parte *testatoris,* alia ex parte *haeredis,* alia ex parte *formae.*

[1] Cod., 1002. — [2] Cod., 760. — [3] Cod., 660. — [4] Cod., 2087. — [5] Cod. gall., 896; ital., 899. — [6] Cod. austr., 608, 611 seqq.; hisp., 781; germ., 2100; cfr. *Delamz,* n. 97.

Digitized by Google

1078. — PRINCIPIA. I. **Ex parte testatoris requiruntur: potestas testandi et libera testandi voluntas semel habita, et tempore mortis non retractata.**

Dicimus: 1° *Requiritur potestas testandi.* — Jamvero: *a*) Ex Jure *naturae,* facultas testandi de rebus suis competit omnibus, qui gaudent animi integritate et nullo laborant corporis vitio, quo impediantur declarare quid de rebus suis fieri velint post mortem. Natura igitur sunt inhabiles: infantes et perpetuo amentes, ebrii, furiosi et omnes qui actualiter usu rationis carent (III, 942). — *b*) Ex Jure *positivo,* nonnulli, qui Jure naturae essent habiles, legitime prohibentur; quia legis est bono publico prospicere.

Ex Jure moderno, nulla vel restricta facultate gaudent minores, interdicti et quorumdam criminum rei. Quocirca leges particulares variarum gentium consulendae sunt. — Hic pauca tantum de facultate *minorum* subjiciemus, utpote quae frequentioris usus sunt.

Ex Jure *gallico* [1], nequit testari qui nondum 16 annos natus est. Ab anno 17° ad 21^{m} completum minor potest, per testamentum, disponere de dimidia parte illorum bonorum, de quibus, si foret major, absolute disponere valeret. — Ex Jure *italico* [2], testari nequit qui nondum 18 annos complevit. Hoc autem anno completo, potest esse testator, sicut ceteri omnes. — Ex Jure *austriaco* [3], testari nequeunt impuberes. Pubertatis autem annos adepti, sed nondum 18 annos nati, possunt duntaxat oretenus et coram judice testari. Ab anno autem 19° gaudent plena facultate. — Ex Jure *hispanico,* testari possunt minores utriusque sexus post annum 14^{m} completum [4]. — Ex Jure *germanico* [5], testari nequeunt minores nondum 16 annos nati; ab hac dein aetate usque ad majorennitatem possunt facere testamentum oretenus coram notario. — Ex Jure *anglico,* minores testari omnino prohibentur (*Crolly,* II, 334).

2° *Requiritur libera testandi voluntas* etc. Quae libertati officere possunt, dicta sunt supra (n. 1045 seqq.), ubi de *metu* et *errore.*

1079. — *Notanda. a*) Quivis testator potest ad libitum, sive ex parte, sive ex integro, testamentum a se factum *revocare.* « Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum »[6]. — Revocatio autem fit, vel *expresse* per novum testamentum aut alium actum authenticum, vel *tacite* per rei legatae cessionem. — Testamentum *deletum* aut *laceratum* habetur ut revocatum, nisi constet scripti violationem factam esse praeter voluntatem testatoris [7].

b) Possunt *plura testamenta,* ab eodem facta, simul subsistere, in quantum scilicet prius posteriori non contradicit [8]. — Hoc tamen non admittitur in Jure *romano, austriaco* [9], et *hispanico* [10], nisi in subsequenti testamento fiat expressa mentio de praecedenti, et nisi declaretur, an, sive in parte, sive in integro, illi standum sit.

c) Testamentum *ipsa lege* revocatur, si, eo confecto, compareat haeres necessarius omnino praetermissus [11]. — Jus tamen *gallicum* et Jus *austriacum*

[1] Cod., 903, 904. — [2] Cod., 762, 763. — [3] Cod., 569. — [4] Cod., 663. — [5] Cod., 2229. — [6] L. 4, ff., *De adimendis,* etc. — [7] Cod. gall., 1035 seqq.; ital., 888; austr., 713-719; hisp., 737; germ., 2253 seqq. — [8] Cod. ital., 774; germ., 2258. — [9] Cod., 713. — [10] Cod., 739. — [11] Cod. ital., 888.

Digitized by Google

non admittunt hanc dispositionem, sed utrumque Jus *reducit* testamentum ad partem disponibilem. Ex Jure *germanico*, ab hoc haerede necessario impugnari potest testamentum [1]. Ex Jure *hispanico* revocatur testamentum, sed firma manent legata, nisi sint inofficiosa [2]. — Loco hujus dispositionis viget in Jure *anglico* haec altera dispositio, ut nempe testamentum, sive viri, sive mulieris, per subsequens matrimonium rescindatur (*Crolly*, II, 363, 2°).

1080. — II. Ex parte haeredis, requiritur, ut non instituatur incapax, utque necessarius non laedatur.

Dicimus: 1° *Ut non instituatur incapax*. Porro, haeredis *capacitas* non requiritur pro tempore quo conficitur testamentum, sed pro tempore quo testator moritur. Cum auten nulla naturalis incapacitas detur, possunt tanquam haeredes institui quicumque a Jure positivo non prohibentur, licet usu rationis careant.

Ex Jure moderno [3], communiter, intervenientes in confectione testamenti, institui prohibentur in bona per hoc testamentum relicta. In *Germania*, praeter illos, nullus alius declaratur incapax. — Ex aliis Codicibus, satis communiter prohibentur ii, quibus non conceditur accipere donationem inter vivos, scilicet: nondum concepti (nisi in quantum substitutio permittatur) et nati non vitales, ut foetus abortivi (cfr. n. 741); quidam sontes, in poenam delicti; filii illegitimi et spurii, qui nihil ultra portionem a lege determinatam a propriis genitoribus accipere possunt. — In Jure *gallico* [4] et *hispanico* [5], pronuntiatur specialis inhabilitas in tutorem, quoad bona pupilli; in medicum et ministrum cultus, quoad bona defuncti cui, in ultimo morbo, artis vel ministerii (quoad confessionem) [6] operam praebuerunt. Item [7], uxor absque consensu mariti, instituta publica absque consensu gubernii, haereditatem sibi delatam acceptare nequeunt. — Ex Jure *anglico* [8], institui prohibentur subditi nationis, quae actualiter bellum in gentem anglicam movet; item cessor bonorum, cujus cessio non est approbata.

2° *Ut non laedatur haeres necessarius*; i. e. non *excludatur*, vel sua parte legitima non *frustretur*. Haeres necessarius excludi non potest, nisi ob causas enuntiatas in lege. In hoc casu, exclusus habet jus ad sola alimenta, si haec aliunde non habeat; secus, ad determinatam bonorum partem, quae *reservatio* seu *portio legitima* dicitur.

1081. — *a*) *Haeredes necessarii*, ex Jure tum *romano* tum *moderno*, communiter sunt descendentes legitimi, vel legitimati: ipsisque deficientibus, ascendentes sive paterni, sive materni, sed in gradu solum propiori [9].

Ex Jure *italico*, *hispanico* et *germanico*, conjux superstes etiam inter haeredes necessarios computatur [10]. — In Jure *anglico*, non dantur haeredes necessarii, et, nisi de fundorum transmissione agatur, testator gaudet plena libertate.

[1] Cod., 2079. — [2] Cod., 814 seqq. — [3] Cod. gall., 906 seqq.; ital., 971 seqq.; austr., 540 seqq.; germ., 2234 seqq. — [4] Cod., 907, 909. — [5] Cod., 781 seqq. — De medico, nihil in Jure hisp. — Ad *sacerdotem* quod attinet, lex respicit sola testamenta *in ultimo morbo* confecta. — [6] Cfr. *Allègre*, in art. 909. — [7] Art. 217 et 910. — [8] *Holdsworth*, c. 4. — [9] *S. Alph.*, III, 945; Cod. gall., 915; ital., 805; austr., 762; hisp., 930, 935; germ., 2303. — [10] Cod. ital., 812; hisp., 807-834; germ., l. c.

Digitized by Google

b) *Exhaeredationis causae* sunt gravissimae filiorum in genitores offensae, v. gr. si filius conetur parentes occidere, contra eos agat in causis criminalibus mortis, exsilii perpetui, etc.

Non eaedem ubique admittuntur: eas quisque videat in Jure proprio [1]. In Jure *gallico* et *italico* filius exhaeredari nequit, nisi ob indignitatem judicis sententia declaratam; qua lege non parum laesam fuisse paternam auctoritatem advertunt jurisperiti. In Jure autem *germanico,* ad exhaeredationem sufficit ut tempore testamenti conditi causa exsistat et in testamento exprimatur [2].

c) *Pars legitima, haeredibus necessariis debita,* est ea bonorum portio, quae facultatem suppeditet honeste juxta proprium statum vivendi. — Res definitur accuratius in variis Juribus.

Ex *Jure gallico* [3]: portio filiis legitimis reservata, si unus sit, semissis est bonorum; si duo sint, bistriens, i. e. $^2/_3$; si tres aut plures, dodrans, i. e. $^3/_4$. — Ascendentibus in defectu descendentium, si adsint in utraque linea, semissis; si in una linea duntaxat, quadrans. — Filiis illegitimis *recognitis* debetur pars, quae ipsis a lege tribuitur in successione ab intestato.

Ex *Jure italico* [4]: descendentibus legitimis debetur dimidia pars, quicumque sit eorum numerus. Illegitimis debetur pars, quam lex in successione ab intestato ipsis assignat. — Ascendentes, absque distinctione linearum, habent jus ad tertiam partem. — Conjux superstes, si venit cum filiis legitimis, computatur in eorum numero, et obtinet suam portionem non quidem in proprietatem, sed solummodo in usumfructum; si venit cum aliis, obtinet eodem modo (i. e. in usumfructum) partem tertiam.

Ex *Jure austriaco* [5]: debetur descendentibus dimidia pars, et tertia pars ascendentibus. — Filii naturales habent definitam reservationem in bona solius matris. — Conjugi superstiti, licet non sit haeres necessarius, debetur, si est pauper, conveniens sustentatio, quamdiu ad secundas nuptias non convolaverit.

Ex *Jure germanico* [6]: haeredes habent jus ad dimidiam partem portionis in successione legali ipsis assignatae, quicumque sit eorum numerus.

Ex *Jure hispanico* [7]: conceditur parentibus disponere pro libitu de tertia suorum bonorum parte; tertia pars debetur descendentibus; pars remanens debetur familiae, ita tamen ut, salvo jure uxoris, uni vel pluribus filiis, posthabitis ceteris, eam, pro libitu, assignare possint. — Ascendentibus, si deficiunt descendentes, debetur e bonis filiorum dimidia pars.

1082. — III. Ex parte formae, nihil determinatum habetur Jure naturae; Jure autem positivo praescribuntur formulae variae pro diversitate testamentorum.

Ratione formae, testamentum est: 1° *Commune* vel *privilegiatum,* prout forma ordinaria servatur, vel ex privilegio ab ea dispensatur. Privilegiata sunt testamenta militum belligerantium, peste laborantium, navigantium, etc. [8]. Cessante autem circumstantia, quae fuit causa pri-

[1] Cod. austr., 768 seqq.; hisp., 848-857, 840-846; germ., 2333. — [2] Cod., 2336. — [3] Art. 913. — [4] Art. 805. — [5] Cod., 765 seqq. — [6] Cod., 2393, 2310. — [7] 808-848, 930-955. — [8] Cod. gall., 981 seqq.; ital., 789; austr., 597; hisp., 716; germ., 2249.

Digitized by Google

vilegii, conceditur certum tempus ad conficiendum testamentum commune, et corruit privilegiatum. — 2° *Sollemne* vel *privatum*, prout fit cum determinatis sollemnitatibus (v. gr. cum notario aut judice, et testibus), vel absque illis. Sollemne vero est *publicum*, vel *mysticum* seu clausum.

De forma testamenti *sollemnis* nihil dicemus. In Jure enim moderno requiritur, communiter, minister publicus, qui nomine societatis interveniat ; hic autem de legis dispositionibus servandis curam habebit.

Formam *privatam*, et quidem simplicissimam, habet testamentum *holographum* : quod scilicet manu testatoris integre scribitur; cum indicatione anni, mensis, diei (in *Germania*, etiam loci) [1] et nominis appositione, in forma chirographi. — Istae tres conditiones, sicut ad ejus validitatem requiruntur, ita etiam sufficiunt. — Notabis insuper : 1° adjectio diei, mensis et anni potest *arithmeticis* notis fieri, et in qualibet testamenti parte collocari : tutius tamen est, illa integris litteris in fine testamenti conscribere ; — 2° inscriptio *loci*, ubi testamentum conficitur, minime necessaria existimatur (excepto in *Germania*) ; valet enim testamentum ubivis conditum fuerit ; — 3° charta quaelibet, licet *non obsignata*, sufficit.

In Jure gallico, italico, hispanico, germanico et austriaco admittitur testamentum *holographum* [2]. Et in Jure austriaco admittitur insuper testamentum *allographum* (ab alio scriptum) et *nuncupativum*, quorum formam vide in ipso Codice [3]. — In Jure anglico requiritur, ut scripto testamento apponatur testatoris nomen (aut rite appositum agnoscatur), praesentibus duobus testibus, qui et ipsi nomina sua subscribere debent (*Crolly*, n. 338).

1083. — Quaesita. Quaestiones variae, quae poni possunt, respiciunt sive licitum et illicitum in *testamentis condiendis*, sive *testamenta informia*. Unde quaesita diversi generis.

Quaer. 1° *An peccent parentes laedentes legitimam filiorum ?*

Resp. Affirmative, per se ; et quidem contra solam justitiam *legalem*.

Ad societatem enim civilem pertinet determinare ordinem successionum, juxta modum, quem bonum commune requirit. — Non peccant probabilius contra justitiam *commutativam*, quia de re propria disponunt. Haeres enim necessarius solum post mortem testatoris jus strictum in bona acquirit. *S. Thomas*, 2. 2, q. 57, a. 4; *Génicot*, I, n. 677.

Diximus *per se ;* quia : 1° Non videntur ullo modo peccare parentes, qui, justa de causa, *partialiter* legitimam filiorum laedunt in aliquo casu particulari. Cessat enim finis legis, quando dispositio de se inofficiosa, ratione circumstantiarum, familiae prodest nec obest bono communi : v. gr. si pater bona quaedam remuneratoria tribueret filio probo, unde minus filio dissipatori obveniret ; — vel etiam, si plus tribueret uni ex suis filiis, ut paternum commercium securius prosequi posset, etc.

[1] Cod., 2231 ; Cod. austr., 578, indicationem loci vel temporis tantum *suadet*. — [2] Cod. gall., 970 ; ital., 774 ; austr., 578 ; hisp., 688 ; germ., 2231. — [3] Cod. austr., 579 seqq.

Digitized by Google

— Atque hoc eo facilius admitti debet, quo magis leges modernae paternam auctoritatem restringunt. — 2° Non videntur etiam peccare parentes qui insumerent bona sua *in opera pia,* etiamsi legitimam filiorum laedant, dummodo hi honesta sustentatione non careant (III, 740, 750). — Sententia haec jam ab antiquis DD. probabiliter tenebatur (cfr. *Génicot,* I, n. 677, nota; *Lehmkuhl,* I, n. 1392).

Ex his conclude: a) Post factum, non sunt inquietandi filii, *qui partem debita majorem acceperunt,* quando, ex rerum adjunctis, conjici potest parentes ob justam causam ipsis favisse. Hoc valet praesertim si in bona fide sint, et merito timeri possit, ne quid cedere renuant.

b) Haeredes, *quorum pars legitima laesa est,* utuntur jure suo, si coram tribunalibus dispositiones sibi nocivas aggrediuntur, etiamsi agatur de dispositionibus ad causas pias. Cfr. *Génicot,* l. c.

c) *Filiis illegitimis* (etiam legaliter non recognitis) parentes occulte legata facere possunt, licet ipsi ad haec nullum jus habeant, — salvis tamen juribus filiorum legitimorum et secluso scandalo (*Génicot,* I, n. 679).

d) Difficilior est quaestio sequens: Casu quo testator, vivente prima uxore, novum matrimonium civile inivit, *possuntne filii,* ex hoc concubinatu adulterino nati, partem legitimam, ipsis sicut et filiis legitimis assignatam, accipere; — vel, si nihil assignatum fuit, partem legitimam repetere?

Resp. Ad 1um, *affirmative,* quia ad tramitem Juris positivi haec pars ipsis relicta est; nec obstat Jus naturae, quia testator, ita omnia disponendo, *jus strictum* filiorum legitimorum non laesit (ut supra dictum est).

Ad 2um, *negative,* si nempe in testamento *clare exprimitur* ultima defuncti voluntas. Ratio: filii ex primo matrimonio nati, in casu, immediate post mortem testatoris strictum dominium partis ipsis assignatae obtinuerunt. — Praeterea, est contra pietatem, expressam patris voluntatem impugnare. — Lex civilis utique secundum matrimonium in parem juris conditionem atque primum recipit, sed ipsa filiis illegitimis in casu favere non potest, cum sit evidenter iniqua.

Diximus: *si in testamento exprimitur* etc.; in dubio enim de testatoris voluntate, impugnatio licite fieri posset. Similiter, si defunctus *testamentum non confecit;* tunc enim censetur voluisse ut omnia ad normam Juris positivi distribuantur. Cfr. *Génicot,* II, 562, IV, contra *Lehmkuhl* (I, n. 1396), qui potius dubitanter se exprimit.

QUAER. 2° *Ad quid teneatur testator erga consanguineos non necessarios?*

Resp. 1° *Fratribus* et *sororibus,* item et *conjugi* (si non est haeres necessarius) tenetur testator *sub gravi* legare id quod est necessarium ad *gravem* eorum inopiam sublevandam. Haec tamen obligatio urget *ex sola caritate.*

2° Erga *consanguineos remotos,* etiamsi in gravi necessitate constituantur, erga *fratres* (sorores, conjugem) qui non versantur in necessitate gravi, testator tenetur solum sub levi (III, 946; H. Ap., X, 237; 1. El. qq. ref., n. 39). Cfr. quae n. 702 diximus.

Digitized by Google

QUAER. 3° *An valeat in conscientia testamentum vel legatum formis legalibus destitutum?*

Resp. 1° Si agatur de causis *profanis*, v. gr. de legatis directis ad consanguineos vel amicos, quaestio solvenda est juxta principia superius exposita (n. 1054).

Unde *pro praxi: a*) Haeres ab intestato potest, tuta conscientia, uti beneficio legis, petendo informis testamenti rescissionem; et similiter legatarius ex testamento informi potest licite sibi legata bona postulare, si haeres nolit uti jure suo, vel etiam si vitia testamenti ignoret. — *b*) Ante sententiam judicis, nec haeres tenetur ex justitia legata mere liberalia et profana solvere (nisi vi vel fraude validitatem testamenti impediverit, vel nisi cum juramento ea solvere promiserit); nec legatarius tenetur restituere bona, quae jam accepit aut quae ipso jure jam possidebat. — Post judicis autem sententiam, nec rem accipere, nec acceptam retinere possunt (III, 927).

2° « Quoad dispositiones *pias*, certum est quod, si *constat* haeredi voluntas testatoris, sive per verba, sive per nutum, aut scripturam, *tenetur haeres in conscientia* vel cedere haereditatem loco pio, vel legata solvere » (III, 923).

CAUSA PIA dicitur omne opus, quod ex se (ex fine operis) vel ex fidelium intentione ad finem supernaturalem ordinatur. — Finis ille supernaturalis respicere potest non solum Dei cultum, vel Sanctorum gloriam, sed etiam utilitatem spiritualem vel temporalem proximi. In hoc ultimo casu tamen, adesse debet motivum exercendae caritatis, sicut *christianum* decet, et non sufficit motivum mere philanthropicum.

Causae piae sunt ergo: missae sacrificium, ecclesiae, monasteria, confraternitates, opera misericordiae, scholae, orphanotrophia (etiam *saecularizata*), associationes juvenum ad promovendum in eis amorem fidei et bonos mores. Cfr. *Aichner*, § 143. — *Causae piae non sunt* theatra, societates unice ad peragenda exercitia gymnastica institutae; imo hospitalia, orphanatrophia, scholae, quae evidenter ex fine mere philanthropico condita sunt, unde et eorum administratio totaliter Ecclesiae ministris subtracta fuit.

In *dubio* circa naturam operis, ad finem operantis est attendendum.

Causae piae exclusive legibus ecclesiasticis subsunt. Hoc positivis monumentis clare demonstratur; nec audiendus est *D'Annibale*, II, n. 339, qui fere solus ex modernis sententiam contrariam docet. Cfr. *Génicot*, I, n. 675. — Confirmatur sententia Rescripto S. Poenit., die 19 Jan. 1901 (*A. S. S.*, 34, p. 384), ubi dicitur: « Praxim hujus S. Tribunalis . . . esse ut generatim legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiae. Facile tamen admittuntur haeredes ad compositionem cum Ecclesia vel pia causa cui legatum est ». Cfr. etiam Resp. ejusdem Congr. 23 Jul. 1844 (ap. *Gury*, Casus, I, n. 861) et 23 Jun. 1884 (ap. *Génicot*, l. c.).

Digitized by Google

Notandum tamen est: a) Si non constet de voluntate testatoris per scripturam ipsius indubitatam, aut per verba ex ipso audita, aliove simili modo, haeres *non tenetur credere* uni soli testi, licet probatissimo, v. gr. parocho aut confessario; quia debent esse saltem duo testes, ex ipso Jure canonico et ratione boni communis, ut fraudes vitentur (III, 924). — *b*) Si quis (ut *frequenter* contingit in locis, ubi lex civilis Juri canonico adversatur) obligationem suam penitus ignoret, et confessarii monito non obtemperaturus timeatur, relinquendus erit in bona sua fide, uti jam saepe monuimus. — *c*) Si res difficultatibus implexa sit, deferatur ad judicium Episcopi, cui ex Concilio Tridentino (Sess. 22, c. 8, *de Ref.*) cura exsecutionis piarum dispositionum demandata est, et qui, hunc in finem, peculiaribus etiam a S. Sede facultatibus est instructus.

Corollarium. Haeres ab intestato, qui defuncto PROMISIT *se certo ipsius ultimas voluntates esse impleturum,* ad id tenetur, quandoque ex justitia, quandoque ex sola fidelitate.

1° *Ex justitia,* si defunctus ob hanc promissionem abstinuit a conficiendo testamento. Nam si faciendo promissionem, haeres intendebat eam non implere, dolum commisit, et sic injuste tertium impedivit a consecutione boni, ac proinde ad reparationem tenetur. — Si vero sincere promisit, committeret culpam mutando propositum; quia verum damnum inferret illi, qui alioquin legatarius fuisset institutus (*Crolly,* II, 394).

2° *Ex sola fidelitate,* si defunctus non ob hanc promissionem a testando abstinuit. Ultima voluntatis manifestatio tunc est testamentum forma legali destitutum, et valent quae notata sunt in quaesito praecedenti. — Aderit autem obligatio sub gravi ex religione, si promissio *juramento* fuerit firmata (cfr. n. 1059, Quaer. 2° et 1062).

2. *De exsecutione testamenti* [1].

1084. — I. Exsecutio testamenti committitur *per se* haeredi, nisi testator vel judex, vel ipsi haeredes exsecutorem constituerint. Hoc munus spectat ad illum solum, qui designatus fuit, nec proinde ad hujus haeredes transit.

Ut autem hoc munus suscipi possit, requiritur ut suscipiens facultate se obligandi polleat. — Hinc, suscipere nequeunt minores, tametsi accedat licentia tutoris; uxor, nisi consentiat maritus, quod etiam valet de uxore legitime a marito separata. Ad religiosos quod attinet, ipsi possunt esse exsecutores, dummodo accedat Superioris consensus, nec regula obstet (III, 936).

1085. — II. Exsecutor habendus est ut mandatarius defuncti, et tenetur munus, quod acceptavit, gratis implere (secus in *Germania*) [2], compensatis tamen suis expensis.

Debet autem invigilare: 1° ut apponantur sigilla judicialia, si inter haeredes sint minores, interdicti, vel absentes; — 2° ut fiat inventarium, prae-

[1] Cod. gall., 1028; ital., 903; austr., 816; hisp., 892 seqq.; germ., 2197-2228 — [2] Cod., 2221.

Digitized by Google

sente vel rite advocato proximo haerede; — 3° ut vendantur mobilia, si pecunia ad solutionem legatorum deficiat; — 4° ut exsecutionem testamenti urgeat, praesertim quoad legata pia, quae statim aut saltem intra sex menses exsolvi debent, si tempus non fuerit a testatore determinatum (III, 941).

1086. — III. In exsecutione testamenti religiose servanda est voluntas defuncti expressa, ubi habetur; aut merito praesumpta, ubi expressa deest.

Hinc: 1° Si verba multiplicem admittant sensum, attendatur mens testatoris, juxta naturam et objectum ultimae suae voluntatis. — 2° Si qua adjecta conditio appareat vel inintelligibilis, vel impossibilis, vel bonis moribus aut legibus contraria, habeatur ut non apposita. — 3° Si quaedam testatoris dispositio innixa sit motivo finali aut falso aut contrario legibus, vel bonis moribus, pro nulla habeatur (cfr. n. 1057, v. fin.).

1087. — Quaesita. QUAER. 1° *Quisnam testatoris voluntatem circa legata ex testamento facienda* INTERPRETARI *valeat?*

Resp. Quivis prudens hanc interpretationem facere potest, debita ratione habita circumstantiarum.

1° Legatum relictum *virginibus* debetur etiam corruptae, si hujus corruptio sit occulta. — 2° Legatum, relictum virginibus *ex loco oriundis,* non est dandum virginibus ibi fortuito natis. — 3° Legata relicta dotandis puellis *determinatis,* ut nubant, dari possunt eisdem jam nuptis aut Religionem ingressuris vel ingressis; secus, si indeterminatae sint. In priori enim casu censetur testator voluisse benefacere talibus personis; in posteriori, liberare puellas inopes a periculo seductionis. — 4° Relicta *pauperibus* (sub quo nomine intelliguntur etiam *causae piae*) debent distribui juxta ordinem caritatis ut n. 484 dictum est. — 5° Relicta *orphanis* pauperibus, dari possunt miseris habentibus parentes inutiles, ubi desunt orphani proprie dicti; secus in istorum concursu (III, 930, 938). — 6° Relicta *Ordini Religioso* dari possunt etiam Congregationi cum votis simplicibus et perpetuis.

QUAER. 2° *Quinam possint legata* MUTARE?

Resp. Legatum *profanum* potest auctoritas civilis, justa de causa, commutare in aliud legatum profanum; a fortiori, in pium. Legatum vero *pium* solus S. Pontifex, justa intercedente causa, commutare poterit in alium pium usum.

Episcopi autem, ut probabiliter dicunt Laymann et alii, possunt tunc solum testatoris voluntatem interpretari, et legata in alium pium usum applicare, cum talis supervenit causa, quae, si cognita fuisset, certe testatorem inductura fuisset, ut aliter de suis rebus disponeret (III, 931; *Lucidi,* Visit. sacr. lim., c. VII, a. 4).

QUAER. 3° *Quandonam* OBTINEAT *caducitas testamenti?*

Resp. Testamentum fit *caducum,* quando, licet validum a principio, non potest ob quasdam circumstantias exsecutionem sortiri [1].

[1] Cod. gall., 1039; ital., 890; austr., 726; hisp., 743; *Crolly,* II, 373.

Digitized by Google

Id evenit, si res legata, vivente testatore, pereat, vel si desit haeres aut legatarius. Deest autem legatarius, si decedat ante testatorem, vel ante impletam conditionem, a qua pendet exsecutio testamenti; item, si legatarius nolit aut non possit acceptare legatum. — Si legatum pluribus conjunctim fuerit relictum, tunc uno deficiente, illius pars accrescit aliis.

ARTICULUS IV.

De mandato et negotii gestione.

1088. — I. **Mandatum** est contractus, quo quis alteri suscipienti rem suo nomine gerendam committit. — Qui munus rem gerendi suscipit, dicitur *mandatarius; mandans,* qui illud committit [1].

Ad essentiam hujus contractus pertinet, ut mandatarius personam agat mandantis, ita ut quae ille vi mandati agit, a mandante acta habeantur. Gratuitas vero pertinet tantum ad hujus contractus naturam (cfr. n. 1032). Mandatum igitur censetur gratuito susceptum, nisi pretium sanciatur vel expresse, vel tacite, v. gr. ratione officii quod exercet mandatarius. Nec mandatum transit, ob adjunctum stipendium, in locationem operae, cum ejus essentia tali dispositione non destruatur. Cfr. tamen quae dicemus n. 1141.

Mandatum est DUPLEX: 1° *speciale,* si duntaxat unum negotium, vel quaedam determinata negotia, complectitur; — 2° *generale,* si ad omnia mandantis negotia, quae sunt purae administrationis, sese extendit.

Inter MANDATARIOS recensentur mercatorum *vicarii,* qui merces emunt et vendunt; *fabricis praepositi,* qui opifices conducunt, et pactiones conficiunt; *commercii repraesentantes, proxenetae* (cfr. n. 1140), *procuratores, syndici* in cessione bonorum, etc., etc. [2].

1089. — MANDANS tenetur: 1° praebere necessaria ad mandati exsecutionem, et solvere expensas factas; — 2° adimplere obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas; — 3° servare mandatarium indemnem de damnis.

1090. — MANDATARII obligationes sunt: 1° mandati limites non excedere; — 2° negotium diligenter gerere; — 3° mandanti de re gesta rationem reddere, eique restituere quidquid vi mandati percepit, sive titulo lucri, sive titulo doni; quia non sibi acquirit.

Exstinguitur mandatum: a) finito negotio commisso; — *b*) revocatione mandati, quam mandans pro libitu facere potest; — *c*) renuntiatione mandatarii tempore debito notificata; — *d*) morte naturali, vel civili, aut interdictione sive mandantis, sive mandatarii; in *Germania,* vero, morte mandatarii tantum [3].

[1] *Doveri,* II. p. 215; Cod. gall., 1984-2010; ital., 1737-1763; austr., 1002-1026; hisp., 1709-1739; germ., 662 seqq.; cfr. *Bouvier,* de Contr., P. II. c. 1, art. 3, § 2; *Gury,* I, n. 746, 747. — [2] Cfr. *Moullart,* Tr. du Droit franç., p. 394. — [3] Cod., 673.

Digitized by Google

1091. — II. **Negotii gestio** est quidam *quasi-contractus*, quo quis absentis negotium utiliter gerendum suscipit, sine mandato expresso, vel tacito, sed ex ejus commissione rationabiliter praesumpta. — Est mandatum *praesumptum* [1].

1° Gestor negotii TENETUR alterius rem diligenter administrare, donec dominus providerit; resarcire damna ex sua culpa illata. — In pluribus tamen circumstantiis, temperari potest obligatio compensandi damna, maxime quando ista proveniunt ex imperitia gestoris benevoli, in defectu peritioris. — Probabilius, habet jus ad congruentem mercedem; secus enim pauci invenirentur, qui absentium negotia gerere vellent. Cfr. *Ami du Cl.*, 1912, p. 927.

2° Absens, cujus negotium bene geritur, TENETUR servare conventiones a gestore rite factas, et ipsi expensas et damna ex tali gestione provenientia resarcire, etiamsi, non obstante bona gestione, res male successerit [2]. Vide dicta superius n. 885.

ARTICULUS V.

De deposito et sequestro.

1092. — **Depositum** est contractus, quo res mobilis traditur custodienda, ut integra restituatur. — Qui rem deponit, dicitur *deponens* vel *depositor;* ille autem, apud quem deponitur, *depositarius* [3].

Est contractus *realis,* qui nonnisi rei traditione perficitur. Est, natura sua, *gratuitus:* atvero, si pretium pro rei custodia sanciatur, valent nihilominus regulae depositi.

Depositum est DUPLEX: 1° *voluntarium,* quod spontanea contrahentium voluntate perficitur; et hoc potest esse *expressum* vel *tacitum*; — 2° *necessarium* (in Jure antiquo « miserabile » dictum), quod fit aliqua urgente necessitate, v. gr. in casu naufragii, incendii, etc. In Jure moderno, res apud *caupones, aurigas* depositae considerantur tanquam depositum *necessarium* [4].

1093. — PRINCIPIA. I. **Depositarius tenetur rem depositam custodire, et ad deponentis arbitrium restituere.** Ita omnia Jura.

1° Tenetur *rem diligenter custodire* [5]; imo, ad specialem diligentiam tenetur, si eam promiserit, vel si sponte se obtulerit, vel si mercedem pro cura rei petierit, vel si rem acceperit unice in proprium commodum, vel postremo si de quacumque culpa vitanda expressa stipulatio intercesserit. Ejus incuria inducit obligationem restitutionis (cfr. n. 920). — Depositarius nequit invigilare qualis sit res deposita, quando illam accepit in arca inclusam vel obsignatam [6]. — Similiter nequit sine peccato re deposita *uti,* sine consensu domini saltem praesumpto; peccatum tamen non erit grave, nisi adsit grave damnum deponentis vel damni periculum. — Si tamen cum re deposita ne-

[1] Cfr. *Bouvier* et *Gury*, l. c.; Cod. gall., 1371 seqq.; ital., 1140 seqq.; austr., 1036 seqq.; hisp., 1888 seqq.; germ., 677 seqq. — [2] Cfr. *Gury*, I, n. 846-849. — [3] Cod. gall., 1915-1963; ital., 1835-1877; austr., 957-970; hisp., 1758-1789; germ., 688-700. — [4] Cod. austr., 970; germ., 700-704. — [5] Jam supra (n. 920) diximus quid facere debeat depositarius, casu quo res deposita apud ipsum periclitaretur. — [6] *S. Alph.*, III, 748, 749, 752; cfr. Cod. germ., n. 698; austr., 966.

Digitized by Google

gotietur (v. gr. parochus cum pecunia confraternitatum), fructus sunt negotiatoris, nisi aliter statutum fuerit (*Ami du Cl.*, 1910, p. 111; *Lehmkuhl*, Cas. consc., I, n. 854).

2° Tenetur *depositum petenti statim restituere;* et quidem cum fructibus ex eo perceptis; secus enim retineret alienum. — Excipe, nisi certe sciat rem esse furtivam, aut nisi haberet certam compensationis causam, aut nisi prudenter timeat, ne dominus ea abusurus sit (III, 753). Cfr. dicta n. 1020.

1094. — II. **Deponens tenetur depositarium servare indemnem.** Fert enim axioma: « Officium suum nemini debet esse damnosum ». Unde, debet monere depositarium de vitio rei, ex quo damnum ei emergere possit, et resarcire omnes expensas necessarias vel utiles factas ad rei custodiam (*Porpora*, tr. I, n. 529).

Notetur EX JURE NOVO [1]: 1° Depositum regulariter fieri nequit nisi a rei depositae domino, ad contrahendum habili; aut de ejus consensu expresso vel tacito. — 2° Depositi probatio fieri debet scripto, si res valorem jure determinatum excedat, nisi de deposito necessario agatur. — 3° Caupones de rerum depositarum furto vel detrimento tenentur, sive furtum aut detrimentum fiat a domesticis, sive ab extraneis; non autem si fiat armis, aut vi majore. — Sed vide dicta n. 988.

1095. — II. **Sequestrum** est depositi species, quo res controversa alteri tertio custodienda traditur, ut postea reddatur ei, cui adjudicata fuerit a judice, vel ab arbitrio. — Est *conventionale*, quando fit mutua contendentium conventione; *judiciarium*, quando sententia judicis decernitur.

Sequestrum iisdem principiis regitur ac depositum. — Illius autem objectum non tantum res mobilis esse potest, sed etiam immobilis. — Non *dissolvitur*, nisi per sententiam judicis, vel per mutuum partium consensum (Cod. austr., 968).

ARTICULUS VI.

De commodato et precario.

1096. — Commodatum (*prêt à usage*) est contractus, quo res aliqua mobilis vel immobilis gratuito ad solum usum conceditur, ea lege ut determinato tempore in individuo restituatur. — Qui rem concedit, dicitur *commodans;* ille vero, cui conceditur, *commodatarius* [2].

Si rei usus non conceditur pro certo tempore, sed ad libitum commodantis, contractus dicitur PRECARIUM (III, 745).

Commodatum est contractus *realis*, qui *traditione* rei perficitur; estque essentialiter *gratuitus:* accedente enim pretii stipulatione, transit in locationem rei. — Ejus objectum potest esse res quaecumque in commercio humano posita, modo non consumatur illo usu, ad quem conceditur, v. gr., nummi aurei, qui ad solam ostentationem pro tempore conceduntur.

[1] Cfr. Codices, l. c. — [2] *S. Alph.*, III, 744; v. Codices: gall., 1875; ital., 1805; austr., 971; hisp., 1740 seqq.; germ., 59 seqq.

Digitized by Google

1097. — PRINCIPIA. **I. Commodans tenetur rei usum permittere, illiusque periculum subire.** Ratio *primi* patet ex ipsa definitione. — — Ratio *secundi* est, quia commodans semper remanet rei dominus. Res autem perit domino (III, 747).

1° *Tenetur rei usum permittere;* unde non potest eam repetere ante tempus determinatum, vel ante finem obtentum. — Si tamen ipse, ex casu improviso, re sua statim indigeret, posset illam repetere, etiam in aequali damno commodatarii; quia semper tacita subesse censetur conditio: « nisi res interea sit mihi necessaria ». Dissentit Cod. austr., n. 976.

2° *Tenetur rei periculum subire;* ideoque debet de se detrimenta ex casu fortuito enata sustinere. — Item, tenetur ad expensas extraordinarias, quas rei conservatio exigit, et ad aperiendum ejus nociva vitia.

1098. — II. **Commodatarius habet jus ad usum determinatum, et tenetur rem diligenter servare.** *Primum* est de ipsa essentia contractus; ratio *secundi* est, quia, qui habet commodum, debet habere et incommodum rei intrinsecum.

1° *Habet jus ad usum determinatum,* ac proinde non potest re uti ad aliud, quam ad quod concessa est. Vide tamen quae n. 1093 notavimus. — Debet autem rem tempore statuto restituere.

2° *Tenetur rem diligenter servare,* tanquam bonus paterfamilias; subire expensas cum rei usu ordinario conjunctas; item, facere expensas extraordinarias, quae moram non patiuntur; sed, in hoc casu, expensae debent ei refundi a domino, v. gr. si curet equum gravi morbo, citra suam culpam, laborantem. Si res, *ipsius culpa,* perierit vel deterior facta sit, tenetur resarcire damna; non autem, si haec ex ipso *necessario* usu provenerint. — De casu mere fortuito non tenetur, nisi sit in *mora culpabili,* vel peculiari pacto rei periculum in se susceperit (cfr. n. 920). Vide *S. Alphonsum* (III, 752; H. Ap., X, 137; *Delama,* n. 192; Cod. austr., 978 et 1311; *Lehmkuhl,* Cas. consc., I, n. 851).

ARTICULUS VII.

De mutuo.

Agendum: 1° de natura mutui; — 2° de lucro ex mutuo non percipiendo, seu de usura; — 3° de titulis ab usura excusantibus, seu de mutuo cum faenoris stipulatione; — 4° de quibusdam mutuis in specie.

§ 1. De natura mutui.

1099. — NOTIONES. Mutuum (*prêt de consommation ou simple prêt*) est contractus, quo res *primo usu consumptibilis* alteri traditur, cum obligatione *rem similem* reddendi, suo tempore atque in eadem specie et bonitate [1].

[1] Cfr., pro Jure antiquo, *Lugo,* disp. 25; *Lessius,* l. 2, c. 20; pro Jure moderno, *Crolly,* de Contr., P. II, disp. 9, et varios Codices: gall., 1892; ital., 1819; austr., 983; hisp., 1753-1757; et Cod. comm., 388 seqq.; germ., 607-610.

Digitized by Google

Est contractus *realis,* qui non nisi rei traditione perficitur. — Qui dat mutuum, dicitur *mutuator;* qui illud recipit, *mutuatarius;* quod datur, vocatur *sors.*

Lucrum quod licite ex mutuo percipitur, dicitur *faenus* vel *auctarium* (vulgo *interesse*); quod vero illicite percipitur, appellatur *usura.* — Faenus est vel *legale,* a lege indicatum, vel *vulgare,* inter homines communiter receptum, vel *conventionale,* ex contractu stabilitum.

1100. — *Objectum mutui* non sunt, sicut in locatione et commodato, res quae servari possunt (quarum ergo usus a re distingui potest), sed sunt res *primo usu consumptibiles,* quae ergo destruuntur per usum consumptionis, ad quem naturaliter sunt ordinatae, v. gr. frumentum, vinum, etc. In his nequit usus a dominio separari; quare *res mutuata necessario in dominium mutuatarii transit,* ut dicit *D. Thomas* (2. 2, q. 78, a. 1). — *Pecunia* inter res primo usu consumptibiles computari potest, quia pecunia per se ordinatur ad faciendas commutationes; unde, distrahitur ab utente, illique perit, ac moraliter consumitur, per primum usum (III, 754).

1101. — PRINCIPIUM. **Datur praeceptum caritatis concedendi mutuum his, qui in necessitate versantur, et habituri sunt unde restituant.** Caritas enim obligat ad subveniendum proximo in necessitate constituto, ei concedendo vel rem ipsam, qua indiget, vel saltem usum rei. Hinc, mutuandum est etiam divitibus, qui ob peculiarem circumstantiam, v. gr. ad litem declinandam, mutuo indigent; non vero illis, qui ad augendas opes idem postulant. Huc faciunt verba Domini (*Matth.,* 5, 42): *Volenti mutuare a te, ne avertaris.* — Ratio *limitationis* est, quia ad naturam mutui pertinet, ut res similis reddatur: quare, contractus mutui cum illis, qui nec in spe habent unde reddant, locum habere nequit. His ergo per eleemosynam subveniendum est (vide n. 488).

Praeceptum praestandi mutui *raro* urget, ob gravissimas molestias recuperandi quod fuit mutuo concessum.

OBLIGATIONES VARIAE ex inito mutui contractu enascuntur:

1° *Mutuans tenetur monere de vitio rei; alioquin debet reparare damnum.* — Item, tenetur non repetere rem ante tempus, nisi ipse sit in pari necessitate. Si vero tempus non fuerit praefixum, arbitrio prudentum definiendum est; secus enim, mutuum potius mutuatario obesset, quam prodesset (III, 754 seqq.).

2° *Mutuatarius* casum fortuitum praestare tenetur, et rem eadem quantitate et qualitate reddere suo tempore vel cum mutuator petierit. — Imo, non petenti restitutio fieri debet, si non petatur ob oblivionem, reverentiam aut distantiam. Attamen, mutuans non petens, cum id facile potest, censetur indulgere dilationi (III, 755).

Digitized by Google

§ 2. De lucro ex mutuo non percipiendo, seu de usura [1].

1102. — Definitio. In sensu *latiori,* usura dicitur omne lucrum, quod quis percipit ex pecunia quocumque modo alteri tradita, v. gr. ad censum constituendum, ad societatem ineundam, etc. — In sensu *stricto,* prout hic accipitur, usura est lucrum immediate proveniens ex mutuo (III, 758), i. e. *praecise vi mutui,* excluso alio titulo, seu, ut verbis utamur Concilii Lateranensis V: Usura est lucrum quod nullo labore, nullo sumptu, nullo periculo conquiri studetur (Sess. X, Bulla *Inter multiplices*).

Divisio. Duplex est usura: 1° *realis,* quae pacto exprimitur; — 2° *mentalis,* quae animo intenditur, absque expressa stipulatione.

Dicitur usura *palliata* seu implicita, quando latet sub alio contractu, v. gr. emptionis, locationis, etc. (III, 761).

1103. — Principia. I. **Usura (seu lucrum praecise vi mutui) est prorsus illicita.** Aliis verbis: *Mutuum est contractus essentialiter gratuitus,* et Jus tum *positivum,* tum *naturale* prohibent, ne lucrum ex mutuo, *vi mutui,* conquiri studeatur. — *Primum* constat ex Enc. Benedicti XIV, *Vix pervenit* (1 Nov. 1745), qua S. Pontifex omnes leges antea latas, praesertim Conc. Viennensis (1313), Conc. Later. V (1515), confirmat. Cfr. *Lehmkuhl,* I, n. 1301; *Bucceroni,* Ench. mor., p. 97. — *Secundi* ratio est, quia nefas est exigere lucrum *pro usu rei non suae.* Nulla utique adest injustitia, si pro *utilitate,* quam perdit *mutuator,* ipse exigit compensationem, item pro *onere* quod forte suscipit, vel quod in sua actione includitur (cfr. n. 1035); sed exigere lucrum unice propter utilitatem quam percipit *mutuatarius,* nihil aliud est quam exigere lucrum rei quae jam in dominium alterius per traditionem transivit, imo quae in multis casibus jam non exstat, cum per ejus usum jam sit consumpta (III, 759).

Ne dicas: Praebere alteri occasionem quid acquirendi, vel carere aliqua re quae alteri prodest, esse pretio aestimabilia. — Ambo asserta negamus, ob rationem n. 1035 datam, illud nempe solum esse pretio aestimabile, quod *aliquod onus* in se continet. — Praeterea, quomodo posset pretio aestimabilis dici carentia rei *plane inutilis* (ut supponitur), quae illico in dominium mutuatarii transit, et impositio *oneris* similem suo tempore reddendi?

Usura ergo non in sola oppressione pauperum consistit; etiam *erga divites* facta, est mala. Lege verba Bullae Benedicti XIV.

[1] *S. Alphonsus,* III, 758, ed. G., II, p. 203; *Carrière,* III, p. 226, ubi catalogus copiosus auctorum; *Zech* (ap. *Migne,* Curs. Theol., XVI, p. 763); *Funk,* Zins u. Wucher; *Van Roey,* de Justo Auctario; *Biederlack,* Der Darlehenszins; *Vermeersch,* De Just., n. 357, ubi optime quaestio exponitur.

Digitized by Google

Nota. Quae modo dicta sunt, valent pro usura reali et pro mentali, si nempe mutuum principaliter fieret, *ob spem lucri* (licet sperati ex mera benevolentia), ita ut, sine tali spe, mutuum non daretur. — Atque hinc est cur ab Innocentio XI damnata fuerit haec 42ª propositio: « Usura non est, dum ultra sortem exigitur aliquid, tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum ». Ratio damnationis est, quia benevolentia nunquam obligare potest ad praestandum lucrum, cum multis aliis modis exhiberi possit (III, 762; H. Ap., X, 143).

1104. — II. Usurarii, eorumque cooperatores, tenentur de usuris exactis tanquam de re furtiva. Ratio est, quia contractus usurarius est omni jure nullus; nuda autem rei traditio non transfert ejus dominium (III, 783). Vide dicta de possessore malae dide (n. 940 seqq.).

Attamen mutuator retinere potest quod mutuatarius supra sortem dedit *mere gratis,* vel ut se gratum ostenderet, vel ut novum mutuum sibi pararet (III, 763).

Casu, quo mutuator dubitat *an mutuatarius gratis dederit,* an ut mutui pretium, distinguendum: Quando mutuans bona fide recepit, et postea, superveniente dubio, non potest certus fieri, tunc potest licite illud sibi retinere. Secus autem, si jam recepit in dubio (quidquid dicunt alii); quia cum dubio nemo legitime potest possessionem inchoare. — Ceterum, si mutuatarius non esset pauper, nec illiberalis, nec dedisset motus ab aliqua mutuantis efflagitatione sive minis, tunc *praesumi* potest illum gratis dedisse (H. Ap., X, 144).

1105. — REGULA PRACTICA. Ad dignoscendum *quaenam pacta in mutuo sint licita, quaenam illicita* (nullo accedente titulo extrinseco), attendendum est ad regulam, quam tradit *D. Thomas:* « Omne onus pretio aestimabile, impositum in mutuo, tanquam debitum ex justitia, vera usura est » (2. 2, q. 78, a. 2).

Hinc: 1° Si quod exigitur, non mensuratur pecunia, ut benevolentia, amicitia, usura non est; modo in benevolentiae signum non exigatur beneficium aliquod in particulari, ut patet ex propositione 42ª supra memorata.

2° Non est usura exigere aliquid jam secus ex justitia debitum, v. gr. ut mutuatarius cesset a vindicta, ab injusta vexatione, etc.; quia non imponitur onus novum. — Foret autem usura, exigere debitum, quod ex caritate tantum debetur, v. gr. ut mutuatarius emat apud se, vel cognatos; quia, posito tali pacto, additur onus justitiae, quod pretio aestimabile est (cfr. supra n. 1036, Quaer. 2°, n. 2°). Vide *S. Alphonsum,* III, 774, 780, 781; H. Ap., X, 158-160.

1106. — QUAERITUR. *Quid repetere possit mutuator, quando* REI VALOR *tempore mutui crevit vel decrevit?*

Resp. 1° Si *bona fide* non attendatur ad incrementum vel decrementum, quod rei mutuatae superventurum est, potest pactum ita fieri, ut res in eadem quantitate reddatur. Item, si aeque dubium sit, an valor rei sit augendus vel minuendus. Ratio est, quia, cum utrinque aequale sit periculum, aequalitas eo ipso jam in contractu servatur.

2° Si praevideatur certo vel probabilius valorem rei auctum iri, non licet pacisci, ut in eadem quantitate reddatur: v. gr. si modius

Digitized by Google

tritici nunc valeat tribus libellis, et valiturus sit quatuor tempore restitutionis, non licet pacisci ut totidem solvantur, vel ut modius integer reddatur. Ratio est, quia, hoc modo, plus acciperetur quam datum est.

Excipe, nisi mutuator statuerit *rem servare in tempus pretii aucti ;* quia tunc plus exigere potest ratione lucri cessantis. Deducenda tamen erit aestimatio periculi, vel expensarum ad rem servandam.

3° Si certe vel probabiliter res tempore restitutionis censeatur minus valitura, mutuator poterit majorem mensuram petere, ut se servet indemnem (III, 782; H. Ap., X, 160).

Ad *pecuniam* quod attinet, sufficit ut juxta eumdem valorem restituatur, « quia in pecunia non corpora quis cogitat, sed quantitatem ». Licitum tamen est pactum, ut reddatur in eadem specie et in eodem numero monetarum, saltem si commune sit periculum incrementi vel decrementi (S. Poenit., 21 Jan. 1873; *A. S. S.*, vol. 7, p. 221).

§ 3. De titulis ab usura excusantibus, seu de faenore ex mutuo percipiendo.

Titulus, prout hic accipitur, est circumstantia quaedam *mutuo extrinseca,* cujus intuitu licet aliquid supra sortem exigere. — Admittuntur communiter plures tituli a theologis, videlicet: 1° damnum emergens; — 2° lucrum cessans; — 3° periculum sortis; — 4° poena conventionalis. His accessit hodie titulus legis civilis.

1107. — Principia. I. **Damnum emergens et lucrum cessans sunt tituli legitimi percipiendi aliquid supra sortem.** Nemo enim tenetur (saltem ex justitia) in alterius gratiam aliquod subire detrimentum, absque debita compensatione. Si damnum emergens, aut lucrum cessans, non sit certum, sed tantum *probabile,* potest adhuc aliquid supra sortem exigi, secundum aestimationem periculi damni, vel spei lucri (III, 768, 770).

Hinc, licet probabiliter aliquid supra sortem exigere, si mutuum fiat *ad longum tempus,* v. gr. ad triennium. Est enim moraliter impossibile, ut mutuans, propter diutinam exspectationem, non patiatur aliquod periculum, damnum, vel incommodum, aut saltem ut non impediatur ab exercendo aliquem actum liberalitatis, aut alterius decentis operationis.

Nota. Ad exigendum hujusmodi *interesse,* tria requiruntur: *a*) Ut mutuum sit vere damni, vel lucri cessantis causa. — *b*) Ut non plus exigatur, quam sit lucrum, quod speratur ex alio contractu licito, juxta aestimationem spei et periculi, et deductis expensis. — *c*) Ut *interesse* ab initio in pactum deducatur (III, 760, 769; H. Ap., X, 149 seqq.).

1108. — II. **Periculum extraordinarium amittendae sortis est justus titulus exigendi aliquid supra sortem.** Ratio est, quia se exponere tali periculo est vere pretio aestimabile. Unde sic *D. Thomas*

Digitized by Google

(opusc. 73, c. 6, fin.): « Res, quae extra periculum possidentur, ejusdem speciei, plus aestimantur quam eaedem exsistentes in periculo ». Confirmatur ex verbis Concilii Lateranensis V jam citati: « Usura est lucrum, quod nullo labore, nullo sumptu, nullo periculo conquiri studetur »; et ex declaratione S. Congr. de Prop. Fide, anni 1645, ubi *periculum sortis* inter titulos ab usura excusantes numeratur (Bull. S. Congr. de Prop. Fide, I, 124, 131).

Requiritur autem: *a*) ut periculum sit *extraordinarium*, idque ratione solius mutui: v. gr. si mutuatarius sit tenuis fortunae, prodigus, etc.; nam ob periculum commune, v. gr. incendii, cui exponitur quaevis res sublunaris, nihil exigi potest; — *b*) ut non stet per mutuantem, quominus sors assecuretur, v. gr. per pignus aut fidejussionem (III, 765).

1109. — III. Poena conventionalis est similiter justus titulus aliquid supra sortem exigendi. Ratio: licitum est pactum accessorium, quo contractus firmitati consulitur, et avertitur negligentia alterius partis. Poena autem conventionalis consistit in hoc, quod mutuatarius se obligat ad aliquid supra sortem solvendum, *si* intra tempus praedefinitum *non restituerit*.

Jamvero requiritur: *a*) ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis; — *b*) ut absit animus lucrandi per poenam appositam: qui animus praesumitur, si constituatur tempus, quo scitur debitorem solvere non posse; — *c*) ut poena sit moderata et proportionata culpae. Poena autem solvenda est ante judicis sententiam, quia potius pactum est, quam mera poena (III, 766, 767).

1110. — De titulo legis civilis, seu consuetudinis.

I. EXSISTENTIA TITULI. Hodiernae leges, per formalem dispositionem, tribuunt communiter mutuantibus jus accipiendi aliquod ex mutuo auctarium; et ubi talis lex deficit, CONSUETUDO, passim, eamdem facultatem concedit. — Nec tamen eadem est, ubique locorum, legis dispositio. In aliis enim locis, stabilita est taxa legalis, ultra quam nihil exigi possit: dum in aliis locis, stipulationes partium nullis limitibus circumscribuntur. — Servatur autem, fere ubique, vulgare quoddam auctarium, non secus ac pretium pro ceteris mercibus. Ad quod determinandum faciunt in primis gesta in foro mercatorio (*bourse; stock exchange*), quae quotidie in foliis publicis divulgantur.

In GALLIA [1], taxa *legalis* est 5 % in materia civili, et haec superari nequit; in sola materia commerciali admittitur *conventionalis*.

In BELGIO lex gallica abrogata est; conceditur libertas quodcumque auctarium percipiendi.

In AUSTRIA [2], constitui potest taxa 5 %, si in contractu auctarium stipulatum fuit sine determinatione, vel si interesse vi legis debetur.

[1] Lex 12 Jan. 1886. — [2] Lex 15 Maii 1885.

Digitized by Google

In HISPANIA [1], admittitur taxa conventionalis, qua deficiente, nihil exigi potest. Ratione tamen morae culpabilis taxa legalis 6 % viget.

In GERMANIA [2] taxa legalis, deficiente conventionali, est 4 %. Taxa conventionalis etiam admittitur, quae, si 6 % superet, potest mutuans post 6 menses sortem restituendo se liberare, nec ullum pactum potest hoc jus tollere.

In ITALIA, praeter taxam legalem, quae deficiente conventione potest exigi (i. e. 5 % in materia civili, 6 % in commerciali), admittitur *taxa conventionalis*, quam quidem lex civilis (art. 1831) liberam relinquit cuique definiendam; lex vero naturalis immodicam seu usurariam semper vetat.

1111. — II. LEGITIMITAS TITULI. *Utrum lex civilis (vel vigens consuetudo) sit* JUSTUS TITULUS *percipiendi aliquid supra sortem?*

1° *Mens theologorum.* Hac super quaestione, theologi in diversas abeunt vias. Sunt qui *negant;* quia lex civilis numquam permittere potest, quod vetat lex divina et naturalis [3]. — Sunt qui rectius *affirmant;* sed hujus sententiae patroni minime concordant in allegandis rationibus.

Alii rem explicant ex *fine* mutuationis, quae ex parte mutuatoris potest esse vel gratuita vel quaestuosa [4]. — Alii dicunt rerum consumptibilium praestationem, qualis habetur in mutuo, posse fieri materiam contractus *onerosi,* si ita placeat contrahentibus; unde, mutata contractus natura, nihil jam obstare, quin pretium ex tali praestatione (i. e. ex locatione pecuniae) percipiatur [5]. — Alii opinantur, supremo legislatori, vi *dominii alti,* seu ratione *boni publici,* competere jus transferendi proprietatem auctarii a mutuatario in mutuantem (eo magis quod subditi sponte consentiant), ob commodum universae societati inde proveniens. Nam nervus commercii, aiunt, est mutuum, sub multiplici sui forma, qua venit in emptione-venditione facta, haud numerata pecunia. Praedicto igitur legislatoris jure semel admisso, in aprico jam est conclusio: posse nempe, vi legis civilis, licite percipi quod supra sortem conceditur [6]. — Alii confugiunt ad *trinum contractum,* quem mutuo inesse contendunt, saltem cum mutuatarius illud init ad lucrum faciendum [7] (cfr. n. 1159, nota).

Alii postremo, quibus nos assentimur, docent, hodiernum titulum legis civilis (vel consuetudinis) non esse diversum ab aliis titulis communiter ab antiquo receptis, sed ipsis omnino inniti, ipsorumque indicem et summarium exhibere, attendendo imprimis ad *lucrum cessans* et ad *sortis periculum* [8]. — Et re quidem vera, omnino immutantur, nostris temporibus, sive civitatis conditiones, sive pecuniae valor oeconomicus, inquantum pecunia hodie aestimatur ex spe fructuosae absumptionis et fide quam conciliat. Exinde factum est, quod mutuatores non solum id generatim intendant ut sibi, quocumque licito modo,

[1] Art. 1755, 1108. — [2] Art. 246 seqq. — [3] *Lugo,* disp. 25, n. 13; *Lessius,* l. 2, c. 20, n. 32; *Jules Morel,* Du prêt à intérêt, p. 188; *Pagès,* Diss. sur le prêt à intérêt, § 11; *Lyonnet,* de Mutuo, Schol., n. 9. — [4] *Claudio-Jannet,* Le Capit., la Spécul., la Finance au XIX^e siècle, c. 3, II, III; *Funk,* Maffi u. das Zinsverbot (*Tübing. Quart.-Schr.,* 1875). — [5] *Engel,* Jus canon., l. 5, tit. 19, n. 9 et 36; *Ballerini,* Opus mor., t. 3 P. 3, c. 2, n. 280-348. — [6] *Gury,* I, 863. — [7] *De la Luzerne,* in t. III. — [8] Cfr. *Lehmkuhl,* I, 1309; *Noldin,* II, 586, fin.; *Crolly,* II, 438; *Vermeersch,* o. c., n. 375; *Van Roey,* o. c., *Weiss,* Die soz. Frage, II, p. 694. — Praedictos AA., licet diversa formula utantur, eamdem tamen in essentialibus doctrinam tenere arbitramur.

Digitized by Google

lucrum faciant, sed etiam hujus spei (vel lucri cessantis) compensationem per faenus requirant. — Adde quod in mutui traditione periculum sortis minime fictitium sit, ut ex quotidiana experientia demonstratur. — Lex igitur (vel consuetudo) unum duntaxat praestat: scilicet indicat valorem pecuniae, secundum aestimationem communem, determinat faenus quod hodie huic valori correspondet et licite percipi potest.

Nec obstat, quod in aliquo casu particulari nullus adsit titulus ex communiter receptis; nam ille defectus compensatur abundanter per majus bonum, i. e. per bonum commune, quod, observatione alicujus universalis normae, efficacius promovetur, tanto magis quod per eam oppressivae usurae eliminantur. Unde, lex remanet *justa*, quamvis (non secus ac *de praescriptione* dictum est) praesumptio, in qua nititur, in casu particulari deficiat.

1112. — 2° *Mens S. Sedis.* Quod Ecclesia in antiquis temporibus docuit: « nihil a mutuatore, *vi mutui*, percipi posse », hoc etiamnunc firmiter tenet. — Ratione tamen circumstantiarum, specialiter ex eo quod mutuo *universim* connectuntur ii tituli, qui olim *nonnisi raro* huic contractui adnectebantur, S. Sedes hodie generaliter permittit faenus moderatum stipulari et percipere. Additur vero in decretis clausula pergravis: « (Permittitur auctarium percipere) *quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit* ».

En summa Responsionum, quae hucusque divulgatae sunt:

a) Non sunt inquietandi *fideles*, qui bona fide *interesse* percipiunt uxta taxam legalem absque alio titulo (S. Poenit., 16 Sept. 1830). — Similiter, non sunt *inquietandi*, qui sequuntur praxim invectam accipiendi 8 % annui lucri ex pecuniis in mutuum datis (S. Off., 18 Dec. 1872). Episcopus in singulis casibus (quando agitur de auctario superante taxam legalem) rem decernat juxta praxim timoratorum (S. Poenit., 18 Apr. 1889). — Qui autem mala aut dubia fide beneficio legis usi sunt, peccarunt (contra conscientiam agentes), sed non tenentur ad restitutionem (S. Poenit., 17 Jan. 1838).

b) Non sunt inquietandi *sacerdotes*, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid supra sortem, absque alio titulo (S. Poenit., 16 Sept. 1830). — Durius atque severius se habent *sacerdotes* erga fideles, si iis, qui auctarium ad normam legis percipiunt, absolutionem denegant (S. Poenit., 11 Nov. 1831). Cfr., quoad praefata Responsa: *Lehmkuhl*, I, 1316, nota; *Gaudé*, ed. op. mor. S. Alph., II, p. 221 seqq.; *Schindler*, II, p. 636; *Bucceroni*, Enchir. mor., n. 858; *Crolly*, II, 458.

Ex dictis resolves: 1° Licet percipere auctarium *legale*, nisi hoc sit *evidenter* injustum; pro illo enim stat praesumptio. — Deficiente taxa legali, *vulgari* standum est: vigens enim proborum consuetudo vim legis habet, et

Digitized by Google

communis aestimatio sufficiens est argumentum justitiae, in negotiis hujus saeculi (*Crolly*, II, n. 465 seqq.).

2° Licet, in mutuo, taxam legalem (vel vulgarem) excedere, si haec sit minor eo, quod ob titulos communes percipere liceret. — Justitia per se id prohibere non videtur, dummodo evidenter adsint tituli ad excessum auctarii, et praemoneatur mutuatarius. Talis enim excessus non percipitur nisi titulo compensationis pro incommodo, quo gravatur mutuator. Compensatio autem per se fieri potest ad aequalitatem (*Crolly*, II, 465).

Dicitur: *a*) *justitia . . . id prohibere non videtur;* nam, saepe id vetat caritas, si nempe mutuatarius tali auctario facile opprimitur, atque in miseriam conjicitur; — *b*) *per se;* nam per accidens id prohiberi potest, etiam ratione justitiae, v. gr. accedente sententia judicis reducente auctarium ad taxam legalem; — *c*) *dummodo evidenter adsint tituli;* pergrande enim est periculum hallucinationis, cum possidendi cupiditas sibi facile excogitet titulos, qui plane deficiunt; — *d*) *dummodo praemoneatur mutuatarius;* secus enim non videtur consentire in excessum.

Ante factum igitur difficillime indulgendum est, ut quis auctarium legale vel vulgare excedat. Post factum, prudenter hac doctrina utendum est, ne restitutio imponatur, ad quam non tenetur mutuator.

Nota. De *taxa conventionali,* haec scribit *D'Annibale,* II, 535: « Non immodicas esse dixerim usuras septunces; immodicas supra decunces: quae vero inter has tenent, dijudicandas esse ex peculiaribus adjunctis, sed caute et sobrie.

3° Licet *anatocismus* (id est perceptio interesse ex ipso interesse, nondum soluto). Id permittitur ex lege civili [1] (non autem in *Germania* [2], nisi agatur de aerariis parcimoniae, crediti et mensae nummulariae). Et probabilius etiam pro foro conscientiae valet, modo novum interesse sit liquidum. Id enim quod non fuit solutum, obtinet rationem sortis. — Ad hoc tamen requiritur ut vel pactum praecesserit de ejusmodi *interesse,* vel ex mora solutionis damnum creditori obveniat, vel tanquam poena in mutuatarios culpabiliter morosos decernatur a lege (*Gousset,* in Cod. civ. gall., art. 1154).

§ 4. De quibusdam mutuis in specie.

Sub hoc titulo breviter disseremus: 1° de Montibus pietatis; — 2° de Arcis parcimoniae; — 3° de mensis nummariis.

1113. — I. De Montibus pietatis. Mons pietatis definiri potest: cumulus pecuniarum aliarumve rerum mutuabilium ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, ex eo accipere mutuo possint, quae sibi sunt necessaria [3].

Conditiones *Montium* sunt sequentes: 1° Quidquid ex eis mutuo datur, ad certum tempus, v. gr. ad annum, dari debet: nihil vero ad tempus indeterminatum. — 2° Pauperibus tantum mutuum praestare licet, nisi Mons adeo sit abundans, ut sine pauperum damno, aliis etiam satisfieri possit. — 3° Mutuatarius debet rei vel pecuniae mutuatae aequivalens tradere; quod, nisi rem vel pecuniam statuto tempore reddat, vendendum est sub hasta. — Tum vero,

[1] Cod. gall., 1154; ital., 1232; austr., 998; hisp., 1109. — [2] Cod., 248. — [3] Cfr. *Ferraris,* v. *Montes pietatis; Benedictus XIV,* de Synodo, l. 10, c. 5; *Holzapfel,* die Anfänge d. Mont. piet. (1902).

Digitized by Google

retento pretio, quod Monti debetur, reliquum restituitur domino pignoris, si ille inveniri possit, vel aliis pauperibus, vel etiam ipsi Monti, si pauper sit (III, 765; H. Ap., X, 135).

Notare juvat: *a*) Montes pietatis *Perusiae* primum erectos approbavit Concilium Lateranense V, et Tridentinum (Sess. 22, c. 8) eos Episcoporum curae ac visitationi commisit. Probabilius est, eos posse etiam a privatis institui, nisi obstat lex civilis (v. gr. in Gallia, art. 411). — *b*) Licite in eis aliquod exigitur auctarium, titulo expensarum et onerum, quae ab ipsi sustinentur. Imo, ex concessione S. Sedis, identidem aliquid amplius percipitur *ad alios pios usus;* ita tamen, ut haec perceptio ex alio titulo facta patefiat mutuatariis, utque ab usura ex mutuo distinguatur (*A. S. S.*, IV, p. 27-32; *Can. Cont.*, 32, p. 592).

1114. — II. **De Arcis parcimoniae.** Arca parcimoniae dicitur capsa quaedam, in plerisque urbibus instituta, in quam opifices, famuli aliique pecuniam conferunt, modicum quoddam lucrum inde percepturi.

Pecunia sic collecta impenditur a coetu virorum, qui *actiones* emerunt, vel *societatem* inierunt, hypotheca in bona immobilia accepta, ut majus quaerant lucrum. Sic, v. gr., sex nummi pro centum obveniunt Arcae curatoribus, qui pecuniam sibi creditam dant mutuam; quatuor dantur collocatoribus; duobus in impensas et damna quaelibet retentis (*Kenrick*, tr. XI, n. 116).

Licitae sunt pecuniarum collocationes, quae fiunt in huiusmodi Arcis. Societates enim, quibus committuntur illae pecuniae, *vendunt* collocantibus jus ad pensionem annuam redimibilem, et quandoque etiam jus ad lucra indeterminata partienda; est ergo, sub nomine mutui, vera venditio et emptio census. — Hinc, S. Poenit., hac de re interrogata, 25 Febr. 1836 respondit: « Ut jam alias, *nihil obstare* ».

1115. — III. **De Mensis nummulariis.** Mensae publicae nummulariorum exsistunt vi contractus societatis initi inter plures pecuniam conferentes, quam repetere non valent, sed ex qua censum annuum incertum exspectant; illam scilicet fructuum pecuniae partem, quam rectores Mensae eis, singulis sex mensibus, adjudicaverint. — Pars pecuniae a singulis collata vocatur *actio*. Hanc singuli quidem alienare possunt, sed societas non idcirco tollitur; ille enim, in quem actio translata est, occupat in societate locum alterius, qui recessit. — Ab auctoritate competenti fit societati potestas emittendi *chirographa* (*Crolly*, II, 604; *Bouvier*, de Contr., c. 3, a. 3, § 1 et 2).

Fines *Mensarum* sunt: 1° ut mercatorum ceterorumque pecunia apud ipsas, vel securitatis vel etiam modici auctarii causa, deponatur, quae postea, juxta regulas vel depositi vel mutui, retrahi possit; — 2° ut pecunia mutua ab eis, ad *interesse* legale, accipi possit; — 3° ut cambia sint moderata.

1116. — Peccant Mensarum rectores (*banquiers*) et cum eis cooperantes: *a*) Si pergant deposita accipere, postquam norunt se esse solvendo impares; fallunt enim deponentium fidem, cum gravi eorum damno. — *b*) Si emittant chirographa ultra limites in charta incorporationis designatos; sic enim quaerunt lucrum ex charta monetali absque legitima auctoritate emissa, et faciunt ut ipsa vilescat. — *c*) Si nimium auctarium exigant, vel ex litteris cambialibus ucrum majus eo, quod fert campsorum generalis consensus. — *d*) Si pecunia

Digitized by Google

deposita utantur ad suas utilitates promovendas, sive quod ex ea actiones emant in aliena Mensa, sive quod alio quocumque modo ea utantur contra Mensae leges; sic enim fiducia creditorum vel sociorum Mensae abutuntur, et pecuniam discrimini forte objiciunt (*Konings*, 931-956).

Quid, quaeres, NUMMULARII *recipere possunt occasione mutui?*

Resp. Possunt recipere saltem sex pro centum, juxta taxam statutam pro mercatoribus; exercent enim mercaturam pecuniae. — Imo, in pluribus locis, legitime eis conceditur *septem* pro centum, ob varia pericula et labores, quos subire debent, ad pecuniam assecurandam aliove transferendam (*Gury*, I, 930).

CAPUT III.

De contractibus onerosis.

S. Thomas, 2. 2, q. 77; *S. Alphonsus*, III, n. 793; ed. G., II, p. 232; H. Ap., tr. X, n. 165; *Lugo*, disp. 26; *Lessius*, l. 2, c. 21; *Vermeersch*, o. c., n. 338; *Aertnys*, l. VII, n. 469; *Göpfert*, vol. II, § 82; *Schindler*, II, p. 645 seqq.; *Ami du Cl.*, Tabl. génér., v. *Vente, Restitution*; et alii moderni.

1117. — *Praenotanda.* Omnes contractus onerosi dividuntur in contractus *commutativos*, quorum alii sunt principales, alii accessorii; atque in contractus *aleatorios*. Omnes illi contractus sunt *bilaterales*, et ad eorum validitatem omnino requiritur *aequalitas oneris* ex utraque parte si sunt commutativi, *aequalitas spei seu fortunae*, si sunt aleatorii. De his in tribus capitibus.

Contractus commutativi seu *stricte onerosi* sunt: 1° emptio-venditio; 2° permutatio et cambium; — 3° census; — 4° locatio-conductio; — 5° emphyteusis et feudum; — 6° societas; — 7° transactio. — De singulis breviter.

ARTICULUS I.

De emptione-venditione.

Agendum: 1° de venditione in genere; — 2° de quibusdam venditionibus in specie.

§ 1. De venditione in genere.

1118. — Definitio. Emptio-venditio est contractus onerosus, quo convenitur, ut una pars (venditor) rem aliquam tradat pro pretio ab altera parte (emptore) solvendo [1].

Ad *substantiam* hujus contractus tria requiruntur: 1° consensus mutuus ementis et vendentis; — 2° res aliqua tanquam merx; — 3° pecunia tanquam pretium

Si daretur res pro re, hoc esset *permutatio;* pecunia pro pecunia, esset *cambium*. Si res emeretur ut cum lucro vendatur, haberetur *negotiatio*.

[1] Cod. gall., 1582 seqq.; ital., 1447 seqq.; austr., 1053 seqq.; hisp., 1445 seqq.; germ., 433 seqq.

Digitized by Google

1. *De consensu partium.*

De conditionibus legitimi consensus, deque vitiis illi oppositis, supra egimus (n. 1044 seqq.); pauca, quae venditioni sunt propria, hic subjicienda sunt.

1119. — PRINCIPIA I. **Ex Jure naturae, solo consensu perficitur emptio-venditio.** Non enim ipsa rei traditio, sed tradendi obligatio ad essentiam hujus contractus pertinet. — Hinc, perfecta est venditio statim ac inter partes conventum est *de re* tradenda et *de pretio* solvendo. Partes tamen *possunt stipulari,* ut non perfectus sit contractus, nisi adhibitis sollemnitatibus, v. gr. scriptura vel traditione facta. — *Pro foro externo,* requiritur instrumentum ad probationem, in multis casibus, ubi alia probatio non admittitur (III, 795).

EFFECTUS autem *solius consensus,* traditione rei non secuta, non sunt iidem in omnibus juribus. — In Jure AUSTRIACO [1] et GERMANICO [2], dominum rei per solam *traditionem* transfertur in emptorem; sed interim, quibusdam casibus exceptis, *periculum* et *utilitas* manent apud *venditorem.* Si de fundo agatur, ejusdem relatio in libro fundorum requiritur in Jure germanico ad transferendum dominium.

In Jure GALLICO [3], ITALICO [4], HISPANICO [5] et ANGLICO [6], dominium rei ejusque periculum ac commodum transeunt, per solum consensum partium, ad emptorem, qui proinde actionem realem habet, ab obtinendam ejus possessionem. — Áttamen, si res praegustari solent, v. gr. vinum, aut si traduntur ad probationem, v. gr. equus, venditio non prius perficitur, quam res gustata vel probata fuerit (cfr. n. 1122, 3°).

1120. — II. **Hi soli vendere aut emere possunt, qui valent praestare consensum, nec a lege inhabiles declarantur.** Jamvero, praeter generales inhabilitates, de quibus supra (n. 1038), sequentes sunt emptioni-venditioni propriae:

Ex Jure universaliter vigenti [7], *inhabiles ex parte declarantur* illi omnes, quibus *aliorum jura tueri* incumbit, quales sunt genitores, tutores, curatores, communitatum administratores. — Ratio inhabilitatis est periculum praevaricationis in pupillorum detrimentum. — Item, magistratus, aliique officiales praetorii emere prohibentur jura litigiosa, quae apud proprium tribunal definiri debent.

Eadem ratione, communiter vendere prohibentur, qui *bonis suis cesserunt;* horumque venditio est pleno jure invalida (nisi agatur de iis quae, ex n. 1023, ipsius arbitrio relinquuntur), ideoque emptor ad restitutionem tenetur. — Similiter, ex Jure GALLICO et HISPANICO [8] prohibetur emptio-venditio inter conjuges, paucis casibus exceptis.

[1] Cod., 1053. — [2] Cod., 446. — [3] Art. 1583. — [4] Art. 1448. — [5] Art. 1452, 1468. — [6] *Crolly,* II, 496 seqq. — [7] Cod. gall., 1594 seqq.; 1456 seqq.; hisp., 1457 seqq.; germ., 181. — [8] Cod. gall., 1595; hisp., 1458.

Digitized by Google

1121. — III. Consensus prius datus impedit quominus posterior consensus sit validus. Ratio est, quia prior tempore, potior jure. Unde non licet rem successive duobus vendere (*Ami du Cl.*, 1910, p. 680; 1911, p. 346). — Si tamen res *tradita* sit secundo emptori, pertinet ad ipsum: dummodo hic *in bona fide* emerit, et emptio facta sit *in loco*, ubi rei dominium per solam ejus traditionem transfertur; atque hoc valet tam pro rebus mobilibus, quam pro immobilibus, quia traditio confert jus in re (de Germania, vide n. 1119).

In locis autem ubi solus consensus dominium transfert (cfr. Cod. hisp., 1743), valet pro solis *mobilibus*, sed ob aliam rationem, quia nempe, quoad mobilia bona fide possessa, possessio pro titulo habenda est (cfr. n. 936). — Addit tamen *S. Alphonsus* (III, 827): Secundus emptor licet sit malae fidei, non tenetur ante sententiam rem primo emptori restituere, nisi forte ipse induxerit venditorem ad rem ei secundo vendendam. — Ad delusum emptorem quod attinet, ipse, in omni Jure, actionem habet in venditorem, ad obtinendam sibi illati damni reparationem.

QUAERITUR. *Quinam sint effectus* ARRHARUM, *quae contractui apponuntur?* *Resp.* Definiuntur *arrhae*, ea pecunia quam aliquando emptor (vel domus locatarius) venditori (vel locatori) tradit, quasi per modum pignoris ad assecurationem contractus. — Apponuntur *arrhae* vel promissioni venditionis, vel ipsimet venditioni. — Si prius, unusquisque ex contrahentibus potest resilire, scilicet qui *arrhas* dedit, eis renuntiando, et qui eas accepit, duplum restituendo. — Si posterius, *arrhae* sunt generatim argumentum venditionis, non quidem conditionalis, sed jam contractae; solent enim dari pro parte pretii, vel in securitatem solutionis; unde, nullus ex contrahentibus potest, altero invito, a conventione resilire. — Excipe, si consuetudo vel specialis conventio aliter statuerit (III, 794; H. Ap., X, 166; Cod. hisp., 1454; Cod. germ., 336; *Linz. Quart. Schr.*, 1905, p. 127).

Nota. Ab arrhis prorsus differt *poena conventionalis*, quae saepe promissioni venditionis annectitur. De hac vide 1955, ubi copiosius super hac quaestione. Principia, ibi pro sponsalibus statuta, nostro argumento accommodes. Cfr. Cod. austr., 609; germ., 359.

2. *De re vendibili, seu de merce.*

Principia statuenda se referunt ad rem *vendendam, tradendam* et *assecurandam.*

1122. — PRINCIPIA. **I. Ut adsit contractus venditionis validus et justus, debet ejus objectum esse res in commercio humano posita, propria venditoris, determinata et physice vel moraliter ea quae petitur.**

1° Requiritur, ut *in commercio humano sit posita.* Vendi igitur potest quaecumque res pretio aestimabilis, sive corporea, sive incorporea, uti jura ex chirographo, credita, etc. (n. 852).

Per leges speciales non licet venditio veneni, scripti ad seditionem provocantis, etc. Talis venditio, deficientibus requisitis circumstantiis, est illicita, ut patet. Recole dicta n. 1035, 2°.

Digitized by Google

2° Ut sit *propria venditoris*. Venditio enim rei alienae est invalida quoad translationem dominii; producit tamen quoad emptorem bonae fidei varios effectus juridicos: v. gr. confert ei, re tradita, possessionem aptam ad praescribendum, atque alia commoda possessoris bonae fidei (cfr. n. 849, 937).

3° Ut sit *determinata*, saltem ex circumstantiis, ita ut res vendita sit vere individua, et ab omni altera distincta.

Hinc, si merces vendantur juxta earum *pondus, numerum* et *mensuram*, venditio non est perfecta, nisi quantitas in pondere, numero vel mensura fuerit determinata. Res igitur stat periculo venditoris. — Si vero venditio fiat per aversionem *(en bloc)*, quando nempe tota merx quasi unum determinatum corpus efficit, et pro certo ac definito pretio venditur, venditio perficitur ab ipsa conventione, et ex illo temporis puncto stat periculo emptoris.

4° Ut sit *physice vel moraliter ea quae petitur*. Secus enim adesset error substantialis, vel saltem talis qui jus ad rescissionem praestaret. Recole dicta n. 1045.

Moraliter eadem remanet res ac ea de qua conventum est, si est aeque bona, emptori aeque utilis. Tunc invalidus non fit contractus, quia emptor fine a se intento non frustratur.

1123. — Obligationes venditoris et diligentia emptoris praecipue ad HANC QUARTAM CONDITIONEM rei vendibilis se referunt. — Res enim vendenda tunc physice vel moraliter objectum contractus justi erit, si *quoad substantiam, quoad quantitatem, quoad qualitatem* nulla intervenit fraus, nullus error, nullum vitium, saltem appretiabile.

Sint ergo regulae sequentes, ad subtiliorem rei explanationem:

REGULA PRIMA. Si vitium sit circa SUBSTANTIAM (v. gr. si vendatur stannum pro argento, aqua pro vino, etc.), certe *contractus est nullus*, et venditor tenetur, ad nutum emptoris, vel contractum rescindere, vel excessum pretii restituere; et insuper compensare damna ex deceptione sua secuta, modo aliquatenus fuerint praevisa. — Item, si *qualitas* transierit in substantiam, v. gr. si emptor expresse dixerit: « Nolo vinum, si non est vetus » (III, 819).

Adverte, hic agi de re substantialiter vitiata *relative ad usum humanum et ad finem propter quem emitur*. Unde probabiliter non est injustum vendere *quid pro quo* (ut solent pharmacopolae) modo id quod traditur sit certe aequalis utilitatis, et minuatur pretium; — item vendere pretio communi rem quae in se est perfectior, sed admixtam habet aliam rem deterioris conditionis; puta melius vinum, quod post mixtionem cum aqua non fit communi vino deterius; modo emptor illum non emat ad conservandum, quia vinum cum aqua mixtum facile corrumpitur (III, 820; H. Ap., X, 185).

REGULA SECUNDA. Si vitium sit circa QUANTITATEM, i. e. circa *numerum, pondus* aut *mensuram*, damnum reficiendum est; sed *valet*

Digitized by Google

contractus, excepto casu, quo dolus ei causam dederit (cfr. supra n. 1047, 3°).

Attamen, si venditor justum pretium consequi non posset (v. gr. ob injustam taxam legalem, vel injustum monopolium emptorum), non est improbabile posse venditorem de mensura tantum diminuere, quantum requiritur, ut justum infimum pretium percipiat; sic enim ab injusta vexatione juste se liberat. — Hallucinatio tamen in hoc praecavenda est (III, 822; H. Ap., X, 186).

REGULA TERTIA. Si vitium sit circa QUALITATEM, v. gr. si vinum sit corruptum, pannus adustus, distinguendum est, habita ratione circumstantiarum. Venditor enim vel *interrogatur in specie* aut *in genere,* vel *non interrogatur.* 1° *Interrogatus in specie* an res habeat certum defectum, tenetur venditor vitium quodcumque manifestare; alias *venditio est nulla,* ob errorem, qui, ratione circumstantiarum, facile fit substantialis; vel saltem venditio est *rescindibilis* ad nutum emptoris, ob dolum, quo usus est venditor. — 2° *Non interrogatus,* aut *in genere* tantum interrogatus, tenetur inaequaliter prout vitium est patens vel occultum, notabile vel leve (III, 823).

a) Si vitium sit *patens,* ita ut a quolibet generatim cognosci possit communi diligentia, v. gr. si equus est monoculus, *non tenetur ex justitia* defectum manifestare; tunc enim res ipsa loquitur. Potest igitur emptorem, cum errandi periculo, proprio judicio relinquere.

Excipe, si emptoris ignorantia sit aperta, v. gr. quia est ineptus, puer, etc.; tunc enim, relate ad illum, vitium est vere occultum (H. Ap., X, 187).

b) Si vitium sit *occultum* et simul *notabile,* i. e. si vitium, communi diligentia non cognoscibile, reddat rem venalem noxiam, inutilem, aut notabiliter minus utilem ad finem, propter quem in praesentibus circumstantiis communiter emi solet, — venditor *tenetur ex justitia* illud aperire; secus enim non censetur emptor in emptionem, aut saltem in emptionis pretium consentire. Quare, vel contractus est ad ejus nutum rescindibilis, vel saltem reducendus est ad aequalitatem.

Quandonam autem vitium ut *notabile* habendum sit, determinari debet ex variis circumstantiis temporis et loci, ex consuetudine, et ex ipso Jure, quod varia hujuscemodi vitia recenset[1]. — Quod si venditor protestetur se nolle de ullo defectu rationem reddere, sed velle rem vendere *sicut est,* ad nihil tenetur; tunc enim censetur contractus aleatorius. Hinc, merito toleratur « consuetudo, quae alicubi viget, praesertim in nundinis magnis, quod ita vendantur animalia, etiamsi vitia sint occultissima. Ratio est, quia ad tollendas lites, ob commune bonum, satis hoc cohonestari potest a consuetudine; dummodo, intelligendum, non vendatur res ultra justum pretium saltem supremum, quanti valet res, habita ratione illius vitii occulti » (III, 823; Cod. hisp., 1493).

[1] Cfr. Cod. gall., 1641, et legem 2 Aug. 1884; austr., 923; hisp., 1484; germ., 459-490. — Recte notat auctor quidam (ap. *Linz. Quart. Schr.,* 1900, p. 593) certam rationem agendi multorum mercatorum nostri temporis, qui in foliis publicis merces suas commendant, inducere restitutionis obligationem.

Digitized by Google

c) Si vitium occultum sit *leve* et parvi momenti, *non tenetur* venditor *ex justitia* illud sponte declarare, modo servet pretium proportionatum. Tunc enim emptores non sunt rationabiliter inviti, eo quod secus negotiatio nimis difficilis evaderet, cum societatis detrimento.

Ceterum, nullus emptor ideo in errorem inducitur, cum ejusmodi artificiosa agendi ratio sit omnibus sat nota: sicut omnibus notum est, mercatores solere aliquantulum fucare merces suas, et meliores exterius exponere (*Linz. Quart. Schr.*, 1885, p. 101).

Nota. Aliquando, non exsistente obligatione justitiae, potest esse obligatio *caritatis* monendi emptorem, ne ob incuriam, vel ignorantiam, sibi vel aliis auctor damni sit, v. gr. ut vinum haud diu servetur, si ad hoc non est aptum, etc.

1124. — II. Venditor tenetur rem venditam tradere; *i. e. in potentiam et arbitrium emptoris remittere.* Haec autem obligatio potest ex legitima causa cessare, v. gr. quia emptor non solvit pretium ante traditionem solvendum, vel quia supervenit ratio dubitandi an solvere possit [1]. — Obligatio autem tradendi importat obligationem rem interea bene servandi.

Praeterea, venditor tenetur tradere emptori rem et accessoria: 1° *loco* et *modo*, de quibus in contractu conventum est; — 2° *tempore* praefixo; secus enim emptor habet jus ad rescissionem contractus et ad reparationem damnorum: nisi dilatio provenerit ex facto emptoris, aut ex casu fortuito, vel vi majore; — 3° in *statu*, in quo erat tempore venditionis; secus enim non traderetur omnino id de quo conventum est; — 4° juxta *mensuram* in contractu expressam [2].

Fructus rei venditae et non traditae pertinent ad eum, qui ejus periculum ferre tenetur (III, 798). Cfr. dicta n. 1119 et dicenda n. 1131.

Quomodo res componi debeat, si una alterave ex praedictis conditionibus deficiat, desumendum est ex Jure civili.

1125. — III. Venditor tenetur emptori rei assecurationem praestare, *i. e. illum securum facere de pacifica rei possessione, necnon de ejus utilitate* [3]. Ratio est, quia, *ex ipsa natura* contractus, venditor non acquirit jus in pretium, nisi mercem in potestatem et arbitrium emptoris posuerit. Id autem non fit (saltem perfecte) quando emptor, ob causas ante venditionem exsistentes, in possessione rei per *evictionem* deturbatur; vel quando eam, ob vitia occulta, ineptam invenit ad finem suum naturalem, aut venditori expresse declaratum: quae vitia in Jure *vitia redhibitoria* vocantur (III, 800). Haec fusius sunt explananda.

1126. — Quaesita. Quaer. 1° *Quid sit* evictio, *quandonam et quomodo venditor de ea teneatur?*

Evictio est legitima deturbatio emptoris in possessione rei emptae, quae sive totaliter, sive partialiter, revindicatur a vero domino, vel

[1] *S. Alph.* III, 796; Cod. hisp., 1466, 1467. — [2] Cod. gall., 1604 seqq.; ital., 1463 seqq.; austr., 1047 seqq.; hisp., 1468 seqq. et 1096, 1182; germ., 433. — [3] Cod. gall., 1625 seqq.; ital., 1481 seqq.; austr., 923 seqq.; hisp., 1475; germ., 434 seqq.

Digitized by Google

ab alio jus in eam habente. Sic, v. gr., Paulus vendit agrum suum Petro; Jacobus probat hunc agrum esse suum, vel esse hypotheca gravatum, et judex decernit dictum agrum Jacobo esse reddendum: in hoc casu habetur *evictio* respectu emptoris, qui re a se empta spoliatur.

Venditor *tenetur de evictione,* si evictionis causa, exsistens tempore venditionis, non fuerit emptori declarata. Venditor autem potest stipulari, ut de ipsa non teneatur. — Id tamen non admittitur in favorem venditoris *malae fidei,* quia « pacta, quae turpem causam continent, non sunt observanda » [1]. Si vero « malitia aut culpa judicis, aut vi alterius, aut negligentia emptoris res evincatur, venditor ad nihil tenetur; periculum enim fortuitum ad emptorem pertinet » (III, 800, fin.).

Jure naturae venditor *bonae fidei* tenetur pretium acceptum reddere, in quantum ditior factus est. — Venditor *malae fidei* tenetur emptorem omnino indemnem servare.

Jure *positivo* [2], venditor malae fidei semper tenetur reddere emptorem indemnem. Eadem etiam obligatio incumbit venditori bonae fidei, excepto tamen casu, quo de contrario conventum fuit. — Emptori autem malae fidei nulla debetur damnorum reparatio.

QUAER. 2° *Quid sint* VITIA REDHIBITORIA, *et quomodo de iis teneatur venditor?*

Vitia redhibitoria dicuntur defectus occulti, emptori haud noti, tempore venditionis exsistentes, qui rei usum naturalem, vel venditori declaratum, penitus impediunt, aut ita minuunt, ut emptor eam non emisset, vel minoris emisset, si eorum notitiam habuisset. Hujusmodi est, v. gr., scabies ovium, equorum asthma, ranciditas porcorum, etc.

Venditor *tenetur de vitiis redhibitoriis,* etiamsi ea ignoraverit. Obligatur, ad nutum emptoris, vel contractum rescindere, vel partem pretii restituere, juxta aestimationem peritorum. — Est tamen magnum discrimen inter venditorem *bonae* et venditorem *malae* fidei, ut ex dictis n. 936 et n. 941 facile colliges.

Nota. Obligationes *emptoris,* quoad mercem, infra (n. 1131) explanabimus.

3. *De pretio.*

1127. — NOTIONES. I. **De pretio in genere.** Pretium rei est expressio ejus valoris venalis per certam pecuniae summam. — Dicitur: *valoris venalis,* i. e. aptitudinis quam res habet, ut in humano commercio cum aliis permutetur.

Pretium, in genere, debet tres habere conditiones: 1° *ut constet pecunia;* secus foret permutatio; — 2° *ut sit serium,* i. e. non *simulatum,* nec *derisorium;* secus foret donatio; — 3° *ut sit determinatum a contrahentibus,* saltem radicaliter vel ab aliquo, cui determinatio commissa est (III, 794).

[1] L. *Si unus,* 27, § 4, ff., *de Pactis.* — [2] Cod. gall., 1635; ital., 1502; austr., 932; hisp., 1476 seqq.; germ., 459.

Digitized by Google

II. **De pretio justo.** Pretium justum est illud, quod recte rei venalis valorem adaequare aestimatur. — Aliud est *legale,* quod taxatur a lege vel a magistratu. — Aliud *vulgare* seu *naturale* (seu hic et nunc currens), quod, spectatis circumstantiis, *communi aestimatione* determinatur. — Aliud est *conventionale,* quod libera contrahentium pactione determinatur.

Jamvero: 1° Pretium legale *excludit omnem varietatem;* quia definitur a lege. Potest autem lex ipsa cessare, vel dari justa ratio hic et nunc excusans.

2° Pretium autem vulgare *admittit* varietatem, quia variant hominum judicia de ejusdem rei valore. Sic: *crescere* solet pretium, ratione copiae emptorum, aut abundantiae pecuniarum, et penuriae mercium; contra solet *decrescere* ratione penuriae emptorum, aut pecuniarum, et ratione copiae mercium. — Hinc, pretium vulgare, intra limites justi, ita distinguitur, ut sit: *a*) *summum* seu rigorosum, supra quod res aestimari non solet; — *b*) *infimum* seu pium, infra quod generatim res non aestimatur; — *c*) *medium* seu moderatum, quod inter utrumque consistit.

Quanta sit illa pretii vulgaris *latitudo* vix definiri potest. — Communiter tamen admittitur pretium rerum vilium et necessariarum minorem habere latitudinem, quam pretiosarum et supervacanearum. Sic, v. gr., vinum aut simile, quod valet 5 libellis, potest vendi 6 vel emi 4; aut si valet 10, potest vendi 12 et emi 8; si valet 100, potest vendi 105 et emi 95. Domus autem, aut villa, quae vendita est 20000, post annum emi poterit pro 12000, et e converso (III, 803, 804).

3° Pretium conventionale habet pro objecto *res pretiosas* (picturas, gemmas, equos, etc.), extraordinarias (cantum, musicam, etc.), vel quarum valor vulgo ignoratur. Unde et ipsum varietatem *admittere* potest, prout evenit fluctuatio aestimationis ex parte peritorum vel amatorum.

1128. — Principia. I. **Standum est per se ex justitia commutativa pretio legali.** Ad auctoritatem enim civilem pertinet jus statuendi quidquid commercium publicum respicit. Singuli praeterea venditores (cum taxa in *eorum favorem* determinetur) acquirunt jus strictum, ne alius, rem minori pretio vendendo, emptores alliciat (III, 803).

Aliquando tamen licet pretium legale *excedere,* nempe: *a*) si a majori parte populi non servetur, sciente principe et non puniente; — *b*) si, mutatis circumstantiis, taxa evadat injusta; — *c*) si vendatur res optima; quia princeps, taxando pretium, respicit tantum valorem mercis ordinariae. — Imo licet *minori pretio* vendere, si taxa stabilita sit, ne res carius vendantur.

Nota. Magistratus qui novit pretium legale auctum iri, potest quidem sine evidenti injustitia *sibi* providere, sed nequit *alios* monere (*Lehmkuhl,* I, 1328).

Digitized by Google

II. **Deficiente pretio legali, standum est pretio vulgari, ita ut vendere supra supremum, et emere infra infimum, sit injustum.** Ratio est, quia illud est pretium justum, quo communiter apud homines res aestimatur; quod si non servetur, deficit aequalitas, quae ad rationem justitiae commutativae pertinet (cfr. *Salmant.*, c. 2, n. 94).

Laesio, in foro *externo*, non dat locum rescissioni venditionis: in Gallia, nisi deceptio sit ultra dimidium justi pretii; in Hispania, nisi sit ultra quartam partem [1], et in duplici duntaxat casu: cum nempe contractus vel a *tutore* vel a *mandatario*, qui absentem repraesentat, initus fuerit; alibi, v. gr. in Germania [2], aliter. — In foro tamen *interno*, quaecumque laesio notabilis obligat ad restitutionem. — Si laesio *bona fide* contigerit, laedens tenetur id saltem restituere, in quo factus est ditior (i. e. in quo suis bonis pepercit), ne scilicet ditescat de alienis (cfr. n. 935).

Ex his conclude: Cum pretium vulgare justum communi aestimatione nitatur, non agunt injuste, qui pro auro vel ebore, quae a barbaris offeruntur, dant vitrum vel pannos, vel alias res apud nos communes. Pro barbaris enim istae res viliores magnum habent valorem.

III. **Pretium conventionale, pro diversis adjunctis, justum vel injustum erit.** Et quidem:

1° *Si uterque contrahentium verum rei valorem ignorat* (v. gr. gemmam pretiosam vitrum esse reputat) contractus invalidus est, utpote *errore substantiali* innitens; unde pretium restituendum est.

2° *Si uterque de vero pretio dubitat*, emptio justa erit, ita ut, si emptor postea rem carius revendiderit, priori venditori nihil sit tribuendum. Ambo enim, de pretio convenientes, aequali periculo se exponunt.

3° *Si unus tantum verum rei pretium cognoscit*, emptio injusta erit, si periti *communiter* rei valorem facile agnoscerent: tunc enim adest, respectu hujus rei, pretium inter peritos quasi-vulgare. — *Excipe*, si singulari peritiae (ideo et industriae) emptoris tribuenda sit agnitio valoris hujus rei.

1129. — Corollaria. I. *Industria uti* licet, ad vendendum summo pretio vulgari, vel emendum infimo. Numquam vero uti licet *fraude* vel *dolo* (*Ami du Cl.*, 1904, p. 476; 1906, p. 765): quisquis enim jus strictum habet, ne positive decipiatur. — Pretio autem intra limites justi semel per *conventionem* determinato, neuter potest ab eo recedere, cum uterque periculum in se assumpserit (*Lehmkuhl*, I, 1327).

Hinc: 1° Venditor peccat contra justitiam, si ante factam conventionem *dolose* inducat emptorem ad solvendum pretium majus, quam alias juste dedisset [3];

[1] Cod. gall., 1674; ital., 1529; austr., 1060; hisp., 1291. — [2] Cod., 440 seqq. — [3] Industria vero licita utuntur mercatores, qui aliquid *supra summum pretium* petunt, ut emptores minus offerre solitos ad *justum* pretium adducant; *dummodo*, si forte obtineant quod petunt, remittant quod justum pretium excedit (*Gury*, I, 898).

Digitized by Google

item si, facta conventione de pretio infimo aut medio, *occulte* sibi comparet summum, decipiendo emptorem in numeratione, pecuniae, in pondere aut in mensura (*Konings,* n. 964).

2° Emptor similiter peccat contra justitiam, si *scienter* emat *infra pretium infimum,* petendo a venditore ignorante, ut condonet quod amplius valet: quia talis condonatio, cum procedat ex ignorantia, nulla est. — Secus vero, si interrogatus circa valorem rei, simpliciter taceat, atque pretium infimum solvat; quia sic nec vim nec dolum adhibet (III, 819).

3° Reprobanda est praxis quorumdam *mercatorum,* qui merces suas vilissimo pretio venales exponunt, ut emptores ab aliis mercatoribus avertant, postea autem pondus aut mensuram imminuunt, etc. — Imo tales *venditores* rei fiunt injustitiae, erga *alios mercatores,* et ad restitutionem pro damno ipsis illato tenentur; quia quisque habet jus, ne dolo vel fraude impediatur a lucro sperato vel legitime faciendo (*Lugo,* disp. 26, n. 135).

Adverte autem *pro praxi: a*) Communiter non praestatur fides mendaciis *venditorum* affirmantium et jurantium, se rem venalem sibimetipsis tanti comparasse, vel tanti aliis vendidisse, ut ita emptorem ad summum pretium pertrahant; nec mendaciis aut perjuriis *emptorum* affirmantium, se rem tanti emisse ab aliis, vel alios eam sibi tanti obtulisse, ut ita venditorem ad infimum pretium adducant. — *b*) Si tamen alicui constaret suis mendaciis, etc., fidem haberi, eaque vere esse causam majoris vel minoris pretii; tunc a culpa deceptionis et injustitiae non foret excusandus (III, 805). — Cfr. *Linz. Quart. Schr.,* 1910, p. 593; *Göpfert,* II, n. 115, Reclamewesen.

II. Qui privatim scit fore ut mercis pretium brevi adaugeatur vel minuatur, potest eam vendere aut emere *pretio currente,* ad exemplum B. Patriarchae Jacob, modo absit fraus et laesio caritatis. Etenim, non valor futurus respiciendus est, sed valor praesens, qui quidem non variatur ex notitia quadam particulari, sed ex communi aestimatione. Cfr. *S. Thomam,* 2. 2, q. 77, a. 3, ad 4.

Diximus: *a*) *Modo absit fraus: injustae* enim essent venditio aut emptio, si quis, v. gr., per diaria publica falsos rumores de pretio mox minuendo, vel augendo, etc., spargeret, ut frequenter in usu est hodie, praesertim circa census publicos. — *b*) *Absit laesio caritatis: illicita* enim foret venditio aut emptio, si alter contrahentium conjiceretur in gravem necessitatem; vel etiam, si res, quae facile posset vendi pluribus, aut emi a pluribus, vendatur uni tantum, aut ematur ab uno, qui proinde totum damnum solus passurus est; aut si, cum vendi possit illi, qui eam statim consumpturus esset, venderetur alii, qui eam est conservaturus. — Exceptis igitur hujuscemodi casibus, caritas non urgere videtur. Stricte enim loquendo, non laedit caritatem, qui utitur jure suo, juste consulens rebus suis, quamvis alter per accidens damnum ex eo patiatur (III, 824; H. Ap., X, 188).

III. *Stante titulo extrinseco,* licet vendere *supra* pretium summum, vel emere *infra* infimum. Ratio est, quia titulus ille extrinsecus, qui rei vendendae vel emendae adjungitur, efficit ut rei consuetus valor accrescat vel minuatur.

Digitized by Google

1° Tituli extrinseci, ob quos VENDERE liceat supra summum pretium, sunt sequentes :

a) *Lucrum* ex alienatione rei certo aut probabiliter *cessans,* aut *damnum emergens,* aut aliud quodvis incommodum VENDITORIS pretio aestimabile ; venditor enim hujusmodi non tantum vendit rem suam nudam, sed etiam suum commodum, vel damnum quod patitur.— Adverte autem, emptorem de his titulis (sicut etiam de sequenti) praemonendum esse, ut possit, si velit, aliter sibi providere.

b) *Specialis affectus,* quem *venditor* rationabiliter experitur erga rem suam ; ex eo enim oritur, in vendendo, incommodum pretio aestimabile. — Hic autem adverte, specialem affectum *emptoris* non esse (sicut est affectus venditoris) titulum vendendi pluris ; quia, ut communiter docetur cum *D. Thoma* (2. 2, q. 77, a. 1), nemo vendere potest quod suum non est (cfr. *Lehmkuhl,* I, 1330). Contradicunt tamen plures moderni, ob receptam (dicunt) consuetudinem adaugendi pretium rei, quae emptori speciale allatura est commodum (*Scavini,* II, 393 ; *Gousset,* I, 840).

c) *Modus vendendi ;* nam si res in parva quantitate et *minutatim* ven dantur, potest majus pretium exigi, propter majores curas et expensas, quae tunc impendi solent, ad eas conservandas ; — praeterea, si vendantur *sub hasta,* potestate publica id probante, justum censetur qualecumque pretium, quod a licitatoribus sine fraude determinatur (III, 807-809). Cfr. infra n. 1134.

2° Tituli, ob quos EMERE liceat infra pretium infimum, tres numerantur :

a) *Damnum* ex praesenti emptione emergens, aut *lucrum* cessans, aut aliud quodvis incommodum EMPTORIS pretio aestimabile. Unde, salvo jure, vilius emere potes rem, ex qua parum tibi utilitatis obveniet. Venditor autem ex caritate de hoc commonendus est.

b) *Ultronea oblatio ;* hinc minoris emere potes merces ultro oblatas a venditoribus per vicos et domos cursitantibus. Fert enim adagium : *Merces ultroneae vilescunt ;* idque probabilius, ait *S. Alphonsus,* pro tertia parte ; et ratio est, quia haec ultronea oblatio communiter arguit vel paucitatem emptorum et abundantiam mercium, vel periculum latentis defectus, etc. — Quod si res fiant venales et offerantur *ob paupertatem,* probabile est, et in hoc casu, eas, non secus ac merces utroneas, vilescere ; ideoque vilius emi posse, dummodo non agatur de rebus, quae communiter emuntur, et offeruntur, ut frumentum, oleum et similia. Qui tamen vilioris emit a paupere necessitate presso, peccat facile contra *caritatem,* si rem in sui utilitatem, non in gratiam pauperis emat.

c) *Modus emendi ;* merces enim possunt minoris emi : si emantur simul *in magna quantitate,* cum venditor per hunc modum a multis curis, impensis et incommodis liberetur ; — vel si vendantur *sub hasta,* ob rationem supra enuntiatam ; — vel denique si venales exponantur apud *veteramentarios ;* quia res hujusmodi, etsi forsan pretiosae, censentur pretium suum pristinum amisisse, et aliud accipere ex consuetudine seu contrahentium conventione ; aut saltem patiuntur maximam pretii latitudinem, ut jam notavimus (n. 1127). — Vide quoad haec *S. Doctorem* (III, 801, 802 ; H. Ap., X, 174).

1130. — Quaesita. QUAER. 1° *An* DILATA *vel* ANTICIPATA *pretii solutio sit legitima causa pluris vendendi, vel minoris emendi?*

Resp. Affirm., si interveniat titulus excusans ab usura, ut lucrum cessans, damnum emergens, periculum in exigendo pretio. Sic certum

Digitized by Google

est, rem posse carius vendi, si pretium tradendum sit tempore, quo res pluris est valitura, modo usque ad illud tempus a venditore fuisset servanda. — Contra, potest vilius emi, si tradenda sit tempore, quo minoris est valitura (III, 810; H. Ap., X, 178).

Imo, *hodie* id simpliciter admittendum videtur, quin de aliis titulis inquirendum sit. Ratio est, tum quia sic fert aestimatio communis; tum quia, vigente usu, ab Ecclesia non reprobato, taxam legalem vel vulgarem ex mutuo percipiendi, anticipatio vel dilatio solutionis est revera pretio aestimabilis. — Atque, ob hanc eamdem rationem, vilius emi possunt *chirographa* et *credita*, si anticipate solvuntur (III, 829). — Pretio similiter currente emi ac vendi possunt *census publici* aliique tituli, quorum hodie magna fit negotiatio in foro mercatorio (*à la bourse*), etsi illud pretium inscripto pretio non correspondeat. Ex communi enim aestimatione, hujusmodi tituli aequiparantur mercibus ordinariis, quarum pretium, pro circumstantiarum diversitate, crescit aut decrescit.

QUAER. 2° *An chirographa et credita, ob difficultatem* OBTINENDAE *solutionis, minoris emi possint?*

Respondet *S. Alphonsus* (l. c.): « Qui non est causa istius difficultatis, licite minoris emit, prout difficultas vel incertitudo solutionis minor est vel major; quia cum tali periculo et difficultate minus valent. — Item, creditum incertum, vel difficilis exactionis, licite potest minoris emi, etsi ementi sit facile illud integre exigere: quia pretium sumitur a communi aestimatione, non ex circumstantia particulari ementis ».

SCHOLIUM.

De obligationibus emptoris.

1131. — Obligationes *emptoris*, pretio statuto, se referunt et ad pretium et ad mercem ipsam.

1° QUOAD PRETIUM. *a*) Tenetur pretium eo *loco* ac *tempore* solvere, quo res ipsi traditur: nisi aliter conventum fuerit, vel nisi, nulla a venditore praestita cautione, timendum sit, ne ipse de rei possessione dejiciatur. — *b*) Debet solvere pretii *usuras*, si ex pacto solvendae sint, vel si res vendita et jam tradita sit fructifera, vel si ipse fuerit in mora culpabili. — *c*) Tenetur solvere etiam omnes venditionis et asportationis *expensas*, excepto casu pacti contrarii [1].

2° QUOAD MERCEM. *a*) Tenetur eam tempore statuto, vel juxta rei naturam vel loci consuetudinem taxando, *in suam potestatem assumere*; secus (ut modo innuimus) tenetur erga venditorem de omnibus expensis rei servandae causa factis, necnon de damno, quod illi inde obvenit. — *b*) Imo, aliquando tenetur, ad nutum venditoris, contractum rescindere (cfr. n. 1047).

[1] Cod. gall., 1650 seqq.; ital., 1507 seqq.; austr., 1062; hisp., 1500 seqq.; germ., 452.

Digitized by Google

§ 2. De quibusdam venditionibus in specie.

Agemus: 1° de venditione cum pacto accessorio; — 2° de venditione sub hasta; — 3° de monopoliis; — 4° de venditione per proxenetas.

1. *De venditione cum pacto accessorio.*

1132. — Possunt plura venditioni pacta adjici. Frequentiora sunt: 1° *Addictio in diem,* seu conditio *suspensiva* aut etiam *resolutiva*, vi cujus licet venditori, usque ad praestituti termini lapsum, rem vendere alteri, qui meliorem obtulerit conditionem, ni emptor eamdem offerat [1]. — 2° Pactum *probationis,* seu conditio *experimenti,* vi cujus contractus, nonnisi post experimentum ab emptore factum initur. Cfr. *Berardi,* Theol. mor., II, n. 599; *Schindler,* II, 650 [2]. — 3° Pactum *protimeseos,* seu de reservato jure praelationis, quo emptor obligationem assumit offerendi rem emptam venditori redimendam, si eam postea alienare velit [3]. — 4° Pactum *retrovenditionis* seu *redemptionis,* quo jus statuitur ut, pretio restituto et melioratione compensata, res ad primum venditorem redeat. Statui potest in gratiam vel *venditoris* vel *emptoris,* prout pacti exsecutio alterutrius arbitrio, vel primi postulantis, remittitur [4].

De ultimo hoc pacto haec pauca NOTARE sufficiat: Cum in hoc pacto *onus imponatur* illi, qui tenetur contractum ad alterius arbitrium rescindere, aequitas postulat, ut istud onus compensetur. *Hinc: a*) si adjiciatur pactum in gratiam *venditoris,* pretium debet diminui, ratione gravaminis quod emptori imponitur; — *b*) si adjiciatur in gratiam *emptoris,* pretium debet, servata proportione, adaugeri (III, 812). Vide etiam Codices, l. c.

1133. — *Nota.* 1° AA. antiqui multum loquuntur de alio contractu, qui nominatur MOHATRA. Perficitur iste contractus, si quis *vendit credito,* cum pacto explicito, vel implicito, ut res sibi *minoris* retrovendatur, *numerata pecunia:* v. gr. Petrus vendit credito domum suam Joanni 12000 fr. post biennium solvendis, eo pacto ut Joannes domum ipsi statim retrovendat 10000 de praesenti numerandis. — Est *illicitus,* quia includit usuram palliatam, ut constat ex 40ª propositione ab Innocentio XI damnata. Cfr. *S. Alphonsum* (III, 813).

2° Retroventionis speciem refert quaedam mercatoria operatio, quae RELATIO (*report*) appellatur. — Consistit in hoc, quod quis jura incorporea, v. gr. census publicos, emit, pretio quidem de praesenti soluto, sed cum pacto ut eadem jura venditori, credito, sed majori pretio retrovendatur. Differentia inter pretium emptionis et pretium venditionis habetur tanquam fructus pecuniae. Qui fructus, si taxam legalem aut consuetudine receptam non excedit, contractus certe licitus est. — Taxa consuetudinaria autem, necessitatibus commercii, ut aiunt, inducta, magnam in hac re patitur latitudinem. Usuram tamen saperet atque *mohatram* redoleret, nisi justis constringeretur limitibus (*Carrière,* n. 1258).

[1] Cod. austr., 1083. — [2] Cod. ital., 1453; austr., 1080; germ., 495. — [3] Cod. austr., 1072; germ., 504. — [4] Cod. gall., 1659 seqq.; ital., 1515; austr., 1068, 1071; hisp., 1507 seqq.; germ., 497.

Digitized by Google

2. *De venditione sub hasta* [1].

NOTIO. Venditio sub hasta, seu per *auctionem publicam (vente aux enchères)*, est illa, quae fit per praeconem, et in qua ultimo majus pretium offerenti res adjudicatur. — Altera est judiciaria, altera voluntaria, quae etiam LICITATIO dicitur.

1134. — PRINCIPIUM. **Pretium justum, in venditione sub hasta, illud est, quod, absque fraude, ex ipsa licitatione constituitur.** Determinatur enim a libero emptorum concursu: quare, res fit aestimabilior, si multi; minus aestimabilis, si pauci emptores concurrunt. Ipse venditor tacite hanc aestimationem acceptavit. Unde, ex communi sensu, publica quoque auctoritate adprobante, illud habetur tanquam pretium justum, quod *ab ultimo licitatore* offertur (sive sit supra pretium summum, sive infra infimum), et venditor *de se non habet jus* rem retrahendi, incepta licitatione, si minus pretium offeratur [2]. — Aequalitas autem requisita in eo sita est quod, ex utraque parte, eadem habetur spes lucri, idemque damni periculum.

Diximus *absque fraude;* fraus autem inferri potest tam a venditore, quam ab emptore.

1° A VENDITORE fraus infertur, si occultum rei vitium celet, vel si *fictos licitatores* immittat. Nec tamen damnandus esset venditor fictos licitatores subornans, ad sese redimendum ab *injusta* vexatione, v. gr. quia emptores inter se convenerunt de non licitando. Item, in venditione *judiciaria,* conditionum iniquitas potest facile venditorem excusare, si fictos licitatores mittat, ne res scilicet divendantur infra medium pretium, quod, seclusis adversis illis conditionibus, haberent.

2° Ab EMPTORE infertur fraus, si dolo vel minis alios impediat, ne licitent, aut ne plus offerant. Fraus autem non aderit, si *roget* alios ne licitent; sic enim libertas licitandi non tollitur, modo preces non sint importunae.

1135. — QUAERITUR. *An emptor possit* PACTUM INIRE *cum aliis, ne licitent, aut ne plus offerant?*

Resp. Neg., per se. Venditor enim « habet jus, ne privetur spe obtinendi pretium majus, si plures interveniant oblatores, qui, aemulatione ducti, pretium augeant: hoc enim videtur requirere jus et natura licitationis, ut aequalitas servetur. — Id valet saltem casu, quo, per sententiam judicis, res ad subhastationem exponitur; quia tunc dominus rei tenetur omnino rem tradere plus offerenti, cum periculo vendendi infra pretium infimum (III, 808, dub. 2).

[1] Cod. gall., 1686; ital., 987; austr., 935; hisp., lex jud. civ., 2048 seqq.; germ., 156. — [2] *S. Alph.,* III, 808, *Notandum;* H. Ap., X, 175; *Billuart,* de Contr., Diss. 3, art. 4, § 4. — Si tamen alicubi *consuetudo* viget rem retrahendi, venditores illam sequentes non sunt damnandi. Praxis enim universalis in aliqua regione efficit, ut haec conditio venditionibus sub hasta adnectatur, et emptoribus sufficienter intimetur.

Digitized by Google

Dicitur *per se,* quia per accidens id aliquando licet. Sic excusandi videntur emptores societate vel amicitia conjuncti, si inter se conveniant, ut unus eorum tantum licitet; quia faciunt quasi unam personam moralem, nec potest exigi, ut adversum se invicem licitent [1]. — Similiter excusantur *emptores,* casu quo, ex vigente consuetudine, venditor rem suam retrahere potest, si pretium inferius offeratur; quia si ipse impedire potest ne pretium nimis decrescat, aequitas postulat, ut et emptores impedire possint, ne nimis accrescat (*Scavini,* II, 405).

Nota. Praecones, quibus commissa est venditio rei, certe peccant contra justitiam, si *auctionem* instituant eo tempore, quo sciunt paucos futuros esse emptores, ut nempe amicis faveant; si citius aut tardius rem adjudicent quam fieri solet et convenit; vel alia hujusmodi adhibeant, quibus vel venditori damnum inferatur, vel uni e licitatoribus, in aliorum detrimentum, favor exhibeatur.

3. *De monopoliis.*

1136. — Notio. Monopolium (unius venditio) definiri potest: potestas exclusiva vendendi, penes unum vel paucos tantum exsistens [2].

Divisio. Haec potestas potest esse *juris* vel *facti,* unde duplex datur monopolium: *monopolium juris,* si haec potestas ab auctoritate publica sancitur; et *monopolium facti,* si ipsa praeter vel contra jus exercetur. — Praeterea, monopolium facti et juris est vel *publicum* vel *privatum,* prout exercetur a Gubernio vel a privatis.

Monopolium facti privatum est vel *stricte dictum,* seu *monopolium mercis,* quod duplici modo haberi potest: *a*) Si quis impediat aliorum mercium importationem, ut ipse solus vendat suas; sed hodie, ob innumeras vias ferreas haec impeditio raro erit possibilis. — *b*) Si tempore opportuno (v. gr. messis) unus, vel pauci, omnes (vel quasi omnes) merces emant, ut deinde revendant magno pretio; — vel est *late dictum,* seu *monopolium pretii* et exsistit quando venditores conspirant inter se non vendere aut non emere nisi certo pretio.

1137. — Principia. I. **Monopolium juris privatum licitum est.** Gubernium enim potest, ob justam boni publici causam, tale privilegium mercatoribus concedere.

Sic, in aliquibus regionibus, conceditur paucis privilegium vendendi *tabacum* aut *sal,* ut tributum reipublicae necessarium inde augeatur. Ne vero civilis societas hujusmodi monopoliis gravetur, principis seu magistratus est, vendendarum rerum pretium convenienter taxare (III, 814). — Quoad typographos, vel auctores, recole dicta n. 856.

Nota. A fortiori, licitum est *monopolium publicum,* dummodo non se extendat ad fere omnia negotia (cfr. *Vermeersch,* o. c., n. 183, 2°, *b*).

1138. — II. **Monopolium facti privatum est quandoque injustum, quandoque illicitum et quandoque justum ac licitum.**

1° Est *injustum: a*) Si mercator impediat fraude vel mendacio, ne aliae merces advehantur, ut ipse merces suas carius vendat cum

[1] Vide tamen *Lehmkuhl* (I, n. 1337, 2°), qui censet haec pacta non tantum inter amicos, sed etiam inter extraneos licere (exclusa semper coactione). — [2] *S. Alph.,* III, 815; H. Ap., X, 183; cfr. *Lugo,* disp. 26, s. 12; *Lessius,* l. 2, c. 21, dub. 21; *Vermeersch,* Quaest. de Just., n. 354.

Digitized by Google

civium damno. — *b)* Si mercatores conspirent inter se, ut supra pretium summum vendant, vel ut infra infimum emant; non enim privatorum est mutare communem ac legitimam pretii taxationem. — *c)* Si unus vel pauci emant omnes aut quasi omnes res necessarias ad sustentationem, ut eas vendant pluris quam in foro, monopolio remoto, venderentur.

Diximus *res necessarias;* nam injustum non foret, si emerentur merces ad vitae sustentationem vel ad communem reipublicae statum non necessariae, ut sunt gemmae pretiosae, equi generosi, ornatus mulierum et similia.

2° Est *illicitum,* non autem injustum, si mercatores, absque vi et mendacio, ita de mercium pretio conveniant ut, salvo pretio justo, nec minoris vendant, nec pluris emant, quam quod inter eos conventum est.

Hi peccant quidem contra *caritatem* (non tamen semper est mortale); caritas enim, tametsi non obliget ad vendendum infra pretium summum, obligare tamen videtur ad non dissuadendum aliis, ne minoris pretii vendant. — Non autem peccant contra justitiam, quia pretium summum adhuc justum est.

3° Est *licitum* et *justum,* si unus aut plures emant merces, ut eas revendant cum lucro moderato.

Imo, quamvis pretio supremo revenderent, non peccarent contra justitiam, quia quisque habet jus vendendi rem suam pretio rigoroso; neque contra caritatem, quia nemo tenetur suum negligere commodum, ut evitet damnum alienum, quod avertere non tenetur (III, 816, 838).

QUAERITUR. *An, facto monopolio a mercatoribus de pretio ultra supremum, liceat* ALIIS MERCATORIBUS *eodem pretio vendere?*

Resp. Negat *S. Alphonsus* cum veriori sententia; quia illa aestimatio, utpote orta ex injustitia, nequit esse justa, nec communis aestimatio dici potest, sed deceptio et fraus (III, 817; H. Ap., X, 184; 1. El. qq. ref., n. 34).

1139. — *Nota.* Quae de venditorum conspiratione diximus, valent etiam de *heris,* qui opifices ad operandum minori pretio ex mutua machinatione conducunt; sicut de *opificibus,* qui (sicut hodierno tempore fieri assolet, praesertim a membris pessimae associationis, vulgo dictae *internationale*), mutua conventione sibi promittunt, se tale opus non facturos, aut non perfecturos, nisi tale pretium accipiant. — Quid vero dicendum de mutua conventione de opera sua cessanda, vide infra n. 1154.

4. *De venditione per proxenetas.*

1140. — DEFINITIO. Venditio per proxenetas est illa, quae non fit immediate ab eo, ad quem res vendenda pertinet, sed ex ejus mandato aut commissione ab aliis, qui *proxenetae* dicuntur, i. e. negotiatores intermedii.

Alii sunt *legaliter creati (agents de change, courtiers),* alii *simplices mandatarii,* e. gr. commissi viatores (*commis voyageurs*), alii demum *per modum actus transeuntis* proxenetam agunt, ut filiifamilias pro parentibus vendentes aut ementes, famuli pro heris.

Digitized by Google

Ex definitione patet eorum obligationes esse desumendas ex supra dictis (n. 1088). Quod si de mercede accipienda convenerunt, habendi sunt ut operae locatores (cfr. n. 1154).

PRINCIPIUM. **Proxeneta, qua talis, habet jus ad pretium laboris industriae tantum, non autem ad partem beneficii.** Ratio, quia non proprio, sed domini nomine, agit (III, 825 seqq.). — Hinc, per se loquendo, proxeneta non potest sibi retinere lucrum, si vendat supra pretium determinatum, nec pretii excessum, si infra tale pretium emat.

Per accidens tamen, potest sibi retinere pretii excessum: *a*) Si sua industria, aut indebito labore, res melior evaserit: si autem majori pretio vendiderit, v. gr. quia in loco valde distanti ab illo quem dominus designavit, non potest retinere nisi pretium laboris. Idem valet, si lucrum factum sit occasione emptionis. — *b*) Si tacite convenerit cum domino, se nihil ei daturum esse ultra pretium designatum. Item, si facile praesumi possit domini consensus, ut communiter fit, quando lucrum est parvi momenti. — *c*) Si in meram ipsius gratiam emptor majorem summam obtulerit, vel venditor pretium imminuerit: v. gr. si mercator sartori pannum ementi aliquid de pretio remittat, ut eum alliciat ad suam officinam frequentandam. — Caute tamen *confessarius* fidem praestet proxenetis, tales donationes sibi factas fuisse asserentibus, praesertim si de famulis agatur vel filiisfamilias (Praxis, n. 60).

1141. — Quaesita. QUAER. 1° *An possit proxeneta rem, pretio determinato vendendam,* SIBI EMERE, *et postea rem eamdem, tanquam suam, majori pretio vendere?*

Resp. Affirm., ex Jure naturali, sed sub his conditionibus: *a*) ut, adhibita morali diligentia, emptorem, qui plus offerret, non invenerit; — *b*) ut rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut ejus periculum subeat, et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum domino reddat. — Item, si quis tibi committat emptionem alicujus rei, tali pretio, et tu invenias eam pretio minore, poteris in hoc casu rem tibi emere, et postea eam vendere illi alteri pretio majori (H. Ap., tr. ult., 35).

Diximus: *ex Jure naturali,* nam, ut notat *Marres,* haec agendi ratio hodie reprobatur a lege vel saltem a recepta consuetudine, propter fraudes quae facile orirentur (de Just., l. 4, n. 286).

QUAER. 2° *An possit pretium sui laboris retinere proxeneta, qui* GRATIS *se obtulit ad vendendum vel emendum?*

Resp. Probabilius potest, si non habuerit animum donandi, et dominus jam prius statuerit rem vendere, et nemo alius fuerit, qui id gratis praestaret. Sic enim fuit quidem mendax, sed non injustus; quia ejus labor erat pretio dignus (III, 825, in fine, cum Roncaglia, Sporer).

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De permutatione et cambio.

1142. — I. **Permutatio** (*échange*) est contractus, quo duo vel plures se invicem obligant ad dandam rem unam pro alia.

Differt a *venditione* in eo, quod ejus pretium consistit in *re*, cum merx constituatur ut pretium alius mercis. — Ceterum, iisdem generatim regulis ac venditio subjicitur. — Plura specialia legenda sunt in *Jure civili* [1].

1143. — II. **Cambium** (*change*) est permutatio pecuniae pro pecunia cum lucro permutantis. — Ille, a quo petitur cambium, vocatur *campsor*, qui illud petit *campsarius*.

Differt a *mutuo*, quia de natura mutui est ut pecunia detur immediate ad *usum*, et cedat in bonum *accipientis*; in cambio autem pecunia primario ad *permutationem* traditur et cedit in bonum *dantis*.

Cambium est duplex: *manuale* (seu *minutum*) vel *trajectitium*, prout de manu ad manum permutantur pecuniae diversae rationis, vel pecunia praesens commutatur cum absente, per litteras cambiales (*lettres de change*).

Cambium trajectitium dicitur: *a*) *locale* seu *per litteras*, si campsor hic, v. gr. Romae, prior accipit pecunias, quas postea, litteris datis, alibi, v. gr. Parisiis, refundit per suos factores; — *b*) *reale* vel etiam *temporale* (*ad nundinas*, *Francofurtense*, etc.), si campsor prior dat pecunias, ea lege ut illas, post certum tempus, alibi cum lucro recipiat; — *c*) *siccum* (seu *fictum*), quando pecunia, in eodem quidem loco quo data fuit, restituenda est, sed fingitur locus diversus, qui campsori titulus sit majoris lucri percipiendi. Contractus hic est verum mutuum, et proinde eadem de illo, ac de mutuo, tenenda sunt (III, 850). — Ceterum, ad talem agendi modum non amplius recurritur.

1144. — PRINCIPIUM. **Licitum est cambium verum, modo servetur aequalitas, aut lucrum non excedat justum pretium determinatum a lege vel a consuetudine.** Ratio est, quia sunt varii tituli, ex quibus campsor lucrum percipere potest, scilicet: 1° pecuniae assecuratio usque ad locum transmissionis; — 2° locatio operae ad numerandam et transmittendam pecuniam; — 3° damnum emergens ex infortuniis debitorum; — 4° expensae et curae in detinendo telonio (III, 851).

1145. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An licitum sit cambium eis, qui non habent publicum cambiandi officium?*

Resp. Affirm., nisi leges obstent, v. gr. si agatur de clericis (III, 831 seqq.; H. Ap., X, 192). Quisque enim habet jus ad lucrum ex suo labore industriaque percipiendum.

[1] Cod. gall., 1702 seqq.; ital., 1549 seqq.; austr., 1045 seqq.; hisp., 1538 seqq.; germ., 515.

Digitized by Google

Hinc, famulus recipiens ab hero monetam auream, ut satisfaciat ejus creditoribus, potest eam cum aliis monetis aequalis valoris permutare, retinendo sibi permutationis lucrum. Excipe, nisi herus voluisset vel debuisset nummo aureo satisfacere (III, 856).

QUAER. 2° *An accipiens monetam adulterinam possit eam expendere?* *Resp.* « Si moneta non sit materialiter falsa, nempe si *impressa sit signo principis, et materia sit bona,* ejusdemque ponderis, poteris eam expendere, cum nullum alteri inferas damnum » (III, 855). — Qui vero talem monetam conficeret, contra legem *poenalem* Status ageret.

« Si vero moneta adulterina, sit etiam *materialiter falsa,* tunc certe non poteris illa uti ». Et si eam bona fide expenderis, teneris ad restitutionem, juxta sententiam veriorem: quia teneris solvere justum pretium pro re empta, quod non facis solvendo, v. gr. pecuniam stanneam pro argentea (III, l. c.). — Idem dic de eo qui expenderet monetam quae esset *extra usum.* Injustitia tamen est minor, quam si daret materialiter falsam (*Ami du Cl.,* 1908, p. 347; 1911, p. 637 et 829).

ARTICULUS III.

De censu.

1146. — DEFINITIO. Census (*rente*) est jus percipiendi pensionem annuam ex re vel persona.

Differt essentialiter a MUTUO, eo quod in contractu census, etiam temporarii, pretium (capitale) alienatur *in perpetuum,* dum in contractu mutui restitutio sortis post determinatum tempus facienda stabilitur. Et potest constitui census tum titulo oneroso, tum titulo gratuito (III, 839). Cfr. *Ferraris,* v. *Census.*

Ille, qui jus ad pensionem percipiendam acquirit, dicitur *censualista, censitor, emptor, creditor.* Qui autem obligationem ea solvendi assumit, dicitur *censuarius, venditor, debitor.* — Pensio solvenda appellatur *canon, reditus* vel *redditus,* quia ipsa quotannis redit vel redditur.

DIVISIO. 1° Ratione pretii, quo emitur, census est reservativus vel consignativus.

Census *reservativus* emitur traditione rei immobilis: v. gr. cedo tibi agrum meum sub conditione, ut annuatim quinque modios tritici, vel 50 francos mihi solvas. — Census *consignativus* seu *simpliciter dictus* emitur pecunia: v. gr. trado tibi 1000 francos, ut tu mihi quotannis 50 francos solvas.

2° Ratione rei, in qua fundatur, census est realis vel personalis.

Census *realis* (livellus) est ille, qui constituitur in aliqua re frugifera, ita ut solvendi obligatio transeat ad quemcumque hujus rei possessorem; et re pereunte, pereat census. — Census *personalis* est ille, qui fundatur, directe et immediate, in labore vel industria alicujus personae, quae se suosque successores obligat ad solvendum sine ordine ad rem aliquam, ex qua solvenda sit pensio (III, 847; H. Ap., X, 201). Cfr. n. 839.

Digitized by Google

3° Ratione rei, quae debetur, census est *pecuniarius* vel *fructuarius*, prout in numerata pecunia vel in fructibus solvendus est.

4° Ratione temporis, quo durante pensio solvenda est, census est temporarius, vel vitalitius, vel perpetuus.

a) Est *temporarius*, si constituatur ad tempus determinatum, v. gr. ad 20 annos; — *b*) *vitalitius*, si ad vitam censuarii vel censualistae, vel etiam alius personae; — *c*) *perpetuus*, si absque ullo temporis termino, ita ut ad haeredes tam censuarii, quam censualistae transire debeat.

4° Ratione modi adjuncti, census est *redimibilis* aut *irredimibilis*, prout obligatio solvendi, restituto pretio, exstingui potest, vel non.

Potest autem esse redimibilis ad nutum censuarii, vel censualistae, vel utriusque, prout alterutri, vel utrique competit facultas exigendi, ut contractus resolvatur, per restitutionem capitalis, absque deductione pensionum, quae interim obtigerunt. Redimibilis simpliciter, intelligitur ad nutum censuarii. — Consideranti patet, restitutionem sortis hic obtineri, non vi census, sed vi pacti adjuncti, nempe retro-venditionis.

1147. PRINCIPIA. I. **Licitus est census, modo serventur debitae conditiones.** Constat: 1° ex Bullis SS. Pontificum, qui census sub certis conditionibus probaverunt, et ex unanimi saltem hodiernorum theologorum consensu; — 2° ex ratione, nam census nihil aliud est quam venditionis aut permutationis contractus, in quo pensio solvenda est *merx*, cujus *pretium* est capitale (res vel pecunia) quod traditur. — Quare, regulae venditionis etiam in praesenti materia valent (III, 839-849; H. Ap., X, 196 seqq.).

1148. — II. **Ex Jure naturali, conditio in primis requisita est aequalitas inter censum et pretium.** Istud autem determinatur vel lege, vel aestimatione communi; quae aestimatio, hisce temporibus, in foliis publicis descripta invenitur. Procul dubio igitur licitum est emere et vendere, pretio currente, census annuos in Gubernio fundatos.

Ex Jure CIVILI [1]: 1° Census *perpetuus* est essentialiter redimibilis ex parte censuarii. Licet tamen pacisci, ne redimi possit ante certum tempus, quod protrahi nequit ultra limites constitutos a lege. Censualistae non conceditur facultas repetendi sortem et exstinguendi censum, nisi in casibus definitis, nempe si censuarius per duos annos omiserit solvere censum, vel si debitas assecurationes non constituerit, vel bonis cedere coactus fuerit. — 2° Census *vitalitius*, cum sit ad tempus incertum, est necessario aleatorius; sed constitui debet juxta probabilitatem longitudinis vitae, habita ratione aetatis, sanitatis et complexionis personae, cui pensio annua solvenda est [2].

Ex Jure CANONICO: 1° Census *consignativus personalis* per Bullam S. Pii V *Cum onus*, vetatur, ob periculum usurae. Bulla tamen, teste *S. Alphonso* (III, 849), in multis locis non est recepta. — 2° In casu *affrancationis* fundi (cum sci-

[1] Cod. gall., 1909 seqq.; ital., 1778 seqq.; hisp., 1604 seqq.; germ., 1199 seqq. — [2] Cod. gall., 1968 seqq.; ital., 1789 seqq.; austr., 1284 seqq.; hisp., 1802; germ., l. c.

Digitized by Google

licet fundus liberatur ab onere censum Ecclesiae vel loco pio praestandi), « nova investitio fieri nequit in mensis nummulariis, capsis publicis vel parcimonialibus, neque in schedis debiti publici; quia non habetur ut canonicum ac stabile investimentum; sed fieri debet in bonis stabilibus tutis et fructiferis... Attamen, hisce temporibus, a S. Congr. Concilii concedi solet, ut investitio fiat etiam in syngraphis nominativis *debiti publici,* cum aliter fieri nequeat ». Cfr. *A. S. S.,* I, p. 537, 569.

ARTICULUS IV.

De locatione et conductione.

1149. — Definitio. *Locatio* est contractus, quo quis operam aut rem suam alteri dat ad usum, pro certa mercede. — *Conductio* est idem contractus ex parte accipientis.

Ille qui usum rei vel suam operam praestat, dicitur *locator;* ille vero, qui pretium tradit, *locatarius* vel *conductor.*

Divisio. Distinguitur: 1° locatio *rerum,* quae triplex est, nempe aedificiorum, agrorum et animalium; — 2° locatio *operae* personae, i. e. laboris vel famulatus.

Ad hanc refertur (et vocatur locatio *operis*) conductio operariorum, artificum, vectorum, custodum, etc.; item conductio architectorum et eorum qui, post publicam denuntiationem, opus perficiendum promiserunt, cum determinatione temporis, materiae, formae et pretii [1].

1. *De locatione rerum.*

1150. — Principia. I. **Locatoris eaedem, quae venditoris, sunt obligationes.** De sequentibus ergo potissimum tenetur locator:

1° Servare aequitatem in locationis pretio et tradere locatario rem vere utilem.

Debet ergo: tradere rem tempore statuto, et in tali statu, ut apta sit fini, ad quem locata est; item, efficere ut conductor possit re uti vel frui, toto conductionis tempore, et ideo sustinere omnes ad id necessarias expensas, v. gr. pro sartis tectis, pro tributis et oneribus publicis, etc.

2° Reddere conductorem securum, tum a rei vitiis, tum a perturbatione juridica, in usu rei, per tempus locationis.

Dicimus *a perturbatione juridica,* quae nempe inferri posset a tertio jus habente, non autem quae fieret per violentiam. Quod si rei usus, ob necessarias reparationes, per notabile tempus impediatur (v. gr. ultra 40 dies) debetur conductori indemnitas (III, 857).

[1] Cod. gall., 1708 seqq. et 1800 seqq.; ital., 1568 seqq. et 1647; austr., 1090 seqq.; hisp., 1542 seqq.; germ., 535-597.

Digitized by Google

1151. — II. Locatarius re locata rationabiliter uti debet et pretium fideliter solvere. Haec per se patent.

1° Re locata uti debet tanquam bonus paterfamilias, id est ad solum finem locationis.

Unde, si rem in alios usus insumit, poterit locator petere damni reparationem, vel contractus rescissionem. — Potest tamen, secluso contrario pacto vel lege positiva prohibente[1] rem *sublocare* alteri, qui sit aeque idoneus. — Ad eum spectat solvere modicas illas ac quotidianas *impensas,* quae ad rei conservationem faciendae sunt. — Debet rem restituere in statu, in quo eam recepit, excepta mutatione orta ex vetustate aut vi majori. Si per scriptum non constet, in quo statu res tempore locationis fuerit, praesumitur fuisse in bono statu: nisi contrarium probetur.

2° Debet locatarius *solvere* locationis mercedem, seu pensionem, et quidem, statutis temporibus.

At, in casu infortunii, v. gr. sterilitatis ob grandinem, ex aequitate juris introductum est, ut aliquid remittatur de pretio locationis agri, utque damnum ex aequo a locatore et locatorio subeatur; nisi ex fructibus aliis annis perceptis aequa detur compensatio[2].

Nota. 1° SOLVITUR contractus locationis: *a*) Completo conductionis tempore. Si tempus nullo modo fuerit determinatum, poterit locatio cessare ad arbitrium unius contrahentis, dummodo alter opportuno tempore moneatur. — *b*) Interitu rei locatae. — *c*) Inexsecutione conventionum. — *d*) Mutuo consensu, salvo jure tertii, v. gr. subconductoris.

2° Locatio vero inita per *actum authenticum* non solvitur morte contrahentium, sed transit ad haeredes. — Si locator rem locatam donaverit, vendiderit, vel ipse occupare velit, non potest, ex *novo* Jure, expellere locatarium, sed terminus constitutus expectandus est[3]. Secus in Jure *romano.*

2. *De locatione operae.*

Enc. *Rerum novarum* (vers. med.); *Vermeersch,* de Just., n. 386; *Lehmkuhl,* I, 1344; *Noldin,* II, 609; *Génicot,* I, 645; *Schindler,* II, p. 663; *Tanquerey,* II, 786; *Garriguet,* Contr. du travail; *H. Pesch,* Lehrb. der Nationaloeconomie, III, p. 207-219; *Godts,* de Salario familiali; *Schrijvers,* Man. d'Econ. pol., P. IV; *De Gryse, Biederlack, Pottier* et alii.

1152. — DEFINITIO. Locatio operae, seu conductio operariorum, est contractus in quo pro certo labore solvitur pretium justum.

Dicitur 1° *Pro certo labore.* Objectum enim hujus contractus non est *res producta,* sed *labor praestandus,* ipsa ergo vis operativa, ipsum robur operarii: aliquid igitur quod ab operario separari nequit, et quod dignitate humana semper vestitum remanet.

Hinc deduces: a) Contractus laboris non est mera *emptio-venditio,* eo quod ad aequalitatem inter opus praestitum et pretium justum statuendam, ad laborem humanum taxandum, iisdem normis uti nequimus atque pro mercibus communibus rebusque mere negotiatoriis.

[1] Cod. germ., 549. — [2] *S. Alph.,* III, 860; H. Ap., X, 207; Cod. austr., 1104 seqq. — [3] Cod. austr., 1112; germ., 595 seqq.

Digitized by Google

b) Contractus laboris non est *contractus societatis,* quasi herus suum *capitale,* operarius vero suam *operam* conferant ad opus communiter perficiendum, lucrum postea divisuri.

2° *Solvitur pretium justum:* tale nempe quod et *operi* ex parte operarii praestito, et *fini,* quem necessario operarius in locando suo robore intendit, vere respondeat.

ORDO DICENDORUM. In statuendis regulis circa JUSTUM PRETIUM in diversas abeunt auctores sententias. Distinctiones ergo convenientes praemittendae sunt et postea principia statuenda, sive quoad conductores operariorum sive quoad ipsos operarios.

Quotuplex detur salarium? Datur 1° *Salarium individuale,* illud nempe quod sufficit ad unum hominem eo die alendum, eique necessaria praebet ad sustentationem convenientem, modo sit parcus beneque moratus.

Salarium individuale potest subdistingui: in *infimum,* communiter sufficiens ad unum hominem alendum; et *summum,* quod homini non solum praebet necessaria et convenientia, sed etiam quasi restituit expensas, quas habuit ad artem addiscendam, et damna futura praecavet.

Datur 2° *Salarium familiale,* illud scilicet quod sufficit ad alendam familiam [1], sicut ordinarie constituitur.

Subdistinguitur in salarium familiale *absolutum* et *relativum.*

a) *Absolutum* adest, si patrifamilias, in ordinariis adjunctis, idem sufficiens salarium familiale solvitur.

b) *Relativum* habetur, si illud salarium, quod de se communiter sufficit, pro numero liberorum et pondere necessitatum adaugetur.

1153. — PRINCIPIA. I. **Conductor operariorum ex justitia tenetur ipsis tribuere salarium individuale infimum.** Ratio est, quia solum salarium individuale infimum *aequalitatem* inter laborem et mercedem procurat. Labor enim operarii est: 1° labor *personae humanae,* unde res multo nobilior rebus mere negotiatoriis; — 2° labor *necessarius* ad vitam homini convenientem, labor ergo qui aestimari nequit infra salarium vitae necessitatibus sufficiens; — 3° labor denique, quo in *utilitatem heri* vires operarii consumuntur, unde enascitur jus ad salarium, quod sit aptum ad vires hominis morati reficiendas.

Ex his conclude: a) Stante eodem labore, sive in se, sive in adjunctis considerato, idem *salarium* individuale infimum *tam viris quam feminis* debetur (cfr. *Rösler,* Frauenfrage, p. 113). — Ut sit justum, sufficere debet etiam

[1] Salarium familiale non sic intelligi debet, quasi *ipsum solum* ad omnia levamen praebere debeat. Alia adsunt pro operario sustentationis media: industria uxoris, labor filiorum qui jam creverunt, et praesertim prudentia et parcimonia in re domestica administranda.

Digitized by Google

necessitatibus diei septimae. — Ordinarie tamen labor femineus *minor est,* ob corporis debilitatem, vacationes necessarias, etc., unde sine injustitia minuitur (*Noldin,* II, 612).

b) Hoc salarium *antecedenter* ad expressam conventionem operariis *debetur,* secundum aestimationem communem; a quocumque operario *exigi* poterit.

c) Imo, sine injustitia *exigi* poterit *salarium individuale summum;* non enim plus exigitur, quam in commodum heri impenditur. — Si adsunt specialia laboris pericula, speciales expensae ad solertiam in labore comparandam, illud operario *solvi debet.*

d) Rejiciendum est systema eorum qui opinantur *quodcumque salarium* esse justum, in quod operarius consenserit; saepe enim, nonnisi necessitate victus, operarius in mercedem infra justam consentit.

Magna quaestio est: *Utrum conductor operariorum ex justitia obligetur ad solvendum operario, qui ad matrimonium vocatur, salarium familiale absolutum.* — Nobis multum placet *sententia affirmans.* Ratio est, quia (ut dicit Leo XIII in Enc. c.) sanctissima naturae lex est, ut victu omnique cultu paterfamilias tueatur quos ipse procrearit; idemque illuc a natura deducitur, ut velit liberis suis . . . acquirere et parare, unde se possint in ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere.

Labor ergo operarii conjugati, qui est medium vere ordinarium ad hoc officium implendum et quasi unicum capitale per quod redditur aptus ad satisfaciendum huic muneri a natura ipsa imposito, hic labor, inquimus, pretium obtinet in aestimatione communi, quod nonnisi solutione salarii familialis absoluti compensari queat. Cfr., praeter auctores jam citatos, *Manning,* La quest. ouvr.; *Collat. Brug.,* IV, 1901; *Nicotra,* Quest. du Salaire; *Liberatore,* Economie politique, p. 246; *Marres, Perin,* etc.

Attamen, sententiam contrariam, quae *negat,* nequimus rejicere. Sic illa argumentatur. Aequalitas, quam justitia commutativa instaurare intendit, utrumne vere exigat ut operario conjugato plus debeatur? Necessitas *seipsum* alendi sibique providendi est labori *intrinseca* et *absoluta;* necessitas vero *familiam* alendi est labori potius *extrinseca* et *hypothetica,* si nempe matrimonio homo jungatur. Ex hoc sequitur pretium laboris, quod utique potius secundum se considerari debet, non in se variari, et non conferre alia jura, si operarius est conjugatus. Hoc eo minus admittendum videtur quod, si in aestimatione laboris elementa extrinseca et hypothetica attendi deberent, et *salarium familiale relativum* ex justitia solvendum esset, si numerosior fiat familia (cfr. *Génicot,* I, 647; *De Gryse,* Contr. cond., p. 45.

Unde dicunt quidam, salarium familiale absolutum *ex sola caritate* deberi; alii vero ad *justitiam legalem* seu socialem confugiunt, ut heris obligationem imponant operariis conjugatis tale salarium persolvendi (cfr., praeter modo cit., *Antoine,* p. 611). — Addunt vero salarium familiale absolutum, quamvis de se et initialiter ex justitia legali tantum debitum, *ex justitia stricta* obligare semper ac in tali regione vere in usum deductum fuerit. Tunc enim, quoad aestimationem laboris operariorum, evadit pretium vulgare.

Digitized by Google

II. Conductor operariorum quandoque non agit injuste, si salarium supradictis inferius solvit. Ratio est, quia norma generalis, secundum quam aestimatur pretium laboris, saepe, ratione circumstantiarum, mutationem admittit.

Juste ergo minueretur salarium: 1° Si operarius nondum ad *ordinarium* laborem esset aptus, vel ex sola *misericordia* exceptus fuisset, ordinario labori impar. — 2° Si in tali regione *communiter* labor fructus justo minores produceret; a fortiori, si labor, cum spe melioris fortunae protractus, actualiter nonnisi *in detrimentum* heri vergeret.

Nota. Ex hoc tamen non concludas, juste agere herum, qui, *aliquam industriam incepturus,* interea minuta salaria daret, donec ipse capitale ab aliis desumptum solverit.

III. Conductor operariorum alias obligationes in se assumit. Et quidem: 1° ante finitum conductionis tempus nequit a contractu recedere absque legitima causa; — 2° cavere debet, ne in officinis operarii gravia pericula contra bonos mores vel contra vitam et corporis salutem patiantur; unde cautiones a lege praescriptas fideliter adhibeat; — 3° pro requie corporis et sanctificatione animi tempus necessarium concedatur. Cfr. Enc. c.; *Vermeersch,* o. c., n. 460; *Rivière,* Vingt ans de vie sociale, p. 78; *Harmel,* Catéchisme du Patron; *Kürschner,* Lex. d. deutsch. R., v. *Arbeit; Göpfert,* Arbeiteraussperung (ap. *Linz. Quart. Schr.,* 1908, p. 334).

IV. Operarius, ex justitia, contractus obligationes implere debet [1]. Idem valet pro locatore operarum.

Tenetur ergo operarius: 1° exhibere laborem fideliter juxta conventionem, ita ut, si ex imperitia, vel negligentia, vel culpa propria non praestiterit quod promisit, teneatur *pro rata* mercedem remittere, vel jam acceptam restituere; — 2° non discedere, absque justa causa, a servitio, ante tempus locationis finitum (sed vide n. 1154); et si ex tali discessu vel alio modo, v. gr. opus vitiose conficiendo, domino damnum intulerit, illud compensare. — Recole dicta n. 708, 1140, quoad *famulos,* et n. 1036, Quaer. 2°, quoad *aurigas,* etc.

Nota. a) ***Ex lege naturali.*** Illicite agunt operarii, qui inspectoribus aliquam pecuniae summam tribuunt, *ad eos corrumpendos,* ut ab eis vitiosa operis confectio vel materia vilior approbentur. — Non agerent vero illicite si pecuniam darent ad declinandam injustam eorum vexationem. — Vide etiam n. 1135.

b) ***Ex naturali aequitate.*** Aequitas postulat, ut in casu *infortunii insoliti* compensatio concedatur architectis vel aliis qui opus perficiendum in se assumpserunt. Non debetur tamen haec compensatio, si operis redemptor *in computandis sumptibus* erravit (*Aertnys,* l. III, 506; *Génicot,* I, 650).

[1] Cod. gall., 1779 seqq.; ital., 1627; austr., 1151-1174; hisp., 1583 seqq.; germ., 611-651.

Digitized by Google

c) *Ex Jure positivo* [1]. Nemo potest operam suam promittere nisi ad tempus aut ad opus determinatum. — Artifex, si opus non absolverit, tenetur de majori minorive culpa, prout materiam et laborem, vel laborem tantum praestitit.

SCHOLIUM.

De cessatione laboris ex condicto

(operistitium, sciopero, grève, huelga, Streick, strike).

Ob quaestionis momentum, juvat hic notare quid de *operistitio* sit tenendum.

1154. — PRINCIPIUM. **Operistitium theoretice est licitum, si debitae adsunt conditiones.** Conditiones sunt 1° ut nec in re nec in modo justitiae adversetur; — 2° justa et gravis adsit causa; — 3° nulla suppetat alia via ad finem obtinendum.

Dicitur 1° *Ut justitiae non adversetur, nec in re, nec in modo.* Atqui *a*) IN RE injusta est cessatio laboris, si *praecesserit contractus* validus de opera ad tempus statutum praestanda nec irritus factus fuerit, ut patet ex dictis n. 1056.

Jamvero, contractus potest invalidus esse sive defectu consensus liberi, v. gr. si moraliter coguntur operarii infra justum pretium operam suam locare; sive ex inhonesta conditione adjecta, e. gr. si laborem non necessarium diebus Dominicis praestandum susceperint. Potest etiam contractus irritus evadere, videlicet casu quo herus conditiones de quibus conventum est non servat. Nulla tunc est obligatio contractus, ac proinde operarii jus habent, ceteris servatis conditionibus, a labore cessandi ex composito. Postulat tamen caritas ut antea patronum moneant ad vitandum ejus maximum damnum.

Si vero nullus contractus praecesserit de opera ad determinatum tempus praestandum, vel *si tempus elapsum est,* jus operariis competit pro libitu cessandi a labore, idque etiam ex conventione; alios autem non volentes ad hoc inducere, saepe contra caritatem tum opificum tum herorum est, nisi excuset gravis causa.

b) IN MODO, injusta esset laboris cessatio, si moverentur seditiones, si adhiberentur vis aut minae sive in ipsos dominos ad extorquendum petita, sive in alios operarios, eos fraude, minis vel mediis stricte damnosis a labore prohibendo; item si nocerent operarii aliis civibus, civitatem perturbando.

Dicitur 2° *Justa et gravis habeatur causa. a*) *Justa;* idcirco illicita sunt operistitia facta ad extorquendum salarium *ultra summum pretium* vel quaslibet conditiones iniquas. Atvero, si aequam mercedem obtinentes ejusdem intendant augmentum, non tamen supra summum pretium, contra justitiam non peccant, nisi injusta media, v. gr. mendacia, adhibeant. Ast inter se sic convenientes de non locanda opera

[1] Cfr. Codices, l. c.

Digitized by Google

sua minori pretio laedere videntur caritatem [1] (cfr. n. 1138, 2°). — *b*) *Gravis;* cum enim ex operistitiis pessimae plerumque oriantur sequelae, requiritur causa magni momenti, qualis erit, spectatis circumstantiis, diminutio laboris excessivi, vel cessatio vexationum.

Dicitur 3° *Nulla suppetat alia via;* et hoc etiam ob innumera mala quae secum fert cessatio a labore ex composito. Ex hac ultima conditione liquet *veram* insuper requiri *probabilitatem* obtinendi bonum finem intentum, si non immediate, saltem in tempus proxime futurum.

Diximus: *theoretice est licitum.* In praxi vero, operistitium saepenumero est illicitum; quia non semper constare potest de conditionibus supra dictis, et multa accedunt incommoda quae optime sic declarat Leo XIII: « Genus istud cessationis non heros dumtaxat atque opifices ipsos afficit damno, sed mercaturis obest reique publicae utilitatibus; cumque haud procul esse a vi turbisque soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen adducit ». — Attamen non sunt culpandi qui, nonnisi ob metum gravem a sociis incussum, laborem cessant passive se habendo. Cfr. *Lehmkuhl,* I, 1349; *Génicot,* II, n. 22; *Göpfert,* II, 122; *Biederlack,* Innsbr. Quart. Schr., 1912 et Theolog. Fragen; *Vermeersch,* o. c., n. 470.

ARTICULUS V.

De emphyteusi et feudo.

1155. — I. **Emphyteusis** est contractus, similis locationi, quo sub onere pensionis annuae transfertur rei immobilis dominium utile, retento directo.

Differt emphyteusis a *locatione;* quia non est nisi de *re immobili,* et transfert etiam *totum dominium utile,* in tempus diuturnum, saltem ad decennium; et annuus praestandus canon solet esse modicus, nec datur pro fructibus, sed in recognitionem dominii directi.

In hoc contractu quid juris sit pendet ex consuetudine locorum et ex ipsa contrahentium conventione, quae scripto instrumento confirmanda est (III, 865; cfr. *Ferraris,* v. *Emphyteusis*).

Nota. Contractus *libellaticus* est, cum emphyteuta sive *feudatarius* tradit eumdem fundum tertio sub iisdem conditionibus. Hic contractus dicitur etiam *subemphyteusis* aut *subinfeudatio.* Vide civilistas et canonistas [2].

1156. — II. **Feudum** (a *fide* seu *fidelitate* nuncupatum) est contractus, quo in alium transfertur rei immobilis dominium utile, retento directo, sub onere fidelitatis et obsequii personalis.

Qui tradit dicitur *infeudator;* qui accipit, *vassallus* aut *feudatarius.* Haec autem fere ubique gentium jam obsoleta sunt. — Vide tamen n. 852.

[1] Diximus: *laedere videntur;* quia in his nequimus cum omnimoda certitudine procedere et normam statuere. Utique, ex una parte, domino damnum obvenit, sed, ex altera parte, ab operariis, si remaneant ejusdem mentis, *magnum commodum* exspectatur. Caritas autem non obligat cum tanto incommodo. — [2] Cfr. Cod. ital., 1556 seqq.; hisp., 1628 seqq.; austr., 1123 et etiam 1122, 1125 ubi de locatione haereditaria et de solario (qui contractus sunt emphyteusi similes).

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

De societate [1].

1157. — DEFINITIO. Contractus societatis est duorum vel plurium conventio, qua rem aliquam, sive mobilem sive immobilem, vel operam, i. e. laborem vel industriam, conferunt, ad commune lucrum (aliudve intentum) consequendum (H. Ap., X, 222).

SOCII conferre possunt *rem* simul et *operam*, vel alterutram tantum. Quilibet potest, absque aliorum consensu, alium sibi adjungere quoad suam portionem, non autem admittere in societatem. Hinc illud: « Socius mei socii meus socius non est » (l. XX, ff., *Pro socio*).

DIVISIO. Societas dicitur: 1° *universalis*, si complectatur omnia bona praesentia, vel futura *ex industria* acquirenda; — 2° *particularis*, si complectatur solummodo res vel operas determinatas. Haec est *civilis* vel *commercialis*, prout respicit actus privatorum civiles, vel actus commerciorum.

1158. — PRINCIPIUM. **Contractus societatis, si adsint requisitae conditiones, est modus legitimus faciendi negotiationem.** Constat: 1° ex Jure naturali; non enim minus licitum est pluribus conjunctim, quam singulis seorsum, ex suis rebus lucrum facere, modo debita aequalitas servetur; — 2° ex legibus civilibus omnium nationum; — 3° ex usu universali.

CONDITIONES autem licitae societatis sunt sequentes:

1° Materia debet esse honesta; non enim licet societati, quod privato prohibetur.

Si societas habet finem *illicitum*, v. gr. ad ephemeridem malam divulgandam, servandae sunt regulae de cooperatione et de contractu turpi (n. 517 et 1036); si vero habet finem *injustum*, regulae de restitutione in solidum erga damnificatos sunt applicandae (n. 991 seqq.). Vide *Ami du Cl.*, 1911, p. 462.

2° Sors, seu res collata, manet in proprietate illius, qui eam contulit, et conceditur societati duntaxat quoad usum et commoditatem. Quare, periculum sortis spectat ad solum dominum.

Nec licet pactum apponere de sorte assecuranda in casu fortuito: sic enim lucrum tantum, et non damnum, esset commune, et haberetur contractus *leoninus*, qui etiam dicitur *ad caput salvum*, si de societate in pecoribus agitur. — Finita societate, sors ante omnia restituenda est domino.

3° Lucrum, seu illud quod, deductis damnis et expensis, praeter sortem superest, dividendum est inter singulos socios, pro rata sortis collatae vel praestitae operae.

[1] Cod. gall., 1832 seqq.; ital., 1697 seqq.; hisp., 1665 seqq.; austr., 1175 seqq.; germ., 705-740; *Crolly*, II, n. 572 seqq.

Digitized by Google

4° Damnum, quod solo intuitu societatis obvenit (v. gr. si merces surripiantur), subeundum est a singulis sociis in eadem proportione, qua, in casu contrario, divisum fuisset lucrum (III, 905).

Si unus contribuit *pecuniam,* alter vero *laborem* « potest contingere aliquando, quod industriae valor ita excedat valorem usus pecuniae, ut justum reddatur pactum (quod ex se esset injustum), ut dividatur etiam *capitale.* — Et vicissim, aliquibus in locis, valor industriae adeo tenuis est, ob loci consuetudinem, aut ob frequentiam operariorum, ut recte subjiciatur operarius etiam, quoad partem, periculo sortis, quamvis totum periculum *per se* solius domini esse debeat » (III, 907; H. Ap., X, 224).

Hinc *ad restitutionem tenentur* socii: *a*) Rebus communibus utentes in privatum usum, aliis invitis. — *b*) Privato studentes lucro, dum communi vacare debent. — *c*) Res communes prodigentes. — *d*) Non conferentes in commune aerarium quidquid negotiando acquisierunt. — *e*) Negligentes suas partes implere. — *f*) Temere se implicantes in negotiis, quae felicem exitum vix sunt habitura, sociis insciis aut invitis (*Konings,* n. 1014).

1159. — QUAERITUR. *Quomodo* FINIATUR *societas:*

Resp. Finitur: 1° completo tempore ad societatem constituto, aut finita negotiatione; — 2° per sociorum consensum, etiam tacitum, nempe si alter sociorum incipiat seorsum negotiari. Ceterum, neuter sociorum potest a contractu recedere, nisi hoc sit necessarium ad bonum publicum, vel nisi alter esset damno societati, aut pactis non staret. Injuste autem recedens, tenetur de damno erga socium; — 3° per mortem alterius socii; quia societas non transit ad haeredes, nisi quoad negotia jam incepta (aut nisi adesset pactum juramento firmatum cum defuncto socio); — 4° per exsilium aut professionem religiosam alterutrius socii (item ex Jure *novo* per interdictionem vel decoctionem seu subversionem ejus bonorum); — 5° per impossibilitatem parti suae satisfaciendi, v. gr. propter morbum; — 6° per interitum pecuniae collatae; — 7° per talem rerum mutationem, ut societas evadat inepta fini (III, 907, q. 6; H. Ap., X, 230).

Nota. De contractu societatis, quem *trinum* nominant, pauca dicemus; hodie enim in desuetudinem abiit. Licitus est, juxta graves AA. (cfr. III, 908).

Initur trinus contractus sequenti modo: *Lucius* confert mille aureos in societatem cum *Titio,* ut in negotiatione impendantur: en *primus* contractus societatis, ex quo lucrum speratur, v. gr. quindecim pro singulis centenis. — Cum vero spes lucri non sit absque periculo sortis, Lucius quinque ex quindecim speratis cedit Titio, ut sortem sibi assecuret: en *secundus* contractus, quo assecuratur sors. — Praeterea ratus, melius esse modicum certum quam majus incertum, iterum ex decem speratis quinque cedit eidem Titio, ut iste, quidquid eveniat, quinque certe sibi solvat: en *tertius* contractus, quo assecuratur lucrum.

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

De transactione.

1160. — Transactio est conventio onerosa, qua res litigiosa et incerta inter partes componitur. — Est aptissimum medium ad finienda jurgia; nam « melior est transactio macra, quam sententia pinguis » [1].

Notetur: 1° Transactio potest fieri tum in judicio, tum extra illud; sed ad ejus essentiam requiritur res *dubia,* vel lis incerta. — Hinc, non valet transactio, si fit ab ignorantibus rem jam esse judicatam, vel si admittitur super lite, quae non nisi per calumniam illata fuit.

2° De rebus suis quisque *transigere potest,* qui habilis est ad contrahendum; requiruntur vero ad eam conditiones, quae in Jure pro alienatione stabilitae inveniuntur (cfr. dicta n. 871, II).

3° Transactio rite conclusa magnam vim habet: *non potest amplius impugnari,* neque causa laesionis, neque ignorantia Juris, etsi casu inveniantur documenta, e quibus constaret, rem certo fuisse unius partis, quae transegit. — Quod si error contigerit in calculo, error quidem corrigitur, sed transactio subsistit.

4° Quandoque tamen *rescindi* potest transactio, si error sit vel in persona, vel in objecto controverso, vel si intervenerit dolus aut vis. — Insuper, nulla est, si falsis innixa fuerit documentis.

CAPUT IV.

De contractibus aleatoriis.

S. Alphonsus, III, 869-917; ed. G., II, p. 236; H. Ap., tr. X, n. 214; *Lugo,* disp. 31; *Lehmkuhl,* I, 1354; *Aertnys,* tr. VII, n. 511; *Huppert,* Lebensversicherungsvertrag; *Tanquerey,* II, p. 527; *Génicot,* I, n. 656; *Pruner,* n. 762; *Schindler,* II, p. 686.

Aleatorii dicuntur contractus, quorum effectus, tum quoad lucrum tum quoad jacturam, pendent ab incerto eventu. — Hujusmodi sunt (praeter censum vitalitium, de quo n. 1146, 3°) assecuratio, sponsio, loteria et ludus.

1. *De assecuratione.*

1061. — Definitio. Assecuratio est contractus, quo quis in se suscipit alienae rei vel personae periculum, obligando se, pro certo pretio (*prime*), ad eam compensandam, si pereat vel damnum patiatur.

Divisio. Assecuratio, ratione *diversi periculi,* multiplex evadere potest. Sic dantur assecurationes contra *naufragia, incendium, grandinem:*

[1] Cod. gall., 2044 seqq.; ital., 1764 seqq.; hisp., 1809; austr., 1380 seqq.; germ., 779; *Scavini,* II, 425; *Gousset,* I, 903; *Ferraris,* v. *Transactio.*

Digitized by Google

imo datur assecuratio *vitae*, i. e. ad sustentationem filiis vel haeredibus solvendam, si talis persona praemoriatur.

Nota. 1° Nostris temporibus, ope artis statisticae, verisimilitudo periculi multum accuratius determinari potuit, ex quo factum est ut assecuratio minus aleatoria evaserit. — 2° Quamvis hic contractus sit de se *consensualis*, non redditur tamen omnino firmus, nisi post acceptationem chirographi a societate subscripti (*police*). — 3° Assecurans nullo modo illud damnum compensare intendit, quod assecuratus (vel ejus familia) rei intulit.

1162. — PRINCIPIA. I. **Nullus et injustus est contractus assecurationis, si ex parte rei assecuratae desit periculum probabile.** Patet ex definitione (III, 911).

Hinc: 1° Si assecurans certus sit rem *in tuto* esse, v. gr. navem in portu, petit inique pretium, et acceptum restituere tenetur. — 2° Si quis rem assecuratam vendiderit, et ipsa ante incendium jam fuerit emptori tradita, assecuratus nequit totam compensationem recipere (*Lehmkuhl*, I, 1356). Vide etiam leges civiles [1].

II. **Injustus est contractus assecurationis, si, ex parte assecurati pericula manifestantis, adsit error efficaciter damnosus.** Ratio est, quia de essentia assecurationis est ut pretium periculo proportionetur. Pro rata enim periculi determinantur pretium et compensatio. De essentia contractus est ergo sinceritas in declarando periculo.

Diximus: 1° *Si adsit error.* Error, quamvis *bona fide* admissus, contractui non confert validitatem; error *mala fide* commissus (modo, ut mox dicemus, sit de re notabili) obligat etiam ad damna resarcienda.

2° *Error efficaciter damnosus*, i. e. habens pro objecto defectum *notabilem*, ex quo fit, ut rei vel personae periculum vere augeatur. — Perinde est autem, utrum hic defectus jam eo tempore exstiterit, quando perfectus fuerit contractus, vel postea tantum supervenerit.

Quoad errores circa defectus *minoris momenti*, non censemus contractum eo ipso evadere nullum, si assecuratus de eis tacuerit, modo proportio inter periculum, pretium et compensationem, nonobstante malitiosa reticentia, moraliter adhuc perduret [2]. — Eo magis hoc est affirmandum, quod non desunt AA. qui putent, etiam tunc contractum esse validum et justum, si *bona fide* defectus notabilis non fuerit manifestatus (modo assecuratus ex se augeat quod debet, vel minus acceptet); et assecurantibus *solam conferri facultatem* non solvendi praemia (*Lehmkuhl*, I, 1355). — Reclamante assecurante, standum utique semper sententiae judicis.

[1] Cfr. Cod. austr., 1288; hisp., 1791 seqq. Quoad Germaniam, vide diversos articulos apud *Kürschner*, Lexicon d. deutsch. R., v. *Versicherung*. Pro Gallia, vide *Maire* et *Gellie*, Man. théor. et prat. de l'Assurance. — [2] Revera multa quae societas assecurans exigit, praesertim si de vita assecuranda agitur, nimium rigorem sapiunt; ex quo fit, ut contractus non jam modo convenienti perficiatur. Rationi ergo consentaneum est, ut ad normam aequitatis naturalis obligationes assecuratorum determinentur. Vide quomodo idem casus a diversis diverse solvatur, apud *Ami du Cl.*, 1909, p. 300 et *Linz. Quart. Schr.*, 1910, p. 852; 1911, p. 383.

Digitized by Google

III. **Injustus est contractus assecurationis, si assecurans solvendo promissam compensationem sit impar.** Hoc requiritur ex natura contractus. Societas assecurans ergo pretia retinere nequit, si numerus assecuratorum tantus fiat, ut, si subito irruat periculum, solvere nequeat.

Si vero *solam partem damni* compensare valeat, alii dicunt contractum esse ipso facto invalidum, alii putant societatem posse retinere pretii partem, quae respondeat quantitati securitatis quam reipsa praestitit.

IV. **Officiales societatis assecurantis iisdem legibus subjacent, quibus mandatarii** (cfr. 1090). Ex se patet, quidquid aliquae societates assecurantes dicant. Quae ergo officiales faciunt, haec societatem ipsam ligant, modo intra limites sui mandati egerint.

Nota. Societas assecurans de se, vi statutorum, damna compensare tenetur quae ex *malitia extraneorum* proveniunt. — Ex hoc sequitur, damnificatores injustos SOCIETATI hanc compensationem resarcire debere, eo quod societas succedit in jura assecurati, quando ipsa compensationem solvit. — De modo restituendi, vide n. 1015.

Pro praxi notandum, quod in quibusdam regionibus societas assecurans, praevidens se a multis assecuratis malitiose damna passuram, pro omnibus pretia solvenda adeo auget, ut, meliori quo fieri potest modo, se reddat indemnem. — Putant aliqui, in his circumstantiis, malevolos damnificatores ad nullam restitutionem teneri. — Hoc tamen nobis non probatur. Posito enim quod contractus sit ab initio firmus, damnificator semper erga societatem tenetur, detractis tamen iis, in quibus societas plus aequo ditior facta fuerit, majora exigens pretia.

2. *De sponsione.*

DEFINITIO. Sponsio (*pari*) est contractus, quo duo vel plures, de veritate aut de eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit [1].

1163. — PRINCIPIA. I. **Sponsio est, per se, licita.** Ratione enim sui est res indifferens. Illicita est, si fiat sub conditionibus peccaminosis, v. gr. si quis spondeat se aliquod peccatum commissurum, vel se vinum in maxima quantitate potaturum; secus, si quis spondeat se non peccaturum.

In praxi, sponsiones raro excusari possunt a peccato *veniali,* ob defectum motivi honesti in spondentibus, qui generatim potius vanitatis et prodigalitatis fine ducuntur. — Sponsio tamen illicita non imponit onus restitutionis, nisi etiam *injusta* fuerit (III, 869 seqq.).

1164. — II. **Ut sponsio sit justa, servari debet aequalitas.** Requiritur nempe, ut *aequale* sit praemium quod spondetur (nisi altera pars in inaequalitatem consentiat), et *dubius* sit utrique eventus.

[1] Cod. gall., 1964; ital., 1802; austr., 1270; hisp., 1798; germ., 762; *Crolly,* II, 662.

Digitized by Google

QUAERITUR. *An valeat sponsio, si quis manifestet se certo rem scire, et hoc non obstante, alter perseveret in sponsione?*

Resp. Prima sententia *affirmat* eam valere, quia alter suae pertinaciae detrimentum imputare debet. — Secunda sententia multo probabilior *negat*, quia alter non spondet, nisi ex erronea persuasione, quod asserens se rem scire, non habeat certitudinem, quam dicit (*Lugo*, disp. 31, n. 81). — Valeret tamen contractus, si ille, qui a principio certus videbatur de aliqua re, postea, altero contradicente et spondere volente, incipiat dubitare; quia sic redit aequalitas: vel si alter jam incipiat fidem adhibere asserenti, se rem certo cognoscere, quia tunc cedit juri suo (*Lugo*, l. c., n. 79). Cfr. *S. Alph.*, III, 878.

3. *De loteria.*

1165. — DEFINITIO. Loteria, sive *sortitio quaestuosa*, est contractus, quo plures quamdam pecuniae summam in commune ponunt, ac dein sortiuntur, quisnam loteriae objectum sit accepturus.

PRINCIPIUM. **Loteria est contractus licitus, modo debitae adsint conditiones.** Considerari enim potest vel ut simplex *ludus*, vel ut *emptio* rei incertae; uterque vero contractus omnino licitus est.

Conditiones requisitae sunt: 1° ut nulla sit fraus in schedulis educendis, nec in solvendo praemio, quod obtigerit; — 2° ut dominus loteriae in lucro non excedat, nec plus moraliter lucretur, quam si alio contractu licito pecuniam suam impenderet, vel merces suas distribueret.

Aliquibus AA. haec regula aequo severior apparet; quia, etiam in ludo, is, cui favet sors, plus juste lucratur quam negotiatione lucrari potuisset. Omnes vero in hoc conveniunt, quod majus potest esse lucrum, si in bonum opus, vel publicam utilitatem instituta sit loteria; nam loteriae participantes censentur in hoc consentire. Vide *Gury*, I, 943; *Génicot*, I, 663; *Scavini*, II, 583, ubi de periculis Sortitionis regiae, vulgo *regio Lotto*.

4. *De ludo.*

1166. — DEFINITIO. Ludus, quatenus justitiam spectat, est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit [1].

DIVISIO. Triplex est ludus: 1° *industrialis*, qui sola industria regitur, ut ludus pilae; — 2° *aleatorius*, qui praecipue pendet a casu, ut ludus aleae; — 3° *mixtus*, in quo industria cum casu concurrit, ut ludus chartarum, saltem plerumque.

1167. — PRINCIPIA. I. **Ludus est, per se, honestus et licitus.** Est enim delectatio ordinata ad animi vires reparandas (cfr. n. 834). Nec ob praemium constitutum potest fieri illicitus; « quia, sicut quivis suae rei dominus potest alteri eam donare absolute, sic etiam sub aliqua conditione, sive ea fortuita sit, sive ex industria pendeat » (III, 871).

[1] Cfr. Cod. gall., 1965 seqq.; ital., 1802; austr., 1272; hisp., 1798; germ., 762; cfr. *Lehmkuhl*, Das bürgerliche Gesetzbuch, in § 764.

Digitized by Google

Dicitur: *est licitus per se;* nam, per accidens, potest variis modis fieri *illicitus,* et quidem: 1° ratione *nimii affectus,* si lusor explicite sibi proponit potius peccare, quam ludum deserere; — 2° ratione *periculi peccandi,* si ludus esset occasio rixarum, vel proferendi blasphemias, verba inhonesta, etc.; — 3° ratione *summae pecuniae expositae*[1], si lusorum viribus non est proportionata, ita ut detrimentum patiantur filii, creditores, pauperes, etc.; — 4° ratione circumstantiarum temporis, loci, personae, etc., si non sunt convenientes; — 5° ratione positivae prohibitionis: sic, v. gr., lusus alearum interdicitur clericis (cfr. n. 2231).

1168. — II. Ad validitatem ludi, requiruntur diversae conditiones. His deficientibus, justitia laeditur. Et quidem:

1° Quae ludo exponuntur, sint *propria ludentium,* et in eorum dominio, atque libera disponendi facultate.

Hinc: a) Si quis ludit (etsi ludo licito) cum *minore, uxore,* aut aliis, qui non habent liberam bonorum administrationem, non potest lucrum retinere, nisi agatur de summis modicis, quae censeantur eorum dispositioni omnino permissae. — *b*) Si quis ludit cum *pecunia aliena,* probabiliter debet restituere lucrum. Contractus enim fuit ab initio nullus, ex eo quod exposita fuit pecunia quam neuter ludentium acquirere potuit (III, 875; *Lugo,* disp. 31, n. 17). Excipe, si exposita fuerit pecunia *depositi,* de consensu saltem praesumpto deponentis. — Attamen, etiam probabilis est contraria sententia, quae hujusmodi lucrum, utpote *fructum industriae suae,* victori attribuit, dummodo, casu quo vincatur, ex bonis propriis reddere possit.

2° Ludentes *libere* in ludum consentiant.

Unde si quis ex ludentibus non sit sui compos, ita ut plenum consensum praestare nequeat, contractus non est ratus et restituendum est lucrum. — Attamen, si quis *cogat injuriose* alterum ad ludendum, per se validus fit contractus, sed *rescindibilis* ad arbitrium illius qui metum passus est (III, 880).

3° Ludentes *fraudibus injustis* non utantur.

Lusor ergo, qui signat aut mutat chartas, vel aliquem constituit a quo admoneatur, tenetur lucrum restituere, et etiam quantum alteri valebat spes lucrandi. — Licite autem quisque utitur *astutiis, quas regulae lusus et consuetudo ferunt,* v. gr. aspicit chartas, quas alter non bene abscondit, aut distinguit chartas ex aliquo casuali signo, aut simulat metum, ut alter audacior fiat, etc.

4° Inter colludentes sit *moralis aequalitas* quoad spem lucrandi et quoad periculum perdendi; secus laederetur justitia (III, 882; H. Ap., X, 216). — Haec aequalitas practice maxime tunc laederetur, si quis *dolose* suam peritiam occultaret (III, 881).

Nota. a) Cum liceat, occasione negotii profani, spiritualia permutare, licet ponere preces pro ludi pretio, ut probat piorum usus. — Secus, si unus lu-

[1] *S. Franciscus Salesius* (Philoth., P. 3, c. 29) hoc *injustum* reputat, sed videtur potius esse per se peccatum *prodigalitatis* (*Génicot,* I, 661).

Digitized by Google

deret pecunia, alter vero precibus; id enim esset simonia. — *b*) Restitutio injusti lucri non est urgenda, si condonatio ex parte victi supponi possit: quod facile supponitur, si de re minoris momenti agatur.

QUAERITUR. *Quid ex* JURE POSITIVO *sit observandum quoad ludum?*

Resp. Variae sunt Juris dispositiones: 1° Alii ludi positive *probantur*, v. gr. qui ad corporis exercitationem ordinantur; quoad eos lex victori concedit actionem, ut lucrum petere possit. Judices tamen possunt recusare actionem, si de praemio nimii valoris agatur.

2° Alii nec *probantur* nec *prohibentur*, et lex nullam concedit actionem, sive victori ad lucrum petendum, sive victo ad repetendum quod jam solvit; nisi fraus vel dolus ex parte victoris intercesserit. Standum igitur obligationi naturali.

3° Alii *prohibentur*, quin tamen ipso facto irritentur: lex *victori* nullam actionem concedit; e contra concedit *victo* actionem ad repetendum praemium jam solutum. Ex communi et probabiliori sententia, victus, in tali ludo, non tenetur solvere: si autem solverit, potest tuta conscientia solutum repetere. — Si ludentes, a principio, legis beneficio renuntiaverint, non valet renuntiatio, quam lex ob bonum commune invalidam declarat; si tamen cessio (quae per se est de re licita) *juramento* firmata fuerit, ab ipsa recedere nefas esset, ob religionis reverentiam (Lugo et Lessius, ap. *S. Alphonsum*, l. c.).

4° Alii *prohibentur* et omnino *irritantur*, ita ut lucrum titulo victoriae retineri nequeat, sed tantum titulo donationis gratuitae, si eam facere victo placuerit (III, 887-894; vide Cod., l. c.).

Nota. Ludus, si ipsi immoderate indulgeatur, multa ac gravia importat mala. Quapropter, *parochi* et *confessarii* eo incumbant, ut subditos et poenitentes a ludendi consuetudine, quoad ejus fieri potest, avertant (cfr. n. 410, 7°). Cfr. quae sapienter monet *Koch*, Moraltheol., § 149.

SCHOLIUM.

De ludis seu speculationibus Bursae.

1169. — Nolumus profecto, vel brevi enumeratione, perstringere varios modos quibus sic dictae operationes Bursae fieri solent. Satis erit si sequentia annotaverimus.

1° Communiores sunt operationes vel *ad terminum*, vel *ad praemium*.

a) Ad *terminum* fit emptio-venditio, si emuntur merces (valores) post certum tempus persolvendae, et quidem pretio quod tunc in Bursa vigebit. Fieri autem potest, ut venditor die solutionis (liquidationis) emptori non ipsas merces tradere debeat, vel intendat, sed tantummodo, si ipsi mutatio sortis adversatur, *differentiam* solvere; differentiam, dicimus, inter mercium valorem praevisum et valorem realem actualem. — Idem potest emptori accidere. — In hoc ergo consistit amborum speculatio, quod, bonae fortunae confidentes, vel pluris vendere, vel parvo pretio emere posse sperent. — *b*) *Ad praemium* fit emptio-venditio, si contractui adnectitur pactum accessorium *reservationis*. Emptor nempe jus sibi reservat, ante diem statutum pro solutione, contractum rescindendi: quo casu, venditori *praemium* solvit.

Ex his videtur, operationes Bursae reduci posse, sive ad emptionem-venditionem, sive ad sponsionem de pecuniae augmento vel decremento.

Digitized by Google

2° Si operationum istarum *intrinseca moralitas* consideretur, dummodo rite serventur debitae ad liceitatem venditionis vel sponsionis conditiones, *theoretice* loquendo, damnandae non sunt.

Verum, *practice,* secus dicendum est, si mala innumera, quae secum ordinarie fert consuetudo ludis Bursae vacandi attendantur: *a*) cum non raro de ingenti pecunia agatur, periculum subit totam familiam in ruinam adducendi; — *b*) ut variorum titulorum valor crescat aut minuatur, falsa passim evulgantur nuntia, v. gr. de belli periculo, de penuria cujusdam mercis, etc.; hoc autem mendacio decepti, plures ad contractus perniciosissimos inducuntur; — *c*) accidit ut magno numero coacerventur valores, ut cujusdam monopolii ope justum pretium sive deprimatur, sive plus aequo augeatur et ita depereat aliorum fortuna.

Quapropter exoptandum sane est ut ab illis, penes quos est legifera potestas, hoc ulcus societatis domesticae et civilis recidatur.

In ITALIA [1] et GERMANIA [2], ludi Bursae stricte dicti (*Differenzgeschäft*), aliis ludis assimilandi sunt, in quibus nempe non datur actio victori; in GALLIA [3] et HISPANIA [4], ista non denegatur. Quoad Austriam, cfr. leges 1 Apr. 1875 et 4 Jan. 1903.

Nota. Clericis, qui sacris sunt initiati, negotiatio proprie dicta (cfr. n. 2227), unde et speculatio Bursae, prorsus interdicitur. — Notandum tamen, operationes *ad terminum* non semper posse speculationi aequiparari, ut nobis affirmarunt periti (contra *Tanquerey,* III, Suppl. pro Gallia, XXVII, n. 5).

CAPUT V.

De contractibus subsidiariis.

S. Alphonsus, III, 912; ed. G., II, p. 317, ubi simpliciter refert quae scripsit Busenbaum; *Lehmkuhl,* I, 1351; *Pruner,* n. 750.

SUBSIDIARII, sive *accessorii,* dicuntur illi contractus, qui adhibentur ad majorem factae promissionis securitatem. — Sunt *fidejussio, pignus, antichresis* et *hypotheca.*

1. *De fidejussione.*

1170. — DEFINITIO. Fidejussio seu cautio (*cautionnement*) est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non solverit [5].

Pro fidejussione licet semper accipere pretium, licet absit periculum; quia assumptio talis obligationis de se est pretio aestimabilis. — Obligatio autem, quae ex fidejussione oritur, est *realis;* unde transit ad haeredes (H. Ap., X, 232).

PRINCIPIA. I. **Nemo fidejussor esse potest, nisi liberam bonorum ad hoc sufficientium administrationem habeat.** Unde qui principaliter obligari non possunt, fidejubere non valent (cfr. 1038).

[1] Cod., 1803; cfr. *Bruno,* Cod. civ., in art. 1802. — [2] Cod., 764; cfr. *Pelt,* Le Code civil allemand, p. 74. Vide legem 22 Jun. 1896. — [3] Lex 28 Mart. 1885. — [4] Cod. comm., 75. — [5] Cfr. Cod. gall., 2011 seqq.; ital., 1898; austr., 1344 seqq.; hisp., 1822; germ., 765 seqq.

Digitized by Google

II. **Fidejussor obligatur, ut debitor secundarius.** Unde: 1° tenetur erga creditores de obligationibus principalis debitoris, sed solummodo in illius defectu seu impotentia, et quidem *juridice* probata; — 2° si solverit pro debitore, omnibus creditoris juribus subrogatur; et proinde in hunc debitorem recursum habet, ut ab eo repetat ea, quae ejus loco solvere coactus fuit.

III. **Debitor tenetur erga fidejussorem de solutione ab eo facta.** Et quidem, si *sua culpa* non solvit, tenetur fidejussori, qui pro ipso solvit, non tantum ipsum debitum, sed et damna atque omnes expensas compensare. — Si vero *sine culpa,* v. gr. ob impotentiam, non solvit, ad solum debitum teneri videtur (III, 912).

1171. — *Ex his resolves: a*) Qui fidejussores se constituunt cum solvendi sunt incapaces, praesertim si dubitent an principalis debitor solvere possit, graviter peccant: ac proinde, si creditor ex ista fraude damnum aliquod patiatur, tenentur illud reparare.

b) Qui se fidejussores constituerunt officialibus publicis, nequeunt se compensatione, ex aerario publico, immunes praestare, etsi officialium fraude magnum subeant damnum.

2. *De pignore et antichresi.*

1172. — **Pignus** est contractus, quo debitor rem aliquam *mobilem* creditori *tradit,* in assecurationem solutionis praestandae [1]. — Res tradita *pignus* (*gage*) vocatur.

1° DEBITOR, tradens pignus, tenetur: *a*) tradere creditori rem idoneam; — *b*) refundere impensas necessarias et utiles, quas creditor in re conservanda fecerit; — *c*) non repetere pignus, priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur.

2° CREDITOR, pignus accipiens, debet: *a*) non uti re sibi credita, nisi de consensu saltem praesumpto debitoris; quia est res aliena ad *securitatem tantum* tradita. Praesumitur autem dominus consentire, si nullum sibi inde damnum enascatur; — *b*) pignus custodire uti bonus paterfamilias; — *c*) fructus ex pignore perceptos, et valorem usus, in compensationem computare tum redituum, qui sibi debentur ob summam tributam, tum ipsius sortis, si fructus sint sufficientes, ut ita aequalitas servetur; — *d*) non vendere pignus propria auctoritate, nec postulare ut vendatur ex sententia judicis, nisi debitor sit in mora culpabili, et prius monitus fuerit.

Nota. Ex JURE CANONICO, res sacrae, ut calices, planetae, etc., non possunt oppignerari, nisi ad subveniendum pauperibus vel ecclesiis (H. Ap., X, 233).

[1] H. Ap., X, 233; cfr. Cod. gall., 2073 seqq.; ital., 1878 seqq.; austr., 1368 et 447; hisp., 1857, 1863 seqq.; germ., 1204 seqq.

Digitized by Google

1173. — **Antichresis** est contractus, quo debitor ***immobile*** tradit creditori in pignus et in usumfructum, ea lege ut fructus computentur in primis pro solutione redituum, et dein, si quid supersit, pro solutione sortis [1].

Pactum *antichreseos* non ubique locorum permittitur, ob usurae periculum [2]. Est tamen licitum, si aequitas in eo servetur. — Jamvero: *a*) Creditori solum *jus* competit percipiendi fructus, nullum vero in ipsam proprietatem, uti in hypotheca. — *b*) Ipse autem *tenetur* bonum illud diligenter custodire tanquam suum; solvere tributa annua eidem inhaerentia, nisi aliter conventum fuerit; facere alias utiles et necessarias expensas, sed cum jure compensationis ex rei fructibus. *S. Alph.*, III, 916.

3. De hypotheca.

1174. — Hypotheca, quatenus contractus, est conventio, qua debitor rem immobilem creditori *obligat,* ad securitatem crediti [3].

Hypotheca confert creditori *jus reale* in rem, in quascumque manus haec res devenerit, ita ut ex illa, prae ceteris creditoribus chirographariis, debiti solutionem sibi petere possit (H. Ap., X, 233).

1° Hypotheca est contractus SOLLEMNIS, varias servari expostulans juris dispositiones. — Illum inire *non potest,* qui de rebus suis libere disponere non valet.

Praeter hypothecam *conventionalem,* altera datur *legalis,* quae ab ipsa lege conceditur, v. gr. pupillis in bona tutoris; et altera *judicialis,* quae procedit a tribunalis sententia, in gratiam illius, qui sententiam obtinuit (cfr. 1003).

2° Ut hypotheca *effectum suum* sortiatur: *a*) debet constitui super re determinata immobili; — *b*) debet fieri publica; quod evenit per inscriptionem in librum publicum, ab officiali ad hoc destinato. — Hypotheca statim ab inscriptione jus suum obtinet, ita ut prius inscriptus potior sit jure. Hinc curandum est, ut hypotheca judicialis quamprimum inscribatur.

Nota. Inscriptio renovanda est infra quemdam terminum a lege statutum, v. gr. in GALLIA infra 10 annos, in BELGIO (ex lege 1851) infra 15 annos, in ITALIA infra 30 annos, in HISPANIA (ex lege hypoth., 4 Febr. 1861) infra 20 annos. In GERMANIA inscriptio renovari non debet.

MONITUM GENERALE.

« Reliquum est, ait *S. Alphonsus* (Praxis Conf., n. 44, fin.), ut hic advertatur, quod si reperiantur aliqui contractus usu per longum tempus recepti in aliqua regione (ubi praecipue missiones factae sunt), confessarius non debet eos condemnare, nisi prius, omnibus inspectis circumstantiis; siquidem primo aspectu multi contractus apparent usurarii aut injusti, sed postea, melius rebus perpensis, tales non sunt habendi ».

[1] Cod. gall., 2085; ital., 1891; hisp., 1881; germ., 1213. — [2] Cfr. Cod. austr., 1371. — [3] Cod. gall., 2144 seqq.; ital., 1964 seqq.; austr., 449 seqq.; hisp., 1874-1880; germ., 1113 seqq. In Anglia Jus differt: vide *Crolly,* II, n. 639-644.

Digitized by Google

TRACTATUS VIII.

De octavo Decalogi praecepto

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

(*Exod.*, 20, 16).

1175. — OCTAVUM praeceptum prohibet generatim, ne proximo noceamus verbis; et quoniam nocumentum, quod verbis infertur, eum laedit in bonis famae atque honoris, hoc praeceptum prohibet *explicite*, ne unquam falsum testimonium contra eum dicamus; jubet autem *implicite*, ut « simulatione fallaciisque sublatis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur » (Catech. Rom., P. III, c. 9, n. 2). Versatur igitur praedictum praeceptum circa officia, quae habemus erga proximum, tum quoad veritatem, tum quoad famam et honorem.—Quare, in triplici capite, tractabimus: 1° de laesione veritatis; — 2° de laesione famae; — 3° de laesione honoris.

CAPUT I.

De laesione veritatis.

S. Thomas, 2. 2, q. 110 et 111; *S. Alphonsus*, III, 151; ed. G., I, p. 467; *Lugo*, disp. 14 et 15; *Lessius*, l. 2, c. 11 et 15; *Salmanticenses*, tr. 13, c. 4, et tr. 27; *J. Malderus*, Tr. de Restr. mentali; *Thomassin*, Traité de la Vérité et du Mensonge; *Raynauldus*, de Aequivocatione et Restrictione ment. (opp., t. 14); *Waffelaert*, Dissertation morale sur le Mensonge et l'emploi des Restrictions mentales; *Berardi*, Theol. mor., II, n. 961.

1176. — Laedere mendacio veritatem semper nefas est. Ipsa tamen non inopportune manifestanda est, ne nobismetipsis aliisve noceamus. Suadente igitur discretione, errorem proximi aliquando permittere possumus, utendo restrictione mentali. Quin etiam, veritas saepe omnino tacenda est, quoties nempe sub lege secreti nobis innotuit.— Hinc dicemus: 1° de mendacio; — 2° de restrictione mentali; — 3° de violatione secreti.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De mendacio.

1177. — DEFINITIO. Mendacium est locutio contra mentem cum intentione fallendi.

Locutio hic vocatur, quidquid per se habet vim manifestandi id quod falsum est, sive fiat formaliter per verba, sive aequivalenter per gestus, nutus, facta. — Locutio fit *contra mentem,* quando verbum externum dissonat vel discrepat a verbo interno seu judicio. — *Intentio fallendi* importat voluntatem ita falsum enuntiandi, ut ab audiente prudenter credatur. Unde, si absit intentio fallendi seu falsum dicendi, vel nullum est mendacium, vel non est imputabile. Sic non mentitur, qui, jocando, falsum ita eloquitur, ut auditores decipi non possint; neque ille, qui affirmat falsum, quod credit verum. Contra, mentitur qui verum dicit, quod falsum esse opinatur.

Nota. Aliqui hodie opinantur ac probare intendunt mancam esse definitionem mendacii ab omnibus hucusque traditam, mendaciumque esse definiendum: locutionem contra mentem cum intentione fallendi *eum qui jus habet cognoscendi veritatem* [1]. Nemo est qui non videt hos AA. distare a sententia communi, quae considerat relationem mendacii esse essentialiter *ad verum* seu ad alterius intellectum illuminandum, non vero *ad jura* subjecti. Cfr. *Ami du Cl.*, 1912, p. 358. — Fatendum tamen est cum S. Augustino esse hanc « difficillimam ac latebrosissimam quaestionem » (Enchir., c. 18).

DIVISIO. Mendacium est *triplex:* officiosum, jocosum, perniciosum. — OFFICIOSUM est, quod fit ob utilitatem propriam vel alienam. — JOCOSUM, quod fit propriae vel alienae oblectationis causa. — PERNICIOSUM, quod fit cum injusto proximi nocumento.

Ad mendacium refertur: SIMULATIO, « qua quis intendit per factum externum aliud significare quam in animo habet »: unde vocatur *mendacium facti;* item HYPOCRISIS, quae est fictio peccatoris se justum simulantis (III, 171).

1178. — PRINCIPIA. I. **Omne mendacium est intrinsece malum.** Est enim contra naturalem institutionem et finem locutionis, quae a Deo data est hominibus, ut sit expressiva mentis, eique conformis. Unde dicitur (*Levit.*, 19, 11): *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.* Et (*Coloss.*, 3, 9): *Nolite mentiri invicem.*

II. **Mendacium, sive officiosum, sive jocosum, non excedit tamen culpam venialem.** Repugnat tantum *veracitati,* quae virtus, per se, non obligat sub gravi (cfr. n. 402).

III. **Mendacium perniciosum est, per se, peccatum grave.** Adversatur non solum veracitati, sed etiam justitiae et caritati, vel

[1] Etude sur la malice intrins. du Mens., par un *prof. de Théologie* (Paris, 1899); cfr. *Berardi,* Theol. mor. (1905), II, n. 976.

Digitized by Google

etiam aliis virtutibus, quae per se obligant sub gravi (2. 2, q. 110, a. 4). Unde dicitur (*Prov.*, 12, 22): *Abominatio est Domino labia mendacia.* Et (*Sap.*, 1, 11): *Os, quod mentitur, occidit animam.* — Et notandum, teneri ad *restitutionem,* qui per mendacium justitiam laesit.

ARTICULUS II.

De restrictione mentali.

1179. — DEFINITIO. Restrictio mentalis est actus mentis verba alicujus propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis vel restringentis.

DIVISIO. Restrictio mentalis alia est *pure mentalis,* quae nullo modo ab aliis percipi potest; alia est *non pure mentalis,* quae ex adjunctis circumstantiis innotescere potest (III, 152).

Ad restrictionem mentalem revocantur AEQUIVOCATIONES seu *amphibologiae,* que sunt locutiones ambiguae, habentes duplicem sensum: aut unum minus obvium, alterum magis communem; aut unum litteralem, alterum spiritualem seu mysticum. — Aliae sunt *determinabiles,* quarum sensus a proferente intentus ex circumstantiis cognosci potest: aliae *indeterminabiles,* quarum sensus a proferente intentus nullatenus potest deprehendi (III, 151; H. Ap., V). Cfr. *Berardi,* II, n. 973.

Huc item revocatur DISSIMULATIO, qua quis nec verbo nec facto significat id, quod in mente habet, sed ab eo quasi abscindit vel abstrahit: ut si quis interrogatus an pecuniam habeat, alia de re loqui incipiat.

1180. — PRINCIPIA. I. **Numquam licet uti restrictione pure mentali vel aequivocatione indeterminabili.** Ratio est: 1° quia *per se* tendunt ad proximi deceptionem, ideoque sunt vera mendacia; — 2° earum usus foret humanae societati perniciosus, et ex eo humanum commercium corrueret; — 3° constat ex S. Scriptura (*Eccli.*, 37, 23): *Qui sophistice loquitur, odibilis est;* et ex propositionibus 26ª, 27ª et 28ª ab Innocentio XI damnatis. — Hinc, a fortiori, non licet unquam cum iisdem jurare (cfr. n. 608, q. 2).

1181. — II. **Licet, ex justa causa, uti restrictione non pure mentali vel aequivocatione determinabili.** Probatur: 1° Ex rei natura: etenim hujusmodi restrictione uti non est mentiri, quia tunc non decipimus proximum, sed ex justa causa permittimus ut ipse se decipiat; et insuper sensus loquentis ex adjunctis satis percipi potest; unde prudens tantum est veritatis occultatio. — 2° Ex exemplo Christi Domini, qui interrogatus, an ascenderet ad diem festum, respondit: *Non ascendam* (*Joann.*, 7, 8), et tamen postea ascendit. Dixerat autem: « Non ascendam » scilicet manifeste, quia discipuli volebant, ut ascenderet ad manifestandam suam divinitatem.

Digitized by Google

Ad rem sic Angelicus (2. 2, q. 110, a. 3, ad 4): « Non est licitum, mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo liberet; licet tamen veritatem occultare prudenter, sub aliqua dissimulatione ». Atque hoc idem, quasi unanimiter, docent omnes theologi, teste *S. Alphonso* (III, 152). Cfr. *Panzuti*, II, n. 134; *Junglas*, Der rechtsgeschichtliche Hintergrund für Liguori's Lehre vom Gerichtseid.

1182. — Corollaria. 1° *Causa justa*, ut licite restrictione uti possimus, est, in genere, *necessitas servandi secreti:* hoc enim ad bonum societatis requiritur; et interdum alio medio secretum servari nequit.

Ad permittendum tamen usum restrictionum non pure mentalium, sufficit quandoque *rationabilis causa*, puta ad se liberandum ab importuna et injusta interrogatione alterius, et quivis alius finis honestus. — Sed notandum est: *a*) Causam eo majorem requiri, quo magis verba praebent occasionem errandi. Unde, si fere nullam praebent, ut sunt verba per se aequivoca, quae duplicem sensum per se habent, levissima causa excusat. — *b*) Majorem requiri ad aequivocandum cum juramento, quam sine illo (III, l. c.).

2° *Non datur autem causa justa*, quando LEX SPECIALIS *exigit veritatis manifestationem*. Tunc non licet aequivocatione uti, sed veritas sincere est patefacienda. Ratio patet per se. — Talis autem lex adest in sequentibus casibus: *a*) Quando urget praeceptum fidei externe profitendae. — *b*) Quando judex legitime interrogat; quia tunc justum obligat Superioris praeceptum, cui est obtemperandum. — *c*) Idem obtinet, quando Superior legitime interrogat de illis, quae ad regimen subditorum spectant; aut confessarius de illis, quae scire debet ad poenitentem rite dijudicandum. — *d*) Denique in contractibus onerosis, ubi stricta justitia exigit, ut alteri nulla irrogetur injuria (H. Ap., V, 15).

1183. — *Pro praxi, concludes:* 1° Possunt uti restrictione mentali omnes personae publicae, interrogatae de rebus suae fidei commissis: ut sunt ministri et legati principum, secretarii, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, etc. Si enim secreta hujusmodi personis commissa violarentur, gravissima sequerentur incommoda, ut neminem latet.

2° Quoties aliquis infamiam alterius occultare tenetur, licite dicit: *Nescio*, nempe scientia communicabili. A fortiori, confessarius id potest, imo ad hoc tenetur, ut palam est (III, 153).

3° Reus aut testis, a judice non legitime interrogatus, potest respondere, se non patrasse aut non cognoscere crimen, subintelligendo, de quo possit inquiri, seu quod fateri teneatur. — Secus, si interrogatio sit legitima et juridica, ut in tractatu *de Statu laicali* explicabitur (cfr. n. 2315).

4° Adultera a marito interrogata potest aequivoce asserere, se non fregisse matrimonium, quod vere persistit. Et si adulterium sacramentaliter confessa sit, potest respondere: « Innocens sum ab hoc crimine »; quia per confessionem jam est ablatum (III, 162).

5° Qui matrimonium promisit, ad quod ex aliqua causa excusante non tenetur, potest negare promissionem, ex qua scilicet obligetur. Item, qui coactus fuit ad matrimonium, potest judici asserere, etiam cum juramento, se *non contraxisse*, scilicet libere, ut par erat (III, 159).

Digitized by Google

6° Requisitus ad mutuandum pecuniam potest licite dicere: *Utinam habeam!* vel: *Non habeo,* quamvis habeat, intelligendo, se non habere ad mutuandum, si res ita sit (III, 163).

7° Qui debet bonis cedere, indigens bonis absconditis ad sustentationem, potest judici respondere, *se nihil habere,* quod nempe teneatur cedere. — Pariter haeres, qui sine inventario occultavit bona, si non teneatur ex illis satisfacere creditoribus, potest judici respondere, se nihil occultasse, subintelligens: de bonis, ex quibus satisfacere teneatur (III, 158).

8° Potest famulus, jussu domini, negare ipsum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio generatim usu recepta est ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri possit. — Item potest respondere: *Egressus est,* intelligens: tempore praeterito. Attende, in his, ad locorum consuetudinem.

9° Venditor coram notario asserere potest, se accepisse pecuniam, quam nondum recepit, sed quam brevi recepturus est. Id enim concedit usus communis (III, 167).

10° Debitor, qui creditori satisfecit, quin tamen satisfactionem legaliter probare possit, potest negare se aliquod debitum contraxisse, subintelligens: ita ut debeam solvere (III, 159).

11° Veniens de loco qui falso putatur morbo infectus, potest negare se ex illo venire, scilicet ut pestilentia infecto; quia haec est mens custodum. Item, qui non tenetur ad gabellas, potest dicere se nihil ferre, id est ex quo solvere teneatur.

12° Invitatus ad mensam, et rogatus an cibus sit bonus, potest respondere esse bonum, licet revera sit insipidus, intelligens, *ad mortificationem et poenitentiam,* etc., etc. (III, 160).

ARTICULUS III.

De violatione secreti.

1184. — DEFINITIO. Secretum seu arcanum in genere dicitur quidquid occultum est. — Hic autem intelligitur quidquid, vel ex natura sua, vel ex speciali contractu, occultum servari debet.

DIVISIO. Praeter *secretum sacramentale,* de quo postea tractabimus, triplex distinguitur secretum: 1° NATURALE seu *simplex,* quod oritur ex ipsa natura rerum, ex eo scilicet, quod res casu cognita non possit, absque damno vel displicentia proximi, manifestari; — 2° PROMISSUM, quod quis nempe servare promisit, post acceptam rei notitiam; — 3° COMMISSUM seu *rigorosum,* ea scilicet complectens, quae alicui non revelata sunt, nisi *sub pacto expresso, vel tacito,* silentii servandi.

Pactum tacitum adesse censetur, quando ex ipso facto constat rem sub secreto committi, v. gr. si ad medicum vel ad advocatum pro remedio vel consilio recurritur. — Ad secretum commissum reducitur illud quod sacerdoti extra confessionem revelatur *sub secreto quasi-sacramentali.*

Dicendum venit: 1° de revelatione; — 2° de inquisitione et de usu secreti alieni. Quisquis enim jus habet, ne secretum suum exploretur, manifestetur, denique, ne de eo illegitimus fiat usus.

Digitized by Google

§ 1. *De revelatione secreti.*

Facile intelligitur, secretum alienum revelari non posse absque proportionata causa; peccatumque revelantis esse plus minusve grave, juxta naturam secreti, vel illati damni gravitatem.

1185. — PRINCIPIA. I. **Obligatio servandi secretum naturale est in genere sub gravi.** Res per se patet, cum haec obligatio oriatur vel ex caritate vel ex justitia.

Unde, ad reparationem damni tenetur, qui scienter et injuste secretum manifestat. — *Justa* autem *causa* illud revelandi esset necessitas vitandi damnum, sibi aut proximo imminens, quod ex lege caritatis subire non tenetur (IV, 49). — Vide dicenda n. 1198.

1186. — II. **Obligatio servandi secretum promissum diversa est pro diversitate intentionis promittentium.** Erit ergo vel gravis vel levis, juxta intentionem promittentis, qui non censetur gravem obligationem contraxisse, nisi de hoc constet. Ratio, quia mera promissio secreti est contractus gratuitus, qui proinde regulis hujusmodi contractus subjicitur (cfr. n. 1062).

Quapropter: a) Simplex promissio silentii non obligat, per se, cum gravi damno promittentis. — *b*) Item, promissio silentii, etiam *jurata,* non obligat contra bonum commune et justitiam; ubi scilicet silentium cederet in grave detrimentum communitatis, in damnationem innocentis, in grave peccatum promissarii (v. gr. si celaretur impedimentum dirimens matrimonii a promissario contrahendi); ubi demum promittens legitime interrogatur in judicio sub fide juramenti. — *c*) Qui serio promisit silentium etiam *cum dispendio vitae,* illudque servare potest, illaeso bono communi, valde probabiliter tenetur stare promisso. Opposita tamen sententia est etiam satis probabilis, quia prodigere vitam nemini licet (III, 971; H. Ap., V, 18).

1187. — III. **Obligatio secreti commissi est ex genere suo gravis.** Ita praesertim, si secretum fuit commissum *ex necessitate vel utilitate,* ut fit cum medicis, notariis, advocatis, vel theologis consultis. — Tale enim secretum habet naturam contractus onerosi, et totius societatis interest, ut inviolabiliter custodiatur.

Hinc, ratione muneris et boni publici, homines hujusmodi saepe tenentur ad silentium etiam cum periculo gravis damni proprii. Nec solvuntur a silentio per auctoritatem judicis legitime interrogantis, nisi res jam sit alio modo cognita, vel nisi adsit aliunde justa causa revelandi: judex enim non potest Jus naturae abrogare (III, 970, 2°).

QUAERITUR. *Quandonam* CESSET *obligatio secreti servandi?*

Resp. 1° Cessat obligatio secreti, etiam commissi, ubi revelatio necessaria est *ad bonum commune, ad salutem innocentis, ad bonum ipsius committentis.*

Digitized by Google

Hinc, licite medicus admonet aliquam sponsam de morbo contagioso sponsi, si ille, admonitus, nollet a matrimonio desistere. — Licite taces de vero fautore alicujus criminis, quamvis alter accusaretur, nisi reus injuste nitatur accusare innocentem.

2° Cessat quoque ordinarie obligatio secreti, etiam commissi, *si agitur de damno gravi proprio* vitando. Ratio est, quia praevalet jus tuum, et caritas non obligat cum tanto incommodo (vide n. 1182).

Licite ergo revelas auctorem homicidii, si tu suspectus fueris, modo aliud medium non adsit ad te liberandum.

In his omnibus tamen, ratio est habenda *boni communis,* quod in aliquibus casibus bono proprio et bono committentis praevalere debet. Sic, v. gr., advocatus, cognoscens labilem esse fortunam sui clientis, nequit admonere proprium suum fratrem, clientis creditorem. — Medicus, advocatus, quibus ad consilium capiendum revelantur matrimonii impedimenta, nequit ea parocho revelare, ut dicemus n. 2065. — Officialis, cui committuntur secreta Status, ne mortis quidem timore ab obligatione secreti liberatur.

3° Revelatio secreti pariter excusatur a peccato, saltem gravi, ubi rationabiliter praesumitur *consensus committentis;* ubi secretum est (vel certo creditur esse) levis momenti; ubi demum notabiliter vulgatum est. — Nec grave est, probabiliter, si revelatio fiat uni personae probae; modo haec vere secretum servet, et modo non sit talis, cui committens specialiter voluerit rem celari (III, 971).

§ 2. De inquisitione et usu secreti alieni.

1188. — Principia. I. **Qui inquirit injuste secreta aliena, vel ea extorquet, peccat contra justitiam, et non potest uti secreto sic acquisito.** Ratio *primi* est, quia injuriam facit ei qui jus ad secretum possidet. — Ratio *secundi* est, quia nemo licite potest actionem injustam continuare et perficere. Unde, ne ad proprium damnum quidem vitandum uti potes secreto injuste acquisito (III, 969; V, 70, 5°).

1° *Gravius peccat* qui secreta extorquet, animo iis utendi ad damnum proximi. — *Venialiter tantum peccat,* qui in explorandis secretis ducitur curiositate.

2° Gravitas peccati dijudicanda est secundum objectum secreti, i. e. secundum *utilitatem* quam habent secreta pro possessore, quatenus eorum privatio ipsi nocumentum affert, sive in bonis fortunae, sive in sua fama. — Attamen, peccati gravitas nequit, pro quacumque inquisitione, ex hac regula statui. Aliquando enim assimilari potest haec inquisitio revelationi, quae fit uni viro discreto et taciturno (cfr. n. 1200, Quaer. 4).

Ex his concludes: a) Peccat, qui sine causa (vel sine venia domini saltem praesumpta) aperit et *legit litteras* (vel alias scripturas privatas) quas dominus abscondit, aut casu perdidit, aut ita laceravit ut voluntas innotesceret argumentum earum occultandi.

Digitized by Google

b) *Officiales postarum* de se semper graviter peccant, aperiendo et legendo litteras. Bonum commune, quod ex contractu servare promiserunt, et lex civilis strictissima ipsis hoc onus grave imponunt. Cfr. *Linz. Quart. Schr.*, 1903, p. 42.

c) Peccant graviter, qui deliberate audire satagunt accusationem peccatorum in confessionali peractam (*Ami du Cl.*, 1905, p. 971 ; *Linz. Quart. Schr.*, 1906, p. 353, 829). — Attamen, si cognitione sic acquisita utuntur, ut, v. gr., furem securius coram judice accusent, non evadunt eo ipso *causa efficax* damni quod ex sententia judicis fur patitur. *Linz. Quart. Schr.*, l. c.

1189. — II. Licet cum justa causa vel venia domini, saltem praesumpta, inquirere secreta aliena, et iis sic acquisitis uti. Ratio est, quia non datur injuria, ubi dominus consentit vel rationabiliter consentire debet. Tunc autem consentire debet, quando, ex parte inquirentis, adest jus certum et fortius: causa nempe justa. — Patet denique quod usus rei juste acquisitae nequit constituere injuriam.

Justa autem causa est necessitas avertendi *damnum grave communitati, vel tibi vel tuis* impendens.

Hinc, alienas litteras licite aperire et legere possunt: 1° Ministri publici, quoties id exigit bonum publicum, v. gr. tempore belli. — 2° Superior communitatis, ex legitima consuetudine, vel ex probabili mali suspicione, vel etiam *vi regulae ;* exceptis tamen litteris, quae ad Superiores altioris ordinis mittuntur, vel ab eis accipiuntur. — 3° Omnes, quantum necesse est ad se vel suos tuendum ab injusta vexatione scribentis. — Dicimus: *ab injusta vexatione scribentis ;* nam, ut advertit *S. Alphonsus*, « non licet tibi alterius litteras aperire, ad bonum tuum procurandum, vel ad malum aliquod vitandum, quia hoc esset contra commune bonum humani commercii ; tantum enim permittunt auctores ad se tuendum ab injusta vexatione inimici » (III, 969 ; V, 70). — 4° Omnes quibus cura subditi minorennis committitur, v. gr. parentes, tutores, Superiores alumnatus. Excipe, quoad res ad intima conscientiae pertinentes.

Illicite vero litteras ad uxorem missas legunt mariti. Idem dic de heris quoad litteras quae ad eorum servos mittuntur.— Excipe semper, si vere quid mali suspicentur.

Nota. a) Amici amicorum, sorores sororum litteras legendo saepe non peccant, quia adest ad haec tacitus consensus alterius partis. — *b*) Si juste cujusdam secreti notitiam acceperis, silentium nihilominus servare debes ex caritate, quoties damnum cujuspiam ex revelatione provenire posset. — Imo, revelando hujusmodi secretum, contra justitiam peccabis, si intelligas audientes ea notitia usuros ad damnum injuste inferendum (V, 70, 6°). Cfr. dicta n. 948.

Digitized by Google

CAPUT II.

De laesione famae.

S. Thomas, 2. 2, q. 60, a. 3; q. 73; *S. Alphonsus*, III, 962; ed. G., II, p. 354; *Lugo*, disp. 14, n. 10-134; *Mazzotta*, tr. 4, disp. 2, q. 2; *Soto*, l. 5, q. 10; *Elbel*, IV, n. 343; *Lancicius*, opusc. 19: de vitand. Judic. temer.; *Berardi*, Theol. mor., III, n. 460, Appendix.

1190. — *Praenotanda.* FAMA est opinio seu existimatio publica de alicujus excellentia. Communius definitur: bona multorum existimatio de vita et moribus alicujus.

Jus AD FAMAM potest esse vel absolutum, vel conditionatum seu limitatum. *Absolutum* competit illi, qui nullum vituperatione dignum facinus perpetravit; hic enim possidet plenum suae famae dominium. Jus autem *limitatum* seu solam famae possessionem retinet ille, qui *delicta quidem commisit*, sed solum *occulta*. Jus ipsi attribuendum est non ratione personae, sed ratione societatis, cujus membrum est et membrum utile remanere debet (*Lugo*, disp. 14, n. 97; *Noldin*, II, 643).

1° Jus ad famam possident tum vivi, tum mortui. Quoad *vivos*, patet. Quoad *mortuos*, hoc negari nequit, etenim: *a*) fama, quam inter vivos habebant, perdurat, et ipsi cupiunt ejus durationem numquam cessare; — *b*) haec fama subjecto juridico, quod eam teneat, non caret, quia anima rationalis exsistentiam non amittit. — Mortuis tamen fama minus prodest quam vivis.

2° Jus ad famam *amittitur*, si alicujus delictum fit *notorium*. Crimen nimirum potest esse triplici publicitate NOTORIUM: *a*) publicitate *juris*, si de eo constat, vel per sententiam judicis, vel per ipsam rei confessionem; — *b*) publicitate *facti*, si fuit commissum in publico loco et coram; — *c*) publicitate *famae*, si innotuit tot personis, ut fieri jam nequeat, quin apud omnes divulgetur. — Jamvero, en NORMAM, quam hac super re tradit *S. Alphonsus* (III, 976): « Censent communiter DD. sufficere, si in aliqua COMMUNITATE 8 personarum *quatuor* illud sciant; vel si 100 personarum sciant *quindecim*; vel si 1000 personarum sciant *viginti* circiter, diversarum familiarum plusquam duarum; publicum autem esse in aliqua VICINIA 40 personarum, si sciant *octo* ex diversis familiis: item si in OPPIDO 5000 civium sciant *quadraginta* per illud dispersi. — Addunt DD. crimen dici *famosum*, si illius fama pervagatur per majorem partem oppidi, communitatis, viciniae vel parochiae; item dici *infamatum in regno*, qui jam infamatus est in curia vel in alio illustri loco, ex quo facile in regnum fama dimanet ».

Porro, circa famam proximi datur: 1° Praeceptum NEGATIVUM, famam scilicet non laedendi; laeditur autem interius, saltem quasi inchoative, per *judicium temerarium*, exterius vero et stricte loquendo, per *detractionem*. — 2° Praeceptum AFFIRMATIVUM, famam scilicet alterius impetitam defendendi et ablatam restituendi.

Hinc, quadruplex articulus: 1° de judicio temerario; — 2° de detractione; — 3° de obligatione famam defendendi; — 4° de obligatione famam restituendi.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De judicio temerario.

1191. — DEFINITIO. Judicium temerarium est *firmus assensus,* ex *levibus judiciis* ortus, quo aliquod peccatum, vel defectus proximo affingitur.

Ad judicium temerarium accedunt alii actus interni: 1° SUSPICIO temeraria, quae est assensus minus firmus et cum formidine de opposito; — 2° DUBITATIO, quae est suspensio animi in neutram partem se determinantis. — Hi tamen *gradus* non raro promiscue usurpantur

« Temeritas in judiciis, suspectibus et dubiis locum habet, quando consideramus id quod est contra, et non id quod est pro; et quando indiciis aut rationibus proximo nostro contrariis plus ponderis, quam revera habeant, damus; unde, vel judicamus probabile, quod est duntaxat possibile; vel certum, quod est dubium; vel grave, quod est leve; vel continuum, quod forsan semel fuit commissum; vel denique malitiosum, quod forte inadvertenter aut etiam rationabiliter factum fuit (*Berardi,* Theol. mor., III, n. 499).

1192. — PRINCIPIA. I. **Judicium temerarium, de gravi malo proximi, est peccatum mortale ex genere suo.** Ratio est, quia proximo fit *gravis injuria,* dum sine causa improbus habetur; cum quisque jus habeat ne falsum crimen sibi imputetur (III, 973). Unde dicitur (*Matth.,* 7, 1): *Nolite judicare, ut non judicemini.* Et (1. *Cor.,* 4): *Nolite ante tempus* (i. e. judicii) *judicare.* — « In confessione, tamen, non opus est explicare *speciem* mali judicati, cum omnia (judicia temeraria) uni justitiae commutativae, in specie infima adversentur » (III, 962).

Judicium temerarium est VENIALE: *a*) si quis habeat magnam probabilitatem ad sinistre de proximo judicandum; — *b*) si malum, quod proximo affingitur, non sit graviter injuriosum, v. gr. quod miles blasphemaverit; — *c*) si judicium fiat de aliquo incognito aut indeterminato inter plures, v. gr. si cujusdam coetus membrum est; — *d*) si quis judicet ex subreptione involuntaria, ut saepe accidit, non perfecte advertendo sive ad gravitatem objecti, sive ad insufficientiam rationum ex quibus judicat (III, l. c.).

1193. — II. **Suspicio et dubitatio temeraria per se sunt peccata tantum venialia.** Communiter haec omnia sunt tantum quaedam concitatio ad assensum; manet enim in mente aliquo modo bona existimatio proximi: ergo non fit illi gravis injuria, cum non totaliter deturbetur de possessione bonae famae.

Per accidens tamen peccatum est probabilius grave, « si sine indiciis suspicio fieret de peccatis gravissimis, ut esset de pio religioso suspicari quod sit haereticus, vel quod cum matre incestarit; vel de viro communiter habito ut catholico, quod sit judaeus vel atheus. Ratio, quia forte major injuria iis

Digitized by Google

irrogatur talia suspicando, quam si certum judicium haberetur illorum de delictis gravibus ordinariis ». — Item, suspiciones GRAVEM reatum induunt, si procedunt ex contemptu vel odio graviter peccaminoso, vel si alicui cum gravi damno proximi manifestantur (III, 963, 965). Cfr. dicenda n. 1195.

1194. — III. Qui temere suspexit vel judicavit, tenetur ex justitia reformare suam suspicionem suumque judicium. Patet ex dictis : omnis enim laesio justitiae reparari debet, quantum fieri potest (cfr. n. 726).

Nota. 1° « Si sinistri suspectus consequentias practicas in magnum proximi gravamen habituri sint (v. gr. si ageretur de Superiore, qui, sine tali suspectu, beneficium tali sacerdoti collaturus esset ; aut de hero, qui propter suspectum ejecturus esset famulum e proprio servitio cum maximo ejus damno) ; tunc non sufficit cavere, ne ea indicia, quae sunt *contra,* per imaginationem augeantur ; et ne ea, quae sponte se praesentant *pro,* voluntarie respuantur ; sed oportet insuper ut pro rerum gravitate et possibilitate inquisitiones fiant, ut veritas dignosci possit ».

2° « Suspectus et judicia contra proximum possunt aliquo modo esse peccata, quamvis non sint temeraria ; idque accidit, quando quis de defectibus et vitiis aliorum libenter cogitat (maxime si de illis studiose inquirat) absque ulla ratione et excusabili motivo ; hujusmodi enim cogitationes sunt contra caritatem (*caritas non cogitat malum:* 1. *Cor.,* 13), aversiones gignunt, et ab aliqua passione fomentum habent » (*Berardi,* l. c., n. 500, 503).

Pro praxi monet *S. Alphonsus:* « In hac materia advertat confessarius, multos rudes se accusare, quod temere judicarint. — Oportet efficere ut ipsi sciant : *a*) Cum adsunt sufficientia momenta ita judicandi de aliqua actione, judicium non esse temerarium, sed justum, adeoque non esse culpabile. — *b*) Haec, ut plurimum, non esse judicia, sed suspiciones, quas domini et patresfamilias aliquando tenentur habere, ut aliquod peccatum impediant : v. gr. ne servi furentur, ne filiae peccent cum hominibus versando, et alia id genus. — Tantum advertatur, ne hujusmodi suspiciones aliis communicent sine necessitate » (H. Ap., IX, 2).

ARTICULUS II.

De detractione.

1195. — DEFINITIO. Detractio est alienae famae occulta et injusta denigratio. — Dicitur 1° *Occulta,* irrogata scilicet absenti, saltem ex intentione detrahentis : qua parte distinguitur a CONTUMELIA, quae praesenti aufert honorem. — 2° *Injusta :* si enim esset alienae famae justa denigratio, non foret formalis detractio (*Polman,* 2. 2, n. 489).

DIVISIO. Detractio dicitur : 1° *simpliciter talis,* seu *diffamatio,* quando verum vitium proximi sine justa causa manifestatur ; si fit manifestatio, ad dissolvendam amicitiam, et seminandam inter amicos discordiam, vocatur *susurratio ;* — 2° *calumnia,* seu *infamatio,* quando proximo falsum crimen imponitur.

Digitized by Google

DETRACTIO fieri potest *directe* vel *indirecte,* prout nimirum vel positive intenditur, vel ex actione seu ex aliqua locutione secutura praevidetur. — Committitur autem variis modis, qui his versibus enuntiari solent:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens;
Qui negat aut reticet, minuit, laudatve remisse.

Quatuor primi modi detrahunt directe, alii indirecte. Sunt autem omnes, per se, *ejusdem speciei;* quia omnes respiciunt idem bonum famae. Non raro tamen laeduntur etiam per detractionem sive religio, pietas vel castitas in verbis, sive justitia in bonis fortunae.

CALUMNIA differt specie a simplici detractione; quia detractioni superaddit mendacium, et insuper est contra jus quod quisque habet ne falsum crimen sibi imputetur.

SUSURRATIONI pariter malitia inest specialis. Convenit cum detractione ex parte materiae, sed differt ex parte finis; et ideo est specie diversa et detractione gravior.

1196. — PRINCIPIA. I. **Detractio (sive infamatio, sive diffamatio sit) est peccatum mortale ex genere suo.** Ex natura sua est gravius furto, quod est mortale, cum laedat proximi famam, quae est majus bonum quam opes: juxta illud (*Prov.*, 22, 1): *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae.*

Diximus: 1° *Sive infamatio sit,* quod est intrinsece malum, ideoque semper illicitum, ut constat ex prop. 44ª ab Innocentio XI damnata: « Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat ».

2° *Sive diffamatio,* quae est nempe injusta, quoties proximus bonam suam existimationem, vel totaliter vel partialiter possidet, et silentium rationabiliter exigere potest. Tunc enim habet jus, ut sibi non auferatur bonum utile ad multa, et aliis, ut supponitur, minime nocivum (vide n. 1200, Quaer. 1°).

1197. — II. **Gravitas detractionis potius desumitur ex gravitate laesionis in fama, vel in bonis fortunae.** Ratio patet ex principio inconcusso, quod exprimit *S. Thomas:* « Peccata quae committuntur in proximum sunt pensanda per se secundum *nocumenta,* quae proximo inferuntur: quia ex hoc habent rationem culpae » (2. 2, q. 73, a. 3). Ad gravitatem *defectus revelati* postea tantum est attendendum.

Ad cognoscendum igitur, *utrum detractio sit* GRAVE *an* LEVE *peccatum,* distinguendum est in primis, utrum PUBLICAM infamiam secum afferat, an vero ad PAUCAS PERSONAS restringatur. *Dein gravitas detractionis desumitur:* 1° ex natura defectus qui narratur; — 2° ex qualitate personae detrahentis, an sit gravis, levis, garrula; — 3° ex qualitate personae laesae, an sit bonae vel malae famae, an talis sit conditionis ut defectus revelatus peculiarem afferat infamiam; — 4° ex qualitate audientium, an sint discreti vel garruli, etc. (*Berardi,* l. c., n. 482).

Digitized by Google

Numerus audientium certe facit ad majorem detractionis gravitatem. Probabiliter tamen non multiplicat detractionem, etsi multiplicet peccatum scandali. Vide dicta in tr. *de Peccatis* (n. 332, Quaer. 2°).

1198. — III. Licet quandoque verum alterius crimen manifestare. Jus enim famae in ignorantia veri criminis fundatum elidi potest a jure potiori, cum nempe justa seu proportionata causa revelationem criminis exigit; neque infamatus rationabiliter invitus esse potest (III, 968).

Licet ergo defectum proximi manifestare: 1° *Ob justam causam.* — Causae autem justae sunt sequentes: *a*) *Bonum spirituale delinquentis*, quando sc. ad ejus emendationem necessarium est, ut res manifestetur judici, praelato, domino, parenti, etc. — *b*) *Bonum notabile revelantis*, v. gr. ad auxilium vel consilium in re gravi capiendum, vel ad grave damnum avertendum. — *c*) *Bonum publicum*, v. g. ad impediendum mala Ecclesiae, vel reipublicae, vel alicui communitati imminentia. — *d*) *Bonum privatum audientium, et aliorum*, v. gr. ut ab imminentibus damnis liberentur; sic, si scias furem habitare cum alio ignorante, potes istum certiorare, ut sibi caveat.

« Unde, cum agitur de conferendo officio, de contrahendo matrimonio, de suscipienda Religione, de assumendo medico, praeceptore, famulo, socio, etc., licet manifestare (imo aliquando oportet) occulta alterius impedimenta, inhabilitatem, crimina, unde notabile incommodum merito timeretur.

2° *Sub debitis conditionibus.* — Requiritur enim: *a*) Ut *non intendas* proximum diffamare, sed damnum proprium vel alienum avertere; unde, si possis damnum vitare absque famae alterius diminutione, ad id teneris. — *b*) Ut damnum avertendum sit *satis proportionatum* amissioni famae. Sufficit quidem, ut damnum vitandum sit grave, quamvis damnum aliquanto majus immineat diffamato. Imo, sufficit, si dubites de gravitate tui damni; quia, in tali dubio, favendum est innocenti. Excipe tamen, si rem scias sub secreto commisso; quia in eo casu gravior et certior causa requiritur, ut diximus (n. 1187). — *c*) Ut *caute* procedas, manifestando rem nec plus pluribus quam oportet, et exigendo secretum ab illo, cui manifestas. — *d*) Ut notitiam delicti non acceperis *per vim aut fraudem*, v. gr. aperiendo litteras, nisi ad id etiam jus habuisses (III, 969; 1. El. qq. ref., 40). Cfr. superius dicta n. 1188.

Nota. Quae hic statuimus, per ea, quae n. 494 de correctione fraterna dicuntur, sunt evolvenda. — In communitatibus sub regula viventibus, si agatur de re magni momenti, plerumque *expedit* ut correctio fiat via denuntiationis ad Superiorem ut patrem. In Ordinibus religiosis, hoc imprimis valet pro tempore *visitationis*. Haec utique, ex natura sua, est *paterna*, non judicialis, in-

Digitized by Google

quisitio. Nihilominus tenentur subditi ea manifestare quae in damnum observantiae, vel communitatis, vel tertii privati cedere possent. Cfr. *Bouix*, de Jure Reg., II, p. 478.

1199. — IV. Non adest detractio, quando crimen proximi est notorium vel jure, vel facto, vel fama. Ratio est, quia, in his casibus, proximus non potest amplius dici in possessione suae famae. — Caritas tamen potest, quoad haec, multa suadere, imo aliqua imponere.

a) Si crimen proximi NOTORIUM est publicitate JURIS, licet de illo loqui illudque aliis manifestare; quia, in hoc casu, reus amisit jus ad famam per auctoritatem publicam; nec laeditur caritas, quia bonum publicum sibi exposcit, ut improbis, per divulgationem sententiae judicis, frena injiciantur, utque ceteri a malefactoribus sibi cavere possint: dummodo manifestatio non fiat ex odio neque ex vindicta. — *b*) Item, manifestare licet, si NOTORIUM est publicitate FACTI vel FAMAE; talis enim manifestatio nec est contra *justitiam*, cum fama jam sit amissa; nec est contra *caritatem* (saltem graviter), quia delinquens non potest inde rationabiliter contristari. — *c*) Similiter, non est mortale, manifestare crimen seu delictum, quod nondum est publicum (aut non est publicum in tali loco), sed de quo moralis habetur certitudo fore ut brevi fiat publicum (sive per facti evidentiam, sive per sententiam judicis); quia parum nocet, nisi tamen ex tali anticipatione sequerentur gravia damna (III, 974).

Diximus: *non est mortale*, sed potest esse veniale. Ad rem sic *cl. Berardi* (l. c., n. 481): « Pauperes, inquit, non habent jus ad substantias divitis: et nihilominus dives ex caritate pauperibus eleemosynam petentibus subvenire debet, quantum potest. Quid simile accidit in casu miseri hominis publicae infamiae subjecti. Ille quidem non habet jus, ut taceamus; petit tamen in corde suo, et forsan enixe rogat, ut ejus famae, quantum possumus, consulamus. Silentium et compassio igitur sunt quaedam eleemosynae, quas saepe absque ullo sacrificio praestare possumus, a quibus proinde non de facili excusamur... — Porro, ad haec ex caritate tenemur; quamvis ordinarie sub levi ».

1200. — Quaesita. — QUAER. 1° *An peccet* GRAVITER *qui crimen in uno loco publicum manifestat* IN ALIO LOCO, *ad quem divulgatio nondum pervenit, nec brevi perventura est?*

Resp. Si crimen publicum sit *notorietate juris*, potest, absque injustitia, ubicumque publicari: quia reus publica auctoritate, et quidem in poenam sceleris sui, legitime fama spoliatus est (H. Ap., XI, 13).

Si vero crimen sit publicum *notorietate facti* vel *famae* tantum, adsunt tres sententiae. — Prima dicit, manifestationem esse peccatum grave *contra justitiam;* quia delinquens adhuc possidet alibi suam famam. Secunda tenet, esse mortale *contra caritatem;* nam, licet reus amiserit jus ad famam, valde tamen moereret, sciendo suum crimen (de se occultum) palam fieri, ubi adhuc ignoratur. — Tertia communior docet, id *non esse grave*, neque contra justitiam neque contra caritatem; quia conducit bono communi malefactores cognosci. Haec ratio valde probabilis est, *modo limitetur* ad crimina, quae reddunt hominem perniciosum et ab aliis vitandum, ut sunt latrocinium, homicidium proditorium, scandalosa impudicitia, haeresis et similia. Et tunc, si crimen est publicum *notorietate facti*, quia nempe publice fuit commissum, de eo libere licet

Digitized by Google

loqui ; si *notorietate* tantum *famae* est publicum, magna discretio requiritur (III, 974 ; 2. El. qq. ref., n. 12). « *Facile* enim *fingitur* haec publica fama. — Adverte autem, quod delictum publicatum in una tantum familia aut monasterio non potest dici absolute publicum ; unde non potest alibi manifestari, et ne in alio quidem monasterio ipsius Ordinis, quod cum illo haberet frequentem communicationem » (H. Ap., XI, 12 ; *Croix*, l. 3, p. 2, n. 1221).

QUAER. 2° *An peccet* MORTALITER, *qui manifestat delictum,* OLIM *publicum, et* NUNC *occultum?*

Resp. Per se, peccat mortaliter, saltem contra caritatem. Excipe, si delictum fuisset olim publicum notorietate *juris,* aut si ad historiam pertineret.

Ut recte animadvertit *Noldin* (II, n. 653) : Historiographis, ex fine generali historiae, major licentia concedi solet, inquantum, absque peculiari ratione boni, crimina occulta privatorum praeteriti temporis litteris consignare possunt. — Ad duo tamen attendant oportet : *a*) Si alicujus familiae perantiquae descendentes adhuc vivant, principia quoad detractionem statuta stricte serventur. — *b*) Delicta alicujus status in specie, v. gr. clericalis, ita sunt referenda, ut bonum, quod ex narratione speratur, ratione majoris scandali exorituri, non evadat inane.

QUAER. 3° *An sit* MORTALE *referre tantum peccata occulta alterius, ut ab aliis audita?*

Resp. Negative, « si ita referas, ut tibi probabile non sit ullam inde infamiam orituram, eo quod alii non sint crediturі ».

« Si vero audita referas coram iis, qui probabiliter sint crediturі *ex sola sua levitate* vel malitia, non peccas quidem contra justitiam, quia non es causa efficax damni, sed peccas contra caritatem, quia quisque tenetur impedire grave damnum proximi, quantum commode potest ».

« Si tandem ita referas, ut audientes *probabiliter et merito sint crediturі* (puta si asseras te audivisse a persona fide digna), tunc peccas etiam contra justitiam, quia das sufficientem causam credendi malum . . . — Quod si referas crimen alicujus valde enorme, puta haeresis, rebellionis, sodomiae, tunc peccas graviter, etiamsi dubitanter dicas, quia haec sola suspicio hominem valde infamat » (III, 977 ; H. Ap., XI, 15).

QUAER. 4° *An sit peccatum* MORTALE *revelare proximi crimen* OCCULTUM *uni vel alteri viro prudenti et taciturno?*

Resp. Dist. Vel revelatio fit ad leniendum offensae dolorem, vel sine causa. — Si PRIMUM, communissime tenent DD., talem revelationem factam absque intentione detrahendi non esse peccaminosam, saltem graviter ; et hoc modo, probabiliter excusari posse famulos detegentes injurias illatas a domino, uxores a viris, filios a patre, etc. — Si SECUNDUM, alii cum Busenbaum censent esse *mortale,* quia laesio famae apud unam personam censetur gravis, ut patet ex judicio temerario. Alii tamen satis probabiliter *negant: modo* revelans non agat ex malitia, neque ex parte audientis timeatur ulterior manifestatio. Ratio est,

Digitized by Google

quia, cum fama consistat in communi aestimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum tantum suam famam amisit.

Nec obstat paritas judicii temerarii; quia malitia judicii temerarii non sumitur ex damno infamiae, sed ex contemptu, malevolentia, vel injuria, quae proximo, per falsi criminis imputationem, infertur (III, 973).

QUAER. 5° *An sit peccatum mortale* REVELARE *crimen proximi, qui jam ex alio crimine est infamatus?*

Resp. Non est grave, si reveletur crimen *valde affine* cum eo, ob quod jam infamia notatus est; quia, ex tali revelatione, non adaugetur notabiliter infamia: ut si de publico fure dicas, eum esse perjurum; de famoso lusore, eum non curam gerere de sua familia.

Secus, si reveletur aliud peccatum diversum: quia infamis in uno genere vitii non amisit jus famae in aliis virtutibus. Sic etiam grave est, de femina diffamata in uno adulterio, narrare aliud occultum (III, 976; H. Ap., XI, 14).

QUAER. 6° *An liceat* SEIPSUM *infamare?*

Resp. Dist. 1° Sese infamare per *falsi criminis* impositionem nunquam licet; quia non licet mentiri. Si ex tali infamatione mors sequeretur aut grave alterius damnum spirituale vel temporale, sese infamans peccaret mortaliter; quia morti vel damno positive cooperaretur.

Quid vero si reus falsum crimen eo fine confiteretur ut, inflicta mortis poena, gravia tormenta vitaret? Alii negant eum graviter peccare, quia nemo tenetur vitam servare cum tanto cruciatu, qui morte ipsa durior videatur; leviter vero, ratione mendacii, eum peccare dicunt. Alii vero probabilius affirmant eum graviter peccare, quia falsa confessio adhuc foret illicita suae injustae morti cooperatio (IV, 275).

2° « Sese infamare per revelationem *veri criminis* regulariter non est mortale; quia non est contra justitiam, cum homo sit famae suae dominus; nec contra caritatem, quia haec non obligat ad bona externa conservanda, nisi in quantum id exigat salus propria vel proximi. Per accidens tamen potest esse mortale, ut, v. gr., si tua fama sit necessaria muneri, vel si tibi damnum vitae, vel aliis infamiae ex eadem sequeretur » (III, 983).

1201. — *Ex dictis resolves: a*) Non est mortale *per se* revelare NATURALES DEFECTUS animi, corporis, vel natalium; quia tales defectus non sunt morales; nec infamia apud prudentes reputatur, quod quis, v. gr., sit stupidus, spurius, luscus. — *Per accidens* vero grave esse potest, si nempe exinde sequeretur magnum damnum temporale: vel si dicas de viro honorabili, illum esse illegitime natum, vel exercuisse vilissimum officium, etc. (III, 967; V, 72; 1. El. qq. ref., 54).

b) « Non est mortale referre peccata mortalia, quae, OB CONDITIONEM PERSONAE, non notabiliter ejus famam laedunt: v. gr., si dicas militem cogitare vindictam; adolescentem esse prodigum, deditum amoribus, etc. » (ib.).

Digitized by Google

c) Grave non est de aliquo IGNOTO vel *indeterminato* male loqui, v. gr. in tali loco esse multos improbos, ebriosos, impudicos; quia sic nulli in specie gravis infamia irrogatur.

d) « Gravissime autem peccant, qui ORDINI alicui seu statui religiosorum in communi, vel MONASTERIO detrahunt, dicendo, v. gr., quod in eo male vivatur, non servetur observantia regularis, etc. (nisi id sit plane notorium), quia gravissime nocent; tenenturque sub mortali ad restitutionem toti communitati, a qua Superioris remissio non excusat » (III, 978).

e) « Similiter mortale est, tacita persona, *nominare monasterium,* ex quo aliquis grave peccatum occultum, v. gr. adulterii vel fornicationis, commiserit ». Ratio est, quia religiosi ejusdem communitatis adeo inter se conjuncti sunt, ut coram externis velut solidarii alii pro aliis censeantur. Hinc, tota communitas apud imprudentes et simplices maculari solet.

ARTICULUS III.

De obligatione defendendi famam proximi.

Tenemur, ex praecepto caritatis, defendere proximum, si ipse, nobis praesentibus, in sua fama laeditur. Et quoniam huic officio *triplici modo* deesse possumus, videlicet habendo nos negative erga detractores, gaudendo de detractione, et detractioni cooperando, sequentia statuenda sunt.

1202. — PRINCIPIA. I. Qui audit detractionem, nec eam impedit, cum commode potest, peccat contra caritatem. Attamen, qui non est detrahentis Superior a multis hisque gravibus DD. *excusatur a peccato mortali,* si ob verecundiam aut timorem, correctionem omittit; dummodo proximo, ultra infamiam, non aliud grave damnum ex detractione obveniat, et dummodo non constet quod correctio sit profutura (H. Ap., XI, 17). « Hoc vero difficile constare potest; imo periculum est, quod correctio potius augeat vel confirmet detractionem ». Culpa tamen non vacat qui, cum facile potest, efficacem correctionem praetermittit (cfr. n. 493).

Excusantur autem, etiam a VENIALI, qui, detractionem advertentes, vel discedunt, vel sermonem divertunt, faciem tristem ostendunt, juxta illud (*Prov.*, 25, 23): *Dissipat facies tristis linguam detrahentem.* Ratio, quia istae actiones sunt verae correctiones (III, 981).

SUPERIOR vero, tam infamantis, quam infamati, peccat *graviter* audiendo detractionem, si eam non avertat, cum commode possit; quia specialis ipsi incumbit obligatio corrigendi detrahentem, et obviandi damno infamati.

Attamen, probabilius non peccat contra *justitiam*, nec Superior detrahentis, cum ipse non teneatur invigilare bono alterius non subditi; nec Superior diffamati, cum ipsi non incumbat ex justitia, bono temporali subditi attendere. — *Excipe: a*) si Superior detrahentis sit Episcopus vel parochus (quia hi tenentur ex justitia ad corrigendos subditos); — *b*) si infamans et infamatus

Digitized by Google

sint subditi ejusdem Superioris, et infamatus ad eum recurrat, ut fama sibi restituatur: quo in casu, tenetur ille ex justitia, modo possit sine timore gravioris mali (III, 979, 980).

1203. — II. Qui gaudet de detractione gravi, peccat graviter contra caritatem. Ratio est, quia delectatur de gravi damno proximi. Si vero non laetetur de infamia proximi, nec de detractione, sed de auditione rei novae, seu de curiosa alienorum criminum cognitione, non peccat graviter.

« Imo, dicunt (DD.), eum non peccare graviter, etiamsi de ipsa detractione delectetur, non causa odii vel gaudii de alterius damno, sed ex curiositate seu vanitate; idque deducunt ex *S. Thoma* (2. 2, q. 73, a. 4), qui tunc tantum docet esse grave, quando *placeat ei detractio, propter odium ejus, cui detrahitur* » (III, 979, Resp. 2°).

1204. — III. Qui audit detractorem eique efficaciter cooperatur, peccat graviter tum contra caritatem, tum contra justitiam. Praebet enim infamanti occasionem peccandi, estque vera causa damni, quod proximo per detractionem infertur.

Attamen, « non est peccatum contra justitiam, saltem mortale, *quaerere* causam captivitatis alicujus, vel de ea loqui; sicut enim captivitas est publica, sic etiam causa videtur esse facta publica » (III, 974, 9°). — Nec est grave, si quid *leve* suspicatus de aliquo, alium interrogas, et praeter intentionem ad gravem detractionem inducis (*Sporer*, tr. V, c. 4, n. 105).

ARTICULUS IV.

De restitutione famae.

1205. — PRINCIPIA. **I. Detractor tenetur tum restituere famam injuste laesam, tum reparare alia damna temporalia ex detractione secuta et aliquo modo praevisa.** Ratio est, quia horum omnium est causa efficax et formaliter injusta (cfr. n. 948 seqq.).

Diximus: 1° *Famam injuste laesam;* secus enim, si sola caritas laesa fuisset. Porro, juxta veriorem sententiam, tenetur ad restitutionem famae non solum apud auditores *immediatos,* sed etiam apud *mediatos* (in quantum hoc est moraliter possibile): si nempe talis divulgatio, quia notum erat auditores immediatos esse garrulos, *praevisa* fuit, et si auditores immediati restitutionis officio defuturi existimantur.

2° *Alia damna temporalia,* puta si diffamatus munere suo privatus est; si impeditur, quominus sibi providere valeat, etc. — Et notandum, obligationem restituendi famam esse *personalem;* obligationem vero reparandi damna, quae ex diffamatione orta sunt, esse *realem,* illamque proinde transire ad haeredes (III, 991, 996).

Nota. a) Manifestatio alieni delicti, facta cum *injuria tantum materiali,* quia v. gr. detrahens putabat delictum esse publicum, vel quia non advertit

Digitized by Google

ad malitiam detractionis, non inducit onus restitutionis, ex defectu culpae theologicae. — Tenetur tamen manifestans, quantum commode potest, impedire, quominus ex sua inculpabili manifestatione sequatur aliud damnum (III, 994). — *b*) Diffamator non tenetur famam, quam restituere nequit, *pecunia* compensare; quia pecunia non est aequivalens famae ablatae (III, 1000). Cfr. dicta n. 928. — *c*) In defectu primi diffamatoris, tenentur ad eamdem restitutionem illi omnes, qui ad diffamationem efficaciter cooperati sunt (n. 977). — *d*) Fieri potest, ut respectu *famae* restituendae obligatio sit levis, respectu vero *damni* reparandi, obligatio sit gravis.

1206. — II. Restitutio famae alio modo facienda est a calumniatore, quam a detractore. Hic enim verum narravit: alter vero affirmavit falsum.

CALUMNIATOR ergo tenetur dicta retractare, etiam cum juramento, si necesse sit; imo, cum jactura propriae famae, si aliter reparatio fieri nequeat; melior est enim conditio innocentis, quam nocentis, et calumniator debet malitiae suae imputare, quidquid propter retractationem in propria fama passurus est. — Qui detraxit alteri per *libellum infamatorium,* tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis, vel publica revocatione. — Item, innotescere debet reparatio, si cognoscatur diffamationem ad multos pervenisse, sed ignoretur ad quos pervenerit (III, 991, 995; H. Ap., XI, 22).

DETRACTOR simplex autem non potest quidem delictum, quod inique manifestavit, postea denegare, quia mentiretur; attamen, tenetur infamati famae per alia media prospicere, v. gr. loquendo de eo honorifice, excusando ejus errata ac vitia, bonas ejus dotes laudando; dicendo, se inconsiderate male locutum fuisse, se *errasse*. — Errant enim non solum qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedunt, juxta illud (*Prov.*, 14, 22): *Errant qui operantur malum*. « Ego, inquit *S. Alphonsus* (Praxis, n. 45), soleo hoc consilium dare, ut dicant: *ex capite meo hoc erui,* aequivocando; quia omnia verba e mente (pro qua accipitur caput) procedunt ».

1207. — III. Ab obligatione famam restituendi potest justa causa excusare. Ratio est, quia haec obligatio est affirmativa et impleri debet per actum positivum. Sed obligatio affirmativa cessat ob justam et proportionatam causam; ergo...

Justae autem causae, quae excusant a restitutione famae, sunt sequentes:

1° *Impossibilitas restitutionis,* cum videlicet malum occultum injuste revelatum, alia via ad publicam notitiam venit; item, cum detractor reparationem praebere nequit sine periculo damni multo gravioris sibi imminentis, ut esset periculum vitae, libertatis aut famae sibi suisve multo magis necessariae; item, ob locorum distantiam aliudve impedimentum, quod reddit reparationem physice vel moraliter impossibilem.

2° *Inutilitas,* cum, v. gr., judicatur detractioni non additam fuisse fidem. — Item, si infamatio deleta est sententia judicis, aut communi cordatorum judicio; — vel si detractio ita oblivioni mandata est, ut ejus reparatio aut re-

Digitized by Google

cordatio censeretur injuriosa; salva semper obligatione resarciendi alia damna ex infamatione orta, si qua essent.

3° *Justa compensatio;* si nempe mutua fuit et aequivalens infamatio, renuente uno ex detractoribus reparationem, potest probabilius alter, non quidem in vindictam, sed in sibi debitae reparationis pignus, restitutionem differre, donec alter tandem paratus sit ad satisfaciendum; nam generale principium est: « Non cogeris jus suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum ».

4° *Praesumpta condonatio* infamati, qui possit cedere juri suo; quoties nempe infamatio ipsum solum attigit, nec reparatio requiritur, sive ad vitandum scandalum, sive ad munus suum implendum. — Secus, si infamatio redundet in alios, aut cedat in damnum spirituale vel temporale proximi (cfr. n. 1200, Quaer. 6°). *S. Alph.*, III, 997 seqq.; H. Ap., XI, 19.

1208. — QUAERITUR. *Quid agendum* IN DUBIO, *utrum exsistat necne oblivio delicti?*

Resp. 1° Si agatur de delicto *vero,* non est facile in memoriam revocandum, cum generatim attendatur potius ad delictum, quam ad detractionem. — Excipe, nisi sit evidens periculum, ne infamia illa alio modo in hominum memoriam reditura sit.

2° Si impositum fuerit dictum *falsum*, semper revocanda est infamatio, nisi constet de oblivione; cum enim res non sit vera, revocatio nullam proprie dictam infamiam importare potest. — Excipe, si majus bonum infamati aliud suadeat; vel si detractori ex retractatione damnum *certum* immineat (III, 998).

1209. — REGULAE PRACTICAE. 1° Confessarius *interroget* poenitentem: « an aliquem infamaverit; et si id fecerit, an falsum delictum ei imponendo, aut verum patefaciendo? Et cum delictum est verum, an illud fuerit occultum, aut publicum in aliquo loco, fama aut judicis sententia? — Item interroget, an infamaverit coram uno vel pluribus, et (ratione scandali) coram quot? Item, utrum divulgaverit factum, ut a se cognitum, an ut ab aliis auditum?

2° Curet confessarius ut restitutio famae, cum commode fieri potest, *ante absolutionem* fiat; quia res postea difficulter implebitur: licet sit minoris difficultatis, quam restitutio pecuniae.

3° Non exigatur RESTITUTIO, si damnum sit *dubie illatum,* vel retractatio *dubie profutura* sit, juxta ea quae modo diximus (n. 1207, 2°): « Si nimirum famae restitutio probabiliter judicetur majus damnum quam utilitatem infamato allatura, tum satius est, occasiones captare infamia notatum laudandi in aliqua ejus virtute, ut eum in bonam aliorum opinionem ponat, quam in memoriam revocare res praeteritas hac famae restitutione » (Praxis, n. 45).

Digitized by Google

CAPUT III.

De laesione honoris.

S. Thomas, 2. 2, q. 72; *S. Alphonsus*, III, 984; ed. G., II, p. 372; *Lugo*, disp. 14, n. 189; *Soto*, l. 5, q. 9; *Lehmkuhl*, I, n. 1415; *Berardi*, Theol. mor., II, n. 128.

1210. — Differunt inter se fama et honor. FAMA, ut vidimus, est multorum existimatio de alicujus excellentia; HONOR autem est hujus existimationis testificatio. Hinc, sicut circa famam proximi, ita et circa ejus honorem est duplex obligatio: altera *negativa*, obligatio nempe eum non laedendi, quod fit per contumeliam; altera *affirmativa*, obligatio scilicet eum restituendi, si injuste fuit ablatus. Dicemus ergo: 1° de contumelia; — 2° de restitutione honoris.

1. *De contumelia.*

1211. — DEFINITIO. Contumelia est injusta honoris violatio irrogata praesenti et scienti. — Praesens vero aliquis esse potest, vel *personaliter* seu physice, vel *moraliter* per imaginem aliudve, in quo repraesentatur. — Ad constituendam contumeliam, non requiritur ut adsit *formaliter intentio* proximum laedendi.

Contumelia irrogari potest: — 1° VERBO: scilicet *convicio*, quo alicui crimen objicitur: *improperio*, quo alicui exprobratur inopia vel quicumque alius defectus cum dedecore; *maledictione*, qua alicui optatur malum. — 2° FACTO: quo spectat *irrisio*, qua quis risu contemnitur; *illusio*, qua quis ludificationi vel deceptioni traditur; *subsannatio*, qua gestibus ridiculis irridetur; *libellus famosus*, pictura derisoria *(caricatura)*, imaginis conculcatio, etc. — 3° OMISSIONE, si, v. gr., Superiori honor debitus denegatur, modo fiat ex contemptu; secus enim merus adesset defectus *observantiae*, unde peccatum contra quartum praeceptum.

Omnes tamen contumeliae, cum sunt contra idem bonum honoris, sunt *ejusdem speciei:* quamvis alia possit esse alia gravior, sibique adjunctam habere aliam malitiam, v. gr. peccati contra *pietatem*, si contumelia fit in Superiorem, vel contra *caritatem*, si additur imprecatio.

1212. — PRINCIPIA I. **Contumelia est peccatum mortale ex genere suo.** Constat ex verbis Christi (*Matth.*, 5, 22): *Qui dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis.* — Sub verbo *raca* intelligitur homo levis, vituperabilis, sputo dignus; illudque proferens dicitur *reus concilio*, ad quod gravia tantum crimina deferebantur. — Verbo *fatue* significantur convicia gravem injuriam irrogantia; illud autem proferens dicitur *reus gehennae ignis.* — Ratio est, quia hujusmodi contumelia affert grave

Digitized by Google

nocumentum in bonis magni momenti, quae per se pluris aestimantur quam bona fortunae (III, 966).

Non raro tamen contumelia est solummodo *culpa venialis* ex circumstantiis personae, inadvertentiae, vel animi nolentis graviter laedere. Sic saepe a mortali excusantur parentes, cum filios vocant *asinos, bestias,* etc. Item mulieres, pueri et infimae sortis homines conviciis se onerantes; quia, cum fides eis non adhibeatur, non laeditur graviter honor (V, 81; Praxis, 37).

Imo, *nullum est peccatum: a*) Si fiat exprobatio ad debitam correctionem, quo modo Dominus discipulos vocavit *stultos,* et Apostolus Galatas *insensatos.* — *b*) Si convicium leve proferatur joci et recreationis causa: « leves enim objicere defectus recreationis causa, urbanitas est », ait *S. Thomas* (2. 2, q. 72, a. 2), dummodo alter non contristetur, nec ad iram moveatur.

1213. — II. **Debemus contumelias patienter tolerare.** Ratio, quia vindicta Domini est. « Quandoque tamen (exemplo Christi dicentis: « *Qui me caedis?* ») expediens erit contumelias repellere, nempe cum tolerantia praevidetur adscribi obsistendi impotentiae aut stultitiae, vel si obesse possit bono communi, prout si praelatus, tolerando, redderetur contemptibilis, et sic petulantia subditorum augeretur » (III, 966). Vide etiam superius dicta n. 737.

2. *De restitutione honoris.*

1214. — PRINCIPIA. I. **Qui contumeliam alicui irrogavit, tenetur ei restituere honorem, aliaque resarcire damna exinde subsecuta, et in confuso saltem praevisa.** Patet ex notione justitiae.

A restitutione tamen honoris EXCUSATUR dehonestator: *a*) si offensus prudenter praesumatur jam remisisse offensam; — *b*) si recuset publicam satisfactionem, ne novo rubore perfundatur: quo in casu sufficit eum alio modo honorare; — *c*) si jam ultus fuerit injuriam sibi illatam; item, si jam publice a judice in offensorem, poena sufficienti ad reparandum honorem, sit animadversum (III, 988 seqq.; H. Ap., XI, 4).

1215. — II. **Modus autem restituendi honorem pendet tum ex indole injuriae, tum ex laedentis laesique conditione.**

1° Honor *publice* ablatus publice etiam reparari debet, v. gr. veniam ab eo petendo coram aliis, qui testes fuerunt contumeliae, aut ita saltem, ut satisfactio innotescat aliis. Sufficit tamen, si satisfactio fiat per aliam personam, quae nomine dehonorantis veniam petat.

Honor per *occultam* contumeliam laesus debet etiam reparari ex sententia communi et vera; sed potest, aut etiam debet occulte reparari (III, 985; 1. El. qq. ref., 41).

2° Ea honoris restitutio requiritur, « quae censeatur sufficiens ad manifestandam aestimationem, juxta *conditionem* personae offensae. Si enim dehonorans fuerit Superior, sufficiet, si honorabiliter dehonoratum

Digitized by Google

salutet, domum invitet, benevolentiam ostendat, etc.; secus, si fuerit aequalis, vel inferior: tunc major satisfactio requiritur, nempe ut praeveniat in salutando, cedat locum, veniam petat, etc. », si alio modo sufficienter satisfacere nequeat.

Et quando injuria fuit *gravissima* erga Superiorem, non sufficit, si subditus simpliciter petat veniam; sed illam tenetur petere *flexis genibus,* ve aliam similem humiliationem ostendere: « quae quidem sententia, ait *S. Alphonsus,* probabilior est » (III, 986, 987).

1216. — *Nota.* In praxi saepe expedit, ut confessarius *omittat monere* poenitentem in bona fide exsistentem circa reparandi honoris obligationem, nimirum: 1° si praevideat monitionem non profuturam, imo potius obfuturam (quia multi promittunt, nec postea implent); — 2° si probabiliter putet dehonoratum magis recusare quam cupere illam publicam reparationem, ne memoria injuriae apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur; — 3° si probabiliter timendum sit, ne in actu satisfactionis odia inter offensum et offensorem renoventur; — 4° si ex signis manifeste appareat remissio facta ab offenso, nempe, si iste sponte ad offensorem accedat atque valde familiariter et jocose cum eo tractet. Secus vero, si familiariter agat ad evitandum notam, vel aliud damnum (III, 988).

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

DE PRAECEPTIS ET POENIS ECCLESIASTICIS

TRACTATUS I.

De praeceptis Ecclesiae

1217. — QUINQUE sunt praecepta Ecclesiae, quae omni populo christiano servanda proponuntur, videlicet: 1° Sacro interesse, diebus dominicis et festis de praecepto. — 2° Jejunare in Quadragesima, vigiliis et Quatuor Temporibus. — 3° Abstinere a carnibus feria sexta et sabbato. — 4° Confiteri, saltem semel in anno, et communicare in Paschate. — 5° Non celebrare nuptias temporibus vetitis [1].

De obligatione assistendi sacro, festaque sanctificandi, jam egimus in tractatu de *tertio Praecepto*. — De confessione annua, de communione paschali, necnon de vetito tempore nuptiarum opportunius agemus in tractatibus de *Poenitentia*, de *Eucharistia*, de *Matrimonio*.

Restat igitur agendum: 1° de jejunio ecclesiastico; — 2° de abstinentia a carnibus.

CAPUT I.

De jejunio ecclesiastico.

S. Thomas, 2. 2, q. 147; *S. Alphonsus*, III, 1004; ed. G., II, p. 384; *Billuart*, de Jejunio; *Fagundez*, Quaest. in quinque Eccl. praec.; *Righetti*, Del digiuno eccl.; *Ferraris*, v. *Jejunium*; *Villien*, Histoire des commandements de l'Eglise, c. VII; *Wernz*, Jus Decr., III, n. 408.

Agendum: 1° de obligatione jejunii; — 2° de forma jejunii ab Ecclesia praescripta; — 3° de causis a jejunio excusantibus.

[1] S. Pont. Pius X, in novo Catechismo (1913), praecepta Ecclesiae sic explicat: 1° Audire missam diebus dominicis et festis de praecepto. — 2° Non manducare carnem die Veneris, aliisque diebus prohibitis, atque jejunare diebus praescriptis. — 3° Poenitere saltem semel in anno, communicare saltem tempore Paschatis. — 4° Subvenire necessitatibus Ecclesiae, juxta leges vel consuetudines. — 5° Non celebrare sollemniter nuptias temporibus prohibitis.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De obligatione jejunii.

1218. — JEJUNIUM, in genere, importat abstinentiam a cibo.

Triplex distinguitur: 1° *naturale,* seu abstinentia ab *omni* prorsus cibo et potu, qualis ad S. Eucharistiae susceptionem requiritur; — 2° *morale* (jejunium virtutis), seu abstinentia a cibo immoderate sumpto; — 3° *ecclesiasticum*, quod est abstinentia a cibo, praeceptis Ecclesiae definita.

1219. — Dies jejunii ecclesiastici sunt: 1° TEMPUS QUADRAGESIMALE, quod ab ipsis Apostolis, ad imitandum jejunium Domini nostri, institutum est, ut ita ad sollemnitatem paschalem fideles sese rite praeparent. — Incipit communiter a die Cinerum, perdurat usque ad festum Paschae, exclusive; etsi ecclesia Mediolanensis retinet usum incipiendi duntaxat a prima dominica Quadragesimae exclusive. — Excipiuntur tamen *dies dominici,* in quibus praecipitur *sola abstinentia,* quamvis jejunium, saltem ex praesenti disciplina, non prohibeatur, si mortificationis causa servetur (cfr. *S. Thom.*, 2. 2, q. 147, a. 5, ad 3).

2° QUATUOR TEMPORA, quae item ab Apostolis (teste *Eusebio,* Hist. Eccl., l. 5, c. 23) initium sumpsisse dicuntur atque eo fine instituta fuere, tum ut christifideles quovis anni tempore crimina sua expient gratiasque sibi efflagitent, tum ut bonos a Deo ministros consequantur. — Celebrantur autem Quatuor Tempora, IV et VI feria ac sabbato, post tertiam dominicam Adventus, post primam dominicam Quadragesimae, post dominicam Pentecostes, ac tandem post festum Exaltationis S. Crucis.

3° Quaedam VIGILIAE, nempe Natalis Domini, Pentecostes, Assumptionis, S. Joannis Baptistae, singulorum Apostolorum (exceptis vigiliis SS. Philippi et Jacobi, necnon S. Joannis Evangelistae) et Omnium Sanctorum. — Horum jejuniorum finis est, ut ventura festa digne ac devote celebrentur.

1220. — PRINCIPIA. I. **Jejunium morale ab ipsa lege naturali praecipitur.** Sic enim docet *S. Thomas:* « Dictum est, quod jejunium utile est ad deletionem et cohibitionem culpae et ad elevationem mentis in spiritualia. Unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad praedicta. Et ideo jejunium in communi cadit sub praecepto legis naturae » (2. 2, q. 147, a. 3).

1221. — II. **Praeceptum jejunii ecclesiastici obligat, sub gravi, omnes baptizatos rationis compotes, nisi totaliter, vel partim, eximantur.** Constat ex praxi Ecclesiae communique DD. sententia (III, 1035; cfr. *Billuart,* a. 3). Vide n. 194.

Diximus: 1° *Sub gravi;* quia lex respicit materiam per se gravem, quippe quae notabiliter ad salutem animarum conducit. — Hinc damnata est ab Alexandro VII haec propositio 23ª: « Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu

Digitized by Google

vel inobedientia hoc faciat ». — Admittitur tamen materiae parvitas (cfr. n. 1225 et 1226).

2° *Baptizatos rationis compotes,* sensu nempe in tr. *de Legibus,* n. 195 seqq., explicato.

3° *Nisi eximantur;* eximit autem, aut saltem excusat: *a*) *Consuetudo legitima;* cum enim lex sit Juris positivi et humani, sicut consensu utentium firmatur, ita contraria consuetudine infirmatur et tollitur. Quare, diversis temporibus et in diversis regionibus, forma jejunii ecclesiastici diversa est (III, 1025). — *b*) *Specialis causa,* v. gr. impotentia, labor, pietas, etc., ut infra explicabitur (n. 1232 seqq.).

4° *Totaliter vel partim;* obligatio enim jejunii divisibilis est, et qui ab una parte, v. gr. a carnis abstinentia, excusatur vel dispensatur, non ideo a ceteris jejunii conditionibus liberatur, ut constat ex Sedis Apostolicae definitionibus (III, 1005). Cfr. n. 1242.

Nota. a) Jejunia vigiliarum fere ubique ex indulto pontificio reducta sunt, vel translata (ut in alma Urbe jejunia pro vigiliis Apostolorum, vigilia SS. Petri et Pauli excepta) in ferias sextas et sabbata Adventus. In *Gallia* sublata est Decreto Card. Caprara, 9 Apr. 1802, obligatio jejunandi in vigiliis festorum suppressorum, eorum etiam quorum sollemnitas transfertur. — In *Belgio,* ab anno 1896, eadem lex viget. — Ex declaratione S. C. C. constat, servandas esse vigilias festorum suppressorum, si hucusque ex praecepto vel voto sint servatae. Cfr. Decr. 18 Sept. 1911 et 25 Febr. 1912 (*A. A. S.,* III, p. 480; IV, p. 142).

b) Jejunium, pridie consecrationis ecclesiae, in Pontificali Romano praescriptum, strictae obligationis est pro Episcopo consecrante, et pro iis tantum qui petunt ecclesiam sibi consecrari; ergo etiam pro rectore ecclesiae, at pro eo solo, si ipse solum supplicem libellum ad petendam consecrationem porrexit. S. R. C., n. 2519.

ARTICULUS II.

De forma jejunii ab Ecclesia praescripta.

1222. Tres sunt CONDITIONES, quas requirit jejunium ecclesiasticum: 1° *abstinentia* a quibusdam cibis (lex qualitatis); — 2° *unica refectio* in die (lex quantitatis); — 3° *hora competens* hujus refectionis. De singulis agendum.

Notandum. a) *Essentialiter* jejunium ecclesiasticum in *unica refectione* consistit. Hoc colligitur ex Const. *Non ambigimus* Benedicti XIV. Sic enim efficaciter attingitur finis principarius jejunii, mortificatio nempe carnis et diminutio fervoris passionum. Ita *S. Alphonsus* (III, 1030, q. 1) cum S. Thoma.

b) Praeceptum *abstinentiae a carnibus* vel aliis cibis est *complementum necessarium* supradictorum.

c) Determinatio *horae refectionis* est pars minus principalis totius praecepti.

Digitized by Google

§ 1. De abstinentia diebus jejunii servanda.

1223. Principia I. **Ecclesia, singulis jejunii diebus, usum carnis interdicit.** Constat ex universali consuetudine, cujus convenientiam sic exprimit *S. Thomas* (2. 2, q. 147, a. 8): « Jejunium ab Ecclesia est institutum ad reprimendas concupiscentias carnis; et ideo illos cibos Ecclesia jejunantibus interdixit, qui et in comedendo maxime hominem ad venerea provocant. Hujusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium et respirantium... ».

1° Nomine carnis, intellige non solum animalium substantiam, sed etiam sanguinem, adipem et laridum, extractum carnis, imo et jusculum ex carne expressum [1]. Sed non sunt inquietandi, ut declaravit S. Poenit., 17 Nov. 1897, qui diebus abstinentiae oleo utuntur in quo jam caro decocta fuit.

Adeps animalis, licet ad rationem carnis sit reducenda, permittitur tamen sub ratione condimenti (S. Off., 1 Maii 1889). — *Frustula laridi* similiter edi possunt, si pergunt esse pars condimenti (S. Poenit., 17 Nov. 1897); prohibentur vero, si separata sumuntur (*Ami du Cl.,* 1914, p. 281).

Peptones, qui nihil aliud sunt quam partes nutrientes ciborum azotatorum (carnium praesertim), chemico processu factae digestibiles, videntur, si ex carnibus proveniunt, sub nomine carnis esse comprehendenda (cfr. *Antonelli,* II, 868, contra *Génicot,* I, 442). — Quoad *condimentum jusculi a Maggi* inventum, non constat quod ex carne conficiatur.

2° Nomine vero carnis, quae interdicitur, non intellige substantiam animalium, quae potius *ad* piscium *genus revocantur* (H. Ap., XII, 2).

Ad discernendum utrum animalia *ad piscium genus* revocanda sint, « magis attendenda est communis aestimatio fidelium ac judicium medicorum, si reputent carnes vel pisces » (III, 1011). Communis autem aestimatio nostris temporibus regulam generalem statuit: *animalia e sanguine calido prohibentur, animalia vero e sanguine frigido permittuntur* diebus abstinentiae et jejunii. Addunt tamen periti, quod, si in aliqua regione *communiter* aliqua animalia e sanguine calido ad genus piscium revocentur, huic aestimationi standum, licet per se prohibendus esset horum esus.

In dubio, an cibus appositus sit caro necne, potes ex eo manducare; quia lex abstinentiae est lex prohibens, et donec constet de prohibitione, non ligat tuam libertatem (H. Ap., XII, 2). Cfr. n. 46 et 55.

Ex his concludes: a) Animalia prohibita (quia sanguinem calidum habent) sunt: *Mammalia,* seu *mammifera,* boves, oves, caprae, etc. Item castores seu fibri, lutrae, phocae, trichechi; qui tamen, si adest consuetudo, possunt permitti. — *Aves omnes,* etiam fulices, anates silvestres, corvi aquatici seu marini. — Stante vero consuetudine et aestimatione communi in aliqua regione,

[1] *Sola consuetudo* huic jusculo, ex carne expresso, aequiparat jusculum, vulgo *bouillon* nuncupatum. Toto coelo enim istud ab illo quoad vim nutritivam distat, ut concedunt periti (cfr. *Ami du Cl.,* 1912, p. 237; 1913, p. 144).

Digitized by Google

illae aves non sunt prohibitae. — Esus fulicum PP. Minimis *pro gratia* concessus legitur.

b) Animalia concessa (quia eorum sanguis est frigidus) sunt: *omnes pisces;* — alia animalia, ut reptilia, ranae, testitudines, limaces, conchae, ostreae, cancri, cammari, etc. Cfr. *Antonelli,* II, n. 867 seqq.

1224. II. **Tempore Quadragesimae, praeter carnem, prohibentur (etiam sub gravi) ova et lacticinia.** Nomine *lacticinia* intelliguntur lac, butyrum, caseus: ea scilicet omnia, quae ex carne originem ducunt. Constat ex praxi Ecclesiae, et ex prop. 32ª ab Alexandro VII damnata: « Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget ». — Excipe Germaniam et regiones septentrionales, in quibus, vi consuetudinis, vel semper renovatae dispensationis, illa lex obsolevit (III, 1029, 3°).

Dictum est: *tempore Quadragesimae,* ob majorem scilicet jejunii sollemnitatem. — Unde: 1° Haec obligatio non comprehendit alios jejunii dies per annum; quia Jure communi probari nequit. Si tamen alicubi (ut Romae) talis consuetudo, vel lex specialis vigeat, observanda est sub gravi, cum materia sit per se gravis. — 2° Comprehendit, Jure communi, omnes dies quadragesimales, etiam dominicos, quia non eximuntur a lege abstinentiae (III, 1007 et 1009, dub. 3). — Sed vide dicenda n. 1242.

Nota. a) In Italia abstinentia ab iis omnibus quae a carne trahunt originem (lacte scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis) servanda est dumtaxat feria sexta Quatuor Temporum in Quadragesima, feria sexta in Parasceve, vigiliis Assumptionis B. M. V. et Nativitatis D. N. J. C. (S. Off., 7 Sept. 1906, n. 2). Vide infra n. 1247.

b) Quod si carnes, ova et lacticinia ad invicem considerantur, dicendum est quod, *ova* et *lacticinia* aequiparantur, ita ut dispensatus in uno etiam dispensetur in altero; *carnes* vero et *lacticinia* non aequiparantur, sed se habent ut majus ad minus, ut infra n. 1242 patebit.

c) Usus *margarinae* licitus est, quando butyrum permittitur (S. Off., 6 Sept. 1899).

1225. — Quaesita. QUAER. 1° *An, in Quadragesima, liceat comedere panes* OVIS *confectos, vel quemcumque cibum* OVIS *conditum?*

Resp. Neg., quia substantia ovorum non deperditur ex eo, quod farinae admiscentur vel ut condimentum adhibentur. Consonat Resp. S. Poenit., 17 Nov. 1897, ubi declaratum est condimentum ex ovis, quando haec prohibentur, non licere.

QUAER. 2° *Quaenam materia censeatur gravis, in violatione jejunii vel abstinentiae?*

Resp. 1° Quoad CARNES. *S. Alphonsus* cum Salmanticensibus sentit *octavam partem unciae* (3 ½ gr.) esse materiam gravem. — Recentiores AA. generaliter statuunt, eum grave peccatum committere qui duas uncias (60 gr.) excederet. Ratio est, quia grave tantum dicitur, in hac materia, quod notabiliter nutrit. — Imo major quantitas requiri

Digitized by Google

aiunt, si non caro proprie dicta, sed aliquod, quod ex carne provenit, manducetur.

2° Quoad OVA et LACTICINIA. AA. semper requirebant, ad materiam gravem, quantitatem majorem ac pro carne. Recentiores autumant gravem materiam adesse, si quis 3-4 uncias (90-120 gr.) ederet. — Cfr. *S. Alph.*, III, 1029 et 1009, fin.; H. Ap., XII, 20; *Lehmkuhl,* I, 1450, 1466; *Noldin,* II, 674, 677; *Berardi,* Theol. mor. (1905), IV, n. 45.

3° Quoad CIBOS ESURIALES. Dicit *Berardi* (l. c.) quatuor uncias constituere materiam gravem; quia isti cibi minus nutriunt quam supradicti.

Nota. Uncia romana (de qua hic agitur) aequivalet 29 *grammis* et 20 centesimis novi ponderis; *libra* autem (12 unciarum) 350 *grammis*. — *Uncia germanica* pondere superat unciam romanam.

§ 2. De unica refectione.

1226. — PRINCIPIA. I. « **Ecclesiae moderamine statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur** ». Ita *S. Thomas* (2. 2, q. 147, a. 6). — In hoc, ut supra notavimus, essentia jejunii consistit.

Hinc: 1° Qui SAEPIUS parum quid comedit extra refectionem, peccat mortaliter, cum ad notabilem quantitatem devenerit. Constat ex 29ª prop. ab Alexandro VII damnata: « In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium ».

Permittitur autem sumere parum cibi, v. gr. *unciam,* ad depellendam debilitatem, ut communiter docent. — Nonnulli hoc permittunt toties quoties bibendum est, *ne potus noceat;* sed hoc, ut recte dicunt alii, vix potest permitti semel atque iterum in die (H. Ap., XII, 11).

2° Qui sine causa prandium per notabile tempus, v. gr. ad horam, INTERRUMPIT, jam non servat formam jejunii.

Attamen: *a*) *Cum causa,* licet interrumpere refectionem *ad horam;* imo, aliqui concedunt usque ad duas horas: sed id jure merito, ait Holzmann, licere solum, cum quis cibo sufficienti non fuerit refectus, et jejunium sine gravi incommodo tolerare non potest: tunc potest prandium reassumere, quia Ecclesia nunquam intendit aliquem obligare ad diem transigendum, sine sufficienti refectione. — *b*) *Sine causa,* et quamvis aliquis terminasset prandium, potest iterum comedere, si commensales prosequuntur prandere, aut si in mensa afferuntur aliae epulae, quae non exspectabantur; quia adhuc moraliter censetur idem prandium durare. Imo conceditur generaliter, posse sumi alium cibum *post sesquiquadrantem* (III, 1020; H. Ap., XII, 10).

3° Qui prandium immoderate PROTRAHIT, item offendit legem jejunii.

Probabiliter autem licet illud protrahere usque *ad duas horas;* alii, cum Elbel, admittunt usque ad tres vel quatuor horas, saltem pro Germanis, attenta

Digitized by Google

eorum consuetudine, quam *S. Alphonsus* nec approbat nec reprobat (III, 1020, q. 5). Subjungit vero cum Cuniliati: « Protrahere prandium ad plures horas, si non fiat in fraudem jejunii, non est mortale » (*Istruz.*, XII, 10, fin.).

1227. — II. Lex jejunii permittit pluries sumere ea quae habent rationem veri potus vel medicinae. Notum est axioma: « Liquidum non frangit jejunium ». Dicitur: *pluries*, i. e. indeterminate, et extra refectionem et duplicem refectiunculam; nec coalescunt ea quae sumuntur. — Per *liquidum* autem id solum intelligitur, quod, ex communi sensu, sumitur per modum potus tantum, ad sedandam sitim vel per modum medicinae; non vero quod sumitur per modum cibi, ad sedandam famem et ad nutriendum corpus, ut lac, succus fructuum, jusculum, etc. (III, 1021).

Hinc: 1° Non prohibetur *vinum;* etsi fideles, primis Ecclesiae temporibus, ab eo abstinerent. Si quem nutriat, per accidens est et ideo non frangit jejunium, licet bibatur ad famem sedandam; intentio enim non mutat naturam actus, nec cadit sub praecepto (H. Ap., XII, 13). — Vinum cui admiscerentur *principia solubilia carnis*, sine dubio permittitur, cum sit vera medicina.

2° Non prohibetur *cerevisia*, nec potus *cafaei*, vel *theae*, vel etiam aquae saccharo immixtae, vel e succis aureorum aut citreorum malorum effectae; nisi nimia lactis, sacchari, etc., copia admisceatur; quia, posita restrictione, haec et similia non habent naturam cibi, sed potus vel medicinae. Nec refert, si congelata sint: congelatio enim naturam rei non mutat (ib., 14).

3° Non prohibetur *serum lactis;* habetur enim ut potus vel medicina (*Müller*, Theol. mor., II, § 165, 7).

4° Non prohibentur *electuaria* seu *cupedia* ex electis rebus (v. gr. ex saccharo et junipero) confecta, si sumantur in modica quantitate ob causam rationabilem, v. gr. ad juvandam digestionem, ad vocem conservandam, ad auferendum oris foetorem, et alia hujusmodi. Ita communiter cum *S. Thoma* (2. 2, q. 147, a. 6, ad 3). Vide *S. Alph.*, III, 1019; 1. El. qq. ref., n. 42.

5° An prohibeatur potio *chocolati*, magis disputatur. — Negat quidem *S. Alphonsus* chocolatum posse pro potu reputari, *eo quod vere nutriat;* sed nihilominus permittit ejus potionem, ratione *consuetudinis*, semel in die, et in modica quantitate, si nempe una uncia cum dimidia (44 gr.) chocolati cum aqua in cyathis ordinariis immittatur [1]. Nec vero lac admisceri potest, nisi id concedatur per dispensationem super lacticiniis: quo in casu, ejus ratio in pondere cibi habenda est.

Observandum est: *a*) Si quis immoderato potu utatur, peccat contra finem praecepti, et facile meritum jejunii perdit, ut advertit *S. Thomas* (2. 2, q. 147, a. 6, ad 2). — *b*) Si quis possit, adhibito praesidio potionis *cafaei, chocolati*, etc., jejunium tolerare, quod aliter non toleraret, tenetur, ipsa lege jejunii, illud praesidium adhibere, etiamsi talis consuetudo in sua provincia nondum invaluisset (*Croix*, III, P. 2, n. 1325).

1228. — III. Licet sumere, diebus jejunii, mane refectiunculam, et, sub vesperum, coenulam. *Primum* constat ex Resp. S. Poenit., 21 Nov. 1843, et ex usu fere universali. — *Secundum* similiter con-

[1] III, 1023; H. Ap., XII, 15; cfr. 1. El. qq. ref., n. 43. — Cum S. Doctore consentiunt moderni. Cfr. *Olfers*, Pastoralmed. (ed. 3), p. 99.

Digitized by Google

suetudine introductum est. « Nulli dubium est, ait *S. Alphonsus* (H. Ap., XII, 16), quod antiquitus jejunium rigorosius observabatur; sed, juxta modernam disciplinam, ab omnibus admittitur serotina refectiuncula ». — In his debet attendi quid *consuetudo* permittat, tam circa *quantitatem*, quam circa *qualitatem* ciborum.

Porro: 1° Circa QUANTITATEM in *refectiuncula* concessam, usus docet *duas tantum uncias* esse licitas. — Quoad *coenulam*, « sententia communiter hodie accepta omnibus indiscriminatim (etiam illis qui parvo cibo indigent)... permittit quantitatem *octo unciarum* (233 gr.); et aliquid aliud (nempe duas alias uncias, quod est parva materia) ei, qui majori nutrimento opus haberet. — In vigilia Nativitatis Domini, communiter admittitur collatiuncula duplo major, nempe *16 unciarum*, ratione sollemnitatis » (III, 1025; H. Ap., XII, 16). Vide tamen mox dicenda n. 1229.

2° Circa QUALITATEM ciborum iterum spectanda est tum consuetudo, tum dispensatio: *quae enim in aliis regionibus permittuntur, haec eadem vetantur in aliis.*

Generatim in *refectiuncula* conceduntur tantummodo lac, cafaeum, thea, chocolatum et panis (*Ami du Cl.*, 1912, p. 464). — Pro *coenula*, permittuntur cibi duntaxat leviores cum pane, v. gr. fructus, olera, pisciculi, vel etiam duae vel tres unciae piscis majoris (III, 1028). — Ova et lacticinia non permittuntur, nisi vigeat alicubi consuetudo, v. gr., sumendi aliquid casei, aut butyri, vel nisi data fuerit expressa dispensatio. — Sed, nec ipsis dispensatis ad carnes, sed non a jejunio, permittitur in collatiuncula alius cibus, nisi ille qui permittitur non dispensatis. Vide n. 1242, Reg. 4ª.

1229. — Notetur: *a*) Ex analysi chemica constat, lac in mille partibus continere fere 130 grammata elementorum quae nutriunt. — Ex hoc tamen non sequitur, in coenula, v. gr., esse licitum, si quis bibat duo litra lactis, sub praetextu quod solum 260 grammata principiorum, quae vere nutriunt, sumantur. Attendendum est etiam ad vim satiantem cibi. Sic ergo permittunt AA. ad coenam 500-700 gr. lactis, si hoc solum bibatur. Ad jentaculum vero certe non esset licitum $^1/_2$ litri lactis sumere (*Ami du Cl.*, 1911, p. 252). — *b*) *Octo uncias panis*, in aqua cum oleo decocti, non licet sumere in coenula. Ratio non est, quia per decoctionem exsurgit substantia diversa, sed quia haec omnia magis satiant. Sic *consuetudo* legem interpretatur. — Aliqui utique contradicunt, innixi generali principio, quod pro cibis, qui multum aquei humoris continent, augeri potest quantitas assignata. Cfr. *Berardi*, l. c., n. 23; *Antonelli*, II, 878. Principium istud equidem non est absolute rejiciendum, et pro aliquibus cibis applicari potest; in casu tamen nostro, ad *consuetudinem* primario attendendum est. Cfr. *Lehmkuhl*, I, 1462.

1230.— Quaesita. QUAER. 1° *Quot peccata committat frangens jejunium per refectiones* CULPABILITER *repetitas?*

Resp. 1° Si jejunium frangat per esum *ciborum non esurialium*, quoties comedit toties peccat, ideoque numerus actuum in confessione declarandus est: quia praeceptum abstinentiae est negativum, quod obligat semper ac pro semper, ut aiunt DD. (III, 1029, 3).

Veniale tamen esset peccatum, si, semel in die, parva comederetur quantitas (cfr. n. 1225, q. 2).

Digitized by Google

2° Si jejunium frangat edendo pluries *cibos esuriales* in vetita quantitate, ex communi et probabiliori sententia, *unum* tantum peccatum grave committit contra praeceptum Ecclesiae; et ratio potior est, quia essentia jejunii consistit *in unica comestione:* quapropter, destructa essentia jejunii per secundam refectionem, cessat praeceptum in tertia vel quarta refectione.

Sed communissime dicunt, in his ultimis refectionibus committi peccatum veniale, eo quod sint contra finem legis, qui est carnis mortificatio; et quidem probabilius, quia contraire fini legis est quaedam inordinatio, quae ab omni culpa non videtur excusari (III, 1030, Quaer. 1°).

QUAER. 2° *Utrum qui* INCULPABILITER *bis se refecit in die, teneatur abstinere a tertia refectione?*

Resp. Controvertitur. Magis tamen placet S. Doctori sententia affirmans (H. Ap., XII, 20; Conf. dir., XII, 6; cfr. notam Gaudé, II, p. 415). Ratio quam affert est sequens: Qui materialiter jejunium violavit, bis se reficiendo, tenetur abstinere a tertia refectione, ne violationem materialem jejunii approbare videatur. — Haec ratio tamen controversiam non componit.

QUAER. 3° *Quid facere debeat, qui die jejunii inadvertenter mane more solito jentavit?*

Resp. 1° Si *modicum* fuit jentaculum, refectiunculae quantitatem moraliter non excedens, tenetur observare jejunium, sicut et alii.

2° Si quantitas jentaculi *coenulae* aequiparatur, tenetur (citra incommodum grave) vel prandium ad vesperam remittere, vel potius vespere quantitatem cibi minorem sumere. Ratio est, quia semper servari potest jejunii substantia, licet ad quid accidentale jam non possit attendi.

3° Si tandem quantitas *prandio* fere assimilari debet, meliori quo potest modo, cetera praescripta jejunii observentur. Coenula tamen potest esse copiosior, imo et posset anticipari. Cfr. *S. Alph.*, III, 1030.

§ 3. De hora refectionis.

1231. — Antiquitus, hora refectionis erat *vespere,* post solis occasum (saltem in Quadragesima). Lapsu dein temporis anticipata fuit ad horam nonae, et tandem a saeculo XIV ad horam sextae, nempe ad meridiem (H. Ap., XII, 21; cfr. *S. Thom.*, 2. 2, q. 147, a. 7).

Quaesita. — QUAER. 1° *An* HORAM REFECTIONIS *notabiliter anticipare sit peccatum grave?*

Resp. Non desunt AA. qui sententiam negantem probabilem habent; at S. Alphonso tenenda videtur *sola sententia affirmans,* et haec probatur tum ex Jure canonico (Can. *Solent,* 50. D. 1, *de Consecr.*), ubi

Digitized by Google

anticipantes « nullatenus jejunare credendi sunt »; tum ex *D. Thoma* (4. D. 15, q. 3, a. 4, ad 3), qui ait: « Qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit »; tum ex ratione, cum refectionis dilatio multum pertineat ad corporis mortificationem, quam Ecclesia intendit. Confirmatur Responso *Benedict. XIV* (Breve *Si Fraternitas,* Enc. *Libentissime*): Edicimus jejunantibus horam praescriptam esse observandam (n. 8, ad 4). Cfr. ed. G., II, p. 395 — Ex hac igitur sententia, qui notabiliter, scilicet *una integra hora,* refectionem sine causa anticipat, legem jejunii violat, et mortaliter peccat. — Excusat tamen causa levis brevem, causa gravis notabilem anticipationem.

Nota. AA. recentes communiter docent, non committi peccatum, si hora prandii notabiliter anticipetur. Attamen, ut recte notat *Aertnys* (l. IV, n. 11), donec probetur hodiernam consuetudinem antiquo gravi praecepto et antiquae consuetudini derogasse, illa sine dubio praevalent. Eadem statuit *S. Alphonsus* (III, 1016).

QUAER. 2° *An solvatur jejunium, si* COENULA *versus meridiem,* REFECTIO *autem vespere sumatur?*

Resp. Non solvitur quoad essentiam; ideoque, ex justa causa, v. gr. ratione debilitatis, negotiorum, studiorum, venationis, vel etiam consuetudinis, tempus comestionis sic ordinare licet (III, 1024).

Imo, ad *quaesitum:* « Utrum, in diebus jejunii, possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam *infra horam decimam et undecimam matutinam,* prandium vero differendo ad *quartam* vel *quintam* horam vespertinam », S. Poenit., die 19 Januarii 1834, respondendum censuit: « Si inversionis supradictae rationabilis aliqua exstet causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos ». Cfr. *Gaudé,* II, p. 415.

QUAER. 3° *An liceat ordinem refectionum sic invertere, ut mane collatio, meridie prandium, vespere refectiuncula sumantur?*

Resp. De se, *negative;* quia sic quodammodo lex jejunii eluderetur; culpa tamen non est gravis. Unde ex causa rationabili dispensatio facile haberi potest. Cfr. *Lehmkuhl,* I, 1468; *Ami du Cl.,* 1909, p. 944.

ARTICULUS III.

De causis a jejunio excusantibus.

1232. — Praeter causas, quae *totaliter eximunt* a jejunio, ut amentia et aetas septennio minor, quatuor sunt causae excusantes, videlicet: 1° impotentia; — 2° labor; — 3° pietas; — 4° dispensatio.

Notetur: a) Tres priores causae eximunt per se, si sint moraliter certae; si vero dubiae sint, requiritur dispensatio. — Hinc, exemptio dicitur venire a Jure; dispensatio autem ab homine (III, 1032, fin.).

b) « Si quis non haberet causam sufficientem, qua excusari possit a jejunio quadragesimali; sed contra ipse in bona fide putaret justam causam

Digitized by Google

habere praecepto satisfaciendi *ter vel quater* tantum in hebdomade jejunando, non debet confessarius hunc obligare ut quotidie jejunet, cum adest periculum, ne postea quotidie omittat jejunium » (III, 1049; H. Ap., XII, 34). Recole dicta n. 217 seqq.

c) Plures causae, in se insufficientes, coalescere possunt, ita ut sufficiant ad eximendum a lege.

d) *Peregrini* legibus jejunii tenentur vel ab ipsa dispensantur, prout in casu agitur de legi universali vel particulari. Recole quae in tr. *de Legibus* n. 204 seqq. diximus.

1. *Impotentia.*

1233. — Eximit impotentia, sive physica, sive moralis.

1° Ob impotentiam PHYSICAM eximuntur omnes a quibus jejunium, ratione defectus virium, servari nequit.

Hinc excusantur: a) Infirmi, quibus jejunium potest esse notabili nocumento; et ita pariter *convalescentes* et *debiles:* v. gr. qui febri tertiana vel quartana laborant, et alii, qui nequeunt sufficienti alimento, in unica refectione, se reficere.

b) *Mulieres praegnantes* aut *lactantes,* quibus ne licet quidem jejunare (nisi semel aut bis, si mulier sit robusta); item, juxta Capellmann, mulieres per tempus *menstruationis* (Past. Med., ed. 16, p. 169).

c) *Pauperes,* « qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat », ut habet *S. Thomas* (2. 2, q. 147, a. 4, ad 4). — Unde *S. Alphonso* valde probabile est, eos, qui nihil aliud habent quam panem et herbas aut legumina, non teneri ad unicam refectionem; licet enim his obsoniis sint assueti, ob hoc solum tamen se sufficienter sustentant, quia pluries in die et in magna quantitate eis vesci solent (III, 1033; H. Ap., XII, 23).

1234. — 2° Ob impotentiam MORALEM eximuntur omnes, qui jejunare nequeunt sine gravi incommodo, aut sine magna difficultate extrinseca.

Hinc excusantur: a) Ii quibus jejunium gravem affert capitis dolorem, vel notabilem somni privationem. — *b*) *Milites,* sive in castris, sive in stationibus morentur. Secus, si in domo paterna, vel expensis propriis vivant, nisi dispensatione vel consuetudine legitima se tueri possint (prout exsistit in Gallia). — *c*) *Uxores* et *filiifamilias,* qui jejunando gravem paterentur virorum vel parentum indignationem; modo absit Ecclesiae vel religionis contemptus.— *d*) *Viri* (si unquam reperiantur) qui, ob jejunium, debitum conjugale, ex justitia vel etiam ex sola caritate reddendum, reddere non possent. — *e*) *Adolescentes,* qui vigesimum primum aetatis annum nondum compleverunt: hi enim indigent copiosiori et crebriori cibo, tam ad augmentum naturae, quam ad solidandas corporis vires. — *f*) *Senes* sexagenarii (anno 60° incepto) excusantur ex universali consuetudine; tum ob virium imbecillitatem, tum propter defectum caloris, ex quo una vice sufficientem cibum sumere et concoquere nequeunt. Quodsi qui robustiores videantur, robur eorum inconstans est et saepe apparens tantum. Excipe religiosos vel alios, qui voverint jejunare usque ad mortem. — *g*) Mulieres *quinquagenariae,* modo debilitas quaedam aut infirmitas concurrat; nam dubium est, an propter solam aetatem eximantur (III, 1034 seqq.; H. Ap., XII, 24).

Digitized by Google

2. *Labor.*

1235. — 1° Excusant a jejunio omnis *labor corporis,* omnes *artes,* quae sine magna corporis defatigatione exerceri nequeunt.

Excusantur hoc titulo: fossores, agricolae, lapicidae, figuli, textores, lanarii, fullones, bajuli, aurigae, nautae, remigantes, cursores, fabri ferrarii, lignarii, murarii, coriarii, sutores, qui calceos conficiunt filo pice linito; pistores, furnarii, coqui, qui in parando plures dapes multis personis tota quasi die occupantur. — Item typographi versantes prelum; famuli majoribus laboribus addicti, tabellarii et alii, percursantes urbem ad distribuendas litteras, ad vendendas merces; ornantes templa, scalas circumferendo, etc., etc. — Sed hi omnes tunc solum excusari intelliguntur, si *majorem diei partem,* non vero si duas tantum vel tres horas, in hujusmodi operosis laboribus detinentur (III, 1041; H. Ap., XII, 26).

Porro NOTANDUM: *a*) Non licet praefatos labores *ex industria* eligere, ut jejunium vitari possit (*Lehmkuhl,* I, 1471). Vide quae in tr. *de Legibus,* n. 225, diximus. — *b*) Artifices *divites* non tenentur labores intermittere, ad servandum jejunium; id enim in detrimentum boni publici vergeret; nec est mens Ecclesiae impedire fideles ab ordinariis eorum occupationibus. — *c*) Artifices *robustiores,* qui possunt, sine gravi incommodo, jejunare, nihilominus excusantur, tum ex usu communi, tum ex legitima praesumptione consecuturae ex jejunio imminutionis virium; in praxi enim vix reperietur unus, qui ex hujusmodi labore non graviter relaxetur. — *d*) Cessantes a labore, uno vel altero die, etiam recreationis extraordinariae causa, excusantur necessitate reficiendi vires, aut eas servandi pro crastino, nisi manifeste valeant jejunare sine gravi incommodo (III, 1042 seqq.; H. Ap., XII, 31; Praxis, 47).

1236. — 2° Non excusant *labor mentis,* vel *artes liberales,* nec officia, quae levi exercentur labore. — Huc spectat propositio 30ª ab Alexandro VII damnata, utpote nimis generalis: « Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio ».

Hinc: a) Per se *non excusantur* barbitonsores, sartores, sutores, qui coria tantum desecant vel praeparant; coqui apparantes pauca fercula; ancillae lanam vel linum fuso torquentes aut similia exercentes; mercatores manentes in suis officinis, typographi typos componentes; pictores, notarii, scribae; horologia parva conficientes; molitores, argentarii, sculptores, etc. — Excipe (sed per accidens), si quis horum, ob debilitatem, aut laborem singularem, aut aliam circumstantiam, nequeat jejunare sine gravi incommodo (III, 1041; H. Ap., XII, 27).

b) *Lectores scientiarum* per se non eximuntur a jejunio, sed solum tunc si magno studio et labore indigeant. — Quoad *magistros grammaticae,* qui per plures horas in die docent, videtur eorum labor per se eximere a jejunio. Cfr. III, 1049. — *Scholastici* similiter non ea ratione eximuntur quod studiis incumbunt; eximuntur vero si per majorem diei partem studiis necessariis et seriis operam dant (*Noldin,* II, 687, 4; *Konings,* n. 579, 4) [1].

[1] Diximus: *studiis seriis.* Gravitas vero studii potius ex applicatione mentis quam ex diuturnitate laboris pensanda est. Unica hora studii serii exhaurit vires tantum quantum octo horae laboris corporalis. Ita doctus medicus ap. *Berardi,* Theol. mor., IV, n. 56, 5, p. 39.

Digitized by Google

Nota. In dubio, *an labor sit cum jejunio incompossibilis,* haec duplex regula tenenda est: Si labor, visis circumstantiis et generaliter pro omnibus, sit *de se* gravis, praesumptio stat pro exemptione a jejunio. — Si vero labor sit gravis *per accidens,* nempe ob aliquam circumstantiam debilitatis personae, vel defatigationis solito majoris, praesumptio, in hoc dubio, stat pro obligatione jejunii; et ideo opus est dispensatione (III, 1049, 7°). Cfr. dicta n. 248.

1237. — QUAERITUR. *Quale* ITER, *justa causa susceptum, sufficiat ad excusandum a jejunio?*

Resp. 1° Si pedibus conficiatur, communis sententia docet requiri et sufficere iter 4 vel 5 leucarum (seu 12 vel 15 milliaria, seu 25 chilometra). Si tamen via esset difficilis et aspera, aut iter agens esset debilis, itineri non assuetus, etc., posset jam iter duarum leucarum (i. e. sex milliarium) excusare. Sed hoc pendet a circumstantiis sive personarum sive tempestatis, etc.

2° Si iter agatur equo, rheda, vel in via ferrea, non excusat *per se,* ut constat ex prop. 31ª ab Alexandro VII damnata: « Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant; etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant ». Per accidens, tamen, excusatur quisquis non valet, sine gravi incommodo, iter peragere, etiam unius diei (III, 1047, dub. 1 et 2; H. Ap., XII, 29, 30).

Nota. Qui summo mane iter arripit, semper habet jus ad se reficiendum, nec tenetur postea sine refectione manere. — Qui vero antea, servato ordine jejunii, post meridiem iter confecit, non idem habet jus jejunium laedendi, nisi ratio accedat. *Lehmkuhl,* I, 1471, 3.

3. *Pietas.*

1238. — Pietas excusat a jejunio, in quantum, sive ex officio vel obedientia, sive etiam ex mera devotione, licite suscipiuntur opera caritatis vel religionis, quamvis inde sequatur impossibilitas jejunandi. — Ratio est, quia, ex ordine caritatis, opus bonum non debet aliud opus nobilius et melius impedire. Unde *S. Thomas* (2. 2, q. 147, a. 4, ad 3): « Non videtur fuisse intentio Ecclesiae statuentis jejunia, ut per haec impediret alias pias et magis necessarias causas ».

Nota. Pietas tunc solum excusat, cum opus *ex justa causa* susceptum MAJORIS MERITI esse censetur quam jejunium, et cum in aliud tempus differri nequit, et laborem exigit cum jejunio incompossibilem. — Ita etiam ex D. Thoma (l. c.), qui ait: « Si peregrinatio et operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis . . . , vel spiritualis vitae, non sunt propter hoc Ecclesiae jejunia praetermittenda ».

1239. — Titulo igitur pietatis EXCUSANTUR: 1° *Servientes infirmis,* si multum defatigentur, v. gr. in hospitalibus. — 2° *Peregrinantes* ad loca sacra, si peregrinatio in magnum Dei honorem, vel proximi aedificationem, vel in

Digitized by Google

spiritualem, hancque magnam, ipsius peregrini utilitatem cessura sit; vel si peregrinatio, adveniente jejunii tempore, jam inchoata fuerit. — 3° *Cantores* in ecclesia, qui, jejunando, amitterent vocem nec possent suum implere officium. — 4° *Concionatores,* si praedicent quotidie vel frequenter, v. gr. quinquies in hebdomade, aut cum vehementi agitatione, ut in Missionibus. — 5° *Confessarii,* si extraordinarium subeant laborem, et sint simul ita debiles, ut cum jejunio non possint frequentiae poenitentium satisfacere. — Eodem modo, i. e. per accidens, non per se, excusari poterunt *medici, advocati,* aliique, quorum labor est proximo utilis, vel etiam necessarius (III, 1049; H. Ap., XII, 34). Vide duplicem regulam traditam n. 1236, nota.

4. *Dispensatio.*

1240. — I. **Dispensare possunt** in jejunio: 1° *S. Pontifex* in tota Ecclesia, v. gr. per indulta Episcopis concessa, et quidem valide etiam sine causa; quamvis, in hoc casu, peccaret, *saltem* venialiter, « quia hoc esset contra bonum commune, ad quod leges ordinantur » (III, 1032). — 2° *Episcopi,* horumque vicarii expresse delegati. Nequeunt tamen de se dispensare cum integra dioecesi, nec cum aliqua parochia, nec cum integra communitate vel familia, nisi in casu urgenti. Ita ex Const. *Benedicti XIV: Libentissime.* — 3° *Praelati,* horumque vicarii, sed cum suis subditis singillatim sumptis. — 4° *Parochi,* ubi viget consuetudo, et eorum vicarii, modo actus parochiales exerceant, nec parochus repugnet. Sed hi omnes cum solis suis subditis dispensare possunt, et quidem in casu particulari, cum privatis personis singulatim sumptis atque ex justa causa; secus dispensatio foret irrita (cfr. jam dicta n. 237).

Confessarii non possunt dispensare, nisi sint expresse delegati. Possunt tamen DECLARARE, utrum quis legitime eximatur, necne. — Idem possunt *medici,* sicut et *Superiorissae* monialium (III, 1032; H. Ap., XII, 22).

1° Dispensatio super abstinentia et jejunio generaliter a S. Pontifice concessa est pro diebus festivis recenter statutis; item pro diebus festivis, qui in aliqua regione, petentibus Episcopis, servati sunt; demum pro festis Patronorum, si cum concursu populi celebrantur. — Imo, dispensatio concedi potest ab Episcopo, si dies aliquis festivus expunctus (in quo servari deberent abstinentia vel jejunium) cum concursu populi celebrari soleat (*A. A. S.,* III, p. 351; IV, p. 341). — Firma semper remanet prohibitio *de non permiscendis epulis* (cfr. n. 1242, Reg. 2ª).

2° Praeterea, ex Decreto S. Off., 5 Dec. 1894 (*A. S. S.,* 27, p. 512), ejusque authentica interpretatione 11 Dec. 1909 (*A. A. S.,* p. 58), Episcopi, aliique locorum Ordinarii, facultatem habent *anticipandi* die sibi benevisa (quam assignandam Ordinarius ex rationabili causa potest parochis committere) atque ob gravissimas causas etiam *dispensandi* super lege *abstinentiae,* quando, feria sexta aut sabbato per annum, cum magno populorum concursu, vel celebratur quaecumque sollemnitas catholica, v. gr. de centenariis, de pe-

Digitized by Google

regrinationibus, vel habentur nundinae extraordinariae. — Porro inter causas gravissimas dispensandi, assignari valet grave periculum *generale* quod abstinentia anticipanda non observetur. — Ab his facultatibus *excipiuntur* tempus Quadragesimae, Quatuor Tempora, vigiliae per annum jejunio consecratae, vel tempus Adventus ubi (prout in Hispania) vigiliarum jejunium translatum est in singulas ferias sextas et sabbata Adventus. In Italia excipitur tantum tempus Quadragesimae et Adventus (S. Off., 7 Sept. 1909, n. 5). Quapropter his diebus Episcopi nec dispensare nec anticipare possunt.

Quoad indulta, quae diversis populis et regionibus nuper concessa fuerunt, vide infra n. 1247, 1248.

1241. — *Notetur: a*) Dispensatio *per indultum pontificium* non solet dari super lege unicae comestionis (sufficit enim in hoc excusatio a jure); sed datur super abstinentia, quam semper certis limitibus coarctat (cfr. n. 243 et 1223).

b) Dispensatio, quae, ob peculiares rationes, *privatis* conceditur, potest comprehendere alterutram, vel utramque legis partem.

In Bulla *Non ambigimus* Benedicti XIV, praecipitur, ut dispensatio cum particulari, in esu carnium, ovorum et lacticiniorum, fiat *ex consilio utriusque medici*, i. e. tum spiritualis, confessarii nempe vel parochi, tum physici seu medici corporum. Ita quidem fert praxis in alma Urbe; alibi tamen in desuetudinem abiit.

c) Episcopi, cum dispensant ex indulto pontificio, generatim injungunt fidelibus aliquas preces vel eleemosynas.

An vero *sub gravi*, controvertitur. Alii *affirmant*, quia censetur esse commutatio; alii vero *negant* cum Gury: quia probabilius est, Episcopos intendere principaliter dispensare, et accessorie aliquod opus pium in quamdam satisfactionem levem imponere. Excipe, si Episcopus expressis verbis stricte obligare velit.

1242. — II. **Regulae** pro dispensatis EX INDULTO sunt sequentes:

REGULA 1ª Dispensati ad *carnes* sunt eo ipso dispensati ad *lacticinia;* dispensati autem ad *lacticinia* censentur eo ipso dispensati ad *ova*, nisi contrarium exprimatur.

Dispensatis ad carnes non prohibetur *caro suina*, neque in genere caro *insalubris*, nisi specialis facta sit prohibitio (qualis facta est a Clemente XI, per Edictum 24 Februarii 1702 pro Statu Romano). Cfr. H. Ap., XII, 8.

REGULA 2ª Dispensati ad carnes obligantur sub gravi abstinere *a piscibus*, in eadem refectione. Hoc praeceptum complectitur totam Quadragesimam, etiam dies dominicas, atque insuper omnes et singulos dies jejunii per annum. Constat ex tribus Constitutionibus Benedicti XIV, *Non ambigimus* (1741), *In suprema* (1741), *Libentissime* (1745); et ex pluribus decisionibus S. Poenitentiariae. Ne Episcopus quidem potest in hac lege dispensare. Cfr. *A. A. S.*, II, p. 953; ibi prohibitio Benedictina optime illustratur.

Digitized by Google

Nomine *piscium* veniunt etiam pisciculi sale siccati, item caviale *(caviar)*, vel testacea marina, ut cancri *(écrevisses)*, ostreae *(huîtres)*, aliaque his similia, ut constat ex Responsis S. Poenit., die 10 et 16 Jan. 1834.

Omnes igitur, etiam pueri post septennium (S. Poenit., 15 Mart. 1837), qui, EX INDULTO, carnibus vescuntur, etsi ad jejunium non teneantur, obligantur tamen ad non permiscendas epulas, ut respondit S. Off., 23 Jun. 1875. *Jusculum tamen carnis* una cum piscibus, ex declaratione S. C. C., die 7 Aug. 1910, ab ipsis adhiberi potest (*A. A. S.*, II, p. 959).

Illi vero qui, *non vi indulti,* sed EX JURE puta, ratione gravis morbi, a lege abstinentiae fiunt immunes, possunt simul carnibus et piscibus uti, ex sententia quam S. Poenit., 9 Jan. 1899, tuto sequi posse declaravit (*Nouv. Rev. Théol.*, 32, p. 64). — Item, fideles dispensati a lege abstinentiae diebus Veneris et Sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio jejunii, vesci possunt piscibus simul cum carnibus (S. Poenit, 15 Febr. 1834).

REGULA 3ª Dispensatis ad *carnes* et *lacticinia,* licet vesci lacticiniis simul cum piscibus. Et eisdem licet similiter vesci piscibus simul cum pulmento carnis jure cocto.

Primum constat ex Const. *Libentissime;* alterum ex Responsione S. Sedis. Ad QUAESITUM enim: « An dispensatus ad edendas carnes in diebus jejunii possit in eadem comestione vesci, ad consulendum suae valetudini, pulmento carnis jure cocto, et de cetero vesci piscibus, ut quantum potest, observantiam jejunii servet? », S. Poenit., die 23 Febr. 1826, respondit: « *Affirmative* ».

Nec prohibetur dispensatis, simul cum carne edere alios cibos jure piscium conditos. S. Poenit., 14 Jun. 1880 (*Coll. S. C. de P. F.*, n. 2077).

REGULA 4ª Dispensati ad carnes, sed *lege jejunii constricti,* obligantur, sicut ceteri jejunantes, ad unicam refectionem tempore fixo; hique, in collatione serotina, debent uti eodem cibo, quo alii jejunantes utuntur, atque in eadem restricta mensura. Constat ex *Benedicti XIV* Const. *Libentissime.* — Sed vide n. 1228.

REGULA 5ª Illi, qui ratione *aetatis,* vel *laboris,* vel *infirmitatis,* jejunare non tenentur, — diebus jejunii, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, licite vesci possunt carne et lacticiniis *pluries in die,* seu *quoties per diem edunt;* nisi Episcopus, auctoritate apostolica dispensans, restrictionem adjecerit. — Constat ex decisionibus S. Poenit., die 24 Febr. 1819, 27 Maii 1863, 16 Mart. 1882.

REGULA 6ª Concessa per apostolicum indultum licentia utendi *condimento adipis,* uti licet tum adipe cujuscumque animantis (S. Off., 1 Maii 1889), tum butyro (S. Off., 15 Maii 1896), minime vero carnium jusculo (S. Poenit., 15 Apr. 1836 et 20 Mart. 1847), nisi adsit consuetudo, quo casu Episcopus sileat (S. Off., 20 Jan. 1885).

Quoties autem uti licet butyro, licet etiam margarina (S. Off., 6 Sept. 1899). Sed concesso butyro, non ipso facto conceditur adipis condimentum. Porro condimento per indultum concesso uti licet in serotina etiam refectione, dummodo in indulto non sit posita restrictio. Praeterea, quando condimentum

Digitized by Google

adipis laridi permittitur, ille qui ipso larido utitur ad cibos condiendos, absque scrupulo manducare potest fragmenta laridi, quae, adipe extracta, supersunt, modo pergant esse pars condimenti (S. Poenit., 17 Nov. 1897).

1243. — Quaesita. QUAER. 1° *An Religiosi uti possint dispensationibus, quae fidelibus universim quoad jejunium conceduntur?* — Ex Decreto 1 Sept. 1912 (*A. A. S.*, IV, p. 627), respondendum est: *Affirm.*, si agatur de dispensatione super lege generali Ecclesiae et in indulto apostolico non excludantur Religiosi. — *Negative* vero, si abstinentia vel jejunium sint a regula praescripta, nisi in indulto de hac dispensatione ratio habeatur. Non servantes hujusmodi abstinentiam vel jejunium non transgrediuntur legem Ecclesiae, sed solam regulam. — Religiosi in America Latina degentes stare debent Responso ex Secret. Status 1 Jan. 1910 (cfr. n. 1247).

QUAER. 2° *An patresfamilias, cum in familia reperitur aliqua persona dispensata super usu carnium, possint indiscriminatim extendere dispensationem ad omnes ejusdem familiae personas.* — S. Poenit. (19 Jan. 1834) respondendum censuit: « Infirmitatem et aliud quodcumque impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam sive generatim expensarum compendium, eximere posse a praecepto abstinentiae, in diebus esurialibus ».

QUAER. 3° *An in Quadragesima, cum patrifamilias facultas sit edendi carnes, et idem non possit vel nolit duo parare prandia, alterum carnium et alterum ciborum esurialium, filiifamilias ceterique ejusdem servitio addicti possint carnes edere?* — S. Poenit. (19 Jan. 1834), respondit « Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis; adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur ». — Porro, « ratio permissionis, de qua in quaesitu, non est indultum patrisfamilias; sed impotentia, in qua versantur filiifamilias, observandi praeceptum ».— Est igitur mera directio pro confessariis. Constat ex variis Responsis S. Poenit., 27 Maii 1863 et 20 Apr. 1865 editis (*A. S. S.*, I, 424 seqq.).

CAPUT II.

De abstinentia extra jejunium.

Praeter AA. initio cap. I citat., cfr. *Berthelet*, Traité historique et moral de l'abstinence; *Villien*, op. laud., c. VIII; *Lehmkuhl*, I, n. 1455.

1244. — PRINCIPIA. I. **Praeceptum ecclesiasticum abstinendi a carnibus urget, praeter dies jejunii, feria sexta cujusvis hebdomadis et Sabbato.** *Prima pars* propositionis enuntiat *legem communem*, quae servanda est etiam in Dominicis Quadragesimae. — *Secunda pars*, quoad Sabbatum, dicit legem *consuetudinariam*, qua reguntur plerique loci Ecclesiae Latinae (Can. *Quia dies*, 31, *de Consecr.*, D. 5). — Si in diem Veneris vel Sabbatum incidat festum, cessat lex abstinentiae, ut notavimus supra n. 1240, 1°.

Digitized by Google

Legis abstinentiae, die Sabbati, immunes sunt, praeter Graeciam, Hispaniarum regna et Italia (S. Off., 7 Sept. 1906, n. 4). Item, in quibusdam Galliae et Belgii dioecesibus, excipiuntur Sabbata inter Natalem Domini et Purificationem B. M. V. occurrentia (*Benedict. XIV,* Synod., l. XI, c. 5).

In quibusdam vero locis, servanda est abstinentia diebus etiam Rogationum et vigilia S. Marci; qua in re tenenda est loci consuetudo.

1245. — II. Praeceptum abstinentiae sub gravi obligat omnes baptizatos rationis compotes, saltem si septennium compleverint. *Sub gravi:* quia lex est de re per se gravi; admittitur tamen materiae parvitas (cfr. n. 1225, Quaer. 2°). — *Omnes baptizatos rationis compotes,* ob argumenta supra n. 194 et 195 explicata. — Excusat tamen: 1° impotentia sive physica, sive moralis; — 2° dispensatio Superioris.

1246. — Corollaria. 1° Legitime EXCUSANTUR a lege abstinentiae:

a) *Pauperes mendicantes;* qui possunt edere quidquid in eleemosynam accipiunt. Item, pauperes operarii, qui cum butyrum oleumve emere non valent, licite frustulo sagiminis vel laridi, ad offam aut lactucas condiendas, utuntur (III, 1008, 1033).

b) *Aegrotantes et stomacho debiles,* qui nempe cibis esurialibus vesci nequeunt sine gravi incommodo.

Quo etiam titulo excusantur quidam operarii, v. gr. in fodinis vel officinis vitri aut ferri, ob extraordinariam laboris improbitatem. — Item mulieres gravidae aut lactantes, si proles aegrotet, aut mater sit valde debilis.

c) *Uxores et filiifamilias,* qui gravem maritorum vel parentum paterentur indignationem; modo esus carnium non praecipiatur in contemptum legis aut religionis. Cfr. tamen dicta n. 154, 3°, v. fin.

Item famuli et operarii, quibus non praebentur cibi liciti, si nequeant dominum relinquere, aut alium quaerere, sine gravi incommodo; debent tamen contradicere, in quantum prudentia id permittit.

d) *Milites* in castris vel contuberniis versantes, qui expensis gubernii in communi nutriuntur.

Non autem excusantur duces, qui privatim et propriis expensis se reficiunt; nec milites privatim iter agentes, aut in domo paterna, licet ad breve tempus, degentes, nisi indulto aut consuetudine excusentur (prout exsistit in Gallia). Cfr. n. 1234; *Ami du Cl.,* 1905, p. 1031.

Nota. Militibus et nautis Americanis (non autem iis qui ex castris, navibus, praesidiis cum venia absunt) tantummodo sex dies abstinentiae assignantur: Feria IV Cinerum, tres ultimi dies Hebdomadae Sanctae, vigilia Assumptionis B. M. V. et Natalis Domini (*Coll. Lac.,* III, App. ad Conc. pl. Baltim., II, col. 573).

e) *Viatores,* qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, nec facile alio divertere possunt.

Tenentur tamen serio et instanter licitos cibos petere; neque unquam excusantur ob timorem aliis displicendi, aut provocandi irrisiones (cfr. n. 522).

Digitized by Google

f) *Invitati ad prandium,* si, praeter exspectationem, prandium ex vetitis epulis paratum inveniant.

Intellige: Nisi in odium religionis id factum fuerit; — vel nisi invitatus sit sacerdos, vel talis, qui, manducando, grave scandalum ingerat; — vel nisi propter confidentiam aliae epulae peti possint. Porro discedere, aut toti prandio assistere, nihil aut solum panem comedendo, ex una parte virtutem pene heroicam exigeret, ex alia magnam turbationem, imo, ut plurimum, inimicitiam provocaret. Ita *Berardi* (Theol. mor., IV, n. 12, p. 15).

Nota. Quoad caupones vide n. 522.

2° Catholici, qui, diebus abstinentiae, carnes praebent *acatholicis suis convivis,* non sunt culpandi, si vel *a*) ipsis id permittitur vi indulti apostolici, quod plures Episcopi impetrare et confessariis communicare solent; — vel *b*) concurrat justa aliqua causa; dummodo tamen, in utroque casu, absit scandalum, et ecclesiasticae legis contemptus; — vel *c*) quia pro acatholicis Ecclesia censetur non urgere eas leges positivas quae directe vergunt in sanctificationem animarum, ne multiplicentur peccata (cfr. n. 198).

3° A lege abstinentiae *dispensare possunt* iidem qui a lege jejunii, atque in iisdem casibus (cfr. n. 1240).

Scholium I.

De lege jejunii et abstinentiae in diversis regionibus.

1247. — Italia. Die 7 Sept. 1906 (*A. S. S.*, 39, p. 455) reformata est lex abstinentiae et jejunii, eo fine ut tollerentur locales consuetudines (etiam immemorabiles) et uniformitas (excepto casu voti) ubique inveniatur.

I. Obligatio jejunii aderit pro non excusatis: in Quadragesima; in Adventu (feriis sextis et Sabbatis); in Quatuor Temporibus; in vigiliis Natalis Domini, Pentecostes, Ss. Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., et Omnium Sanctorum.

Nota: 1° Promiscuitas carnis et piscium his diebus et in eadem refectione vetatur omnibus, etiam diebus Dominicis Quadragesimae.

2° Diebus Dominicis Quadragesimae, est neque jejunium, neque abstinentia.

II. Obligatio abstinentiae quatuor patitur distinctiones:

1° *Abstinentia rigorosissima.* Prohibentur in omnibus refectionibus etiam ova et lacticinia, imo et condimenta adipis, laridi, butyri, margarinae, etc. — Etiam non jejunantes hac prohibitione tenentur. — *Urget ista prohibitio* feriis sextis Quatuor Temporum in Quadragesima et Hebdomadae Sanctae, vigiliis Natalis Domini et Assumptionis B. M. V.

2° *Abstinentia rigorosa.* Permittuntur ova et lacticinia, condimenta adipis, butyri, etc. — In coenula tamen, jejunantes (ratione jejunii) iis uti nequeunt. — *Viget haec abstinentia:* prima die Quadragesimae, feriis sextis et Sabbatis Quadragesimae et Adventus (exceptis feriis sextis de quibus supra), vigiliis Pentecostes, Ss. Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum.

Digitized by Google

3° *Abstinentia mitigata.* Permittuntur etiam carnes et jusculum carnis, sed *in solo prandio,* pro jejunantibus. — *Obligat haec abstinentia* diebus ordinariis Quadragesimae, qui supra non fuerunt memorati.

4° *Abstinentia ordinaria.* Usus carnis vetatur; in quacumque comestione licita sunt omnia alia. Est abstinentia feriae sextae cujusque hebdomadis per annum.

Nota. Anno 1911 (*A. A. S.,* III, 361) indultum pro Italia extensum est ad regiones *Dalmatiae,* aliquibus paucis mutatis.

America Latina, insulae Philippinae et Antillae. Die 1ª Januarii 1910, S. Pontifex, abrogatis privilegiis et indultis *Bullae Cruciatae,* et Summariorum, quae huic adnectebantur, novum indultum *ad decennium* promulgavit.

1° *Jejunium sine abstinentia* servetur feriis VI Adventus et feriis IV Quadragesimae.

2° *Jejunium cum abstinentia* servandum est feria IV Cinerum, feriis VI Quadragesimae et feria V Hebdomadae Sanctae.

3° *Abstinentia sine jejunio* servanda est in vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, Ss. Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V.

Nota. a) Nulla taxa, seu eleemosyna, pro usu indulti imponi potest; nec requiritur ut singuli fideles vel familiarum capita petitionem pro usu indulti exprimant.

b) Hoc indulto, de consensu Superiorum, uti possunt Religiosi utriusque sexus, speciali voto non obstricti, quamvis sint ex Ordinis Minorum familia, etiam quoad abstinentias et jejunia in propriis statutis praescripta.

c) Diebus jejunii, etiam regulares possunt, in collatione serotina, uti ovis et lacticiniis. In refectiuncula vero matutina, permittuntur tantum lacticinia.

d) Privilegia Nigritis et Indis concessa, per Const. *Trans Oceanum,* 18 Apr. 1897, firma remanent, et privilegiis novi indulti uti possunt. Unde jejunare tenentur solummodo *feriis VI Quadragesimae,* nec obligari possunt ad jejunium Sabbato Sancto et in vigilia Natalis Domini (13 Dec. 1911).

e) Firma remanet prohibitio miscendi carnes cum piscibus. — *Excipitur Status de Chile,* pro quo, ob rationes graves, anno 1911 prohibitio abolita est. Cfr. pro his omnibus *A. A. S.,* p. 215, 272; III, 184; IV, p. 730.

India orientalis. 1° *Dies jejunii* sunt novem tantum: sc. feriae VI in Quadragesima, vigiliae Natalis Domini et Sabbati Sancti. — 2° *Dies abstinentiae* sunt, praeter dies jejunii, omnes feriae VI per annum et feriae IV in Quadragesima (Kalend. archid. *Bombay*).

Scotia. Die 27 Jan. 1911 concessit S. Pontifex pro fidelibus regni Scotiae relaxationem partialem jejunii, ita ut (Quadragesima exclusa), in Sabbatis Quatuor Temporum et in vigiliis, quas subsequitur vel praecedit feria VI vel alius dies abstinentiae, libere carnem edere possint (*A. A. S.,* III, p. 58).

Scholium II.

De jure peculiari Hispaniae.

1248. — Jus peculiare, quo Hispaniarum regna et coloniae, quoad praesentem materiam, reguntur, partim independenter, partim dependenter a celebri *Bulla* Cruciatae statuendum est.

A. **Independenter a Bulla Cruciatae,** citandae sunt dispositiones generales et indulta particularia.

Digitized by Google

I. DISPOSITIONES GENERALES. 1° Legitima consuetudine abstinentia a carnibus *in Sabbato* (praeter dies jejunii) abrogata est. — 2° Inde ab anno 1867, jejunia in vigiliis S. Joannis Baptistae necnon Ss. Apostolorum in ferias VI et Sabbata Adventus translata sunt, exceptis tamen duabus vigiliis Ss. Apostolorum Petri et Pauli necnon S. Jacobi Majoris, quae ipsismet, quibus affixae sunt diebus, jejunio consecratae manent. — 3° Lex jejunii et abstinentiae die Commemorationis S. Joseph (utpote quae inter festa restituta numeretur) vi Motus Proprii *Supremi disciplinae,* dispensata est, firma manente prohibitione ne cibi promiscui in eadem comestione apponantur (S. C. C., 21 Nov. 1912).

II. INDULTA PARTICULARIA. 1° Milites *gregarii* eorumque *decuriones* (*cabos, sargentos*) per totum *actualis* servitii tempus, sive in bello, sive in praesidiis versentur, *absolutissimam* a legibus jejunium aut abstinentiam quomodocumque respicientibus dispensationem receperunt (Breve *Cum in regis,* 16 Dec. 1803).

2° *Duces decurionibus superiores* eadem absolutissima dispensatione fruuntur, sed duntaxat cum proficiscuntur ad *bellum* gerendum aut in expeditione actu versantur (ib.) Dispensatio in iisdem circumstantiis ad medicos, capellanos castrenses, etc. extenditur.

3° Duces iidem, officium suum *actu in praesidiis* exercentes, simul fruuntur dispensatione, exceptis: *a*) quoad jejunium simul et abstinentiam a *carne:* feria IV Cinerum, septem feriis VI Quadragesimae; feria IV, V et Sabbato Hebdomadae Majoris; — *b*) quoad *solum* jejunium, sine *ulla* ne a promiscuis quidem cibis abstinentia: septem Sabbatis Quadragesimae et feria II ac III Hebdomadae Majoris (ib.).

4° Militum ducumque familiae, famuli, commensales iisdem respective privilegiis quibus parentes, heri . . . uti possunt, sed quoad *solam abstinentiam* (firma remanente jejunii lege, quatenus unam duntaxat refectionem permittit); duplici tamen sub conditione: *a*) ut de illorum mensa *habitualiter* edant; — *b*) ut principaliter privilegiati *per triduum* absentes non sint (ib,).

5° Die 20 Mart. 1906 concessum est ad decennium ut capellani, viatores, vectores ceterique omnes in navibus Societatis Transatlanticae Barcinonensis quomodocumque commorantes, iisdem quibus milites gregarii privilegiis frui possint, sequentibus diebus exceptis, quibus sola servanda est lex *piscium et carnis mixtionem* prohibens, nempe: septem feriis VI Quadragesimae necnon feria IV, V et Sabbato Hebdomadae Majoris.

B. **Dependenter a Bulla Cruciatae** ordinantur dispensationes aliis, ac supra enumeratis, fidelibus Hispanis necnon extraneis in Hispania divertentibus concedi solitae. Hinc patet Bullam *Cruciatae,* ad praesentem materiam quod spectat, et vim indulti habere, et duobus indultis eidem adjectis robur ac valorem conferre.

Haec duo indulta vulgo Bullae *carnis* et *lacticiniorum* vocantur. Ex eorum nominibus demonstratur dispensationum *materia.*

I. BULLARUM OBJECTUM. Bullae solas dispensationes a lege *abstinentiae,* prout Jure communi inducta est, respiciunt; unde 1° Bullis non indigent qui ipsomet Jure naturali a positivo praecepto abstinentiae certo dispensati exsistunt; — 2° sed nec Bullis juvantur illi Regulares qui *speciali voto* ad perpetuam abstinentiam servandam sese obstrinxerunt; — 3° Bullae similiter intactam relinquunt legem jejunii, quatenus: *a*) unam duntaxat refectionem permittit; — *b*) ova et lacticinia a coenula excludit (hinc *non dispensati* a jejunio cibis concessis in sola refectione uti possunt; *dispensati* vero quoties comedere velint); — *c*) quatenus tandem piscium et carnis permixtionem in eadem comestione prohibet.

Digitized by Google

Nota. Trium indultorum confecta sunt *Summaria* in quibus et Bullarum privilegia et privilegiorum conditiones aut limitationes (ubi adjectae sint) exponuntur. Edictae sunt insuper a RR. CC. quatuor Declarationes, nempe: S. Off., 4 Mart. 1891, 23 Jan. 1901, quoad Regulares; 31 Mart. 1906, quoad presbyteros saeculares sexagenarios; S. C. C., 23 Jan. 1910, quoad pauperes; quae necessario consulendae sunt.

II. CONDITIONES GENERALES AD VALOREM REQUISITAE. Bullae earumque summaria exhibent *privilegia*. Ergo invitis non prosunt. Privilegia haec sunt: 1° *personalia:* unde singulis privilegiatis applicari debent; — 2° *onerosa:* unde singuli singula summaria accipere sibique personaliter applicare, necnon pro sua conditione statutas taxas ex propriis bonis solvere debent; — 3° *temporalia:* summariorum valor perdurat a die sumptionis usque ad proximam subsequentem promulgationem in loco ubi privilegiatus residet; haec autem promulgatio singulis annis facienda est; unde singulis annis nova quisque sibi summaria comparare debet; — 4° *localia:* unde et Bullae *in Hispania* a personis *ibidem* exsistentibus aut divertentibus sumendae sunt et legitimus privilegiorum usus (quoad carnes inconditionate concessas) finibus *hispanici* territorii circumscriptus est; — 5° *inaequaliter distributa* pro diverso personarum statu; hinc quisque ad restrictiones ad se forte spectantes attendat.

III. BULLA CRUCIATAE (proprie *Indultum quadragesimale)* duo privilegia per se confert: 1° jus *inconditionatum* ovis et lacticiniis utendi *toto* Quadragesimali tempore, nullo die excepto; — 2° jus *conditionatum* edendi carnes, *nullo anni tempore, nullo die excepto.* — Duplex vero apponitur conditio: *a*) causa *gravis,* id est sufficiens ad ingerendum dubium sisne ipso Jure naturali dispensatus annon; — *b*) utriusque medici *consilium.* Ab alterius hujusce privilegii usu (verificatis conditionibus) nemo excluditur.

IV. BULLA CARNIS permittit *inconditionate* carnis usum, *quibusvis* anni diebus tam jejunio quam simplici abstinentia consecratis, praeter sequentes: *a*) *extra Quadragesimam,* vigilias Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V. et Ss. Apostolorum Petri et Pauli; — *b*) *intra Quadragesimam,* feriam IV Cinerum, septem ferias VI, necnon ferias IV, V et Sabbatum Hebdomadae Majoris.

Nota. 1° *Privilegiorum* (III, IV) *participes* sunt: *a*) *Plene:* omnes sive laici, sive clerici, sive regulares *sacerdotio non insigniti,* necnon presbyteri *saeculares sexaginta annos* nati (31 Mart. 1906). — *b*) *Extra Hebdomadam Majorem:* presbyteri *regulares* vitam claustralem agentes (S. Off., 4 Mart. 1891). Presbyteri autem regulares *sexagenarii,* sed extra claustra degentes *lacticiniis* quidem sine dierum limitatione, *carnibus* vero extra Hebdomadam Majorem tantum uti possunt.

2° *Penitus exclusi ab eorumdem usu* sunt: presbyteri tam *saeculares* quam *regulares extra claustra degentes,* qui *sexaginta* annos nati non sunt. Sed haec exclusio non extenditur ad privilegium conditionatum per Bullam *Cruciatae* omnibus collatum, ut supra vidimus.

3° Regularibus non presbyteris ut eodem modo jejunent, quo regularium Ordinum sacerdotes, consilio insinuatur (23 Jan. 1901).

V. BULLA LACTICINIORUM remedium quoddam est, quo ab usu privilegiorum (III, IV) penitus exclusi uti valent, ad supradictorum privilegiorum participationem obtinendam; triplici tamen sub conditione: ut pro solis lacticiniis, summarium duplex *Cruciatae* scilicet et *lacticiniorum;* pro lacticiniis simul et carnibus triplex *Cruciatae, carnis* et *lacticiniorum* summarium sibi com-

Digitized by Google

paraverint, utque gratia concessa extra Hebdomadam Majorem duntaxat frui valeant.

Nota. In praesenti materia, Hebdomada Major non comprehendit Dominicam Palmarum.

VI. BULLARUM NECESSITAS disjunctive accipienda est, ita nempe ut qui a solvenda taxa exempti non sunt, aut Bullas sumant aut sub gravi legem abstinentiae *strictissime* observare teneantur.

VII. EXEMPTI ab onere sumendae Bulla *Cruciatae* sunt ***pauperes ac fere pauperes,*** sensu aliquanto latiore accepti. Hi utriusque Bullae privilegio plene fruuntur, recitato semel *Pater* et *Ave* quoties carnes edunt (S. C. C., 23 Jun. 1910).

A sumenda Bulla carnis excusantur Fratres Minores S. Francisci, cum facultate lacticinia edendi per totam Quadragesimam, et carnes usque ad feriam IV Hebdomadae Majoris exclusive, si non sunt praesbyteri; si sacerdotes, utrisque epulis vescendi usque ad Dominicam Palmarum inclusive. — Ab onere Bullae *lacticiniorum* liberi sunt omnes, praeter sacerdotes non sexagenarios in saeculo vel extra claustra degentes.

VIII. SCHEMA. 1° *Quoad Bullam lacticiniorum.* *a*) Pauperes indigent ***nulla;*** — *b*) ceteri fere omnes, *una;* — *c*) soli sacerdotes non sexagenarii in saeculo vel extra claustra degentes, *duabus.*

2° *Quoad Bullam carnis et lacticiniorum.* *a*) Pauperes indigent ***nulla;*** — *b*) Fratres Minores, *una;* — *c*) ceteri fere omnes, *duabus;* — *d*) soli sacerdotes non sexagenarii, communiter *tribus.*

Nota. Ampliorem totius Bullae expositionem vide apud ***Salmanticenses, Tamburini, Croix, Ferraris,*** aliosque veteres theologos. Inter recentiores vide *Pavone,* La luce fra le tenebre; *Michael Sanchez,* Expositio Bullae Cruc.; *Mach,* Tesoro del sacerdote.

Digitized by Google

TRACTATUS II.

De censuris et poenis ecclesiasticis

1249. — Omnia delicta, et praesertim delicta publica, *ordinis perturbationem* important, tum respectu *Dei,* tum respectu *societatis*, tum respectu *ipsius delinquentis.*

Perturbatus igitur ordo *redintegrandus est.* Redintegratur autem POENIS tum *vindicativis,* quibus scilicet laesus Dei honor vindicatur; tum *exemplaribus,* quibus deterrentur alii, ne et ipsi delinquant; tum *medicinalibus* (quales sunt censurae ecclesiasticae), quibus rei incitantur, ut citius resipiscant.

1250. — Ad *Jus canonicum* pertinet tractare de variis his poenis, in quantum spectant ad forum externum. Verumtamen, scientia etiam moralis tradere debet notiones de *Censuris et Poenis ecclesiasticis,* saltem de iis, quae sunt confessario scitu utiliores ac magis necessariae.

Dicemus: 1° de censuris in genere; — 2° de tribus censurarum speciebus, quae sunt: *Excommunicatio, Suspensio* et *Interdictum;* — 3° de censuris, quae hodiernis temporibus in particulari vigent; — 4° de quibusdam aliis poenis ab Ecclesia inflictis.

CAPUT I.

De censuris in genere.

S. Alphonsus, VII, 1-133; ed. G., IV, p. 171; H. Ap., tr. XIX, c. 1; *Suarez,* de Cens.; *Berardi,* Comment. in Jus, vol. II, Diss. III; *Aichner,* Comp. Jur. eccl., sect. III, c. 2, a. 2; *Lega,* de Judic. eccl., l. 2, P. 1, tit. 3; *Bucceroni,* de Cens.; *Hilarius a Sexten, Bargilliat, Hollweck* et alii, in eamdem materiam.

Agendum: 1° de censurarum notione et divisione; — 2° de earum (valida aut licita) inflictione; — 3° de causis a censura excusantibus; — 4° de absolutione a censuris.

ARTICULUS I.

De censurarum notione et divisione.

1251. — DEFINITIO. Censura est poena spiritualis et medicinalis, ab ecclesiastica potestate inflicta, per quam homini baptizato delinquenti et contumaci tollitur usus quorumdam spiritualium bonorum.

Digitized by Google

Dicitur: 1° *poena,* stricte loquendo, i. e. malum inflictum a legitima auctoritate ob culpam; — 2° *spiritualis,* quia privat spiritualibus bonis, uti constat ex Bulla *Auctorem fidei* (sub n. 46); — 3° *medicinalis,* i. e. inflicta ut reus resipiscat et emendetur: iste est *primarius* et *specificus finis* censurae; non infligitur iis, quorum desperata est correctio, nisi quandoque ad terrorem aliorum; — 4° *homini baptizato;* infidelis enim non subjacet Ecclesiae; — 5° *delinquenti et contumaci,* qui nimirum, actione externa, Ecclesiae monitionibus ex quodam contemptu saltem virtuali non obtemperat; — 6° *usus quorumdam bonorum spiritualium,* eorum scilicet, quae subsunt potestati Ecclesiae, ut mox explicabitur.

1252. — De bonis spiritualibus Ecclesiae. Exsistunt in Ecclesia triplicis generis bona: 1° Alia procedunt immediate a *Capite* seu *Christo,* ut variae gratiae. His non privat censura, quia non dependent ab Ecclesia; unde censura potest consistere cum statu gratiae, v. gr. in eo, qui censuram incurrit propter peccatum, de quo postea perfecte conteritur. — 2° Alia procedunt a *membris privatim sumptis,* ut preces et bona opera singulorum fidelium. Neque haec bona tollit censura, saltem *per se,* quia Ecclesia non potest impedire illam Sanctorum communionem, quae ex fide et caritate provenit. — 3° Alia demum procedunt a *corpore,* seu *Ecclesia,* ut sacramentorum usus, officia divina, indulgentiae, jurisdictio, beneficium, suffragia communia. His privat censura, sive in toto, sive in parte. Potest etiam privare usu et commercio fidelium *in civilibus* (v. gr. honore, salutatione, etc.), at secundario tantum et in ordine ad spiritualia (*Suarez,* l. c., disp. I, s. I, n. 6).

1253. — *Ex his colliges:* Censura differt: *a*) *a depositione, degradatione et privatione beneficii;* nam hae poenae sunt primario *vindicativae,* ita quidem ut sint de se perpetuae, possintque etiam post peccati emendationem infligi, et, emendato jam peccatore, adhuc perdurent; — *b*) *ab irregularitate,* quae per se non est poena, sed est *impedimentum canonicum;* unde tollitur solum per dispensationem; — *c*) *a cessatione a divinis,* quae indicitur primario ad propulsandam injuriam Ecclesiae illatam (VII, 2-5).

Nota. Effectus censurae in particulari indicantur n. 1291 seqq., 1304, 1308.

1254. — Divisio. Censura multipliciter distinguitur:

1° Ratione speciei est triplex, videlicet: *excommunicatio, suspensio* et *interdictum.*

Duo ultima non sunt semper censurae; aliquando sunt poenae mere medicinales, sed aliquando induunt etiam naturam poenae vindicativae, ut infra dicemus (n. 1300).

2° Ratione modi quo infligitur, alia est *a Jure,* alia *ab homine.*

a) Censura a Jure est illa, quae fertur per canones seu leges ecclesiasticas, v. gr. per statutum synodale. Haec *non cessat* morte vel amotione

Digitized by Google

legislatoris. — *b*) Censura AB HOMINE est illa, quae infligitur a legitimo Superiore; sive per modum *sententiae judiciariae,* sive per modum *praecepti.* — Praeceptum autem, etsi transitorium, est vel *generale* absque determinatione personarum, v. gr. si quis reum hujus delicti sciverit, illum denuntiare tenetur, sub poena excommunicationis; vel *particulare,* afficiens personas determinatas. — Censura hujusmodi *cessat* per mortem aut amotionem illius, qui eam tulit, i. e. non amplius incurritur; si enim jam contracta esset, vinculum sola absolutione tolleretur (VII, 6; *Lehmkuhl,* II, 1102) [1].

Nota. Censura ab homine potest etiam ferri *ex informata conscientia,* ut infra (n. 1301) explicabimus.

3° Ratione modi quo incurritur, censura est *latae* vel *ferendae* sententiae.

a) Censura LATAE SENTENTIAE (quae est Ecclesiae propria, in Codice civili ignorata) est illa, quae incurritur ipso facto, quo quis legem violaverit, quin judicis sententia condemnatoria requiratur.

Talis est: si in lege dicatur: *ipso facto, ipso jure, jure, eo ipso, ex tunc, illico, protinus, sine alia sententia;* — si verba sint praeteriti vel praesentis temporis, v. gr. *excommunicavimus, excommunico, suspenduntur, interdicuntur;* — si dicatur modo imperativo: *incidat in excommunicationem, maneat suspensus* vel *interdictus, volumus* aut *jubemus esse excommunicatum, suspensum;* vel etiam: *excommunicetur, suspendatur,* etc., scilicet absolute sine ministerio alterius; non vero si praeceptum excommunicandi, suspendendi, etc. alteri (puta Episcopo) imponatur.

b) Censura FERENDAE SENTENTIAE est illa, quae non contrahitur nisi accedente judicis sententia.

Talis esse censetur: si verba sint temporis futuri, v. gr. *excommunicabitur, suspendetur;* si exprimant praeceptum excommunicandi, suspendendi, v. gr. *excommunicetur per Episcopum;* si sint comminatoria, v. gr. *sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis,* etc.; nisi tamen ex adjunctis aliud colligatur; — item, si sint ambigua; nam ex Regula Juris 49ª *in 6°:* « In poenis benignior est interpretatio facienda ». Ambigua autem essent, v. gr., haec verba: *excommunicatus sit.* In casu autem haeresis, sunt latae sententiae, ut omnes docent (H. Ap., XIX, initio).

4° Ratione potestatis absolvendi, censurae sunt *reservatae* vel *non reservatae.* — *a*) NON RESERVATAE sunt illae quae ab inferioribus absolvi possunt. — *b*) RESERVATAE sunt illae, quae non possunt absolvi nisi a ferente, vel ab alio cui reservatae sunt.

Aliae sunt reservatae *Romano Pontifici,* sive speciali modo, sive simpliciter. — Aliae sunt reservatae *Episcopis vel praelatis,* sive Jure communi, i. e. per canones vel constitutiones papales, sive Jure particulari, v. gr. per statuta dioecesis vel Religionis.

[1] Non desunt qui opinentur, censuras ab Episcopo *extra synodum* latas esse *a Jure* (cfr. *Ami du Cl.,* 1910, p. 229). Nobis tamen magis placent quae *Salmanticenses, Roncaglia, Croix* (cum *S. Alph.,* l. c.) statuunt.

Digitized by Google

Censurae autem *ab homine* semper reservatae censentur, nisi latae fuerint per praeceptum generale.

Nota. 1° Ex eo quod aliquid sub censura (qua poena) prohibetur, non sequitur semper legem sub mortali obligare (cfr. n. 1263, 2°). — 2° Qui absolvere potest a censuris qua censuris, de iis etiam potest absolvere, qua poenis (*D'Annibale,* Summula, I, n. 358).

ARTICULUS II.

De censurarum inflictione.

Conditiones requisitae ad censuras valide ac licite infligendas respiciunt earum *auctorem, subjectum, materiam* (seu causam) et *formam.*

§ 1. De auctore censurae.

1255. — Principia. I. **Potestas ferendi censuras est penes Ecclesiam.** De fide est (contra novatores), et constat, tum ex eo quod Christus dedit pastoribus potestatem puniendi; tum ex usu apostolorum constantique Ecclesiae praxi; tum denique ex Concilio Constantiensi (Sess. 8, err. 3), necnon ex Bullis Martini V et Leonis X (VII, 9).

1256. — II. **Potestas ordinaria ferendi censuras est penes omnes et solos Superiores ecclesiasticos, habentes jurisdictionem in foro externo et contentioso.** Constat ex variis locis Juris canonici. — *Forum externum* est locus, territorium, in quibus res ad gubernationem externam Ecclesiae spectantes tractantur. — *Forum contentiosum* supponit lites et judicialem strepitum.

Hinc, censuras ferre possunt: 1° Papa et Concilium generale, respectu totius Ecclesiae. — 2° Congregationes Romanae, ut Congr. Concilii, S. Officii, de Religiosis, etc., etiam pro universa Ecclesia, in iis, quae sibi demandata sunt exsequenda. — 3° Legati apostolici, in territorio ipsis assignato; Cardinales, in suis ecclesiis. — 4° Patriarchae et Archiepiscopi respectu subditorum propriae dioecesis; non vero in dioecesi suffraganeorum, nisi tempore visitationis, aut nisi causa per appellationem ad eos devolvatur. — 5° Episcopi, respectu propriae dioecesis, dummodo confirmati sint, etsi nondum consecrati. — 6° Vicarii generales Episcoporum, respectu dioecesanorum; quia unum cum proprio Episcopo tribunal constituunt. — 7° Generales, Provinciales et Superiores locales Religionum, scilicet regularium, ut priores, guardiani, rectores, respectu subditorum, et pro variis Ordinum statutis [1].— 8° Concilia provincialia, Congregationes Religionum, Capitulum ecclesiae cathedralis, sede vacante et nondum electo Vicario; dein, Vicarius capitularis: singuli respective pro suis subditis. — 9° Quidam alii ex privilegio, prout sunt plures Archidiaconi, Archipresbyteri et Decani. — 10° Omnes qui, per errorem communem, cum titulo praesumpto, tanquam Superiores habentur (cfr. n. 139-144).

Nota. Parochi non possunt ferre censuras; nam nullam habent potestatem in foro externo (VII, 10, 11); nec consuetudo ipsis favet.

[1] Superiores Congregationum, quae exemptionis privilegio gaudent, eadem potestate quoad ferendas censuras uti possunt, qua gaudent Regulares. Id secum fert exemptio passiva, quae ipsis a S. Sede concessa est. *Vermeersch,* I, n. 454, 2.

Digitized by Google

1257. — III. Potestas delegata ferendi censuras solis clericis committi solet. Ratio est, quia ordinarie soli clerici capaces jurisdictionis ecclesiasticae exsistunt. — Clerici conjugati tamen a Jure hujus jurisdictionis incapaces declarantur (c. *de Cler. conjug.*, in 6°).

Dicitur: *solis clericis;* sufficit autem ut sint prima tonsura insigniti; — *committi solet:* his verbis solum attenditur ad casus ordinarios. In casu enim extraordinario, posset *laicus baptizatus* ad ferendas censuras deputari, sed *ex sola Commissione S. Pontificis.* — *Baptizatus,* diximus; qui enim non est in Ecclesia, non est capax jurisdictionis ecclesiasticae, ut docet verior sententia.

Quaestio magna est, *utrum mulier (v. gr. Abbatissa) delegari possit.*

Prima sententia dicit: mulierem ex Jure divino muneris proprie ecclesiastici esse incapacem; attamen ex hoc non necessario sequitur, S. Pontificem *ex absoluta potestate* nullam delegationem, per modum actus transeuntis, mulieri committere posse (*Suarez,* de Cens., disp. 2, s. 3, n. 7). Eamdem opinionem tuetur *Lugo* (Resp. mor., l. 6, c. 6, n. 9), ubi quaerit num S. Pontifex spiritualem potestatem homini non baptizato delegare possit (cfr. *Lehmkuhl,* II, 1118).

Secunda vero sententia, cui adstipulatur *S. Alphonsus* (VII, 12), tenet cum *D. Thoma* (in 4. D. 19, q. 1, a. 1, sol. 3, ad 4), Salmanticensibus et aliis, mulierem nullo modo habere posse neque clavem ordinis, neque clavem jurisdictionis (cfr. *Vind. Alph.*, P. VIII, q. 5). — Abbatissa vero posset obtinere Decretum, quo, sub poena censurae, mandata sua servari debeant.

Nota. a) Potestas delegata *cessat* per mortem aut amotionem delegantis; nisi causa a delegato jam fuerit incepta (saltem per citationem rei). — *b*) Delegatus *nequit subdelegare,* nisi habeat ad hoc specialem commissionem, aut nisi sit delegatus a R. Pontifice vel ad universitatem causarum, et, in utroque casu, per modum officii (cfr. n. 322).

1258. — IV. Ad validum exercitium potestatis ferendi censuras requiruntur: intentio ligandi et potestas expedita quoad usum. *Primum* patet. — Quoad *secundum,* novit quisque, excommunicatos, suspensos, haereticos vel schismaticos, *si sint vitandi,* nullas ferre posse censuras, cum eorum potestas a Jure sit ligata (VII, 12).

Nota. Qui *ex metu gravi* fert censuram, *valide* ligat censuratum; quia actus, metu gravi factus, non tollit de se voluntarium; est ergo validus, nisi specialiter ex Jure positivo irritetur. — Quoad *absolutionem* a censuris metu gravi extortam, vide dicenda n. 1286.

Corollaria. Cum potestas ferendi censuras sit quid legiferae potestati annexum, sequuntur sequentia:

1° Episcopus, *exsistens* EXTRA *propriam dioecesim,* potest ferre censuras in subditos, *per modum statuti,* aut *praecepti,* ad futura crimina praecavenda (quia ad sic ferendum censuram, non requiritur strepitus judicialis); non vero, *per modum sententiae,* quia nemo valet in alieno territorio exercere jurisdictionem contentiosam.

Digitized by Google

Excipe: *a*) Si contumacia subditi delinquentis sit tam manifesta, ut non indigeat cognitione causae. — *b*) Si causa sit jam judicialiter cognita in proprio territorio. — *c*) Si Episcopus sit injuste expulsus a sua dioecesi; quo casu, potest in locis vicinioribus suam jurisdictionem exercere, petita, licet non obtenta, ab Ordinario loci licentia. — *d*) Si, in ceteris casibus, Ordinarius loci consentiat; dummodo partium etiam consensus accedat, quia nemo potest invitus trahi extra suum territorium (VII, 21).

2° Regulariter non expedit, Superiorem *in causa propria* ferre censuras; id reputatur, in Jure, vindicta.

Excipe: *a*) si fiat non per modum judicii, sed per modum defensionis, in eum, qui infert violentiam; quia licet vim vi repellere; — *b*) si causa tam publica sit ac manifesta, ut nec negari possit, nec ullo examine indigeat (*Konings*, 1662).

§ 2. De subjecto censurae.

1259. — Principia. I. **In omnes et solos subditos Superior potest ferre censuras.** Ratio est, quia subjectio et jurisdictio sunt correlativa (VII, 13). — Ut quis ergo censura ligari possit, requiritur: 1° Ut sit *homo;* contra daemones enim Ecclesia utitur exorcismis, non censuris. — 2° *Baptizatus;* unde, haeretici excommunicari possunt, non autem catechumeni. — 3° *Viator;* quia mortui solum declarantur excommunicati, vel suffragiis ac sepultura ecclesiastica privantur. — 4° *Non exemptus;* quia per privilegium exemptionis aufertur jurisdictio, intra limites scilicet exemptionis.

1260. — *Ex his colliges: a*) Papa nequit censuris ligari; non quidem ab alio, quia superiorem non habet; neque a seipso, quia non tenetur praeceptis suis vi coactiva.

b) Episcopi non ligantur censuris ab ipsis emanatis, quia nemo est sui ipsius subditus. — Imo, ex privilegio Juris, Episcopi et Cardinales non incurrunt suspensionem vel interdictum, nisi de ipsis expressa mentio fiat, saltem indirecte, v. gr. per clausulam: « etiam speciali seu individuali nota dignos ». Excommunicationi autem papali subjacent supra excepti, etiamsi in lege de his nulla mentio fiat (*Giraldi,* Exp. Jur. pont., P. I, s. 623).

c) Reges et reginae, quamvis subditi sint Episcopis in spiritualibus, non possunt tamen ex consuetudine ab eis censura ligari. — Subjiciuntur vero censuris pontificiis, etiam a Jure latis, v. gr. contra invasores dominii temporalis S. Sedis, eorumque adjutores (VII, 16).

d) Religiosi exempti non possunt ligari censuris Episcopi. Excipe, si delinquant circa ea, in quibus Episcopo tanquam delegato apostolico subjiciuntur (v. gr. circa missae celebrationem). — Imo, aliqui religiosi (ut *mendicantes* et *jesuitae*) gaudent privilegio ampliori, ita ut nunquam censura episcopali plecti possint, excepto uno alterove casu, in quo eorum privilegiis expresse derogatum est. Possunt tamen aliis poenis coerceri (*S. Alph.*, de Privil., 75; H. Ap., XIX, 43; cfr. *Lehmkuhl,* II, 1117).

Digitized by Google

1261. — II. Censurae non solent ferri in impuberes, neque in personas indeterminatas. Ita ex praxi Ecclesiae (VII, 14-19).

1° Ad *impuberes* quod spectat, si *jam sunt doli capaces* [1], omnes quidem AA. affirmant eos posse censura ligari, *per modum legis vel praecepti*. — Cum autem impuberes nonnisi per alium in judicio se defendere valeant, controversia est, utrum et censura, quae *per modum sententiae* fertur, ligari possint.

Utraque quidem opinio est probabilis; sed de facto, ex communi legum interpretatione certum est, « quod censurae generaliter latae a Jure vel ab homine non incurrantur ab impuberibus, nisi hoc expressum sit in lege: ut expressum est de ingressu puerorum in monialium monasteria, et de impuberibus clericorum percussoribus », ut infra notabimus, n. 1329 et 1333.

2° Ad personas autem *indeterminatas* quod attinet, ipsae plecti quidem possunt censuris, quae *ad modum statuti aut praecepti* feruntur (cfr. n. 1254).

Atvero: *a*) EXCOMMUNINATIO quae infligitur per modum sententiae, nulla est, si feratur in aliquem incertum ex communitate, v. gr. his verbis: qui tale delictum patravit, sit excommunicatus.

Quod si omnes alicujus communitatis, facto examine, nocentes reperiantur, potest valide et licite tota communitas a Papa excommunicari; ab aliis autem Superioribus illicite excommunicaretur, cum id prohibitum sit Jure positivo; et etiam invalide, juxta sententiam probabilem. — Quare Episcopus vel praelatus debet quemlibet reum nominatim excommunicare.

b) SUSPENSIO et INTERDICTUM possunt quidem *per modum sententiae* ferri in totam communitatem, v. gr. in collegium vel capitulum; sed tunc jura personalia manent integra, ut suo loco explicabitur (n. 1303, 5°).

1262. — III. Subditus, in alieno territorio vel loco exempto delinquens, de se nequit a suo Superiore censura plecti [2]. Censura enim per *statutum generale* lata immediate afficit territorium, eoque coarctatur; per *praeceptum particulare* intimata, attingit delinquentem in solo casu quo Superior ante discessum delinquentis ipsi praeceptum sub censura imponeret (VII, 23). Hic valet axioma: « Extra territorium jus dicenti non paretur impune » (l. fin., ff., *de Jurisdict.*).

Haec sententia est probabilis, teste *S. Alphonso* (l. c.). Datur alia sententia, quae S. Doctori nostro apparet paulo probabilior, hoc principio innitens, quod praeceptum afficit personam, *et ossibus haeret*. — Quidquid sit, censura

[1] Hoc semper est praesupponendum; censura enim, cum sit poena, semper praerequirit ex parte plectendi *usum rationis:* unde perpetuo amentes nequeunt puniri. — Quoad eos qui lucida intervalla habent, ipsi ligari possunt censuris, quibus durante usu rationis causam dederunt. — [2] Superior, de quo hic sermo, non est *S. Pontifex*, cui totus subditur orbis, nec *Praelatus regularis*, qui suos per praecepta regit, et ideo ubique locorum attingere potest personas sibi subditas. *Agitur de aliis Ordinariis.*

Digitized by Google

per modum *sententiae* inflicta attingit subditum, etiamsi in *alieno territorio exsistat:* si in proprio territorio deliquit, vel si delictum in eo suum effectum habeat, v. gr. si clericus jussus accedere ad synodum, non obtemperet. — Secus vero in aliis casibus (VII, 22).

IV. Peregrini vel vagi possunt censura ligari a Superiore loci in quo deliquerunt, modo fiat per modum sententiae. Quilibet enim delinquens sortitur forum loci, in quo peccavit.

Adverte tamen: 1° inferiorem non posse censura ligare suum Superiorem, si iste in territorio inferioris deliquit; — 2° peregrinum delinquentem, ut puniri possit, de lege esse monendum: soli enim contumaces sortiuntur forum loci; praeterea, citatione esse praeveniendum, antequam e territorio discedat, ut ita, ratione inchoati judicii, subjectus Superiori loci remaneat.

Diximus: *modo fiat per modum sententiae;* probabilius enim nequit peregrinus delinquens a Superiore loci puniri *per modum statuti vel praecepti particularis;* quia peregrinus (cfr. n. 204), nisi saltem quasi-domicilium acquisiverit, non est certo subditus Superiori loci (VII, 26, 27).

QUAERITUR. *An quis possit* PLURIBUS *simul censuris innodari?*

Resp. Affirm., quia non repugnat, aliquem pluribus simul catenis constringi, et solutum ab uno vinculo, remanere ligatum ab aliis.

Quod quidem triplici modo evenire potest:

1° Si reus commiserit *plura peccata,* quibus annexa sit aliqua censura. Sic, v. gr., qui haeretico credit, ejusque librum legit, duplici irretitur excommunicatione (cfr. n. 1314, 1316). Item, qui complicem a peccato complicitatis bis absolvit, vel duos clericos percussit, etsi unico actu.

2° Si *plures legislatores* in idem peccatum censuram inflixerint. Sic, v. gr., qui clericum occidit, etsi jam excommunicatus a Papa, potest etiam ab Episcopo excommunicari vel suspendi, sive per sententiam, sive per statutum (v. gr, contra homicidas latum). Ita probabilius Suarez cum aliis; et ratio est, quia jurisdictio unius legislatoris non tollit jurisdictionem alterius. « Hoc tamen intelligendum, si secundus Superior intendat novam poenam imponere; alias regulariter, secunda censura (si sit ejusdem speciei) habetur ut innovatio seu publicatio primae ».

3° Si propter unum idemque peccatum idem legislator inflixerit plures censuras diversae speciei. Sic, v. gr., Episcopi, ob intrusionem, duplicem poenam suspensionis et interdicti incurrunt: ex Const. *Romanus Pontifex* (cfr. n. 1375 et 1376), — Diximus *diversae speciei;* videtur enim a Jure alienum, ut quis, propter *idem* peccatum, plectatur ab *eodem* legislatore pluribus censuris *ejusdem* speciei, v. gr. una reservata, et altera non reservata (VII, 28).

§ 3. De causa seu materia censurae.

1263. — PRINCIPIUM. **Censurae non solent infligi nisi ob peccatum grave, externum, in genere suo consummatum, conjunctum cum contumacia.** Ita ex usu et praxi Ecclesiae. — Quare, nisi lex aliud exprimat, omnes istae conditiones requiruntur *ad validitatem*

Digitized by Google

et effectum censurae. — Si dubium adsit, relate ad enumeratas conditiones, vide infra n. 1273.

Adesse debet: 1° PECCATUM: censurae enim sunt poenae medicinales, ut dictum est (n. 1251).

Inter censuras tamen est hoc discrimen, quod *a*) excommunicatio (utpote poena gravissima), non infligitur nisi *ob culpam personalem*; — *b*) suspensio vero et interdictum ferri possunt in communitatem, *ob ejus (vel capitis) culpam*, adeo ut etiam innocentes obstringant, quatenus et quamdiu ad communitatem pertinent. Quo spectat Regula 23ª Juris *in 6°*: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus ». — Probabile tamen est, suspensionem et interdictum, pro his qui nullam admiserunt culpam, non induere naturam verae censurae, sed potius simplicis privationis, cujus violatio, etsi culpabilis, non fert secum irregularitatem.

2° GRAVE, vel ex se, ratione materiae, vel ex adjuncta circumstantia scandali, periculi, finis intenti, ac similium. Ratio est, quia poena, de Jure tam naturali, quam divino, debet esse proportionata culpae (VII, 31).

In dubio de gravitate materiae, praeceptum sub censura impositum obligat, quia possidet Superioris potestas. Atvero praelati sedulo cavere debent, ne subditos censuris gravent ob materias non tam graves, quando eis non constat, illas valde conducere ad bonum finem. — Haec intelligenda sunt de censura *gravi* et *proprie dicta*; suspensio enim aut interdictum ad breve tempus, et privans aliquo tantum usu, possunt infligi ob peccatum veniale, ut communiter docetur (VII, 337).

3° EXTERNUM, licet forsitan occultum remaneat; nam Ecclesia, in foro externo, non judicat de peccatis mere internis: ergo nec ea punire potest. Imo pro censura gravi, peccatum debet esse grave quoad substantiam operis externi.

Unde non sufficit actus mortalis ex sola prava intentione, aut ex conscientia erronea. Sic, v. gr., excommunicationem non incurrit percutiens clericum omnino leviter, etsi cum animo illum occidendi; neque ille, qui percutit mensam, aut dicit: « *ita est,* intendens haeresim internam confirmare etc.; nec demum ille, qui falso putat se legem violare, v. gr. legendo librum quem damnatum credit: hi enim omnes peccant quidem contra conscientiam, sed non contra Jus canonicum (VII, 34).

4° CONSUMMATUM IN GENERE SUO, i. e. opere completum et quidem *quoad speciem infimam*; nisi verba legis aliud exprimant. Ratio est, quia poena et odia sunt restringenda. — Hinc, censura non ligatur, qui crimen aliquod *consulit* tantum, si in lege non alii quam perpetrantes notentur; ligabitur autem, si lex designet etiam consulentes, vel quocumque modo cooperantes.

Quocirca notat *S. Alphonsus: a*) Si censura sit lata *principaliter* in facientes, et *accessorie* in mandantes, consulentes, etc., hanc non incurrunt mandans, consulens, ferens suffragium, si mandatum, consilium aut suffragium

Digitized by Google

non efficaciter in crimen influxit, vel si crimen non fuit ad effectum perductum. Sic, v. gr., ab excommunicatione eximitur, qui dedit mandatum aut consilium ei, qui jam paratus erat ad delictum patrandum; item, eximitur mandans percuti clericum, si reipsa percussio non evenit. Et idem probabiliter dicendum, si dubitetur an mandatum vel consilium influxerit. — *b*) Contra, si censura sit *principaliter* lata in *mandantes, consulentes,* etc., incurritur statim ac mandatum aut consilium datur, tametsi non sequatur effectus. Ratio est, quia tunc censura imposita est praecise ob mandatum aut consilium, et non propter opus ex mandato aut consilio causandum (VII, 36-39).

5° CONJUNCTUM CUM CONTUMACIA, quae importat nempe contemptum censurae saltem virtualem [1]. Constat enim ex usu Ecclesiae et ex natura censurae, hanc non incurri nisi ab eo, qui Ecclesiae monitiones spernit, seu qui, post cognitum Superioris praeceptum vel statutum sub poena censurae latum, non desistit a peccato. Idem indicant verba Christi, dicentis (*Matth.*, 18, 17): *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (VII, 43, 54).

1264. — *Ex his colliges: a*) Censura non potest infligi ob peccatum PRAETERITUM (v. gr. blasphemiam), nisi hoc habeat, ut aiunt, *tractum successivum* in futurum. — Ob furtum igitur quis potest excommunicari, si, monitus sub poena censurae, renuit restituere. — Idem applica casui scandali dati et nondum reparati.

b) Censura probabilius non incurritur, si quis ANTEQUAM opus malum consummetur *revocat pro posse* mandatum aut consilium, aut non valens impedire consummationem delicti, laedendum saltem monet, uti sibi caveat.— Item, qui dedit venenum clerico, et antequam venenum incipiat operari, intentum retractat, curatque effectum impedire, probabiliter non incurrit excommunicationem. — Ratio est, quia, in his casibus, delinquens non est amplius contumax eo tempore, quo peccatum dici potest opere consummatum. — Restitutio tamen aliis subjicitur regulis, ut visum est n. 949.

Nota. Aliam utique sententiam tuentur aliqui AA. cum Ballerini, sed tuta nobis videtur opinio S. Doctoris (cfr. *Vind. Alph.*, P. VIII, q. 1).

§ 4. De forma censurae.

FORMA, seu *formalitas* requisita in ferendis censuris, respicit vel monitionem rei, vel sententiam judicis.

1265. — A. **De monitione.** Monitio definitur: declaratio a judice facta delinquenti, quod sit censuram incursurus, si non resipiscat, aut non pareat. — Differt a *citatione,* quae reo intimatur, ut coram judice se sistat ad sui defensionem, vel ad audiendam sententiam.

1266. — PRINCIPIA. I. **Censurae ferri nunquam debent sine praevia aliqua monitione.** Censura enim fertur ad frangendam rei

[1] Contemptus virtualis adest, si quis habitualiter scit talem actionem *sub poena* esse prohibitam. — Alii utuntur nomine: *contemptus generalis.*

Digitized by Google

contumaciam: reus autem non potest dici contumax, nisi de poena infligenda fuerit praemonitus (VII, 51-53).

Diximus 1° *Censurae,* i. e., propriae dictae; quia, si suspensio vel interdictum feratur per modum purae poenae, monitio non est necessario praemittenda.

2° *Ferri nunquam debent;* quia monitio ad *liceitatem* censurae, in omni casu, requiritur.

Utrum autem et ad *validitatem* requiratur, est quaestio controversa. Communior quidem et probabilior sententia affirmat; at sententia negans etiam probabilis est, saltem respectu Romani Pontificis, si ageret ex plenitudine potestatis.

3° *Sine aliqua monitione;* ut intelligatur, diversam, pro diversitate casus, requiri.

Etenim, si censura feratur ab homine per modum *sententiae,* requiritur monitio canonica, ut supra. — Si vero feratur a Jure vel ab homine, per modum *praecepti,* respectu actus futuri, tunc lex ipsa vel praeceptum satis monet, nec requiritur alia monitio, nisi Jus eam praescribat. — Et idem probabilius dicendum, si censura sit *comminata a Jure,* seu ferendae sententiae; quia et in hoc casu lex sufficienter admonet (VII, 53, 55).

1267. — II. **Ex Jure canonico, requiritur ad liceitatem censurae judicialiter ferendae monitio triplex, vel saltem una peremptoria.** Colligitur ex c. *Const. de Sent. excomm.,* in 6°.

Monitio peremptoria ea est, in qua exprimitur eam valere pro triplici, et in qua tempus ad resipiscendum, trium monitionum tempori aequivalens conceditur, nempe biduum pro unaquaque monitione, ideoque spatium sex dierum: v. gr. « mandamus, ut intra sex dies talem mulierem e domo ejicias; alias ipso facto excommunicaris ». — Ex justa autem causa, tria spatia ad unum diem vel ad brevius tempus redigi possunt; si vero sit periculum in mora, ut si agatur de violentia reprimenda (v. gr. aedituorum fores ecclesiae aperire recusantium), sufficit unica monitio, modo tempus ad resipiscendum, puta spatium unius horae, designetur (VII, 56-58).

1268. — B. **De sententia judicis.** Notentur sequentia:

1° Ut censura feratur licite *per modum sententiae,* requiritur ut judex eam ferat scripto, adnotatis in eo, et quidem distincte, tum persona, tum censura, tum causa in specie. Quod si censurandus exemplar hujus scripti sibi exposcat, exhibendum est.

Dictum est *licite;* nam si censura feratur, posthabitis sollemnitatibus, est quidem valida, sed judex, nisi necessitate vel ignorantia excusetur, peccat graviter (VII, 50).

2° Censuratus, quo citius resipiscat, debet, nisi circumstantiae aliud suadeant, *denuntiari.*

Porro, si censuratus sit ab homine, denuntiatio ab ipsius censurae auctore, vel ab ejus delegato facienda est, et quidem publice, v. gr. in ecclesia, tem-

Digitized by Google

pore missae vel concionis, viva voce, aut per chartam ad valvas ecclesiae affixam, pro more regionis. — Si vero censuratus sit a Jure communi, denuntiatio (eodem modo) facienda est ab Ordinario loci, in quo incursa fuit censura. Sed tunc, ante denuntiationem, praecedere debet citatio rei, facienda a proprio Superiore, dato ei termino ad jus suum dicendum; alias denuntiatio erit nulla, nisi forte, excipit *Bonacina*, crimen sit adeo notorium, ut evidenter constet nullam reo competere defensionem (VII, 55 et 65, not. 3).

3° Statim ac reus offert satisfactionem, est absolvendus.

ARTICULUS III.

De causis a censura excusantibus.

1269. — Quatuor a censura excusant: — 1° ignorantia; — 2° metus; — 3° impotentia; — 4° nullitas censurae.

I. IGNORANTIA excusat; quia, qui censuram non cognoscit, non potest dici contumax. — Atque hoc verum est, etiamsi ignorantia sit *mere concomitans*, v. gr. quando quis occidit clericum nesciens esse clericum, sed ita paratus animo, ut si scivisset, etiam occidisset.

Hinc: 1° Excusat ignorantia tum *juris*, cum quis nempe ignorat, vel crimen esse prohibitum ab Ecclesia, vel crimini annexam esse censuram; tum *facti*, cum quis ignorat, se ponere actum vetitum sub censura. Sic, v. gr., excusaris, si nescias librum, quem legis, aut retines, esse per Litteras apostolicas nominatim prohibitum.

2° Excusat ignorantia *etiam vincibilis*, quae non sit graviter culpabilis. Levis enim culpa non punitur poena gravi. — Ignorantia autem GRAVITER culpabilis, generatim non excusat; quia haec practice potest dici *crassa*. Jamvero in Jure dicitur: « Ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina (*Bonifac.*, c. 2, *de Const.* in 6°).

3° Excusat, quandoque, ignorantia etiam *graviter culpabilis;* quando scilicet in decreto censurae dicitur: « qui hoc fecerit *scienter, consulto...* vel etiam: *qui praesumpserit..., ausu temerario* », vel quid simile, quo requiritur certa scientia vel voluntarium directum et perfectum (cfr. n. 220).

Utrum autem et ipsa ignorantia *affectata* in hoc casu excuset, disputatur. — Alii communius *negant;* quia haec dolum includit et aequivalet scientiae. Sed alii, neque improbabiliter, *affirmant*, saltem si agatur de censura inflicta *scienter* peccantibus; quia ille quidem, qui scienter peccat contra legem, vere contemnit eam; qui vero peccat ex ignorantia affectata, etsi velit ignorare ut liberius peccet, demonstrat tamen aliquam reverentiam erga legem, dum quaerit ipsam ignorare ex timore, ne, si ipsam sciat, a peccato retrahatur: ergo virtualem, non formalem dolum ostendit (VII, 45-48, 301).

1270. — II. METUS GRAVIS excusat, quoties a delicto contra legem ecclesiasticam liberat. Ratio est, quia censura, utpote legis sanctio, non incurritur nisi ob ipsius legis transgressionem.

Diximus: *quoties a delicto contra legem ecclesiasticam liberat;* jamvero, metus gravis damni imminentis a lege ecclesiastica observanda,

Digitized by Google

ac proinde a delicto excusat, nisi ex neglectu legis majus damnum sequatur, quam est incommodum quod secum fert ejus adimpletio (cfr. n. 223).

Hoc valet etiam in casu quo metus non excusaret a culpa contra Jus divinum. Sic, v. gr., qui ex metu ne ipse occidatur, occidit clericum, peccat certe contra legem Dei; sed ob casus angustiam lex ecclesiastica desinit obligare, ac ideo non incurritur censura. — Secus vero, si lex Ecclesiae sit ejusmodi, ut etiam cum timore gravis mali obliget; si, puta, ejus observantia moraliter necessaria sit ad bonum publicum, aut si ejus violatio cedat in fidei vel ecclesiasticae potestatis contemptum (VII, 46; H. Ap., XIX, 8, 2°). Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, 37, p. 524.

Nota. Si agatur de censura contra *praesumentes* condita, etiam metus *levis* ab ea incurrenda excusaret.

1271. — III. IMPOTENTIA, sive physica, sive moralis, excusat pariter a censura, ut patet. Sic, v. gr., qui non habet unde restituat, vel qui restituere nequit sine gravi incommodo, non incurrit censuras latas in retinentes bona aliena (VII, 42).

1272. — IV. NULLITAS CENSURAE ex triplici capite haberi potest [1]: 1° Ex defectu *ferentis*, i. e. si careat jurisdictione, sive eam habeat impeditam per censuram, sive suspensam per legitimam appellationem, quae fuerit interposita ante sententiam absolute latam. — 2° Ex defectu *formae*, i. e. si substantialis judicii ordo praetermittatur; ut, si reus non citetur, nec moneatur sub comminatione censurae (juxta dicta n. 1266). — 3° Ex defectu *justae causae*, seu materiae (VII, 50, 51, 66).

Justa autem causa potest *deficere* tripliciter: *a*) « Si nec a parte rei, nec secundum allegationes fori externi subsistat. — *b*) Si a parte rei crimen quidem subsistat, non tamen in ordine ad judicium, quia reus illud non confitetur, nec legitime de eo convincitur. — *c*) Si a parte rei non subsistat crimen, etsi juridice probetur, ideoque titulum seu causam praesumptam habeat judex. In quo casu, etsi sententia a parte rei sit injusta, ideoque probabilius censura non liget in foro conscientiae, in foro tamen externo servari debet, propter scandalum » (VII, 66). — Unde pro foro externo indiget absolutione, qui coram ministello matrimonium inivit (S. Off., 1892).

1273. — QUAERITUR. *In* DUBIIS *circa censuras, quid sit tenendum ?*

Resp. 1° In dubio *antecedente* actionem, qui suspicatur suae actioni annexam esse censuram, debet inquirere veritatem. Si, adhibita diligentia, eam non reperiat, excusatur a censura, ratione ignorantiae invincibilis.

Quod si in inquirendo omnem diligentiam negligat, aut nonnisi valde parva utatur, non erit immunis ab ignorantia crassa, nec consequenter eximitur a censura, nisi in lege dicatur: qui hoc fecerit *scienter*, etc. Vide dicta n. 1269, 3°.

[1] Quae hic notantur ad solas censuras *ab homine* latas se referunt. Cfr. *Aertnys* (l. VII, n. 17), qui dilucide haec explanat.

Digitized by Google

2° In dubio *consequente* actionem, i. e. in dubio an incursa sit necne censura, « in foro conscientiae non tenemur nos gerere ut censuratos ».

Et hoc, sive dubium sit *facti,* i. e. circa crimen, v. gr. an percussio clerici fuerit graviter injuriosa; sive dubium sit *juris,* i. e. circa sententiam, puta si dubitetur an censura fuerit latae an ferendae sententiae, vel an conditio apposita in sententia sit impleta necne. Ratio, pro dubio facti, est, quia nemo in dubio exspoliandus est jure suo communicandi cum Ecclesia, quod possidet; pro dubio autem juris, quia poenae sunt restringendae, unde in dubio non incurruntur.

3° In dubio de *cessatione censurae* certe inflictae, i. e. si censuratus dubitet de obtenta absolutione, de effectu interpositae appellationis, et similibus, debet adhuc se habere ut censuratum; quia possessio stat pro lege, vel Superiore.

Et idem dicendum, si dubitet de *potestate Superioris,* quando hic pacifice eam possidet. — Item, verius, in dubio an censura sit *justa* necne, quidquid nonnulli dicant; quia, etiam in tali dubio, possidet potestas Superioris (n. 55). Cfr. *S. Alphonsum,* VII, 45, 67, 68; *D'Annibale,* Summula, I, 312.

ARTICULUS IV.

De absolutione a censuris.

Tria sunt expendenda: 1° quomodo solvantur censurae incursae; — 2° quinam absolvere possint; — 3° quaenam sint conditiones requisitae.

§ 1. Quomodo censurae solvantur.

1274. — Definitio. Censurae absolutio est ipsius poenae relaxatio, clavium potestate facta, per idoneum Superiorem. Per se et primario est actus jurisdictionis fori externi, sicut ipsa censurae inflictio. — Differt a *dispensatione,* quae legis vel praecepti vinculum tollit (cfr. n. 227).

Divisio. Multiplici modo potest quis a censura absolvi: 1° quoad omnes effectus, vel quoad aliquos tantum; — 2° absolute vel conditionate; — 3° ad reincidentiam; — 4° ad cautelam (*D'Annibale* in Const. *Apost. Sed.*).

Jamvero: 1° Absolutio datur ordinarie ad tollendos omnes effectus; quandoque datur ad effectum partialem, v. gr. ad tollendam privationem vocis activae in electione canonica [1].

Haec tamen dicitur improprie absolutio, quia exhibet speciem dispensationis (VII, 125, fin.).

[1] Ita, v. gr., censurae, quibus Cardinales electores novi Pontificis forsan plectuntur, ad effectum electionis suspenduntur, illis alias in suo robore permansuris (Const. *Vacante Sede Apost.*, n. 29 et 79; *Acta Pii X*, vol. 3, p. 253 et 282).

Digitized by Google

2° Absolutio dari potest SUB CONDITIONE, vel de praeterito, v. gr.: « si jam satisfecisti, ego te absolvo »; vel de praesenti: « si possum absolvere »; vel de futuro: « si satisfacies in posterum, nunc pro tunc te absolvo ».

Haec tamen postrema absolutio illicita est, nisi ex aliqua gravi causa cohonestetur, puta, si postea esset defecturus a quo censuratus possit absolvi (VII, 123).

3° Absolutio datur quandoque AD REINCIDENTIAM, quae species conditionis est; ita nempe ut absolutus, nisi intra certum tempus aliquid praestiterit (v. gr. nisi infra mensem restituerit, vel excommunicantem adierit) reincidat *ipso facto* in eamdem censuram.

Porro, reincidentia est ab homine vel a Jure: *a*) Est *ab homine*, quoties adjicitur voluntate ipsius Superioris absolventis. — *b*) Est *a Jure*, quando imponitur vi legis: quod fit, v. gr., cum quis, vel in urgente necessitate, vel in *articulo* seu periculo mortis, absolvitur a censuris speciali modo Papae reservatis (VII, 86, 87, 125). Vide dicenda n. 1282 et 1284.

4° Absolutio AD CAUTELAM est illa, quae datur ad tollendam vel ad suspendendam censuram forte ignoratam.

Hujusmodi est, quae datur ante absolutionem peccatorum, ad vitandam irreverentiam; vel ante collationem ordinum, beneficiorum, etc. ad removendum impedimentum censurae forsan oblitae, vel cum ignorantia crassa incursae. Cfr. *Sanchez*, Decal., l. I, c. 10, n. 55.

Nota. Absolutionem *ad cautelam* dare EXPEDIT, quotiescumque de excommunicatione incursa dubitatur: *a*) quia, ipsa data, cessat censura, etsi postea certa apparuerit; — *b*) ne forte, in dubio *facti* (an quis revera eam contraxerit, an ab ea absolutus fuerit), extra Ecclesiam maneat, bonorum ejus expers; nam, in tali dubio, falsa nostra existimatio non mutat rei veritatem. Nec vana et inutilis esse debet forma absolutionis a Rituali Romano praescripta. — Secus in dubio *juris*, quia lex dubia certe non obligat (*Lugo*, de Poenit., disp. 20, n. 22, 23).

1275. — PRINCIPIA. I. **Censurae semel incursae tolluntur per solam legitimi judicis absolutionem.** Constat ex sacris canonibus (VII, 122).

Hinc: 1° Censura non tollitur per *emendationem rei;* quod ceteroquin constat ex prop. 44ª ab Alessandro VII damnata: « Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censurae ». — 2° Non tollitur per *mortem* vel *amotionem ferentis*, ut patet ex c. *Pastoralis, de officio judicis ordinarii;* et ratio est, quia poena semel inflicta transit in rem judicatam. — 3° Non tollitur per *mortem censurati*, ut constat ex c. *Sacris, de Sent. excomm.* Quapropter mortuus, etsi contritus decesserit, privatur Ecclesiae suffragiis et ecclesiastica sepultura.

Dictum est: 1° *Censurae*, i. e. proprie dictae; suspensiones enim et interdicta, quae infliguntur per modum poenae vindicativae, cessant,

Digitized by Google

non per absolutionem, sed per tempus elapsum, aut conditionem impletam, vel per Superioris dispensationem (cfr. n. 1305). — 2° *Semel incursae;* quia censurae nondum incursae delentur vel abrogatione legis, vel revocatione praecepti, vel etiam morte Superioris sententiam particularem ferentis.

1276. — II. **Absolutio a censuris dari potest tum in foro externo, tum in foro interno.** Imo, cum censura sine culpa ne intelligi quidem possit, in foro sacramentali danda est absolutio simul a censuris et a peccatis, *prius tamen a censuris.* — Si absolutio a censuris detur post absolutionem a peccatis, est graviter illicita, attamen valida; et si poenitens, in ea recipienda, bonae fidei ac de cetero dispositus fuerit, valebit quoque absolutio a peccatis (VI, 430, fin.; VII, 70, 126).

1277. — III. **Valor absolutionis a censuris alius est in foro externo, alius in foro interno.** Absolutio data *in foro externo* valet semper pro foro interno. — Data *in foro interno,* non prodest coram judice aut fidelibus, nisi de ea publice constet, v. gr. si sciatur censuratum esse confessum et praestitisse, si qua necessaria erat, satisfactionem. — At vero, prudentia vetat, ne absolutio in foro interno concedatur, si casus in forum contentiosum jam deductus vel proxime deducendus est (*Suarez,* de Cens., disp. 7).

Magnum discrimen intercedit inter absolutionem a PECCATIS et absolutionem a CENSURIS.

1° Illa datur ad Deum nobis reconciliandum; haec autem ad restituendum ea, quae propria sunt Ecclesiae militantis. — 2° Illa ad omnia peccata, haec vero quandoque ad unam censuram restringitur. — 3° Illa nonnisi contritis et volentibus; haec etiam contumacibus, atque ipsis invitis, conceditur valide; imo et licite in aliquibus casibus, v. gr. cum ad bonum commune hoc conferat. — 4° Illa, per se, absolute; haec saepe sub conditione datur, ex die in diem, ad reincidentiam, ad cautelam, ad effectum particularem, etc. — 5° Illa, praesentibus tantum; haec et absentibus per litteras vel telephonium vel internuntium recte datur, si urgens subsit causa (excipe si fuerit alicui demandatum, ut absolvat in forma Ecclesiae consueta). — 6° Illa a solo sacerdote approbato; haec a simplice clerico debita facultate donato dari potest. — 7° Postremo, peccata absolvi possunt non solum directe, sed etiam indirecte (i. e. per concomitantiam cum iis quae subjiciuntur clavibus); censurae autem nonnisi directe absolvuntur; quia inter eas non est necessaria connexio, sed habentur instar catenarum, quarum aliae sine aliis solvuntur (VI, 597, 618; VII, 117, 131).

Digitized by Google

§ 2. Qui possint absolvere a censuris.

1. Regulariter, *extra necessitatem*.

1278. — Principia. I. **A censura inflicta per sententiam particularem in personam determinatam, non potest absolvere nisi ille qui eam inflixit, vel ejus successor, aut Superior, vel horum delegatus.** Talis censura est, ex natura sua, specialissime reservata (etiam in Jubilaeo); et ratio est, quia secus ordo judiciorum perturbaretur (VII, 72; H. Ap., XIX, 11).

Quocirca notat *S. Alphonsus:* « 1° Quod Episcopus, etiam in alieno territorio, potest *suos subditos* absolvere, in foro tam externo quam interno, semper ac absolutio sit sine strepitu judiciali. — 2° Quod si quis *in alieno territorio delinquit,* et ab illius Episcopo specialiter excommunicatur, non potest absolvi ab Episcopo proprio, nisi de Episcopi loci licentia » (cfr. n. 204).

1279. — II. **A censuris latis, sive a Jure, sive ab homine per sententiam generalem in personas indeterminatas (quae censurae aequiparantur censuris latis a Jure), si non sint reservatae, quilibet confessarius valide et licite absolvere potest, pro utroque foro.** Ita communiter, ex concessione Innocentii III, c. *Nuper, de Sent. excomm.*, et ex universali Ecclesiae praxi.

Diximus: 1° *A censuris,* secus enim, si qua poena, sub forma censurae enuntiata, sit reapse vindicativa (cfr. n. 1300). — 2° *Quilibet confessarius,* scilicet approbatus, et jurisdictionem habens in censuratum. Simplex autem sacerdos, extra casum periculi mortis, ne ab excommunicatione quidem nemini reservata absolvere potest, quidquid dicunt nonnulli. — 3° *Pro utroque foro:* unde, haec absolutio potest dari tam extra quam intra confessionem, et valet etiam pro foro externo, in casibus non contentiosis, juxta dicta n. 1276 (VII, 70-73).

1280. — III. **A censuris a Jure reservatis nullus absolvere potest, nisi is cui reservatae sunt, vel hujus Superior, vel successor, vel rite delegatus.** Constat ex c. *Nuper, de Sent. excomm.*, et ex Trid., Sess. 14, c. 7.

Quoad facultatem *delegatam* sint regulae sequentes:

Regula prima. Si censurae sint *Romano Pontifici speciali modo reservatae,* ad absolvendum (extra casum necessitatis) requiritur concessio specialis, quae non solet a S. Sede impertiri nisi ad tempus, vel ad vitam personae, vel pro certo casuum numero [1]. Constat ex praxi S. Sedis et ex Constitutione Pii IX, qua censurae limitatae sunt, et omnia simul revocata fuerunt privilegia realia, quoad absolutionem a censuris, sive specialiter sive simpliciter reservatis.

[1] Sunt etiam duo casus, qui strictiori modo S. Pontifici reservantur: attentata scilicet absolutio complicis et (sed sine censura) falsa denuntiatio confessarii (cfr. n. 1736, 1772).

Digitized by Google

Porro, concessio SPECIALIS fit, v. gr., per indultum Jubilaei, per pagellam S. Poenitentiariae, per facultates quinquennales et alias hujusmodi *personales*. Has facultates Pontifex non revocavit, ut constat ex oraculo vivae vocis promulgato a S. Officio, 1 Febr. 1871.

REGULA SECUNDA. Si censurae sint *Romano Pontifici simpliciter reservatae,* Episcopi in propria dioecesi possunt (per seipsos aut per alium ad hoc specialiter deputandum) absolvere quoscumque sibi subditos; sed in casibus occultis tantum, et in foro conscientiae. — Ita ex celebri Concilii Tridentini c. *Liceat,* cujus dispositionem Pius IX in Const. *Apostolicae Sedis* confirmavit.

En autem Tridentini verba (Sess. 24, c. 6, *de Reform.*): « Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto *occulto* provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; — et in quibuscumque *casibus occultis,* etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua, per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, *in foro conscientiae* gratis absolvere, imposita poenitentia salutari ».

Sub verbis: 1° *Episcopi,* veniunt etiam Abbates territorium habentes, Vicarii capitulares, et alii jurisdictione episcopali gaudentes (VII, 79); non autem Vicarii generales ex generali eorum commissione (de Privil., 31); nec praelati regulares, ut constat ex Resp. S. Poenitentiariae, 5 Dec. 1873. Cfr. *Lehmkuhl,* II, 1123. — 2° *Per alium specialiter deputandum...* intellige sive ad unum, sive ad omnes casus, modo delegatio fiat non omnibus in communi, sed singulis personis, expressa nominatim hac facultate, ut communissime AA. interpretantur (VII, 93; de Privil., 34; cfr. *Ami du Cl.,* 1911, p. 223). — 3° *Sibi subditos...* intellige morantes in dioecesi, vel etiam extraneos ad sacrum Tribunal in dioecesi accedentes: quia hoc ipso fiunt subditi quoad absolutionem, etsi nondum quoad dispensationem irregularitatis vel suspensionis Pontifici reservatae (VI, 593). — 4° *In casibus occultis,* qui scilicet non sunt formaliter notorii, nec notorietate juris, nec notorietate facti, juxta sensum quem diximus n. 1190. — 5° *In foro conscientiae,* i. e. in foro sacramentali, ceu probabilius censet *S. Alphonsus* (de Privil., n. 29); aut saltem non in foro externo et contentioso, ut omnino certum est ex Tridentino (cfr. n. 138).

REGULA TERTIA. Si censurae sint *Episcopis, sive Ordinariis, Jure pontificio reservatae,* Episcopi, Abbates, Vicarii capitulares aut generales, et omnes Ordinarii possunt absolvere, in utroque foro, a casibus etiam notoriis [1]. — In foro interno, regulares absolvere possunt a *casibus ad forum* judiciale non deductis nec de facili deducendis (I, App. II, n. 100; ed. G., I, p. 239): nihil enim, quoad casus *jure* ORDINARIIS reservatos, per Bullam *Apostolicae Sedis* est innovatum.

Nomine *Ordinariorum* veniunt etiam praelati regulares quoad suos subditos: hi enim, utpote exempti, non habent alios Ordinarios quam suos praelatos. Hi igitur possunt suos (etiam novitios et familiares) absolvere a casibus

[1] Casus ergo Ordinariis Jure pontificio reservati potius *papales* appellandi sunt. — Ex hoc sequitur, eos quibus facultas conceditur a casibus *etiam* R. P. reservatis absolvere, a praefatis quoque absolvere posse (VII, n. 39; de Privil., n. 100). Cfr. dicenda n. 1348.

Digitized by Google

Ordinario reservatis, non autem a casibus (sive publicis sive occultis) R. Pontifici quovis modo reservatis. S. Poenit., 5 Dec. 1873 (ap. *Noldin*, de Poenit., n. 381). Quoad absolutionem a casibus ad *internum regimen* spectantibus, nihil quidem innovatum est per Constitutionem *Apostolicae Sedis* (S. Off., 22 Mart. 1881), sed vide novum Decretum 5 Aug. 1913 (cfr. dicenda n. 1762).

1281. — REGULA QUARTA. Si censurae *ab aliis Episcopis sint reservatae*, potest quivis Episcopus per se vel per alium ab iis absolvere, sed in casibus *occultis* tantum. — Legitur enim in c. LICEAT: « In quibuscumque casibus occultis, ETIAM Sedi Apostolicae reservatis ». Unde, aiunt AA., ne particula *etiam* inutiliter videatur apposita, intelligendum esse Episcopis concedi facultatem absolvendi a censuris occultis, quas alii Episcopi sibi reservarunt. Ita *Bonacina* (de Cens., disp. 1, q. 3, punct. 2, n. 6); qui addit, hoc videri receptum consuetudine, quae conferre solet jurisdictionem. Cfr. *S. Alph.*, de Privil., n. 35.

Excipiuntur tamen censurae per sententiam particularem latae (cfr. n. 1278).

Hinc: Simplex confessarius nequit absolvere peregrinum a censura in patria peregrini reservata; valide vero absolvit regularis novitios quoad censuras episcopales ante ingressum susceptas (VI, 583).

De facultate absolvendi a censuris tempore Jubilaei, vide tr. *de Poenitentia* (cfr. n. 1736, *B*).

2. *Per modum* EXCEPTIONIS, *in casu necessitatis.*

1282. — PRINCIPIA. I. **Quilibet sacerdos, etiam non approbatus, potest censuratum in articulo vel periculo mortis constitutum absolvere ab omnibus censuris quocumque modo latis aut reservatis.** Constat ex Tridentino sic declarante (Sess. 14, c. 7): « Pie admodum, ne hac ipsa occasione (reservationis) aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt ». Vide tamen dicenda n. 1753.

1283. — Absolutio non dari debet nisi *injunctis de jure injungendis*, ut infra explicabitur (n. 1287). — Speciatim vero haec notanda sunt:

1° Si de censuris agatur Romano Pontifici *speciali modo reservatis*, firma remanet, ex Constitutione *Apostolicae Sedis*, quoad absolutos, *obligatio standi mandatis Ecclesiae*, si convaluerint: intellige sub gravi peccato et *sub poena reincidentiae*, ut S. R. U. Inq. definivit, die 19 Augusti 1891; qua etiam die edixit *obligationem standi mandatis Ecclesiae* importare onus, sive per se sive per confessarium, recurrendi ad S. Pontificem, ejusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis (*Nouv. Rev. Théol.*, 24, p. 166).

2° Si agatur de censuris R. P. *simpliciter reservatis*, obligatio se praesentandi S. Pontifici non subsistit. S. Off., 17 Jun. 1891 (*Nouv. Rev. Théol.*, ib., p. 159). — Idem dicendum de censuris quas *Episcopus* tulit, dummodo Episcopus sibi censuram *specialiter* non reservaverit (cfr. *Lehmkuhl*, II, 1125).

Digitized by Google

1284. — II. In casu urgenti, potest quilibet confessarius approbatus directe absolvere a quibuslibet casibus et censuris S. Sedi reservatis, imposita obligatione infra mensem recurrendi ad competentem auctoritatem ad audienda mandata, sub poena reincidentiae. Constat ex variis documentis S. Officii et S. Poenit., praesertim ex Decreto 23 Junii 1886 (*A. S. S.*, 24, p. 744); per haec novus ordo in absolutione censurarum et casuum reservatorum instituitur. Cfr. etiam *A. A. S.*, I, p. 677.

Dicitur: 1° *In casu urgenti*; hoc verificatur non solum quando adest necessitas celebrandi, communicandi, vel periculum infamiae, sed etiam si poenitenti durum est tam diu remanere in peccato, usquedum Responsa romana adveniant (S. Off., 18 Jun. 1897; *A. S. S.*, 30, p. 124). Super hoc oneratur conscientia confessarii.

2° *Directe absolvere*, ita ut nova sacramentalis accusatio hujus peccati non sit necessaria (S. Off., 19 Aug. 1891). — Si quis tamen, sic absolutus, mandata a competente auctoritate non expetit, et ad inferiorem delegata facultate praeditum accedit ad mandata recipienda, nonnisi post novam peccati confessionem absolvi poterit (ib.).

3° *A quibuslibet casibus... reservatis,* ut intelligatur nullam dari exceptionem: nec quoad censuras etiam specialissime S. P. reservatas, nec quoad suspensiones, nec etiam quoad irregularitates occultas ex censura ortas (S. Poenit., 7 Nov. 1888; S. Off., 19 Aug. 1891; 6 Sept. 1909).

4° *Imposita obligatione, infra mensem recurrendi* etc. Poenitens debet recurrere per se vel per confessarium electum; non enim necesse est ut fiat recursus per eumdem confessarium qui poenitentem absolvit (S. Poenit., 28 Maii 1888). *Infra mensem* recursus fieri debet, sub poena reincidentiae in eamdem censuram.

5° *Recurrendi ad auctoritatem competentem.* Auctoritas competens est S. Sedes, vel etiam Episcopus (sive Vicarius generalis), si nempe ipse quinquennalibus facultatibus ad absolvendum a casibus papalibus utatur. — Ut jam diximus, auctoritas competens, a qua recipi debent mandata sine onere confessionis, *non est confessarius privilegiatus.*

Nota. a) Quandoque poenitens nec personaliter Romam ire, nec epistolam mittere potest. Tunc *cessat obligatio recurrendi,* si poenitens eidem confessario iterum se praesentare nequeat, et ipsi durum sit alium confessarium adire. Hoc saepe inter missiones verificari, omnibus compertum est; eo quod vel missionarius extra locum sui domicilii absolutionem impertitur, vel poenitens extra suum domicilium confessionem instituit; unde responsum auctoritatis competentis (ob discessum confessarii) poenitenti *personaliter* notificari nequit. Cfr. Resp. S. Off., 9 Nov. 1898; 5 Sept. 1900.

b) Haec impossibilitas recurrendi, ut patet, numquam pro sacerdote poenitente adest (S. Off., 3 Jun. 1899). Generaliter enim quotiescumque poenitens ad auctoritem competentem recurrere potest, recurrere tenetur (*Van Rossum.* Nederl. Kath. Stemmen, 1902, p. 165-172).

Digitized by Google

1285. — QUAERES. *An aliquando* SIMPLEX CONFESSARIUS *possit absolvere a censuris Episcopo reservatis ?*

Resp. Potest absolvere censuratum *in articulo mortis* constitutum, ut modo (n. 1282 et 1283) diximus; nec remanet obligatio, restituta sanitate, adeundi Episcopum, nisi hic censuram ea conditione sibi reservaverit.

Utrum vero, praeter mortis articulum, absolvere possit *impeditum adire Episcopum,* valde controvertitur. Sententia hodie sat probabilis affirmat, si impedimentum est *perpetuum* (ultra 5 annos duraturum), vel saltem *diuturnum* (ultra sex menses permansurum, sed minus quinquennio) [1]. In hoc ultimo casu tamen, absolutus tenetur, sublato impedimento, sistere se Superiori; secus, si impedimentum fuerit perpetuum. — Ratio horum est, quia nulla lex recens Jus antiquum abrogavit. Cfr. *S. Alphonsum,* VII, 92.

§ 3. QUAE SINT CONDITIONES ABSOLUTIONIS.

Plures a Jure requiruntur conditiones, sive ex parte absolventis, sive ex parte absolvendi, sive denique ex parte formae (H. Ap., XIX, 14).

1286. — I. Ex parte ABSOLVENTIS, praeter potestatem, requiritur (et quidem sub poena nullitatis) *libera voluntas;* id est abesse debet tum metus gravis injuste incussus, tum deceptio et error. — Unde, si causa principalis sit falsa, v. gr. si reus dicat mendaciter se parti laesae satisfecisse, irrita est absolutio, nisi Superior ipse absolvat et sit falsitatis conscius (VII, 132).

Quid, quaeres, *si error versetur circa* POTESTATEM *absolventis?* — *Resp.* 1° Si error sit *privatus,* v. gr. confessarii et poenitentis tantum, censurae absolutio, licet cum bona fide data et accepta, est invalida. — 2° Si error sit *communis,* et absolvens vulgo habeatur ut facultate donatus, est valida absolutio censurae bona fide accepta. — Ratio est, quia, in hoc secundo casu, ob commune bonum, non autem in primo, Ecclesia supplet jurisdictionem. Vide tr. *de Poenit.,* n. 1754.

1287. — II. Ex parte ABSOLVENDI requiritur imprimis, ut ipse absolutionem *petat* [2]; deinde ut impleat omnes conditiones sive generales, sive speciales, quae in Rescriptis apponi solent.

Conditiones autem generales, quae solent exprimi sub hac formula: « INJUNCTIS DE JURE INJUNGENDIS » sunt sequentes: 1° Ut reus *parti laesae prius satisfaciat,* v. gr. Ecclesiae, cujus bona usurpavit; vel si

[1] Ut natura horum impedimentorum melius intelligatur, notandum, quod relate ad casus episcopales *nulla datur obligatio scribendi,* nisi forte Episcopus id imponat (VII, 89); imo non tenetur poenitens personaliter adire privilegiatum (VII, ib.). Cfr. *Lehmkuhl,* II, 536; *Génicot,* II, 347. — [2] Absolute loquendo, et *ille qui est invitus* vel *indignus* a censura absolvi potest, saltem ab eo qui ordinaria potestate gaudet. Talis enim absolutio non necessario fit in foro sacramentali, nec est sacramentalis (cfr. n. 1277). — Quin imo videtur *S. Alphonsus* (VI, 618) approbare *Suarezium* qui dicit *absentem et ignarum* per verba absolutionis, nemine percipiente, a censura absolvi posse (cfr. *Lehmkuhl,* II, 1121). Absolutio a censuris, ope telephonii data, potest dici valida.

Digitized by Google

satisfacere tunc nequeat, sufficientem cautionem praebeat, aut, si ne hoc quidem praestare valeat, saltem juret se, quamprimum, satisfacturum (I, 204; VII, 128). Quoad causas excusantes, vide n. 1016-1031. — 2° Ut *scandalum,* si *publice* datum fuerit, meliori quo poterit modo, *reparet,* juxta prudens Ordinarii vel confessarii judicium. Ita S. Poenit., 10 Dec. 1860. Ratio, quia reparatio scandali est necessaria de Jure divino. Idem dicendum de remotione *occasionis peccandi,* si requiratur (*A. S. S.*, I, p. 565, n. 27). — 3° Ut absolvendus a censura, speciali modo reservata, emittat *promissionem* (in foro autem externo *juramentum*) standi mandatis Ecclesiae, ut dictum est n. 1282. — 4° Ut praestet *juramentum* de crimine *non amplius perpetrando,* si crimen sit *valde enorme,* ut esset, v. gr., notoria percussio Episcopi vel Cardinalis, gravis percussio clerici, scandalosa ecclesiae violatio, etc. (VII, 129). — 5° Ut imponatur et accipiatur *salutaris poenitentia,* praeter sacramentalem satisfactionem.

1288. — QUAERITUR. *An invalida sit absolutio censurae data a* DELEGATO, *neglectis clausulis in Jure vel in Rescripto appositis?*

Resp. Controvertitur. Probabilior ac communior sententia docet clausulas, quae, ablativo absoluto, v. gr. *satisfacta parte,* exprimuntur, importare veram conditionem *sine qua non;* unde, his neglectis, absolutio certe esset graviter illicita, et probabilius invalida. — Sed probabilis etiam est sententia opposita, quae dicit has clausulas esse *ad monendum* tantum appositas, et ideo absolutionem non esse invalidam, nisi hoc in Rescripto exprimatur. Delegatus igitur ad absolvendum studeat *ante factum* accurate servare quaecumque jure sunt praescripta; *post factum* vero, si quid bona fide omissum fuisse advertat, non invalida propterea habenda est absolutio: versamur enim in dubio juris, quo stante supplet Ecclesia (VII, 121, 127; *Porpora,* tr. 22, n. 78).

1289. — III. Ex parte FORMAE, ad *valide* absolvendum non requiruntur certa verba; sed requiritur et sufficit, ut Superioris voluntas *signo aliquo sensibili manifestetur* (VII, 116). — Ad *rite* absolvendum, *in foro exteriori,* adhibeatur forma in Rituali Romano descripta, sive pro vivo, sive pro mortuo. — *In foro autem interiori,* confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum absolvat juxta formam communem, praescriptam in absolutione sacramentali. Ita *Rituale.*

Nota. Qui facultate pollet absolvendi a casibus reservatis utatur ea *prudenter* ac discrete. — 1° Moneat poenitentem, casum Episcopo vel R. Pontifici reservari, ut ita reus *gravitatem delicti percipiat.* Qui secus agit, quomodo horrorem ingeret criminum hujusmodi atrociorum, qualem *fideles,* juxta Concilium Tridentinum, concipere debent? (*Pedicini,* La Cost. Ap. S., c. 10, p. 56). — 2° Prudentia maxime est necessaria, quando de crimine enormi et facile notorio agitur, vel quando casus facile ad forum contentiosum deducendus est (cfr. n. 1276). — Alia quoad JURISDICTIONEM delegatam vide in tr. *de Poenitentia* (n. 1776).

Digitized by Google

CAPUT II.

De variis censurae speciebus.

S. Alphonsus, VII, 133, seqq.; ed. G., p. 333; H. Ap., XIX, n. 15; *Lega*, o. c., tit. IV; *Giraldi*, Exp. Jur. pont., t. 39, s. 919; *Pignatelli*, Consult. can., consult. 112, 121, 122, etc.; *Schmalzgrueber*, Jus eccl., tit. 39 (vol. XI); *Pallottini*, Collect. conclus. Conc. Trid., vol. X (v. *Excommunicatio*), vol. XVI (v. *Suspensio*); *D'Annibale*, Summula, ed. 5, I, n. 359; *Lehmkuhl*, *Noldin* et alii.

Tres sunt censurarum SPECIES: excommunicatio, suspensio, interdictum.

ARTICULUS I.

De excommunicatione.

1290. — DEFINITIO. Excommunicatio est censura, per quam quis privatur communione Ecclesiae (cfr. n. 1252).

DIVISIO. 1° Excommunicatio, ratione effectuum, duplex est: *a*) MAJOR, quae privat *omni ecclesiastica communione*, i. e. omnibus bonis spiritualibus Ecclesiae communibus, quorum distributio ad ipsam pertinet.

Haec fere semper intelligitur, ubi mentio fit simpliciter de excommunicatione.

b) MINOR, qua quis, sub gravi, privatur *communione passiva* seu receptione sacramentorum, et electione passiva seu eligibilitate ad beneficia ecclesiastica (VII, 148-150; H. Ap., XIX, 15).

EXCOMMUNICATIO MINOR olim incurrebatur propter illicitam conversationem cum excommunicato vitando; sed, hodiernis temporibus, haec censura iam abrogata est per Constitutionem *Apost. Sedis*, ut constat ex Responso S. Officii, 10 Dec. 1883 edito « facto verbo cum SSmo » (*A. S. S.*, vol. 17, p. 555). — Communicatio tamen cum vitandis etiamnum prohibetur (S. Off., 2 Aug. 1893; cfr. *A. S. S.*, vol. 31, p. 41). Item Episcopus potest, non quidem per statutum, sed nominatim, alicui interdicere usum passivum, seu receptionem sacramentorum, vel saltem communionis (VII, 148).

2° Excommunicati (excommunicatione majori) alii dicuntur *tolerati*, quos fideles non tenentur vitare; alii *non tolerati*, seu *vitandi*, quos fideles vitare tenentur, praesertim in divinis (VII, 150).

Antiquitus, omnes excommunicati, statim ac de incursa censura constabat, erant vitandi; hodie, attenta Constitutione Martini V *Ad vitanda scandala*, qua permissum fuit fidelibus communicare (etiam in divinis, ut communius docetur) cum reis quacumque censura innodatis, vitandi sunt soli *nominatim* excommunicati, suspensi, interdicti, vel *notorii* percussores clericorum (VII, 135-144). — Jamvero:

Nominatim excommunicati sunt: *a*) illi contra quos sententia, officio competentis judicis, lata est, et quidem *expresso nomine, cognomine*, vel tali de-

Digitized by Google

monstratione, quae vice nominis fungi possit; — *b*) quorum censura insuper specialiter denuntiata est, in loco publico, jussu nempe ejus qui eam tulit (cfr. n. 1268). — Non requiritur ut sint a Papa, per litteras apostolicas, excommunicati. Cfr. *A. S. S.*, 40, p. 69; 41, p. 141.

Notorius clerici percussor, ut vitari debeat, crimen committere debet quod non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari. Ita in Const. *Ad evitanda*. — Requiritur ergo: *a*) *notorietas facti*, ita nempe ut res sit nota majori parti collegii, viciniae, vel magno numero personarum; — *b*) quaedam *notorietas juris*: nam, usquedum reus non sit in judicio confessus aut condemnatus, semper aliquo suffragio valet excusari, dicendo, v. gr., se ad sui defensionem alterum percussisse, ebrium fuisse, etc. (VII, 141, 145). Cfr. jam dicta n. 1190.

His praemissis, inquirendum venit de effectibus excommunicationis, tum respectu excommunicati, tum respectu fidelium.

§ 1. De effectibus excommunicationis in excommunicato.

Effectus excommunicationis in *excommunicato* sunt remoti, vel proximi.

1291. — I. Effectus remoti seu *mediati* (quos praemittere juvat) sunt duo: — 1° *Irregularitas*, quam incurrit excommunicatus, si actum Ordinis sacri scienter et sollemniter exercet, ut suo loco (n. 1942) explicabitur (VII, 171). — 2° *Suspicio haeresis*, quam ille incurrit, qui per annum contumaciter (secundum S. Alphonsum in quacumque censura, sed praecipue) in excommunicatione persistit, seu, ut jura loquuntur, *insordescit*. Unde, quia praesumitur male sentire de potestate Ecclesiae, potest contra eum sicut contra suspectum de haeresi procedi (VII, 157). — Ita ex Trid., Sess. 25, c. 3. Cfr. *Vind. Alph.*, P. VIII, q. 8.

1292. — II. Effectus proximi seu *immediati* sunt novem, scilicet: privatio passiva et activa sacramentorum, divinorum officiorum, suffragiorum Ecclesiae, jurisdictionis ecclesiasticae, beneficiorum, communicationis forensis, communicationis civilis, et denique sepulturae ecclesiasticae. — *Excommunicatus* igitur spoliatur fere omni jure, quod ipsi tanquam Ecclesiae membro competebat.

1° Privatur usu passivo *sacramentorum*; i. e. non potest sacramenta licite recipere, et peccat graviter ea recipiendo, nisi excusetur ignorantia, vel necessitate vitandi scandalum aut aliud grave malum (cfr. n. 1284). Confirmatur ex Responso S. Poenitentiariae, 10 Dec. 1860 (*A. S. S.*, I, p. 563).

Dicitur *licite*: quia valide ea suscipit, saltem quoad substantiam. Excipe sacramentum Poenitentiae, in quantum, ex defectu *dispositionis* (non vero ratione censurae), poenitens nequit recipere gratiam sacramenti. Si tamen *bona fide confiteatur*, valide absolvitur a peccatis, remanente censura, si reservata sit (VII, 158, 159).

Digitized by Google

2° Privatur USU ACTIVO *sacramentorum;* i. e. non potest (etsi *toleratus*) ea licite conferre (sicut nec missam celebrare), nisi excuset casus necessitatis, metus magni incommodi, v. gr. infamiae, jacturae bonorum; vel nisi rogetur a fidelibus, qui tamen non indigent speciali ratione, ut licite a *tolerato* sacramenta petant.

Excommunicatus vero *vitandus* non potest, *tametsi rogetur,* ea conferre; imo, collatio sacramenti Poenitentiae foret invalida, extra casum erroris communis, vel mortis articulum; quia, extra hos casus, caret necessaria jurisdictione. Pro mortis autem articulo, potest ministrare Poenitentiam, *casu quo alius desit sacerdos,* sicut et Viaticum, aut Extremam-Unctionem, si nequeat infirmus rite confiteri (VII, 165-172). — Ex hoc conclude, *sacerdotes schismaticos,* cum non sint in stricto sensu excommunicati vitandi, *valide* absolvere (cfr. *Verricelli,* de Mission. Apostol., p. 464). Nequeunt tamen catholici ab eis absolutionem petere, ut dicemus n. 1439, 1°.

Nota. Permittitur autem excommunicato « *usus sacramentalium;* non quidem ut participet fructum, quem illa producunt ex benedictione Ecclesiae, sed tantum ut illa veneretur » (VII, 174).

3° Privatur DIVINIS OFFICIIS, i. e. non potest sine peccato gravi, etiam diebus praeceptis, interesse sacro, publicae processioni, Horis sollemniter decantatis, aliis publicis functionibus, et generatim cum fidelibus in divinis communicare (S. Poenit., 5 Jul. 1856), v. gr. esse patrinus in Baptismo sollemni; excepta concione, lectione theologica vel catechesi [1]. Ipse autem non potest concionari aut (nisi sit toleratus et ab aliis rogetur) legere in Theologia, vel in Jure canonico.

Si *vitandus* nolit post monitionem ab ecclesia exire, clerici tenentur, et quidem sub gravi, eum expellere. Quod si expelli nequeat, debet celebrans missam interrumpere, nisi canonem jam inceperit: quo in casu, abeuntibus ceteris, prosequatur sacrum cum uno ministro, et facta sumptione, discedat, cetera in sacristia, vel in alio decenti loco, perfecturus (VII, 173-178).

Nota. Potest tamen excommunicatus (etiam *vitandus*) tempore quo divina officia non celebrantur, ecclesiam ingredi, in eaque orare, sed a fidelium coetu separatus. — Si est obligatus ad Horas, ab iis minime dispensatur, etsi non debeat dicere: *Dominus vobiscum,* sed *Domine, exaudi orationem meam:* secus peccaret venialiter (nisi solus recitet, ut plures excipiunt). Si tamen sit *toleratus,* nullo modo peccat, si recitet cum alio, ab eo requisitus (VII, 178).

4° Privatur COMMUNIBUS ECCLESIAE SUFFRAGIIS, i. e. fructibus sacrificii, indulgentiarum et publicarum orationum, quae non possunt nomine Ecclesiae excommunicatis applicari, etiamsi essent in statu gratiae. — Probabile tamen est, hanc prohibitionem ad solos *vitandos* restringi (VII, 164).

Suffragia vero *privata,* v. gr. jejunia, preces, eleemosynae et omnia caritatis opera, quae a fidelibus aut Dei ministris privatim peraguntur, imo et

[1] Non desunt AA. qui opinentur, hodiernis temporibus, quoad excommunicatos toleratos, v. gr. franco-murarios, has prohibitiones non tam stricte urgere (*Noldin,* de Poenit., 40). — Tolerat Ecclesia puellas schismaticas, una cum catholicis, in officiis publicis cantare (*A. S. S.,* 40, p. 269).

Digitized by Google

ipsum sacrificium, quatenus proprio nomine sacerdotis offertur (seu prout pendet a merito et ab oratione operantis), possunt excommunicatis, etiam *vitandis,* applicari, ut ita gratiam conversionis consequantur (VII, 162, 163).

5° Privatur USU JURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE; usu quidem licito ac valido, si sit *vitandus;* usu autem tantum licito, si sit *toleratus.*

Hinc (exceptis excipiendis, ut supra n. 2°), *vitandus* nec licite nec valide potest legem ferre, sententiam dicere, dare absolutionem, praesentare aut eligere ad beneficium. Imo nominatim excommunicatus nequit valide *assistere matrimonio,* sicut et ille qui publico Decreto *ab officio* suspensus fuit; nequeunt praeterea valide alium delegare (*Wouters,* In Decr. *Ne temere*[4], p. 50). — *Toleratus* potest quidem actus jurisdictionis valide exercere, propter bonum commune; sed exercet illicite, nisi fuerit rogatus, vel necessitate adactus (*Can. Cont.,* 26, p. 609).

6° Privatur JURE AD BENEFICIA, *officia ecclesiastica et Rescripta;* i. e. quilibet excommunicatus, sive *vitandus,* sive *toleratus,* est ad praedicta inhabilis; ita ut praesentatio, electio, nominatio vel provisio, dispensatio, in ejus favorem, sit ipso jure nulla et graviter illicita, tam ex parte conferentis, quam ex parte acceptantis. — Haec inhabilitas habetur etiam ob censuram *occultam* vel *ignoratam,* ut communius et verius docetur; atque hinc est cur Superior, in conferendis dignitatibus, officiis, beneficiis aut pensionibus (item Papa in edendis Rescriptis), soleat absolvere *ad cautelam.*

Rescripta tamen SS. Congregationum, in quibus conceduntur facultates, v. gr. legendi libros prohibitos, benedicendi coronas, etc., valent, saltem pro foro conscientiae, non obstante excommunicatione occulta (S. Poenit., 9 Sept. 1898). — Item, excommunicatus non privatur beneficio, quod ante incursam excommunicationem collatum est; nec ejusdem fructibus, si per se, aut per alium onera impleverit. Potest autem utroque, per sententiam, privari, si in censura per annum insordescat (VII, 180-185, ubi plura).

7° Privatur COMMUNICATIONE FORENSI, i. e. jure agendi in judicio ecclesiastico (olim in judicio etiam civili, ex Jure romano).

Hinc, excommunicatus *vitandus* nequit esse judex, advocatus, actor, testis, procurator, etc.; nec potest fungi officiis curatoris, tutoris, exsecutoris testamenti, etc. — *Toleratus* valide quidem in his omnibus agit, sed potest juridice repelli per exceptionem, tum ab adversario, tum a judice; uterque enim potest appellationem prosequi (VII, 184).

8° Privatur COMMUNIONE CIVILI cum fidelibus. Id vero importat, ut nec ipse excommunicatus cum aliis, nec alii cum eo communicare valeant, in re civili et politica, per modum sive societatis, sive conversationis, nisi gravis causa excuset.

Haec vero de solis *vitandis* intelligenda sunt; nam, etsi privilegium Martini V (de quo supra n. 1290, 2°) *toleratis* non directe faveat (quippe quod in favorem fidelium datum est), ex hodierna tamen consuetudine (vel ut alii ma-

Digitized by Google

lunt, ob bonam fidem) isti non amplius peccant, communicando in civilibus cum fidelibus, etiamsi ab ipsis non fuerint requisiti (VII, 138).

Nota. Secundum plures AA. (cfr. *Lehmkuhl,* II, 1129; *Ami du Cl.,* 1900, p. 129; 1904, p. 701), etiam *quoad vitandos,* haec nostris temporibus in desuetudinem devenerunt.

9° Privatur demum SEPULTURA ECCLESIASTICA, in loco scilicet ad fidelium tumulationem benedicto.

Porro: *a*) Si *excommunicatus vitandus impoenitens* in loco sacro tumulatus fuerit, ejus cadaver extrahendum est (si adhuc fieri possit), et locus sacer est reconciliandus. Si vero cum signis poenitentiae decesserit, ejus corpus debet ante sepulturam a censura absolvi, vel postea, si jam sepultum fuerit (VII, 186). — *b*) Excommunicatus *toleratus,* si fuerit *notorius* et *impoenitens,* ecclesiastica pariter sepultura privatur; ejusque cadaver, e loco sacro, similiter extrahendum est. Attamen, locus non censetur pollutus, nec proinde expiatione indiget (VII, 187; *Ferraris,* v. *Sepultura,* n. 202). — *c*) Quoad mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos (cfr. n. 1351 et 1385).

1293. — *Quaesitum fuit:* Si quis censura ecclesiastica *notorie* innodatus obierit, et juxta sacros canones et normas hac de re a Doctoribus traditas, ecclesiastica sepultura carere omnino debeat, et si pertinaciter gravibus minis expostulentur exsequiae et ipsa sepultura ecclesiastica, quomodo in hujusmodi casu sese gerere debeat parochus?

S. Poenitentiaria, 10 Dec. 1860, respondit: «Curandum ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant; quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus neque per se, neque per alios sacerdotes, ad *exsequias* et ad *sepulturam* ullo modo concurrat» (*A. S. S.,* I, p. 563, n. 21).

§ 2. De effectibus excommunicationis respectu fidelium.

Excommunicatio *directe* ligat solos delinquentes, sed *indirecte* ligat etiam fideles, praesertim clericos.

1294. — PRINCIPIA. I. **Excommunicatos toleratos vitare possumus, sed non tenemur.** *Possumus* eos vitare, si sint notorii, quia non habent jus ad communionem cum fidelibus; sed *non tenemur,* quia, licet ipsi peccent (cfr. n. 1292, 3° et 8°), possumus uti privilegio Martini V etiam in rebus sacris, v. gr. eos *admittere* ut *patrinos* in Baptismo vel Confirmatione. S. Poenit., 5 Jul. 1856.

Haec quidem *vi legis ecclesiasticae;* lex vero divina prohibet, ne sacramenta conferantur excommunicato etiam *tolerato,* nisi justa causa excuset (cfr. n. 1423, 1425). — Id ipsum prohibere potest lex vitandi scandalum aut periculum seductionis, lex fraternae correctionis, lex fidei, quae vetat communionem cum haereticis, saltem in divinis, etc. (cfr. n. 447).

1295. — II. **Excommunicatos non toleratos vitare tenemur;** in actibus nempe, qui eis per censuram vel sententiam prohibentur. — Ita communiter ex Concilio Constantiensi, et ex Bulla Martini V; accedit Responsum S. Off., 9 Jan. 1884 (*Anal. eccl.,* VII, p. 5).

Digitized by Google

Actus autem, in quibus cum excommunicato VITANDO non licet communiter consortium habere, sunt *quinque,* hisce versiculis expressi:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Dicitur: 1° Os, i. e. osculum pacis, colloquia, litterae (probabilius etiam rescriptio), munera, et quodcumque benevolentiae signum. — 2° ORARE, i. e. communicatio in divinis; sive *publica,* quae vetatur, per se, sub gravi (ut liquet ex n. 1294), et quandoque sub poena excommunicationis Papae reservatae (n. 1344), vel interdicti (n. 1377); sive etiam *privata,* quae, communiter, sub levi tantum prohibetur. — 3° VALE, i. e. salutatio vel honoris significatio, facta ex animo; non autem (probabiliter) illa, quae fit ad vitandam notam inurbanitatis, contumeliae, aut contemptus. — 4° COMMUNIO, i. e. quaelibet societas negotii, habitationis, contractus, cooperationis, etc. — Communicans autem cum excommunicato nominatim a Papa, in *crimine criminoso* (in eo scilicet ob quod ille excommunicatus fuerit), incurrit excommunicationem R. Pontifici reservatam, ut videre est n. 1343. — 5° MENSA, i. e. convictus et convivia per modum societatis et commercii; qualis non est, si casu incidas in idem hospitium, iter, mensam, imo lectum (VII, 188-195).

1296. — Causae justae excusare possunt communicationem reciprocam inter *vitandum* et *fideles,* extra divina. Unde ex jure excusant: utilitas, lex particularis, status subjectionis, ignorantia et necessitas [1].

Diximus: 1° *Utilitas* sive spiritualis, sive corporalis tum propria, tum excommunicati. Hinc licet ab eo petere debitum, consilium, auxilium, si alius idoneus desit; continuare cum eo initam societatem, non vero novos instituere contractus. — 2° *Lex particularis,* nempe matrimonialis, qua conjuges tenentur habitare simul, mutuaque sibi officia praestare. Excipe, si factum sit divortium, et si lata sit excommunicatio ob haeresim vel ob dubium de matrimonii valore. Et verius, nunquam conceditur communicatio in divinis, quia non est obsequium debitum. — 3° *Status subjectionis,* in quo scilicet filius (nepos, pronepos, nurus) reverentiam debet parentibus, famulus hero, miles duci, et generatim subditus Superiori. — 4° *Ignorantia* (sive juris, sive facti) etiam crassa, ut communius et probabiliter docetur. — 5° *Necessitas* gravis, sive spiritualis, sive temporalis, tam communicantis, quam excommunicati, aut aliorum. — Sic pariter excusat metus gravis injuste incussus; quia lex humana non obligat cum gravi incommodo (VII, 200-206; H. Ap., XIX, 23).

1297. — QUAERITUR. *Quale peccatum sit communicare absque justa causa cum vitando?*

Resp. 1° Est peccatum *grave,* si communicas in divinis (nisi excuset parvitas materiae); — vel in contemptum prohibitionis Ecclesiae; — vel in crimine criminoso (cfr. n. 1343). Et idem probabilius dicendum, si communicatio in civilibus sit frequens cum proposito saepe eam iterandi; sed id etiam probabiliter negatur. — 2° *Veniale* est, ex genere suo, in ceteris actibus (VII, 196-198).

[1] Unde dicitur: Utile, lex, humile, res ignorata, necesse:
Haec quinque solvunt anathema, ne possit obesse.

Digitized by Google

1298. — *Nota.* In dubio, *an quis sit vitandus,* attendatur ad hanc duplicem regulam: 1° Incipit obligatio eum vitandi, renuendi ei sacramenta, etc. (etiam in aliena dioecesi), quando de sententia excommunicationis et denuntiationis constat, per publicam famam, aut per duos testes fide dignos, aut saltem per unum gravis auctoritatis. — 2° Cessat obligatio, quando constat *de absolutione* ejusdem, etiam per unum testem fide dignum; imo per ipsum excommunicatum, si sit fide dignus, et asserat se fuisse absolutum. — Remanente dubio, vel circa denuntiationem, vel circa absolutionem, non licet apud eum, si est sacerdos, confiteri, ob periculum frustrationis sacramenti (VII, 145, 146, 207; H. Ap., XIX, 26).

ARTICULUS II.

De suspensione.

1299. — DEFINITIO. Suspensio est censura, qua clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur.

Differt: 1° *Ab excommunicatione,* tum quia fertur in solos clericos, tum quia privat solum usu *activo* quarumdam rerum sacrarum, non autem usu *passivo* seu receptione. — 2° *Ab interdicto;* quia hoc fertur etiam in laicos, et privat receptione aliquorum sacramentorum, divinis officiis atque ecclesiastica sepultura.

DIVISIO. Suspensio ratione effectuum est vel *totalis* vel *partialis.* Prior arcet clericum ab omni functione seu ab omni jure ecclesiastico; posterior arcet solum ab aliqua functione, vel ab aliquo jure, prout in sententia distincte exprimuntur, vel includuntur.

Suspensio *partialis,* seu *specialis,* triplex est: 1° *ab Ordine,* quae privat exercitio functionum Ordinis, v. gr. a pontificalibus, ab altari, i. e. a celebratione missae, etc.; — 2° *a jurisdictione,* quae privat usu jurisdictionis, sive in foro externo, sive etiam in foro interno [1]; — 3° *a beneficio,* quae privat fructibus et administratione beneficii. — Quandoque, non omnes Ordinis aut officii functiones interdicuntur, sed una vel altera tantum: cujus generis est *prohibitio* celebrandi missam, audiendi confessiones (VII, 315, 316; cfr. *Wouters,* in Decr. *Ne temere,* p. 34).

1300. — PRINCIPIA. I. **Suspensio non est necessario et essentialiter censura.** Talis est quidem suspensio, quae *ad frangendam clerici contumaciam* indicitur, vel a Jure, vel ab homine per modum praecepti, ob crimen futurum vitandum, vel etiam ob crimen praeteritum habens tractum successivum (n. 1264).

At vero datur praeterea:

1° Suspensio inflicta per modum *poenae vindicativae,* ob delictum praeteritum. Talis praesumitur esse suspensio, quae infligitur vel a Jure *in per-*

[1] Si suspensiones ab Ordine et a jurisdictione *simul* infliguntur, habetur *suspensio ab officio.* — Alii suspensionem ab officio idem esse dicunt ac *suspensionem a divinis;* alii suspensionem a divinis assimilant suspensioni ab Ordine (*D'Annibale,* n. 380; *Hilarius a Sexten, Noldin,* etc.).

Digitized by Google

petuum, seu irremissibiliter; vel ab homine oretenus; vel pro peccato mere praeterito; vel ad beneplacitum, seu quamdiu videbitur irroganti; vel conditionate, v. gr. *donec restituas* (VII, 317, 322). Sic, v. gr., praefectae monasteriorum votorum sollemnium, si de professione suarum novitiarum, ante mensem, Episcopum certiorem non faciunt, incurrunt *suspensionem ab officio,* quamdiu Episcopo videbitur (Trid., Sess. 25, c. 17, de Reg.).

2° Suspensio inflicta per modum *merae prohibitionis,* seu ad *cautelam,* v. gr. ob famam delicti nondum in judicio confessi aut probati. Haec non habet per se rationem poenae, et multo minus rationem censurae (*A. S. S.,* vol. 2, p. 284).

1301. — II. Suspensio potest interdum infligi modo speciali. Hoc evenit, quando infligitur EX INFORMATA CONSCIENTIA. — Jamvero, suspensio dicitur ferri *ex informata conscientia,* quando Episcopus vel praelatus, expresse declarans se agere vigore Concilii Tridentini, *absque requisitis sollemnitatibus,* irrogat hanc poenam per modum simplicis punitionis (vel etiam inhibitionis), ex causis gravibus in sua conscientia perpensis, etiam ob occultum crimen, et extrajudicialiter: sicque clericum delinquentem prohibet sive ab ascensu ad sacros Ordines, sive ab eorum exercitio, aut officio (non tamen a beneficio, ut probabilissime docetur).

Suspensio ex informata conscientia est remedium extraordinarium. Plures ergo conditiones adsint necesse est, ut licite infligatur (cfr. *A. S. S.,* vol. 17, p. 373; *Aichner,* p. 784). — Novum Decretum *Maxima cura* non coarctavit jus Episcoporum suspensiones ex informata conscientia infligendi (*Ami du Cl.,* 1913, p. 670).

Hujusmodi sententia non potest, probabiliter, ferri in perpetuum, nec protrahitur ordinarie ultra sex menses. — Contra ipsam non conceditur appellatio, sed tantum recursus ad S. Sedem, sine effectu suspensivo. — Cessat autem (etiam lata in tempus indeterminatum) cum jurisdictione Episcopi, qui eam tulit (cfr. n. 1304, II). Plura vide apud canonistas (cfr. *Benedict. XIV,* de Synod., l. 12, c. 8; *Monit. eccl.,* II, P. III, p. 3; *Nouv. Rev. Théol.,* 18, p. 469).

1. *Effectus suspensionis.*

Extensio et vis suspensionis colligi debet ex verbis, quibus haec fertur. — Quocirca valent regulae sequentes.

1302. — REGULA 1ª Suspensio, quae *absolute* fertur, censetur *totalis.* — Locutio enim indefinita aequivalet universali. Hinc, sacerdos ita suspensus privatur omni usu Ordinis, jurisdictionis et beneficii; nisi usus vel circumstantiae aliud clare significent.

REGULA 2ª Suspensio ad aliquid determinata censetur partialis. Privat ergo ab aliis solum officii functionibus, quae in sententia distincte exprimuntur, vel quae in eis includuntur.

Digitized by Google

1303. — *Hinc deduces:* 1° Suspensus AB ORDINE (simpliciter) *privatur* exercitio et usu cujuscumque Ordinis, sive majoris, sive minoris; sed *non privatur* usu jurisdictionis, nisi indirecte, erga eos nempe jurisdictionis actus, qui Ordinis actualem usum requirunt.

Sic Episcopus suspensus ab Ordine potest alteri delegare potestatem absolvendi a peccatis, quamvis ipse absolvere non possit; item, potest primam tonsuram aut beneficia conferre, absolvere a censuris in foro externo.

2° Suspensus AB ORDINE SUPERIORE non ideo suspenditur ab inferiore.

Sic, v. gr., Episcopus suspensus *a pontificalibus* potest celebrare missam; imo si eam celebret sollemniter cum pontificalibus, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem; quia non exercet actum substantialem Ordinis episcopalis. — Secus si fideles confirmet, calicem consecret, etc.; quia tunc exercet proprie pontificalia.

3° Suspensus simpliciter AB OFFICIO privatur (nisi aliud aliunde constet) usu Ordinis et jurisdictionis, consequenter omnibus ecclesiastici ministerii functionibus, quae a clerico, ut tali, exercentur (n. 1299, not.).

At non ideo censetur suspensus a beneficio; nisi delictum fuerit enorme, aut nisi per annum in suspensione insorduerit. — Unde, suspensus tantum ab officio potest beneficii fructus percipere, modo partes muneris per alios impleat.

4° Suspensus A BENEFICIO intelligitur suspensus a fructibus et ab administratione beneficii, non autem ab officio. — Quare tenetur ad Horas canonicas et ad alia onera, licet sit privatus fructibus.

Nunquam vero privatur ipso beneficii *titulo*, nisi haec poena specialiter contra ipsum decernatur; imo, si suspensionis tempore aliud beneficium acquirat, hujus collatio probabilius non est, ipso facto, irrita, sed solum per judicem irritanda. — Si quis, occulte suspensus, adimpleat fideliter suas obligationes, potest retinere partem fructuum suo labori congruentem, seu partem quam dare deberet substituto. Cetera autem restituere tenetur.

5° Suspensa *communitate*, v. gr. capitulo, conventu, etc., intelliguntur suspensae singulae personae, quoad officia et jura, quae *collegialiter* exercere possunt; non vero quoad functiones ac jura, quae ipsis *personaliter* competunt, v. gr. quoad jus celebrandi missam.

Quod si suspensio tam *communitati* quam *singulis* ejus membris imposita sit, innocentes eam non incurrunt, sed soli delinquentes (VII, 316, 323; H. Ap., XIX, 64 seqq.). Cfr. canonistas, v. gr. Craisson, Bargilliat, Aichner, Heiner, etc.

Digitized by Google

2. *Violatio suspensionis.*

Violatio suspensionis producit multiplices effectus.

1304. — PRINCIPIA. I. **Qui violat suspensionem, exercendo actum sibi vetitum, peccat, de se, mortaliter.** Ratio est, quia resistit in re gravi Ecclesiae.

Potest tamen licite facere ea omnia, quae a laicis fieri solent, v. gr. canere in choro more laicorum, missae inservire, benedicere mensam, etc. Nec peccat mortaliter, si exercet Ordinem non sacrum ; aut sacrum, sed non sollemniter (VII, 313; H. Ap., XIX, 64).

II. **Qui scienter et sollemniter actum Ordinis sacri, a quo est vere et proprie suspensus, exercet, fit irregularis.** Haec autem poena non incurritur, ex violatione suspensionis a jurisdictione vel beneficio. Ita communiter (n. 1942).

Disputatur inter AA., utrum irregularitas incurratur ob violationem suspensionis, inflictae *per modum poenae vindicativae*. Communius negatur, nisi aliud expresse cautum sit in lege. — Attamen, S. Congr. Concilii (in Sagonensi, 21 Junii 1625) declaravit irregularitate innodatum quemdam parochum, qui a suo Episcopo, ex informata conscientia, suspensus, sacri ministerii functiones, interposita appellatione, exercere perseveraverat. Et similis decisio data est die 22 Maii 1848, in *Lucionen.* Quibus nunc in praxi standum est (*Bened. XIV*, de Synod., l. 12, c. 8).

III. **Suspensus a jurisdictione exercet eam invalide, si sit publice denuntiatus.** Ratio est, quia, excepto casu quo desit alius ad moribundum absolvendum, suspensus denuntiatus privatur omni actuali jurisdictione. — Secus, si sit *toleratus,* quia talis exercet jurisdictionem valide; etsi illicite, quando non est a fidelibus rogatus (VII, 314, 4°).

Nota. Communicatio *cum suspenso* DENUNTIATO est per se illicita, si fiat per modum cooperationis in actum, a quo est suspensus. — In ceteris est licita, nisi adsit scandalum aut perversionis periculum. Unde audire ejus missam non erit peccatum (saltem mortale), si non inservias (VII, 140, 313).

3. *Cessatio suspensionis.*

1305. — Praeter ea, quae de censurarum absolutione jam diximus, notanda sunt sequentia:

1° Si suspensio habeat rationem *censurae,* tollitur ut excommunicatio, per solam scilicet absolutionem, et quidem Superioris, si sit (ut fere semper) reservata (cfr. n. 1275).

2° Si imposita sit per modum *poenae perpetuae,* ob culpam omnino praeteritam, tollitur per solam dispensationem Superioris, vel ejus delegati.

Digitized by Google

3° Si lata fuerit (per modum sive poenae, sive prohibitionis), *ad tempus determinatum,* v. gr. ad annum, ad triennium, vel *sub conditione,* v. gr. donec restitueris, cessat per se, transacto tempore, vel adimpleta conditione. Id vero, ex ipsa voluntate Superioris, ut patet (VII, 322; cfr. *Salmanticenses,* c. 5, n. 32).

ARTICULUS III.

De interdicto.

1306. — DEFINITIO. Interdictum est censura, qua usus divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum et ecclesiasticae sepulturae, certis personis, vel in quibusdam locis, prohibetur.

Interdictum igitur privat usu rerum sacrarum, quatenus sunt quaedam res sacrae, et sic differt: 1° ab *excommunicatione,* quae privat rerum sacrarum usu, quatenus ille usus est communicatio cum fidelibus; — 2° a *suspensione,* quae privat illo usu, quatenus est exercitium sacrae potestatis (*Suarez,* de Cens., disp. 32).

DIVISIO. Interdictum est multiplex, scilicet:

1° PERSONALE, LOCALE vel MIXTUM, prout immediate afficit personas, vel locum, vel utrumque simul.

2° GENERALE vel PARTICULARE, prout extenditur ad totam regionem, civitatem, communitatem; vel ad oratorium, ecclesiam particularem, aut personas determinatas restringitur.

3° TOTALE vel PARTIALE, prout omnes effectus interdicti, vel aliquos tantum comprehendit.

Partiali adnumeratur interdictum *ab ingressu ecclesiae,* quo quis, in ecclesia, ordinem sacrum exercere, divinis interesse, et in loco sacro sepeliri prohibetur. Talis autem non prohibetur, probabilius, orare privatim in ecclesia, vel celebrare in oratorio privato. Cfr. VII, 329; *Salmant.,* tr. 10, c. 6, n. 83.

1. *Extensio interdicti.*

1307. — Ad cognoscendam extensionem interdicti, valent REGULAE sequentes:

I. In interdicto LOCALI *generali,* — interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia et ecclesiae regularium, licet exemptae. Interdictum hujusmodi omnes servare tenentur, ipse etiam Episcopus, qui illud indixit. Cives tamen, qui non dederunt causam interdicto, possunt alio se conferre, ut divinis officiis interveniant.

Interdicta ecclesia parochiali, interdicuntur etiam sacella et coemeteria contigua; quia accessorium sequitur principale, non autem vice versa.

II. In interdicto PERSONALI, — interdicto populo, non censentur interdicti clerici, studiosi, peregrini; quia non sunt pars populi.

Digitized by Google

Interdicto *clero,* non interdicuntur laici nec religiosi, nisi habeant officium aut beneficium apud illum populum; nec alii clerici carentes officio, quia non constituunt cum clero unum corpus. Nec pariter, ecclesiae, interdictis *civibus* urbis, subjacent interdicto.

III. In interdicto PERSONALI *generali,* — eximuntur *Episcopi* (qui eximuntur etiam a suspensione generali); *innocentes,* statim ac domicilium alio transferunt; *exteri,* etsi per multum tempus inter illos cives detineantur; *infantes* et *amentes,* qui tamen sepultura ecclesiastica privantur (VII, 330-332). Cfr. supra n. 1263, 1°.

2. *Effectus interdicti.*

1308. — Tres sunt effectus INTERDICTI TOTALIS, scilicet:

1° Prohibitio *divinorum officiorum,* i. e. missae et omnium illorum, quae a solis clericis fieri possunt; non autem officiorum B. M. V., defunctorum, etc., si privatim, et in loco ad illa non deputato, dicantur. Unde, etiam interdicti ob alienam culpam non possunt interesse sacro.

Clerici tamen et religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt ac debent, ut ante, missam divinaque officia celebrare; sed januis clausis, non pulsatis campanis (nisi ad concionem, salutationem angelicam, vel obitum alicujus), submissa voce, et exclusis interdictis, illis scilicet, qui interdicto causam dederunt, vel sunt interdicti personaliter, modo fuerint *denuntiati.* — Excipiuntur etiam, in interdicto locali generali, nonnullae sollemnitates, v. gr. Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V. et Octava Corporis Christis et, pro Hispania, festum Immaculatae Conceptionis B. M. V., ex indulto Leonis X: in quibus omnes interdicti possunt ad divina officia admitti, et, quatenus hae sollemnitates sunt de praecepto, debent sacro interesse (VII, 333; cfr. IV, 61, ubi de religiosis).

2° Prohibitio *administrationis aliquorum sacramentorum.*

a) Excipiuntur baptismus, etiam sollemnis, confirmatio et poenitentia; quae omnibus permittuntur, praeterquam illis, qui causam dederunt interdicto, vel sunt nominatim interdicti: nisi prius satisfecerint, vel de satisfaciendo cautionem juratoriam dederint. — *b*) Eucharistia conceditur solis moribundis; quibus etiam extrema-unctio permittitur, casu quo aliud sacramentum rite recipere non possint. Religiosi autem possunt, tempore interdicti, recipere communionem et extremam-unctionem. — *c*) Ordinatio omnino prohibetur, excepto casu gravissimae necessitatis. — *d*) Matrimonium potest, ex hodierno usu, contrahi; ministratur enim ab ipsis contrahentibus. Nuptialis autem benedictio omittenda est (VII, 334).

3° Prohibitio *sepulturae ecclesiasticae.*

Hoc tamen discrimen adest, quod *laici,* etiam infantes, sepeliendi sunt in loco non sacro; *clerici* vero, non nominatim interdicti, possunt sepeliri in ecclesia, et licet pro eis missam celebrare, sed sine pompa. Hoc tamen non licet, si ecclesia sit specialiter interdicta (cfr. n. 1292, 9°).

Nota. Effectus interdicti PARTIALIS ipsis sententiae verbis definiuntur.

Digitized by Google

3. *Violatio interdicti.*

1309. — 1° CLERICI et RELIGIOSI peccant *graviter* violando interdictum, sive personale, sive locale; nisi materiae parvitate excusentur, puta, si, brevi tempore, relinquant januam ecclesiae apertam.

Praeterea, incurrunt: *a*) irregularitatem, si violent censuram, exercendo actum proprii Ordinis; — *b*) suspensionem Papae reservatam, si recipiant Ordinem ab Episcopo interdicto, et nominatim denuntiato (cfr. n. 1366); — *c*) interdictum ab ingressu ecclesiae, si scienter divina celebrent in locis interdictis (n. 1377).

2° LAICI peccant *graviter,* si violent interdictum personale, v. gr. recipiendo Eucharistiam; item, si compellant clericos ad sacra celebranda contra interdictum locale; quo in casu, incurrunt (sicut et clerici) interdictum personale ab ingressu ecclesiae.

Leviter tantum peccant (probabilius), si ipsi non personaliter interdicti, in interdicto loco, divinis officiis duntaxat assistant (VII, 336).

4. *Cessatio interdicti.*

1310. — 1° Interdicta localia et personalia generalia quae *Jure communi* sunt imposita, *nec reservata,* possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in communitatem interdictam... — 2° Interdicta generalia lata *ab homine* non possunt tolli nisi ab eo, qui tulit, vel a Papa. — 3° Ab interdicto *Juris* personali particulari, si reservatum non est, quivis approbatus potest absolvere.

Ceterum, per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdicta; quia locus et communitas non subjiciuntur foro poenitentiæ (VII, 338, 339).

CAPUT III.

De censuris hodie vigentibus ex Const. Pii IX " Apostolicae Sedis „ 12 Oct. 1869.

S. Alphonsus, VII, n. 281; ed. G., vol. 4, p. 419, mutatis vero mutandis; *Aertnys,* VII, n. 75; *D'Annibale* (Reatinus) in Const. *Apost. Sed.* (ed. 4); Summula (ed. 5); *Patavinus* (Bertapelle), ed. 2; *Piatus, Avanzini, Pennacchi, Del Vecchio, Bucceroni,* in hanc Const.; *Lehmkuhl,* II, n. 1179; *Noldin,* I, de Poenis, etc., etc.

1311. — *Praenotanda.* 1° *Scopus Constitutionis.* Hujus Constitutionis scopus fuit (ut ipse S. Pontifex declarat), censurarum numerum, ad plura devitanda incommoda, *imminuere,* et illarum, quae *deinceps servandae ac retinendae sunt,* plenam ac claram recensionem facere.

Digitized by Google

Unde sequitur, eamdem Constitutionem esse ceu codicem poenalem Ecclesiae, quo directe vel indirecte expressae continentur omnes censurae latae sententiae hodie in vigore; additis tamen iis, quae postmodum (v. gr. in Const. *Romanus Pontifex*) inflictae fuerunt.

2° *Constitutio non omnia mutat.* Nihil mutatum est: *a*) quoad censuras ferendae sententiae nec quoad censuras a praelatis vel Capitulis latas in proprios subditos; — *b*) quoad alias poenas canonicas, v. gr. irregularitates, inhabilitates, etc.; — *c*) quoad casus reservatos sine censura; — *d*) quoad privilegia, quae non respiciunt censuras; — *e*) quoad leges ecclesiasticas, a quibus censurae ablatae sunt. Proinde, in his omnibus, standum est Juri antiquo.

Verumtamen, si Jus antiquum quaedam delicta, quae nunc excommunicatione coercentur, aliis poenis mulctavit, hae poenae videntur jam abrogatae; quia nimis durum foret et a Jure alienum, ob idem crimen, pluribus subjacere legibus pluribusque affici poenis (*D'Annibale,* I, n. 389).

3° *Constitutio vim propriam habet.* Declarat S. Pontifex, censuras omnes quas decernit, « non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere ».

Ex qua clausula sequitur: *a*) censuras hic recensitas intelligendas esse, primo quidem juxta sensum qui clare ex verbis Pontificis arguitur, dein vero juxta veterum canonum traditionem ac receptam interpretationem; — *b*) desuetudinem veterum canonum, etiam immemorabilem, non posse amplius invocari quoad censuras clare et expresse renovatas aut confirmatas: ut constat ex pluribus S. Officii Decretis (cfr. infra n. 1353) [1].

1312. — *Quaenam ergo censurae* LATAE SENTENTIAE *remanent hodie in vigore?*

Resp. 1° Censurae quae vel in Constitutione *Apost. Sedis* continentur, vel postea edictae sunt, ut suo loco videbimus.

2° Censurae, quae a CONCILIO TRIDENTINO fuerunt directe inflictae et a Pio IX confirmatae. — Dicimus *directe inflictae:* nam ex scopo Constitutionis, et ex communi sententia, ceterae censurae, quas Tridentinum indirecte tantum inflixit seu *renovavit,* vel *generalibus verbis* indixit, non videntur confirmatae; quia poenae a Tridentino tantum memoratae, vel etiam renovatae, nullo pacto possunt *poenae Tridentinae* appellari (*Patavin.*, 100).

3° Censurae latae « *pro R. Pontificis electione*, quatenus hactenus in suo vigore perstiterunt ». — Porro, in vigore perstant ea, quae sanciverunt Romani Pontifices, v. gr. contra violantes legem secreti, vel contra omnes (etiam Cardinales) qui vivente R. Pontifice, vel Sede vacante, *pactiones* fecerint super electione successoris (attamen non vetantur tractatus qui, Sede vacante, pro electione habentur). Ita praesertim ex nova Const. Pii X, *Vacante Sede Apostolica,* 25 Dec. 1904 (*Acta Pii X,* vol. 3, Appendix), qua vel abrogantur, vel confirmantur, vel complentur Constitutiones anteriores.

[1] Recensionem censurarum *olim vigentium* vide apud *Edm. Voit,* Theol. mor., t. 2, in fine (Index alphab.); interpretationem fusiorem vide apud *Suarez, Bonacinam, Salmanticenses,* etc.

Digitized by Google

4° Censurae omnes, quae latae sunt « *pro interno regimine* » quorumcumque Ordinum et Institutorum regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum, locorumque piorum, cujuscumque nominis aut generis sint . . ., quatenus desuetudine, vel alia causa non cessarunt in aliquo loco vel Instituto. — Dicitur *pro interno regimine:* huc refertur excommunicatio in illos regulares, qui temere habitum Religionis dimittunt (c. *Ut periculosa, ne clerici vel monachi,* in 6°); vel qui arma intra septa monasterii sine licentia Superiorum tenent (Clem., 1, *de Statu monachorum*); vel qui non denuntiant confratres aut Superiores suos quomodocumque de haeresi suspectos (Pauli V Const. *Romanus Pontifex*); vel qui, ut suis praelatis vel monasteriis damnum inferant, ad curias principum se conferre praesumpserint (ib.); aliaeque hisce similes censurae.

ARTICULUS I.

De excommunicationibus latae sententiae.

1313. — Dantur excommunicationes, vel 1° reservatae R. Pontifici *speciali modo;* — vel 2° reservatae eidem *simpliciter;* — vel 3° reservatae Ordinariis; — vel 4° nulli reservatae.

Quae in *prima* parte recensentur optimo jure sic sunt dispositae: Quinque priores communiunt Ecclesiae FUNDAMENTUM, fidem scilicet divinamque Ecclesiae Constitutionem in S. Pontifice et Episcopis repositam; quatuor subsequentes (cum XIII[a] de intrusis) defendunt Ecclesiae POTESTATEM AC LIBERTATEM; et tres ultimae tuentur Ecclesiae BONA sive spiritualia (excomm. 10), sive temporalia. — In *secunda* serie idem fere ordo recurrit.

§ 1. EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE SPECIALI MODO R. PONTIFICI RESERVATAE.

Duodecim hujusmodi recensentur in Const. *Apostolicae Sedis*, omnes quidem, excepta X[a], in Bulla *Coenae* jam contentae: quibus accedit XIII[a], ex Const. *Romanus Pontifex* edita 28 Aug. 1873 [1]. Accessit novissimis temporibus alia excommunicatio ad reprimendam EXCLUSIVAM (*Veto*) potestatis civilis (cfr. n. 1327).

Tali igitur censurae Pius IX subjacere declarat:

1314. — I. « Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae exsistant; eisque credentes; eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores ».

1° Per APOSTATAS et HAERETICOS intellige illos, qui contra fidem actu interno et externo graviter peccaverunt, juxta dicta n. 438 seqq.; 573, 2°; 596, 3°.

[1] Memoriae juvandae gratia, hisce, si lubet, utere versiculis:

Haereticus, legens, scindens, clamans, feriensve,
Impediens, cogens, prohibens, falsans, inhonestus,
Usurpans, retinens, intrusus nomine quovis;
Omnes hi sontes debent se sistere Romae.

Digitized by Google

2° CREDENTES (apostatis vel haereticis) sunt illi, qui eorum errores *implicite* sustinent, in genere *declarantes* hos vel illos haereticos recte sentire; v. gr. si quis dicat: « Credo quod credit Calvinus », etc. Item, si quis assistat haereticorum concionibus, non quidem audiendi curiositate, aut pecuniae aviditate allectus, sed animo ductus *assentiendi* falsae doctrinae, cui in confuso jam fidem praestat.

3° RECEPTORES: qui haereticum *qua talem,* non vero qua amicum, vel consanguineum, domi excipiunt vel occultant, ut ille haeresis poenas effugiat. — FAUTORES: qui haereticis (sive notoriis, sive occultis) favorem praestant; vel *positive* eos laudando, commendando, v. gr. apud gubernium, exercitium haeretici cultus promovendo, scholas eis aperiendo haeresis fovendae gratia, etc.; vel *negative,* omittendo, absque justa causa, eorum denuntiationem; vel correctionem, quando ad eam faciendam ex officio tenentur [1]. — Eamdem excommunicationem incurrunt illi omnes qui sese *vel nomine tenus* adscribunt sectae haereticae vel schismaticae, quacumque de causa id fiat. Item qui matrimonium ineunt coram ministro haeretico vel schismatico sacris addicto (S. Off., 22 Mart. 1879, et 18 Maii 1892; *Nouv. Rev. Théol.,* vol. 15, p. 284). — DEFENSORES: qui, quomodocumque, haereticorum vel errores defendunt; vel eorum personas tuentur, v. gr. impediendo quominus judicibus sistantur ab eisve puniantur. — Defensoribus tamen non accensendi sunt, qui haeretici libri stylum, elegantiam, vel auctoris scientiam laudant, nisi forte laus in ipsius doctrinae approbationem redundet (VII, 300-308). — Quoad absolutionem haereticorum, vide n. 443 [2].

Nota. Si Episcopus hujus peccati absolutionem reservaverit, duplici facultate indigeret confessarius. Vide tamen quae dicemus n. 1348, nota.

1315. — II. « Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum, haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos; — eosdem libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes ». — Haec censura hodie viget ex Const. *Officiorum,* n. 47 atque ex ea vim suam haurit.

Nomine *libri* intelligitur scriptum quod aliqua mole et unitate objecti constat. Quare sub nomine *libri* non veniunt ephemerides seu diaria, epistolae, conciones, minoris molis opuscula, sicut nec quaedam folia a libro prohibito sejuncta (S. Off., 21 Apr. 1886); nec etiam probabiliter manuscripta, nam « libros accipimus hodie qui typis eduntur », ut ait *D'Annibale* (Summula, III, 141); jamvero haec censura interpretanda est juxta sensum hodie receptum. Contra

[1] Instr. Em. Card. Vic. ad parochos almae Urbis, 12 Jul. 1878 (*A. S. S.,* vol. 11, p. 168). Ibi insuper declarat parentes, qui liberos ad scholam haereticam mittunt, censuram non incurrere. Non sunt enim vere fautores haereticorum. — [2] Huic excommunicationi additae sunt, *in favorem fidei in Urbe,* quatuor sequentes, *specialiter S. Pontifici reservatae.* Excommunicantur: *a*) Omnes illi, qui etiam sine voluntate adhaerendi haeresi, et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina haereticorum septis, denominationis cujuslibet. — *b*) Qui intersunt acatholicis functionibus, aut servitiis (ceu dici solet), aut praedicantem audiunt, eo consilio ut eidem sese dedant, quatenus, uti impie dicunt, ab eo persuaderi possint. — *c*) Qui alterius spiritualis ruinae fautores effecti, inducunt quomodocumque et curant ut alii eant aut veniant ad aulas vel templa haereticorum ad audiendas collationes. — *d*) Qui typis publicant invitationes ad praefatas collationes (*conferenze*) et themata earumdem; propter favorem quem, tali actione, praebent haeresis propagationi aut confirmationi. — Eadem Instr., *A. S. S.,* 11, p. 172.

Digitized by Google

sub nomine librorum veniunt *scripta periodica (livraisons, revues)* seu singuli fasciculi ad volumen componendum destinati (S. Off., 13 Jan. 1892; *Monit. eccl.*, VII, P. I, p. 266); item versiones operis in aliud idioma (*S. Alph.*, VII, 281).

1° Libri ergo hac censura prohibiti duplicis sunt generis: *a*) Libri *apostatarum* vel *haereticorum*, dummodo de his duobus simul constet: auctorem publice ut apostatam vel haereticum haberi (sive ex secta ad quam pertinet, sive ex pertinacia quacum haereticam doctrinam tradit ac defendit); — haeresim non tantum in libro *contineri*, sed etiam *propugnari*. — *b*) Libri cujuslibet auctoris, *nominatim* seu expresso operis titulo prohibiti (idque sub poena excommunicationis R. Pontifici reservatae) *per Litteras Apostolicas* in qualibet forma, continentes has vel his similes expressiones: « de Apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine, vel Apostolica auctoritate » (*Pennacchi*, I, p. 117).

Censura igitur *non se extendit* ad libros, per Decreta generalia prohibitos, aut ab aliqua S. Congr. damnatos, aut nominatim vel in globo in Indicem relatos; nec ad libros infidelium aut judaeorum, nisi forte conditiones, quas enumeravimus, in iis verificentur. Cfr. *Ami du Cl.*, 1911, p. 734; *Hilgers*, Der Index, p. 90 seqq.

1316. — 2° Personae excommunicatae, positis ponendis, sunt sequentes:

a) *Legentes*. — Legere, stricte loquendo, est oculis prospicere et mente percipere quae sunt scripta. Quapropter non legit, qui materialiter tantum oculis percurrit librum in lingua sibi ignota compositum, nec qui alium, etsi suo jussu legentem audit, ut probabiliter docent *Navarrus* et alii, contra plures (VII, n. 292). Censura igitur innodantur legentes in quantitate *relative notabili*.

Quandonam autem quantitas erit notabilis? Theologi antiqui (*Lugo*, disp. 21, n. 85; *S. Alph.*, VII, 284, 292) dicunt lectionis objectum *notabile* esse: vel *unam alteramve paginam*, vel prooemium casu quo ibi exponitur materia minus periculosa; vel *paucas lineas*, si ibi praecise doctrina haereticalis propugnatur. — Recentes AA. docent, materiam notabilem esse: vel *3-4 paginas*, si continent res vere periculosas, vel *30 paginas*, si periculum in his contentum est minus. Ita *Noldin*, II, 700. — Quaerimus autem, utrum adjuncta temporum et finis Constitutionis *Officiorum ac munerum* (quorum certe ratio est habenda) hoc exigant, ut tantis passibus a sententia AA. antiquorum recedatur? Cfr. *Ami du Cl.*, 1912, p. 952. — Rectius, nostro judicio, sentit *Lehmkuhl* (I, 1335): Peccat graviter, ait, qui sine facultate legit *locum* qui materiam prohibitam specialiter tractat, vel, si materia periculosa non est, partem notabilem, v. gr. unam alteramve *majoris formae* paginam. Cfr. quae sapienter notat *Vermeersch*, de Prohib. libr. (ed. 4), p. 43 seqq.

b) *Retinentes*, per notabile tempus, v. gr. per tres dies, sive apud se, sive apud amicum, licet facultate retinendi donatum, sed a quo librum pro libitu suo repetere possint (secus, si cum pacto non repetendi, nisi post purgationem libri vel licentiam obtentam); quamvis non retineant ad legendum, ut, v. gr., depositarius, commodatarius, bibliopola, vel socius habens condominium in societate litteraria (*Con.*, n. 1704, q. 8). — Hoc tamen non videtur se extendere ad bibliothecas publicas (*Noldin*, n. 53). — Non videtur retinere qui mere custos est bibliothecae, nam revera ipse nec detinet nec possidet. — Disputatur autem an retentorum nomine veniant librorum compactores (*les relieurs*). Stricte loquendo est affirmandum, attamen ex epikeia haec retentio videtur permitti, si eos compingunt pro habente facultatem. In aliis casibus plerumque excusabit ratio damni (*Vermeersch*, p. 39). — Excusatur autem qui diutius retinet, exspectans donec illum opportuno tempore tradat Superiori, vel

Digitized by Google

alii habenti licentiam. Nec incurritur censura, si illa pars libri, quae prohibitioni ansam dedit, ita destruatur, ut non amplius legi possit.

c) *Imprimentes,* sub quo nomine, praeter editorem et typographiae dominum, veniunt illi omnes, qui *scienter* et proxime ad libri editionem concurrunt. Cfr. cit. Instr. Em. Card. Vic. — Vide dicta n. 524.

d) *Defendentes;* sive factis, libros propagando, venales exponendo, occultando ne tradantur judici, neve comburantur; sive dictis, eos laudando, excusando, etc. Qui tamen non pravam libri doctrinam laudat, sed stylum vel auctoris scientiam, excusatur a censura (VII, l. c.).

1317. — III. « Schismaticos, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt ».

Censura attingit: 1° SCHISMATICOS *proprie dictos,* illos scilicet, qui *novas Ecclesias* audacter constituunt vel sequuntur. Tales sunt, v. gr., *veteres catholici.* — 2° Schismaticos *imperfectos,* illos scilicet qui, vera malitia ducti, nolunt obedire Romano Pontifici pro tempore exsistenti, habentes se ab ipsius potestate solutos. Ex illis sunt quidam scriptores, *liberales* dicti, qui futili praetextu, R. Pontificis decisiones et mandata pertinaciter rejiciunt (*Pennacchi,* I, p. 10, adnot. 1). — 3° Nomen dantes societati *ad jura populi in Summi Pontificis electione vindicanda,* vel eam promoventes aut quocumque modo ei faventes vel adhaerentes (S. Poenit., 4 Aug. 1876). Cfr. *A. S. S.,* vol. 9, p. 352.

Censura vero non attingit: *a*) eos, qui temporale dominium Romano Pontifici detractant; — *b*) eos, qui simpliciter renuunt obedire ejus mandatis, quia gravia sunt et molesta, vel ex odio in ejus personam privatam; — *c*) eum, qui renueret subesse Pontifici quatenus sibi suspecto, aut dubie legitimo, i. e. ab universali Ecclesia, ob electionem dubie validam, nondum recepto; — *d*) eum, qui ab obedientia proprio Episcopo debita recedit, etsi pertinaciter. Excipe, si renuit subesse Episcopo, quia non vult eum habere ut *legitimum pastorem;* idem enim est ac nolle se subjicere R. Pontifici, qui eum misit (*Konings,* 1708).

1318. — IV. « Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes; — necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit ».

Excommunicantur: 1° *Appellantes;* et ratio est, quia non solum injuriam faciunt supremo Ecclesiae capiti, sed etiam schismatis praeseferunt speciem. Imo, si quis appellaret, quia autumaret Papam non habere supremam atque infallibilem auctoritatem in Ecclesia, foret insuper haereticus ac duplici excommunicatione plecteretur. — Per *ordinationes* autem et *mandata,* a quibus appellare nefas est, intelligenda sunt illa omnia, quibus R. Pontifex etiam per Decretum particulare et disciplinare aliquid imperat, quod ad *bonum animarum* spectat; non vero illa, quae ad *civile regimen* se referunt. — Qui a Decreto *dogmatico* appellaret, is etiam ut haereticus excommunicaretur. — Vide quoad collegia, etc., n. 1376.

2° *Cooperantes,* « quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit ». — Censura non attingit eum qui ad *praesens* Concilium vel ad *futurum* Pontificem appellaret, nec qui appellationem ab aliis jam factam *approbaret.*

Digitized by Google

1319. — V. « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae legatos, vel nuntios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis, ejicientes; — necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem ».

Hac censura puniuntur: 1° *Exercentes crudelitatem in* PROCERES ECCLESIAE, sive in eorum *corpora*, sive in eorum *libertatem*, sive in eorum *dignitatem*, animo iis nocendi; vel eos jam receptos ejiciendo a locis ipsorum jurisdictioni subjectis. — Censura vero non stringuntur, qui eos simpliciter non recipiunt, vel a civitate tantum expellunt.

2° *Cooperantes*, i. e. mandantes, praestantes auxilium vel favorem. — Quinimo, excommunicationem praesentem incurrunt praefata crimina *rata habentes*. — Verum, ad hoc requiritur: *a*) Ut crimen factum fuerit eorum nomine; — *b*) ut tempore patrati delicti illud mandare potuerint; — *c*) ut illud gravi aliqua actione externa, v. gr. scriptura, congratulatione, applausu, laude, etc. approbent (VII, 267).

N. B. Confundi non debet haec censura cum illa, quae incipit *Violentas manus*, etc. (n. 1329), ad tuendam quamcumque personam ecclesiasticam.

1320. — VI. « Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, — et (i. e. etiam) ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, — edentes, — aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes ».

Excommunicantur: 1° *Impedientes* vi, minis, imperio, exercitium quodcumque jurisdictionis ecclesiasticae [1], sive haec sit ordinaria, sive delegata; sive fori *interni*, quod regit S. Poenitentiaria, sive *externi*, in quo jus dicunt tum Congregationes romanae, tum Ordinarii locorum (cfr. n. 138). — Impediunt autem directe vel indirecte: *directe*, si ipsi obstent personae jurisdictione praeditae, v. gr. si quis minetur necem Episcopo, ne censuram ferat, ne beneficium conferat, ne visitet dioecesim, ne praedicatores mittat, ne bona acquirat vel alienet, ne mutet parochum, etc.; *indirecte*, si obstent efficaciter in alia re, vel in alia persona, v. gr. bona Episcopi sequestrando, officiales vel familiares ejus vexando, etc.

2° *Recurrentes ad forum saeculare*, seu ad magistratus saeculares, *ejusque mandata procurantes*, ut sententiae nempe, vel actui jurisdictionis ecclesiasticae, obsistant. — Hujusmodi sunt qui, populi suffragio electi, *mandatoque potestatis civilis muniti*, audent, obstando Ecclesiae, sese intrudere in parochiale vel episcopale regimen (*A. S. S.*, vol. 7, p. 702). Cfr. Excomm. XI, n. 1325. Vide *Monit. eccl.*, 1910, ap. *Nouv. Rev. Théol.*, 1911, p. 246.

3° *Edentes mandata*, seu ipsi judices vel magistratus civiles, qui mandata pro jure suo condunt et edunt, ad impediendum aliquem actum jurisdictionis. — Non excommunicantur vero *actuarii*, nec *praecones*, nec *cursores*. Ratio est, tum quia hi omnes (etsi lubenti forte animo operam suam praestent)

[1] Nota hic agi de sola *jurisdictione Ecclesiae catholicae*, non vero de jurisdictione *Ordinum religiosorum*, quoad usum privilegiorum; nec de *exercitio Ordinum sacrorum*, quoad eos conferendos, quoad missam legendam, etc.; nec denique de actibus *meae administrationis* (*D'Annibale*, n. 57).

Digitized by Google

necessitati parent, tum quia lex, quando eos censura teneri voluit, id formaliter declarat.

4° *Cooperantes,* seu impedientes *secundarii,* illi nimirum, qui supra recensitis personis, aliqua ratione satis efficaci et graviter culpabili, vel ***auxilium*** praebuerunt, physice cum eis cooperando; vel praestiterunt ***consilium*** vel ***favorem,*** moraliter tali modo cooperando. — Hujusmodi sunt, v. gr., qui pastores INTRUSOS eligunt, adjuvant, iisque favent.

Nota. Quaedam gubernia instituerunt tribunal ad judicandum *circa abusum* potestatis ecclesiasticae. Qui ad tale tribunal contra Decreta Episcopi recurrit, hanc gravem censuram incurrit. « Volunt aliqui auctores (*D'Annibale,* l. c., n. 61; *Gabriel a Varceno,* n. 9), *recurrentes* non incurrere excommunicationem, nisi *effectu secuto;* alii tamen (*Del Vecchio,* I, 574; *Grandclaude,* in h. exc., n. 2; *Avanzini,* ed. 2, not. 7) dicunt, sufficere recursum injustum ad tribunal civile, ad impedienda Decreta judicis ecclesiastici; et haec sententia probabilior nobis videtur ». Cfr. *Haringer,* App. ad l. VII S. Alph., n. 26.

1321. — VII. « Cogentes, sive directe, sive indirecte, judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, praeter canonicas dispositiones; — item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae ».

Hac censura feriuntur: 1° Qui violant *privilegium* FORI seu *immunitatem personarum* ecclesiasticarum, sive in causa criminali, sive in civili.

Per COGENTES, intelliguntur quicumque privatorum (etiam sacerdotes), qui personas quasvis ecclesiasticas (sive in criminali, sive in poenali causa), nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocant, ibique adesse compellunt. Pius X, in Motu proprio: *Quantavis diligentia,* 9 Oct. 1911 (*A. A. S.,* III, p. 556). — Ex his sequitur, nomine *cogentes,* intelligi eos qui, in causa publica poenali, se constituunt *partem civilem,* vel qui personam ecclesiasticam, *qua testem,* comparere faciunt in quavis causa. Ita ex declaratione authentica S. Pontificis ad Episcopum Larinensem, 11 Jan. 1912 (ap. *Monit. eccl.,* 1912, p. 4). — Cfr. *A. A. S.,* VI, p. 277.

Notandum tamen, *solam denuntiationem* apud officiales civiles censura non attingi (*Ami du Cl.,* 1912, p. 1035).

Per verba: *praeter canonicas dispositiones,* alluditur ad multiplices casus, in quibus judex laicus contra clericos, sive in civilibus, sive etiam in criminalibus, licite procedere potest, v. gr. si clericus degradatus fuerit, etc. — Ubi vero, sinente vel silente S. Sede, privilegium FORI non amplius viget, nec Jus civile privatorum a judice ecclesiastico obtineri potest, censura videtur ipso facto cessare[1] (cfr. n. 201 et 2234).

Feriuntur: 2° Qui *edunt leges vel decreta contra* LIBERTATEM aut JURA *Ecclesiae.* Haec verba *latissime* patent: iis enim exprimuntur omnia jura ac libertates quae Ecclesiae competunt, etiam jus acquirendi actibus sive ultimae voluntatis, sive inter vivos; jus alienandi, elocandi bona sua, etc. (cfr. n. 874). — Porro censura feriuntur istiusmodi *legum* ac *decretorum* auctores, i. e. deputati, senatores, qui sunt causae efficaces; princeps, qui suum nomen ipsis subscribit vel eas promulgat; item ministri, gubernatores, praefecti, muni-

[1] *D'Annibale,* n. 65. — Privilegium fori ob causas supradictas non amplius viget in Austria, Germania, Luxemburgo, Belgio, Hollandia.

Digitized by Google

cipes, etc., qui *decreta* aliquod jus Ecclesiae impugnantia ferunt, ut, v. gr., decreta, quibus monasteria vel loca pia supprimuntur [1].

Censuram vero non incurrunt, nec *praecones*, aut officiales, qui talia decreta evulgant vel observari curant; nec *tabelliones*, qui acta ad eorum normam conficiunt; nec *litigantes*, qui iisdem decretis utuntur; nec *judices*, qui suas sententias eisdem accommodant. — Sed perpende, *an non incidant in aliam*, v. gr. ex eo quod ecclesiasticam jurisdictionem laedunt.

1322. — VIII. « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem legatis aut delegatis quibuscumque profecta, — eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes; — aut eorum causa, sive ipsas partes, sive alios, laedentes vel perterrefacientes ».

Praesens censura tuetur *Litteras* et *Acta* S. Sedis, i. e. documenta profecta, sive *immediate* a R. Pontifice et a S. Sede, v. gr. a S. Poenitentiaria, vel ab aliis SS. Congregationibus (S. Off., 13 Jan. 1892) [2]; sive *mediate* per legatos, nuntios, etc.

Excommunicantur: 1° *Recurrentes*, ad ea impedienda (sive appellando, sive provocando), *ad laicam potestatem*, cujuscumque gradus sit illa potestas; et hoc, in probabiliori sententia, *quamvis recursus passus fuerit repulsam* [3]. — 2° *Prohibentes promulgationem*, eam nempe quae legis obligationem inducit; vel *exsecutionem*, v. gr. impediendo ne litterae suum effectum sortiantur, ut si quis eas intercipiat, vel notarium prohibeat, quominus super his instrumenta conficiat, vel jam confecta tradat. — 3° *Laedentes* (quoad corpus), vel *perterrefacientes* (metu multum gravi) *sive ipsas partes*, i. e. personas quae illis litteris juvantur; *sive alios*, v. gr. patrocinatores partium, exsecutores, omnes demum, ad quos obtenta acta aliqua ratione referuntur (*De Angelis*, l. I, tit. 29, n. 6).

1323. — IX. « Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. vice-cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; — necnon falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis; — et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu vice-cancellarii aut gerentis vices praedictorum ».

Per *Litteras Apostolicas* hic non intelliguntur litterae seu Rescripta SS. Congregationum vel Nuntiorum.

Excommunicantur igitur: 1° Qui *falsificant* Litteras Apostolicas, etc., aliquid nempe mutando, addendo, demendo, quo sensus corrumpatur, puta si Pontifex aliquid concesserit ad triennium, et impetrans mutet in quinquennium [4]. — 2° Qui falso *publicant* vel veras litteras, sed clam et contra Pontificis voluntatem; vel litteras ex integro falsas aut corruptas, perinde ac si authenticae essent. Secus, si dubias litteras tanquam dubias publices, vel si historice, ut ab alio publicatas, referas. — 3° Qui falso *subscribunt* nomine Pontificis, pro gratia facta. — Quoad eos qui falsis litteris *utuntur*, cfr. n. 1350.

[1] *D'Annibale*, n. 68; cfr. *Syllab. Pii IX*, n. 32, 33, 45, 47. — [2] *Collect. S. C. de P. F.*, 2172. — [3] Contrariam sententiam tuentur: *D'Annibale*, *Bucceroni* (apud *Lehmkuhl*, II, 1199). — [4] Censet *Lehmkuhl* (II, 1200) eos qui *fabricant* Litteras Apostolicas censurae non subjacere, si eas non publicant.

Digitized by Google

1324. — X. « Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem ».

Dicitur: 1° *Absolventes,* etiam cum ignorantia crassa et supina (S. Off., 13 Jan. 1892); nec excommunicationem effugiunt *simulantes* absolvere (Resp. S. Poenit., 1 Martii 1878; S. Off., 10 Dec. 1883; *A. S. S.*, 27, p. 555). — Censura vero non ferit eum, qui complicem tantum audit in confessione; nec probabiliter eum, qui absolvit quidem, sed sine advertentia.

2° *Complicem in peccato turpi;* quo nomine venit *omne peccatum* externum, grave, certum et formale ex utraque parte, contra castitatem, quod subjici debet et actu subjicitur absolutioni tanquam materia necessaria.

3° *Etiam in mortis articulo, si,* etc.; unde complex non vitat censuram, etsi valide absolvat, si non curat, ut morienti complici alius confessarius aut sacerdos praesens adsit. — Plura vide n. 1780.

Nota. Haec censura dicitur *specialissime* reservata; quia in facultate absolvendi a casibus S. Sedi etiam speciali modo reservatis, quae Ordinariis vel missionariis conceditur, hic casus expresse excipitur, ut constat ex pluribus S. Off. Decretis. — Excipitur similiter in Bulla *Cruciatae* (*Monit. eccl.*, I, p. 173, 269).

1325. — XI. « Usurpantes — aut sequestrantes — jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes ».

Praenot. Quatuor excommunicationes feruntur contra eos, qui de BONIS ECCLESIAE *illicite* disponunt: — prima in praesenti articulo, si usurpent bona quae *ad personas ecclesiasticas titulo ecclesiae vel beneficii* pertinent; — secunda in articulo sequenti, si invadant bona *Ecclesiae Romanae;* — tertia R. Pontifici simpliciter reservata ex Tridentino (n. 1347), si usurpent bona *cujuscumque beneficii vel loci pii;* — quarta demum nemini reservata (n. 1353), si *alienent* illicito modo bona ecclesiastica cujuscumque generis.

1° BONA igitur, quae hic articulus tuetur, sunt: *a) jurisdictio,* etiam temporalis, vel delegata; — *bona* temporalia, imo etiam *jura* ad eadem; — *c) reditus pertinentes ad personas ecclesiasticas,* non ratione quacumque, sed *ratione suarum ecclesiarum, vel beneficiorum* saecularium aut regularium. — *Non comprehenduntur* vero bona beneficiorum vacantium, nec ea quae pertinent ad Montes Pietatis, nosocomia, coemeteria, capellanias laicales, sodalitia laicorum, vel fabricam Ecclesiae (cfr. n. 2235). — Nec bona monasteriorum, quae in Bulla *Coenae* recensebantur, videntur hic comprehendi (*Avanzini,* not. 34; *D'Annibale,* n. 90).

2° EXCOMMUNICANTUR: *a) Usurpantes,* i. e. rem alienam (supra designatam) occupantes, *tanquam sibi debitam, ac jure pertinentem.* — Unde non incurrunt *hanc* censuram fures, raptores, praedones, etc. (S. Off., 9 Martii 1870); neque illi probabiliter, qui rem ab aliis usurpatam, actibus sive ultimae voluntatis, sive inter vivos, sibi *acquirunt;* quia proprie non usurpant, licet peccent, et alias poenas incurrant (cfr. n. 1347). — *b) Sequestrantes,* i. e. judiciali officio sequestrum pronuntiantes, vel etiam exsequentes, atque ita impedientes ne a designatis personis bona percipiantur. Cfr. tamen dicta n. 526, II, 5°.

Digitized by Google

Item ex Litteris Encyclicis Pii IX, 21 Nov. 1873, pro *Helvetia*, et ex Decreto S. Congr. Conc., 23 Maii 1874, pro provinciis *Veneta* et *Mediolanensi*, declarantur censura peculiariter S. Sedi reservata (aliisque poenis) innodati « quicumque in praememoratis dioecesibus, *suffragante populo*, ad parochi sive vicarii officium electi, audeant sive Ecclesiae, sive jurium ac bonorum praetensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii ».

Hanc excommunicationem etiam incurrunt *asseclae societatis clerico-liberalis* seu emancipatricis cleri, qui populari sacrorum ministrorum electioni dant operam (S. C. Conc., 27 Jan. 1878).

N.B. Instructiones S. Poenitentiariae circa eos, qui bona usurpata *emunt* vel *retinent*, vide n. 1031; circa *intrusos*, n. 1327, Quaer.

1326. — XII. « Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; — vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; — necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes ».

Haec censura tuetur DOMINIUM TEMPORALE *S. Sedis*. — Excommunicantur: 1° Qui *per se*, vel *per alios*, civitates, terras, loca aut *jura* (scilicet temporalia eaque principalia) *invadunt*, etc. — 2° Qui supremam (ac temporalem) R. Pontificis in his jurisdictionem *usurpant*, vel *perturbant*, vel *retinent*, v. gr. qui impediunt, quominus R. Pontifex leges in his locis publicet, tributa exigat, etc. (cfr. n. 1325 *B*, v. *Usurpantes*). — 3° *Cooperatores*, qui ad singula praedicta *auxilium, consilium, favorem* praebent: per actionem scilicet formalem, efficacem, liberamque a metu gravi et coactione, v. gr. *primi magistratus* cujusque provinciae, urbis, terrae, oppidi.

Non excommunicantur: *a*) 1° *milites*, qui Romam invaserunt, nisi de *voluntariis* fuerint; — *b*) qui explent munera *municipalia* vel alia, pro publica tuenda tranquillitate: nisi juramentum praestent, quo activam obedientiam usurpatori promittunt, vel nisi talia exsequantur, quae divinis ecclesiasticisque legibus adversantur; — *c*) illi qui, apud intrusum gubernium, *consulis* et *legati* munere funguntur; — *d*) a fortiori illi, qui operam praestant solum remotam, v. gr. praebendo usurpatoribus victualia, aedes locando, inserviendo, etc., sicut ex variis S. Poenitentiariae Responsis constat (*A. S. S.*, I, p. 557-566; II, p. 675).

Nota. Ad *adhaerentes* quod attinet, quamvis hic non recenseantur, praefatam tamen excommunicationem certe incurrunt, ut constat ex Epist. Encyclica Pii IX, die 1ª Nov. 1870 edita. — Ad hoc autem, juxta communiorem sententiam, requiritur, ut adhaesio seu delicti approbatio (v. gr. in foliis publicis), auxilium vel favorem praestet, i. e. ut ad spoliationem, vel spolii manutentionem revera concurrat (*Patavin.*, 200, 202).

1327. — XIII. Excommunicationibus specialiter reservatis addenda est alia, quam Constitutio *Rom. Pontifex*, 5 Sept. 1873, ad tuendum JUS vicariorum capitulariam contra INTRUSOS edixit (*A. S. S.*, 7, 401 et 702)[1].

[1] Addenda est etiam illa, quam S. Pont. Pius X, die 20 Jan. 1904, per Const. *Commissum nobis* contra civile *Veto* seu *Exclusivam* in electione S. Pontificis promulgavit. Censura est speciali modo futuro Papae reservata. — Eam incurrunt: *a*) Civiles potestates cujuscumque ordinis, qui per interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet etiam indirecte voluerint se immiscere in Pontificis electione. — *b*) Cardinales, Secretarius S. Collegii et illi omnes qui in Conclavi partem

Digitized by Google

Hac censura plectuntur: 1° Canonici ac dignitates *cathedralium* ecclesiarum vacantium, qui *ausi fuerint* concedere et transferre ecclesiae vacantis curam, regimen et administrationem... in nominatum et praesentatum a laica potestate (ex S. Sedis concessione), vel a capitularibus ipsis jure electum, ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum. — 2° Ipse nominatus et praesentatus (vel ut supra electus) ad vacantem ecclesiam, qui ejus curam, regimen et administrationem, sub nomine provisoris, vicarii generalis aliove nomine, suscipere audet. — 3° Omnes qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cujuscumque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint. Cfr. n. 1361, 1375, 1380, ubi aliae poenae notantur.

Praeterea: 1° *Canonici* praefati et *dignitates* mulctantur poena privationis fructuum et reddituum ecclesiasticorum ipso facto incurrenda, et a R. Pontifice relaxanda. — 2° *Nominatus*, eo jure quod ipsi per nominationem forte quaesitum fuerat, privatus exsistit.

QUAERITUR. *Quaenam servanda sint a catholicis quoad* INTRUSOS?

Resp. En praecipuae praescriptiones, quas Pius VI servandas dedit respectu *intrusorum* in GALLIA et quibus nunc ubique locorum standum est: 1° Non potest adiri parochus intrusus pro administratione *baptismi*, nisi in casu quo non sit alius volens baptizare; nec licet fungi officio patrini, si forte intrusus baptizet. — 2° Non licet, diebus etiam festivis, audire *missam* ab intruso celebratam, etsi alia non possit audiri; nec licet *concioni* aliisque functionibus intrusi interesse, vel ab eo *alia* officii ministeria postulare, vel missae celebrationem ipsi committere. — 3° Non licet ab intruso *communionem* sumere, ne ad satisfaciendum quidem *paschali* praecepto. — 4° Etsi genuflectendum sit coram hostiis ab intruso consecratis, curandum tamen est (ne in hoc cultu praestando catholici communicare videantur cum schismaticis), ut declinetur occursus intrusi, dum Eucharistiam defert. — 5° Non licet parochum intrusum adire pro contrahendo *matrimonio:* unde, si nullum aliud suppetat medium, nec Superior possit providere alium parochum aut presbyterum, debent fideles sine pastoris praesentia contrahere. — 6° Non licet mulieribus, expleto puerperio, recipere ab intrusis benedictionem, quae mulieri *post partum* dari solet. — 7° Defunctorum *exsequiae* celebrandae sunt a legitimo pastore, etiam in domibus privatis, si aliter fieri nequeant. Si autem intrusus cadaver ad ecclesiam deferat, catholici *nec funus comitentur*, nec sacras preces recitent, vel alios Ecclesiae ritus cum illo sociati agant (*Vinzalli*, n. 1728; cfr. *Acta Pii VII*, II, p. 84). — Alia vide n. 1439.

§ 2. EXCOMMUNICATIONES R. PONTIFICI SIMPLICITER RESERVATAE.

Sunt DECEM et OCTO; quibus adjiciuntur una ex TRIDENTINO et altera ex declaratione S. OFFICII ut infra videbitur.

Excommunicationi hujusmodi PIUS IX subjacere declarat:

1328. — I. « Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis

habent, eo ipso quod a civili potestate munus assumunt *Veto*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi. Similiter, si ipsum hoc *Veto* qualibet ratione sibi cognitum, patefaciunt sive Collegio Cardinalium simul congregato sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto sive ore, sive directe ac proxime sive oblique ac per alios. Cfr. *Acta Pii X*, vol. 3, Appendix; *Nouv. Rev. Theol.*, vol. 42, p. 65.

Digitized by Google

poena latae sententiae; — item docentes vel defendentes tanquam licitam, praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Julii 1745, *Ubi primum* 2 Junii 1746, *Ad eradicandum* 28 Sept. 1746 ».

1° Ut quis censuram in prima parte expressam incurrat, necesse est: *a*) Ut *doceat*, i. e. nescientibus tradat, sive *public*e, sive *privatim*, verbis aut scriptis, — vel *defendat*, i. e. tanquam veras vel licitas et non damnandas tueri adnitatur damnatas propositiones. — Censuram vero non incurrit, si bonis et non futilibus argumentis demonstrare contendat alicui propositioni inesse sensum non condemnatum; nam inter damnatas propositiones, « quaedam damnatae sunt, quia nimis generaliter loquebantur, et ideo non sunt extendendae ad omnes casus particulares, qui propter aliquam gravem circumstantiam distinguuntur » (I, 104; III, 760). — *b*) Ut istae propositiones sint *damnatae ab Apostolica Sede*, i. e. a R. Pontifice, sive per se, sive per S. Officium, non vero a Conciliis oecumenicis; — sub *poena excommunicationis latae sententiae*, quae afficiat ipsas propositiones, et non solum librum, in quo continentur.

Ita damnatae fuere, inter alias (cfr. *Konings*, I, series prop. damn.): 5 prop. a *Benedicto XIV* circa duellum, 65 prop. in Decreto *Lamentabili* (de die 4 Jul. 1907) contentas; et generatim propositiones quae sunt doctrinae Enc. *Pascendi* contrariae. Cfr. Motu-proprio Pii X, 18 Nov. 1907 (*A. S. S.*, 40, p. 723; item ib., p. 470 et 593).

Huc vero non veniunt propositiones damnatae *sub poenis a Jure statutis* (i. e. sub poenis contra haereticos vel suspectos de haeresi pronuntiatis); nec propositiones damnatae a *Martino V* contra J. Wicleff et contra J. Hus; vel a *Pio VI* contra Synodum Pistoriensem; nec errores recensiti in *Syllabo*, quippe qui nullam censuram secum ferunt (*Palavin.*, 230-238).

2° Quod speciatim attinet ad *praxim inquirendi nomen complicis*, tria ad censuram requiruntur: *a*) ut *doceat* quis hanc praxim esse licitam; — *b*) ut *doceat utrumque simul licitum esse*, et exquirere nomen complicis (in quavis materia), et reticenti absolutionem denegare; — *c*) ut *temerarie* haec doceat vel defendat (VI, 491). — Vide tr. *de Poenit.*, n. 1701.

1329. — II. « Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos; — exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus, jure vel privilegio, permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat ». — Can. *Si quis deinceps*, 22, et Can. *Si quis suadente diabolo*, 29, XVII, q. 4 (c. 15 Concilii Lateranensis II sub Innocentio II).

Praenotamus, interpretationem hujus articuli esse *late* faciendam, tum in 1ª parte, ubi de privilegio *canonis*, tum in 2ª, ubi de facultate absolvendi agitur; nam utrobique valet regula: « favores ampliandi ». Vide dicta n. 1319.

Quoad PRIMUM, per verba: 1° *Injicientes* designantur: *a*) ipsi percussores seu male tractantes clericum, *etiam impuberes* et cujuscumque sint aetatis, sexus, conditionis, status, modo fuerint rationis compotes et doli capaces; — *b*) mandantes, consulentes, consentientes, modo graviter et efficaciter influant in percussionem; — *c*) ratihabentes, modo quo supra (n. 1319) explicavimus; —

Digitized by Google

d) non impedientes, si *ex justitia* vel *ex officio* impedire tenentur. — Ita communiter ex *authentica* interpretatione celebris Canonis *Si quis suadente diabolo*. Cfr. *S. Alph.*, VII, 264-280; ed. G., IV, p. 408 [1].

2° Per *manus violentas* intelligitur quaevis contumeliosa actio, *externe gravis,* qua laeditur clerici corpus, libertas, vel dignitas. — Hinc censuram incurrit: *a*) qui leviter, imo levissime, percutit clericum, si percussio, ratione reverentiae huic debitae vel ratione circumstantiarum, existimetur *graviter* injuriosa; — *b*) qui clericum conspuit, luto contaminat, aqua conspergit, detinet in carcere, persequitur fugientem, ita ut in flumen vel fossam incidat, ei evellit crinem, lacerat vestem, eripit aliquid per vim et injuriam de ejus corpore, v. gr. pileum, pallium, etc., ita ut actio sit graviter injuriosa; — *c*) qui haec agit, putans esse alium clericum quem laedere intendit, vel consentiente clerico; quia injuria ipsi ordini clericali infertur.

3° *In clericos*, i. e. prima saltem tonsura insignitos; etiam excommunicatos, suspensos, interdictos, degradatos verbaliter tantum, dummodo jure privilegium per degradationem publicam non amiserint (cfr. n. 1382) [2]; — *et monachos utriusque sexus,* i. e. quosvis religiosos vel religiosas, in latiori sensu; ergo etiam feminas modo religioso conviventes in congregatione ab Episcopo erecta, quamvis in ea non fiat professio, aut institutum nondum fuerit a S. Sede approbatum; item novitios vel tertiarios, si gestent habitum et vivant in communitate (*Konings,* 1719, 3°).

4° *Suadente diabolo,* id est cum peccato gravi. — Secus vero: *a*) si quis agat ex *subita ira;* — *b*) si percutiat *jocose,* vel *casualiter,* quamvis percussio sit materialiter gravis, vel sanguis copiose effundatur e naribus, et quamvis cum aliqua etiam ira venialiter culpabili conjungatur; — *c*) si percutiat ad defensionem *sui* vel *suorum propinquorum*, imo propriorum bonorum; — *d*) si *auctoritate potiatur* in clericum, uti praelatus, magister, pater, etc., et percutiat moderate atque ad correptionem.

Quoad SECUNDUM, i. e. quoad ABSOLUTIONEM, distinguenda est triplex percussio: 1° *enormis,* in qua magna intervenit vulneratio, vel magna injuria; — 2° *gravis* seu *mediocris,* cum fit carnis contusio, vel cum sanguinis quidem copia effunditur, sed absque magna laesione vel injuria, v. gr. si extundatur dens, vel capillorum copia evellatur; — 3° *levis,* non quidem in se, sed relate ad praedictas, quando fit simplex percussio, v. gr. manu, pede, baculo et similibus, citra damnum notabile, et quin vulnus, contusio notabilis vel percussionis vestigium remaneat [3].

Jamvero, circa haec, quid potest Episcopus (vel ejus Vicarius) ex Jure communi?

Resp. 1° Si percussio, etsi publica, fuerit *levis,* potest absolvere percussorem, quisquis ille sit; — 2° si *mediocris,* eos tantum qui collegialiter vivunt, feminas et impuberes; — 3° si *enormis,* duntaxat feminas impuberes, sive ante, sive post pubertatem petant absolvi (excipe excipienda, in casu occulto ex

[1] Quidam recentiores (*Noldin,* de Poenis, n. 70) negant censuram incurri ab *impuberibus*, quamvis sint sui compotes; alii (*D'Annibale,* III; *Pennacchi,* I, p. 481; *Formisano,* p. 71; *Del Vecchio,* I, n. 598) eam non extendunt ad *cooperantes.* — Hae sententiae nobis non satis probabiles apparent: ipsa enim censura ejusque authentica interpretatio constanter hanc latissimam significationem requirunt. Praeterea, si impuberes non comprehenduntur, *inutilis evadit* potestas (infra citanda) Episcopis collata, quoad absolutionem impuberum. Cfr. *Patavin.,* n. 263; *Avanzini,* p. 86; *Lehmkuhl,* II, 1217; *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 6, p. 119. Vide etiam supra n. 1311, 3°. — [2] Non perdunt privilegium qui habitum clericalem non gestant, quia impediti sunt, ut in Anglia; percussor autem, ut censuram incurrat, scire debet illos esse clericos (*Scavini*). — [3] *Zitelli,* App. Jur. can., l. II, c. VI, art. 2, § 1. Cfr. Const. Joannis XXII: *Perlectis.*

Digitized by Google

c. *Liceat*). — In dubio, utrum percussio fuerit levis, an gravis, an enormis, id sequi debes quod majus est, seu quod magis favet privilegiatis, ex praenotata regula interpretationis (VII, 279, 280).

Notorii vero clericorum percussores sunt excommunicati vitandi (v. n. 1295).

1330. — III. « Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, — necnon de industria spectantes, — illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis ». — Trid., Sess. 25, c. 19, *de Ref.*; Gregor. XIII, *Ad tollendam*; Clem. VIII, *Illius vices*; Bened. XIV, *Detestabilem*.

Excommunicantur: 1° *Perpetrantes duellum*, ii scilicet omnes, qui privata auctoritate, ex condicto, singulare certamen ineunt, cum periculo occisionis, vel gravis vulneris. Nihil autem refert, an adsint patrini necne; an certetur cum armis lethalibus, vel non; modo sit periculum gravis vulneris, illudque praevideatur, ut frequenter fit in quibusdam Universitatibus [1]. — Item, *provocantes* ad duellum *cum serio animo pugnandi*, etsi provocatus non acceptet. — Item *acceptantes*, etsi duellum non sequatur.

2° *Complices*, qualemcumque operam aut favorem praebentes, ut patrini, testes; qui consilium dant, qui litteras provocatorias dictant, scribunt, deferunt; vel in his se alias immiscent, v. gr. medicus vel confessarius, qui *ex condicto* proximus adesset ut vulneratis opem ferret (S. Off., 31 Maii 1884; *A. S. S.*, 17, p. 604). — A censura tamen immunes videntur, qui duellaturos artem gladiatoriam solummodo *docent*.

3° *De industria spectantes*, i. e. qui, sua praesentia, ad pugnam incendunt; nec vero qui, casu transeuntes, aspiciunt, vel in secreto, vel a longe; nec qui adeunt locum certaminis, ut duellum impediant.

4° *Illud permittentes*, vel *non prohibentes*, cum prohibere valent ac debent, ut duces exercitus, terrae domini, praefecti, etc. (cfr. n. 747, 1387). *S. Alph.*, VII, 220.

Nota. Omnes qui sub 2°-4° indicantur, non videntur certo incurrere censuram, si duellum reapse non sequatur (*Génicot*, II, n. 595; *Lehmkuhl*, II, 1222).

1331. — IV. « Nomen dantes sectae massonicae aut carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; — necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; — earumque occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint ». — Clemens XII, *In eminenti*; Bened. XIV, *Providas*; Pius VII, *Ecclesiam*; Leo XII, *Quo graviora*; Pius IX, *Qui pluribus*; Leo XIII, *Humanum genus*, die 20 Apr. 1884.

Hanc censuram incurrunt: 1° *Nomen dantes sectis sub censura prohibitis*. Probe distinguendum est inter societates sub gravi quidem, sed *sine censura* prohibitas, et societates *sub censura* vetitas.

[1] Quoad duella studentium, vide Decretum S. C. C., 9 Aug. 1890 (*A. S. S.*, 33, p. 242). Illud superius n. 747 retulimus.

Digitized by Google

Ut societas *sub censura* sit prohibita, duo requiruntur: ut vere constituat sectam arcto vinculo unitam, utque aliquid machinetur contra Ecclesiam vel Gubernium legitimum. Dirigitur enim censura IV imprimis contra sectam massonicam, et dein contra illas societates qui ad ejus exemplar constitutae sunt [1].

Jamvero: *a*) Prohibitae, sed *sine censura,* sunt, v. gr., tres societates americanae, dictae Socii singulares (*odd Fellows*), Filii temperantiae, Equites Pythiae (S. Off., 20 Aug. 1894) [2], et in genere, illae omnes quae a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam exigunt (S. Off., 10 Maii 1884) [3]. Similiter societas Sillonistarum (*A. A. S.,* II, p. 608 seqq.), societates biblicae, vel eae quae ad cremanda cadavera constituuntur (S. Off., 19 Maii 1886) prorsus vetantur.

b) Prohibitae *sub censura* sunt: societas massonica et carbonaria (ex ipsa Constitutione) et feniani (S. Off., 12 Jan. 1870) [4]; societates solidariorum, internationalium, mazzinianorum, communistarum, nihilistarum, anarchistarum, necnon et similes societates, exigant vel non a suis asseclis secreti servandi juramentum (S. Off., 1846 et 1884; Coll. Prop. Fid., n. 1861).

Quoad *socialistas* dubium inter auctores, utrum hac censura plectantur, ex eo exsurgit, quod socialistae non habent, sicut massones, *duces occultos, ordinationes occultas* (*Lehmkuhl,* II, 1225; *Noldin,* I, 74; *Vermeersch,* de Prohib. libr., n. 83; *Génicot,* II, 596). — Sed contra est, quod S. Off., in Decreto 10 Maii 1884, declarat tesseram societatis sub censura prohibitae, *praeprimis* in machinatione contra Ecclesiam vel Gubernium consistere. Cfr. *D'Annibale, Ballerini-Palmieri.*

2° *Fautores,* qui illis sectis *favorem qualemcumque* praestant, i. e. qui eis praebent consilium, auxilium, palam aut in occulto, per se vel per alios, qui eas in suis aedibus receptant, occultant, seu commoditatem eis faciunt, ut alium in locum convocentur; — qui alios hortantur, iisve suadent ut hujusmodi societatibus sese adscribant, earumve coetibus intersint; — postremo omnes qui eos, quocumque modo, juvant ac fovent, et cooperationis graviter illicitae reos se constituunt. Censura tamen jam non attingit eos qui *ficte* conventiculis intersunt.

3° *Non denuntiantes,* infra mensem, Ordinario *occultos coryphaeos ac duces,* eosque solos. *a*) *Obligatio denuntiandi* est eadem ac pro haeretico eademque ratione interpretanda (cfr. n. 442); sufficit autem si reos manifestes per interpositam personam, v. gr. per confessarium, vel parochum. S. Off., 15 Junii 1870. — *b*) *Haec obligatio urget* etiam quando denuntiandi duces sunt publice noti ut *liberi muratorii,* sed non ut coryphaei vel duces sectae massonicae. Urget etiam apud eas regiones in quibus ab ecclesiastica potestate puniri non possunt, nec ullo modo cohiberi (S. Off., die 19 Apr. 1893) [5]. — *c*) *Cessat obligatio* denuntiandi, si duces *qua tales* certe sunt *noti;* sed non ideo cessat, quia eorum nomina in libris et ephemeridibus passim leguntur (S. Off., 1 Febr. 1871) [6]. — *Cessat* etiam quamdiu quis denuntiare nequit, quin seipsum prodat. — *d*) *Facta denuntiatione* intra 30 dies post cognitam obligationem, vel post sublatum impedimentum, quod forsan obstabat, censura non incurritur. Facta *serius* denuntiatione, censura incursa non ipso facto tollitur, ut volunt aliqui, sed non est amplius reservata, et potest a quocumque confessario tolli, ut

[1] Cfr. *Acta Concilii plenarii Americae Latinae* (1899), tit. 2, c. VII; *Noldin,* de Poenis ecclesiasticis, n. 74. — [2] *A. S. S.,* 28, p. 438. — [3] *Nouv. Rev. Théol.,* 16, p. 407. — [4] *Avanzini,* p. 24; *Collect. S. S.,* n. 515. — [5] *Anal. eccl.,* t. I, p. 204. — [6] *A. S. S.,* vol. 6, p. 435.

Digitized by Google

constat ex Resp. S. Poenit., anno 1832, dato pro simili casu [1]. Vide tamen quae addit *Lehmkuhl* (II, n. 1227) in fine articuli.

Nota quoad absolutionem. Satis non est, ut declaravit S. Off., 5 Jul. 1837, quod sectarium emissi juramenti poeniteat ut possit absolvi, si externe cum iisdem sociis adhuc communicet. Debet sectam abjurare, saltem coram confessario (S. Off., 5 Aug. 1898) [2], eique valedicere; item libros ac signa omnia tradere, ut Episcopo vel inquisitori transmittantur, aut saltem comburantur, si justae gravesque causae id postulent [3]. — Plures tamen auctores [4] putant, Responsum istud 5 Jul. 1837, *juxta exposita* datum, cum grano salis esse accipiendum, ac licite poenitentem absolvi posse, si omnem relationem cum secta sua non statim abrumpere possit, absque periculo necis aliusve gravissimi mali neci aequivalentis (quod tamen hodie non ita facile accidit). Hac tamen sub conditione quod participatio non fiat in actibus intrinsece malis, nec oriatur emolumentum sectae, nullumve detrimentum spirituale poenitentis, aut scandalum proximi. Sic videtur esse mere materialis cooperatio quae ob gravissimas causas licita evadit (cfr. Resp. S. Off., 18 Jan. 1896).

1332. — V. « Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario violare jubentes aut violantes ». — L. III Decretal., tit. 49; Gregor. XIV, *Cum alios;* Clemens VIII, Decret. *Sacra Congregatio.*

Praenotanda. Asyli IMMUNITAS in hoc sita est, quod delinquentes (exceptis haereticis, homicidis, latronibus publicis et aliis jure excipiendis), qui in locum sacrum vel religiosum, S. Pontificis vel Episcopi auctoritate erectum, confugerint, inde extrahi nequeunt, sed ibidem incolumes atque integri servantur (*S. Alph.*, de Privil., 25-28). — Huic juri, pluribus in regionibus, ob temporum vicissitudines, laxamentum a S. Sede jam datum est. Attamen, S. Off., 22 Dec. 1880, statuit, jus asyli saltem *quoad substantiam* observandum esse, ideoque non esse per contrariam consuetudinem totaliter abrogatum. Cfr. etiam *A. S. S.*, II, p. 45 et 484. — Jus asyli similiter restrictum fuit in Concordato *austriaco;* nam statutum est, sacrorum templorum immunitatem in tantum servandam esse, « in quantum id publica securitas et ea quae justitia exigit, fieri sinant » [5].

Vi autem praesentis articuli, EXCOMMUNICANTUR: 1° qui hanc immunitatem violare *jubent;* — 2° qui eam reapse, vi adhibita, violant; dummodo hi omnes hoc faciant *ausu temerario,* in religionis vel canonis contemptum. — Hinc a censura eximuntur judices, milites, et omnes qui, lege civili vel aliter coacti, jus asyli violant. S. Off., 1 Febr. 1871 (ap. *Nouv. Rev. Théol.*, 15, p. 243).

1333. — VI. « Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; — pariterque eos introducentes vel admittentes; — itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam ».

EXCOMMUNICANTUR: 1° *Violantes clausuram,* i. e. pro monialibus, domum integram, et omnia septa huic annexa, et muro circumdata; — *monialium,*

[1] Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, t. 8, p. 612; *Patavin.*, n. 302; *Formisano*, in h. loc.; *S. Alph.*, VII, 123. — [2] *Nouv. Rev. Théol.*, 31, p. 96. — [3] Cfr. *Konings*, n. 1721 ubi plura; *Avanzini*, not. 26, quoad praxim S. Poenit. — [4] *D'Annibale*, I, n. 391, p. 406; *Del Vecchio*, I, n. 604; *Noldin*, de Poenis, n. 76; *Génicot*, II, n. 597. — [5] *Muller*, Theol. mor., l. III, App.; *Sägmüller*, Kirchenr., § 167, V.

Digitized by Google

quae scilicet emittunt vota sollemnia, et habent clausuram papalem; — *cujuscumque generis,* etc., ergo ipsi locorum Ordinarii, feminae, et impuberes *doli capaces:* exceptis tamen, ex Jure antiquo, regibus, reginis, et eorum comitatu; — *absque legitima licentia ingrediendo,* quamvis non sit ad malum seu libidinosum finem, vel praetextu facultatum aut privilegiorum (cfr. n. 2163, quoad LICENTIAM) [1].

2° *Introducentes vel admittentes.* Introducere possunt *soli extranei;* admittere dicuntur *solae moniales.* Omnes moniales *positive* admittere possunt, *negative* vero solum Superiorissa, januae custos, vel digniores e monasterio, non impertiti permissi consciae. Jam ingressos comitari, cum iis confabulari, non est *admittere,* nisi in quantum per confabulationem intra septa monasterii retineantur, qui jam vellent egredi (*Aertnys,* l. VII, n. 94; *Lehmkuhl,* II, 1231).

Utrum autem introductio vel admissio impuberum ante septennium censuram certo incurrere faciat, disputatur inter doctos (cfr. *Aertnys, Lehmkuhl,* l. c.).

3° *Moniales exeuntes* extra *casus* a S. Pio V determinatos, i. e. sine causa magni incendii, infirmitatis contagiosae vel eventus similis, v. gr. inundationis, ruinae imminentis, invasionis militum; extra *formam...,* i. e. quin causa sit ab Ordinario cognita et in scriptis approbata, quando tempus permittit [2]. — Ex Decreto autem S. Off., 22 Dec. 1860, consuetudo, etiam immemorabilis, concedendi egressum ex aliis causis etsi gravibus, ab Episcopis recognitis, debet censeri abrogata, nec potest continuari. — Vide n. 2162.

Nota. Moniales legitime egressae, sed tardius redeuntes, non excommunicantur quidem, sed peccant. *Gennari,* Quest. de mor., I, n. 52.

1334. — VII. « Mulieres violantes regularium virorum clausuram, Superiores aliosve eas admittentes ». — S. Pius V, Const. *Regularium* et Const. *Decet.*

Clausura REGULARIUM (i. e. vota sollemnia emittentium) est omne illud spatium, quod septis monasterii continetur; adeoque claustrum, domus, officinae interiores (v. gr. bibliotheca); non vero ecclesia, sacristia (ordinarie), nec hortus, si possit sine transitu per monasterium adiri, et a clausura clavi et muro convenienti separetur.

Excommunicantur: 1° *mulieres* quaecumque, modo puberes, exceptis reginis et similibus privilegiatis; — 2° ipsas *admittentes,* omnes scilicet qui, directe vel indirecte, in causa sunt, cur mulieres ingrediantur, v. gr. Superiores vel janitor, si non impediant ingressum, cum instat obligatio illum prohibendi et impediendi.

1335. — VIII. « Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices ». — Paulus II, *Cum detestabile;* Trid., Sess. 24, c. 18, *de Ref.*

Excommunicatio FERIT: — 1° *Reos simoniae realis,* quae habetur nempe, cum quis emit vel vendit: *a*) ipsum beneficium; — aut *b*) collationem ejus vel provisionem; — aut *c*) electionem, praesentationem ad illud obtinendum; modo exsecutio conventionis sit ex utraque parte saltem incepta... — *in beneficiis quibuscumque,* modo sint beneficia *proprie dicta,* sive saecularia, ut

[1] Olim licentia in scriptis concedenda erat. Hodie sufficere videtur licentia oretenus data. Generalis licentia conceditur solum medico, confessario et operariis. — [2] *S. Alph.,* VII, 221 seqq., mutatis ex nova lege mutandis.

Digitized by Google

episcopatus, canonicatus, decanatus, paroecia; sive regularia, ut abbatiae, et quidam prioratus, qui sunt veri nominis beneficia. — Probabilius tamen sub censura non comprehenduntur generatim praelaturae regularium, ut generalatus, provincialatus, etc.; nec officia ecclesiastica, quae carent beneficio; nec paroeciae *succursales* ad nutum amovibiles, etsi in favorabilibus sub nomine beneficiorum venire possint [1].

2° *Eorumque complices,* i. e. « qui procuraverint seu mediatores exstiterint, ut simonia fiat », ut legitur in Const. Pauli II [2] (cfr. n. 591).

1336. — IX. « Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis ». — Pius IV, Const. *Romanum;* S. Pius V, *Intolerabilis;* Trid., Sess. 25, c. 7, *de Ref.*

Haec censura attingit utrumque reum, modo simonia sit saltem ex unaque parte consummata. Incurritur ergo cum quis alteri (electione, praesentatione, collatione, resignatione, etc.), beneficium (proprie dictum) procurat cum certa *confidentia,* i. e. cum pacto expresso sive tacito, fore ut is cui procurat, illud certo tempore, vel ipsi procuranti aliive resignet, vel pensionem ob fructus ex eo perceptos solvat.

Vox autem « *cujuscumque sint dignitatis* » ideo adjecta est, quia Cardinales, Episcopi et praelati majores solo interdicto a Pio IV plectebantur (cfr. n. 591).

1337. — X. « Reos simoniae realis, ob ingressum in Religionem ». — Urbanus IV, Extrav., *Sane, de Simonia.*

Incurritur censura ab eo qui, propter ipsum *ingressum in Religionem,* dat vel accipit aliquid temporale; cum simonia fuerit *realis,* i. e. postquam ex utraque parte completa fuerit, ideoque, juxta sententiam valde probabilem, *post emissam tantum sollemnem professionem* (III, 108). — Non incurritur, si pro religiosi *sustentatione* aliquid accipiatur, etsi illicite [3]. — Imo, si agatur de monialibus, dos ad sustentationem semper assignari debet, ut constat ex SS. CC. decisionibus [4] (cfr. n. 591).

1338. — XI. « Omnes qui, quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur in Const. S. Pii V, *Quam plenum,* 2 Januarii 1569 ».

Hac Constitutione plectuntur « *omnes ab Episcopis inferiores* » qui, *accepta pecunia,* facto concesserint vel publicaverint sive *indulgentias,* sive *alias gratias* in ipsa S. Pii V Constitutione designatas. — Hae autem sunt: 1° facultas eligendi sibi sacerdotem pro absolutione a casibus Episcopo reservatis; — 2° celebratio missae et sepultura tempore interdicti; — 3° ciborum prohibitorum usus; — 4° assumptio plurium compatrum ad baptisma, contra Decretum Tridentinum; — 5° absolutio a reali simonia Papae reservata (*Avanzini,* in h. exc., p. 30).

1339. — XII. « Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent ». — Benedict. XIV, Const.

[1] III, 106-112; cfr. *D'Annibale,* n. 118. — [2] Cfr. *Gabr. a Varceno,* t. II, p. 470, n. 5. — [3] Ita *D'Annibale,* n. 116; quod tamen non placet omnibus (vide *Lehmkuhl,* II, 1234). — [4] *S. Alph.,* III, 92; *Falavin.,* 329-338.

Digitized by Google

Quanta cura et SS. D. N. Pius X, Decr. S. C. C. *De observandis (Ut debita).*

Hanc excommunicationem incurrunt, tum *clerici,* tum *laici;* quoties pro missis celebratis vel celebrandis, tradito stipendio, retinent ejus partem, ceu lucrum, et quidem tantam, quanta sufficit ad furtum grave. — Sed necesse est, ut sint simul:

1° *Colligentes,* quasi ex industria, multas eleemosynas manuales, vel ex fundatione taxatas pro missis. — Unde, *tametsi peccet,* hanc censuram tamen non incurrit, qui lucrum captat ex stipendiis quae sibi dantur, ut ipse ea persolvat; neque ille cui sponte deferuntur, ut ipse missas ab aliis celebrandas curet (nisi illi, qua collectori, deferantur); neque ille, qui semel aut iterum, parvum aliquem missarum numerum colligeret; talis enim non est veri nominis collector [1].

2° *Lucrum captantes.* — Unde, qui, *furis* instar, partem stipendii sibi vindicat (*Bucceroni,* Comm. III, n. 62), vel excessum *in pios usus* impendit, huic censurae non subjacet, tametsi non sit immunis a culpa, ut constat ex Decreto S. Congr. Concilii, 9 Sept. 1874 (*Del Vecchio,* I, n. 608; II, 1067); nec culpa tenetur, qui aliquid tanquam justum *sui laboris* pretium sibi retinet; nam, ut loquitur *S. Alphonsus* (VI, 322), « si ille ad hoc munus sit destinatus, et suus labor vere mercedem mereatur, tunc hujusmodi merces ei debetur ex naturali aequitate, et ex voluntate ipsorum eleemosynas offerentium ». Vide Resp. S. C. C., 18 Mart. 1905 (*A. S. S.,* 38, p. 80).

3° Ut missas celebrari faciant *in locis, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.* — Porro S. Off. declaravit, die 13 Jan. 1892, hanc censuram incurri etiam ab iis qui missas minore stipendio celebrari faciunt in eodem loco ubi eleemosynas collegerunt (*Nouv. Rev. Théol.,* 24, p. 170). Intellige, si eo loco consueta stipendia minoris pretii esse solent (*Lehmkuhl,* II, 1237).

Nota. Absolutio super his danda non est, nisi volentibus restituere, vel paratis stare mandatis S. Sedis, casu quo ad eam pro condonatione recurratur (cfr. n. 1613).

1340. — XIII. « Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos,* 29 Martii 1567; Innocenti IX, *Quae ab hac Sede,* 4 Nov. 1591; Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam,* 26 Junii 1592, et Alexandri VII, *Inter ceteras,* 24 Oct. 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus ».

Hac censura plectuntur omnes, sive laici, sive clerici, *cujuscumque dignitatis,* qui, inconsulto Sanctissimo, per se vel per alios, agere student, sive insinuare, vel suadere R. Pontifici qualemcumque *alienationem* civitatum vel locorum, ad S. Sedem pertinentium; ex quovis praetextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis, et quamvis operam et oleum perdant. — Qui ergo subscripserunt litteris quondam ad R. Pontificem missis (v. gr. a C. Passaglia) ut is suo dominio temporali renuntiaret, hi, juxta aliquos, contradicentibus aliis, innodantur hac excommunicatione [2].

[1] Consulto diximus: *hanc censuram;* quia in alias incidere possunt sive sacerdotes, sive clerici, sive laici. — Cfr. quae dicemus quando de missarum stipendiis sermo erit (n. 1615-1619). Vide etiam n. 1350 bis. — [2] Cfr. *Pennacchi,* App. 26; *Signoriello,* Novello missionario, p. 64, ubi formula retractationis; *Piatus,* in hanc excomm.

Digitized by Google

1341. — XIV. « Religiosos praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum extremae unctionis, aut Eucharistiae per viaticum, ministrare, absque parochi licentia ». — Clemens V, in Clem., 1, *de Privil.*

Religiosos hic intellige in stricto sensu: ita enim in odiosis fert interpretatio communis. — *Parochi* autem nomine venit ille qui habet actualem animarum curam, vel qui ejus vices gerit. — Dicitur *praesumentes:* ideo non incurritur censura, si bona fide aestimetur vel necessitatem urgere, vel praesumi posse parochi licentiam, vel si ministrentur sacramenta iis qui parochiali jurisdictioni non subsunt, v. gr. aliis regularibus, peregrinis, vagis, etc. — Nec prohibetur viaticum iterare ex devotione (cfr. n. 1537 et 2187, 4°). Cfr. *D'Annibale,* n. 145.

1342. — XV. « Extrahentes, absque legitima venia, reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis urbis Romae, ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes ». — Paulus V, Decr. 24 Aug. 1613; Clem. X, Const. *Ex commissae.*

In Constitutione Clementina requiruntur duo:

1° *Legitima venia,* ab Emo Card. Vicario in scriptis concessa, cum subscriptione et sigillo Vicarii Urbis.

2° Praesentia sacerdotis a Vicario delegati, dum reliquiarum fit extractio. — Nihil autem refert, utrum quis in magna an in parva quantitate extrahat, si *constet* esse ex reliquiis *martyrum,* v. gr. cum phialae vitreae vel figulinae cruore tinctae, aut crustas saltem sanguineas occludentes, ad loculos sepultorum intus vel extra ipsos reperiuntur (S. R. C., 27 Nov. 1863). — Secus vero de aliis cineribus vel ossibus fidelium, etsi prohibitio nihil ex eis auferendi sit saltem sub veniali observanda.

1343. — XVI. « Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem ». — Innoc. III, c. *Nuper,* 29, *de Sent. excomm.*

Per verba *excommunicato nominatim a Papa* non comprehenduntur excommunicati a Romanis Congregationibus, etiam quando earum Decretis accedit approbatio Summi Pontificis (S. Off., 18 Jun. 1897). Cfr. *Anal. eccl.,* V, 380.

Communicare *in crimine criminoso* idem est ac cooperari crimini jam perpetrato, seu contumaciae, ob quam alter excommunicatus est: puta si quis alteri ob rei retentionem excommunicato *auxilium* vel *favorem* praestet, ne restitutionem faciat. Controvertitur quoad consilium dantes (cfr. VII, 197).

1344. — XVII. « Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a R. Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officii recipientes ». — Clem. III, c. 18, *de Sent. excomm.*

Dicitur 1° *clericos,* ergo laici et Episcopi eximuntur a censura; — 2° *scienter et sponte:* unde excusat ignorantia (cfr. n. 1269, 3°), et metus etiam levis; — 3° *communicantes in divinis* . . . v. gr. in sacramentis administrandis, *et ipsos in officiis* (liturgicis) recipientes; *utrumque* scilicet requiritur, juxta veterem

Digitized by Google

identicae censurae traditionem [1]; — 4° *a R. Pontifice nominatim excommunicatos* [2]: unde excommunicatio non incurritur si communicatio admittitur cum iis qui a SS. CC., etiam adprobante Rom. Pont., nominatim censurantur. Cfr. n. 1290 et 1295. Vide tamen n. 1377.

1345. — XVIII. « Absolvere autem praesumentes (scilicet ab excommunicationibus speciali modo reservatis) sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant; dummodo non agatur de mortis articulo ». Ex 1ª parte Const. post excomm. XII.

Dicitur: 1° *praesumentes:* ergo immunis est a censura, qui absolvit ex ignorantia etiam crassa (cfr. n. 1269), ex timore gravi, ex probabilitate, qua ductus judicat, vel poenitentem non esse excommunicatione irretitum, vel sibi esse potestatem illum absolvendi; — 2° *dummodo* etc.; — quia non est reservatio in articulo mortis (cfr. 1282 seqq.).

1346. — XIX. Excommunicantur missionarii et ecclesiastici, qui per se vel per alios, quovis titulo aut forma, mercaturae dant operam in Indiis orientalibus, China, Japonia, vel in America, sive australi, sive septentrionali; item Superiores, etiam mediati, qui delinquentes religiosos sibi immediate subjectos non puniunt.

Ita ex Const. *Ex debito* Urbani VIII, et Const. *Sollicitudo* Clementi IX, quas Pius IX, per authenticam S. Off. declarationem, adhuc vigere pronuntiavit (4 Dec. 1872) [3].

Dicta prohibitio ac poena, ad mentem ejusdem Clementis IX: 1° Non solum afficit missionarios europaeos, sed etiam quoscumque ecclesiasticos viros (excipiuntur sacerdotes indigenae) qui sub nomine missionariorum, aut quovis alio titulo, pro tempore missi fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur (S. Off., 17 Jan. 1883). — 2° Respicit mercaturam proprie dictam, actibus continuis se prodentem (cfr. *Ami du Cl.*, 1907, p. 947; 1908, p. 1196).

Haec porro censura communiter inter *reservatas* ponitur, eo quod, sic statuente Clemente IX, « nemo ex praedictis delinquentibus absolvi possit, praeterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris hujusmodi prius restitutis » [4]. Quod si restitutio non promissa tantum, sed reapse facta fuerit (scilicet causis piis, non tamen instituto delinquentium), excommunicatio non erit amplius ceu reservata habenda, ut palam est (*A. S. S.*, 7, p. 317; *Monit. eccl.*, VIII, P. II, p. 245).

1347. — XX. Ex TRIDENTINO: « Usurpare vel impedire *praesumens* quorumcumque beneficiorum et locorum piorum bona, jurisdictiones, jura, etc., anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu haec integre resti-

[1] Vide *Lehmkuhl* (II, 1242). Ibi censet auctor, rectorem ecclesiae excommunicari, qui sponte sepeliret ritu liturgico talem excommunicatum. — [2] Ita per Litt. Apost. excommunicati fuerunt *I. H. Reinkens* (21 Nov. 1873) et *D. Panelli* (3 Jul. 1875); cfr. *A. S. S.*, 7, p. 465 et 8, p. 561. — [3] Die 4 Martii 1873, S. C. de Prop. Fid. haec omnia suis missionariis nota fecit (*Ami du Cl.*, 1913, p. 222). — [4] Superiores tamen absolvi possunt, antequam alii restituerint. Cfr. *D'Annibale* in h. loc., App. III.

Digitized by Google

tuerit, ac deinde a R. Pontifice absolutionem obtinuerit » (Sess. 22, c. 11, *de Ref.*).

Haec excommunicatio, quae multo latius patet quam aliae (n. 1325, 1326), complectitur: 1° Quoad OBJECTA, ecclesiarum, beneficiorum et quorumvis *locorum piorum jurisdictiones, bona, census, jura* (v. gr. jus administrandi), *seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent.* — 2° Quoad PERSONAS, eos omnes, qui dicta bona *per se vel per alios* (ideoque et mandantem complectitur) *vi vel timore incusso, seu quacumque arte* (fraude) *aut quocumque quaesito colore* (titulo, praetextu), *in proprios usus convertere et usurpare, vel solum impedire* PRAESUMUNT, *ne ab illis, ad quos jure pertinent, percipiantur:* complectitur ergo occupantes, vel impedimentum ponentes, *quasi ex jure ad illa.*

Censurae autem non subjacet, qui nullam vim, metum, fraudem aut praetextum adhibuit, ut si quis rem sibi commodatam, vel apud se depositam, restituere omittat. — *Ementes* vero ecclesiastica bona (mobilia vel immobilia) usurpata ab usurpatoribus, in hanc saltem Tridentinam excommunicationem incidunt. Constat ex Resp. S. Off., 8 Julii 1874; et ratio est, quia vere bona sacra detinent, et transferunt in proprios usus. Et insuper, S. Poenit., 21 Maii 1897 (*Nouv. Rev. Théol.*, 30, p. 85), declaravit incidere in hanc Tridentinam excommunicationem, ementes bona religiosorum, quae fiscus vendit, eo quod iidem religiosi solvere recusant taxam a lege civili impositam, vulgo *loi d'abonnement.* — Idem dicito de illis, qui bona ecclesiastica occupata vel alienata a demanio, in *locationem* vel in *emphyteusim* acceperunt. — Idem etiam de illis, qui census, canones aliaque jura ecclesiastica (redimibilia vel non redimibilia) sine S. Sedis indulto redemerunt. — Haec omnia colliguntur, ex variis S. Poenit. Responsis, pro jubilaeis anni 1866 et 1875 (*Del Vecchio*, I, n. 629-632; *Piat* in h. exc. ubi plura). Recole dicta n. 1325.

Concilium addit: *clericus* vero, qui nefandae fraudis et usurpationis hujusmodi *fabricator* seu *consentiens* fuerit, eisdem poenis subjaceat; necnon quibuscumque beneficiis privatus sit, — et ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur; et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio, suspendatur (*Patavin.*, n. 190, 370). Vide dicta n. 1254, 3°.

§ 3. EXCOMMUNICATIONES ORDINARIIS RESERVATAE [1].

1348. — TRES in Const. *Apost. Sed.* enuntiantur, his verbis:

« Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

I. « Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales, post votum sollemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; —

[1] Romae, tres priores censurae non sunt reservatae (S. Off., 1 Dec. 1875). — Ut jam supra n. 1280, 3° notavimus, casus hic numerati potius *papales* vocari debent. Regulares vero a casibus papalibus absolvere queunt. Cfr. *S. Alph.*, de Privil., c. V, n. 100, et de Cens., VII, 99). — Ex hoc autem sequitur, quod Regulares, etiamsi Episcopus easdem censuras retulerit inter casus a se reservatos, illos absolvere possunt qui *censuras* vere contraxerunt (vide n. 1269 causas a censura excusantes). Ratio est, quia Episcopi nequeunt impedire privilegia Regularium (*Vermeersch*, I, n. 516).

Digitized by Google

necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes ». Clem. V, *de Consang.*

Ad incurrendam hanc censuram requiritur : 1° Ut unus saltem ex illis sit *Ordine* sacro insignitus, vel *sollemni castitatis voto* ligatus, licet aliud adsit impedimentum, v. gr. affinitatis, consanguinitatis, ex quo matrimonium est nullum (S. Off., 13 Jan. 1892). — 2° Ut *matrimonium contrahere praesumant,* i. e. ambo praestent consensum matrimonialem de praesenti, utque id faciant cum praesumptione, i. e. cum perfecta facti et juris scientia, et cum plena libertate. Sufficit vero matrimonium sic dictum *civile,* ut constat ex Decreto S. Off., 22 Decembris 1880 [1].

1349. — II. « Procurantes abortum, effectu secuto ». — Sixtus V, Const. *Effraenatam,* § 7.

Ad contrahendam hanc censuram tria requiruntur :

1° Ut *abortus* sit verus ac certus (cfr. n. 741). Unde, non incurritur excommunicatio, nisi fuerit certa tum conceptio seu exsistentia fetus, tum praematura ejus e materno sinu ejectio [2]. — Sed tollitur antiqua distinctio (Greg. XIV) inter fetum animatum et inanimatum ; quare, quocumque tempore post conceptionem verus ac certus abortus procuretur, contrahitur censura. Secus, quoad irregularitatem (cfr. n. 1946). — Craniotomia, ut n. 745 diximus, non inducit censuram ; quia non est abortus stricte dictus.

2° Ut fuerit *procuratus,* i. e. ex industria quaesitus et directe volitus, *sive per se, sive per interpositas personas,* ut habet Bulla Sixti V. — Hinc, censura plectuntur medicus, ancilla, socia, potionem propinantes ; item paterfamilias, maritus, fornicator, qui percutiunt, intendentes abortum, vel qui jussione vel minis cogunt mulierem, ut abortum sibi inferat. — Ab ea eximitur, qui praegnantem graviter percutit ex ira, odio vel zelotypia, praevidens forsan abortum, sed non intendens. — Pariter, eximitur medicus dans merum consilium, vel indicans apta media ; pharmacopola praeparans aut vendens remedium, etsi ex intentione graviter mala ; non enim in articulo recensentur (ut olim in Const. *Effraenatam*), « qui opem, consilium aut favorem scienter dederint ».

3° Ut fuerit revera *secutus* ex causa in hunc finem posita. — Secus vero, si constet vel saltem probabile sit, abortum accidisse ex alia causa ; v. gr. ex eo quod post sumptum abortivum mulier ex alto ceciderit. Secus etiam, si reum poeniteat, priusquam effectus sequatur (cfr. n. 1264, 2°).

Nota. Mulier ipsa, quae abortum sibi procurat, secundum sententiam valde probabilem et, attenta ratione intrinseca, probabiliorem, non incurrit censuram. Ratio est, quia generatim feminae medicamenta sumunt « impulsae a vehementi *timore* damni obventuri... et dum a tanto facinore non abhorrent, facile etiam excommunicationem parvipenderent ; et ideo Pontifex (et hoc est potissimum) ad vitandum novum animae laqueum et alia pericula, praesertim sacrilegarum confessionum, eas noluit comprehendere ». Ita *S. Alphonsus* in Bullam *Effraenatam* Sixti V, in qua vox *procurantes* eadem est [3]. — Et idem

[1] *Nouv. Rev. Théol.*, 11, p. 46 ; 24, p. 170 ; *D'Annibale,* n. 158 ; *Archiv. für Kirchenr.*, 46, p. 26. — [2] Ignorantia effectus secuti non excusat a censura, *si effectus vere adest.* — [3] III, 395, q. 5 ; ed. G., I, p. 650.

Digitized by Google

docent, inter recentiores, *D'Annibale*[1], *Cretoni*[2], *Avanzini*[3], *Ballerini*[4], *Del Vecchio*[5], *Vecchiotti*[6], *Ninzatti*[7], *Pennacchi*[8], *Konings*, *Haringer*, *Sabetti*, *Lehmkuhl*, etc.

1350. — III. « Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes ».

Utentes sunt illi, qui Litteras falsas (immutatas vel suppositas) exhibent ut effectum, quem intendunt, consequi possint, sive reipsa illum consequantur, sive non consequantur; *cooperantes*, qui utenti (non qui falsificanti) operam praestant. — Quod si quis Litteras falsas publicat, eisque utatur, duplicem excommunicationem incurrit (cfr. n. 1323).

1350bis. — IV. Laici, contra decreta, quibus mercimonium ex missarum stipendiis prohibetur, ausu temerario delinquentes excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringuntur. — Decret. *Vigilanti* S. Congr. Conc., 25 Maii 1893 et Decret. *De observandis* ejusdem S. Congr. 11 Maii 1904.

Turpe ex missarum stipendiis mercimonium severissime semper prohibitum fuit; addita nunc est poenarum sanctio, scilicet excommunicationis in laicos, suspensionis in sacerdotes et clericos, ut n. 1615-1619 dicetur.

§ 4. Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Decem numerantur: quatuor nempe a Const. *Apostolicae Sedis*, sex aliae a Concilio Tridentino inflictae.

1351. — I. « Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos ».

Hanc censuram incurrunt solummodo *mandantes* auctoritate propria (v. gr. syndici), vel *cogentes*, per vim metumve gravem, *sepeliri* in coemeterio benedicto, aut in alio loco sacro (etsi polluto vel interdicto) *notorium haereticum* (quamvis bona fide fuerit) aut apostatam (etsi non *vitandum*), vel quempiam alium, sive a Papa, sive ab Episcopo, *nominatim excommunicatum*, vel nominatim *interdictum*. — Probabilius non incurrunt *hanc* censuram, qui *sepeliunt* (ut sacerdos mere obtemperans: cfr. tamen n. 1344), vel sepelientibus operam praestant. Nec illi qui mandant indignum sepeliri *in loco profano* (vel separato), etsi cum ritu ecclesiastico et benedictione fossae. — Contra, illam incurrunt mandantes talem sepeliri in loco sacro, tametsi nullus ritus sacer adhibeatur (cfr. n. 1377, fin.); excipe si vi legis civilis (ut in Germania) id mandare teneantur. Vide *Piat*, in hanc excommunicationem.

1352. — II. « Laedentes aut perterrefacientes inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, — ejusve sacri tribunalis

[1] Ed. 5, n. 161. — [2] In Comp. Guryano, t. II, p. 617. — [3] In edit. Rom., 1874. — [4] II, 1003, adn. *b*. — [5] T. I, n. 621. — [6] Inst. Can., II, p. 363. — [7] T. I, n. 441. — [8] Comm., t. II, p. 42.

Digitized by Google

scripturas diripientes, aut comburentes; — vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes ».

Laedentes, etc. (cfr. 1322); *diripientes,* i. e. quasi praedantes, destruentes, lacerantes, comburentes, non autem vi auferentes clam unam alteramve scripturam S. Officii, non Romae tantum, sed ubicumque exstat (*D'Annibale,* n. 174); *scripturas,* i. e. instrumenta sive publica sive privata, sive manuscripta sive typis impressa, quae pertinent ad hoc S. Tribunal. — Huic excommunicationi haud subjacent qui eadem admittunt adversus denuntiantes apud Episcopos, vel testes, vel Episcoporum ministros, aut scripturas ad materiam S. Inquisitionis apud ipsos pertinentes. S. Off., 28 Jan. 1892 (*Nouv. Rev. Théol.,* 26, p. 317).

1353. — III. « Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica, absque beneplacito apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis ».

EXCOMMUNICANTUR: 1° *Alienantes,* ii scilicet penes quos est bonorum administratio, et quorum mandato ac nomine fit alienatio; *non tamen Episcopi vel abbates* (qui, in cit. Extravaganti, solo interdicto ab ingressu Ecclesiae coercentur) [1]. — 2° *Recipere praesumentes,* ii nempe qui, nulla excusante ignorantia, etc. (juxta dicta n. 1269, 3°), praefata bona acquirunt, conducunt, etc., vel quorum mandato ac nomine bona recipiuntur, cujuscumque sint dignitatis.— Non comprehenduntur consentientes, consulentes, faventes, mandatarii, res ecclesiasticas destruentes, furantes, etc. [2].

Notetur: 1° Nomine ALIENATIONIS venit omnis actus perfectus, quo dominium directum vel utile, in toto vel in parte, in alterum transfertur, vel quocumque modo immutatur, obligatur, aut deterius fit. Hujusmodi est donatio, permutatio, venditio, emphyteusis, infeudatio, census, hypotheca, impositio servitutis, transactio, cessio juris jam acquisiti, etc., item locatio *ultra triennium* utile seu fructiferum (*Ferraris,* v. *Alienatio,* art. I).

Alienatio etiam habetur, si permutatur *pecuniae titulus* in alium, ut constat ex Decreto S. C. C., 17 Febr. 1906 (cfr. *A. S. S.,* 39, p. 156; *Wernz,* Jus Decr., III, n. 160).

Debitorum contractio a Religiosis peracta, si excedat 10000 libras, est alienatio quae requirit beneplacitum apostolicum (*A. A. S.,* I, p. 698).

2° BONA ECCLESIASTICA hic intelliguntur: omnia bona quorum administratio subest ecclesiasticae auctoritati, qualia sunt: *a*) bona (sive *immobilia* sive *mobilia pretiosa*), quae pertinent ad ecclesias, vel monasteria, etiam congregationum (S. C. de P. F., 15 Jan. 1903); — *b*) beneficia ecclesiastica, etiam jurispatronatus et capellaniae ecclesiasticae, non vero laicales, ut probabilius docetur (cfr. *Lucidi,* de Vis. SS. Lim., III, n. XLIV, 16); — *c*) bona cujusvis loci pii, v. gr. confraternitatis, academiae, seminarii, nosocomii, etc., auctoritate ecclesiastica erecti, licet in foro civili bona tanquam proprietas privati hominis inscribantur (Resp. S. Congr. Episc. et Reg., die 17 Febr.

[1] Cfr. *Noldin,* de Poenis, n. 101. — Censent *D'Annibale,* n. 175, *Lehmkuhl,* et alii alienationem, quae fieret inter *loca pia, conventus* vel *ecclesias,* in hac censura non comprehendi. — Sed obstare videtur Decr. S. C. C., 24 Jan. 1632. — [2] Nota, diversam esse conditionem alienantium et recipientium. Ignorantia crassa alienantibus *non prodest,* recipientes vero *excusat.*

Digitized by Google

1886). — Bona *immobilia* sunt aedificia, praedia, agri, silvae [1], etc. ; item jura et actiones in immobilia. Bona *mobilia pretiosa* censentur omnia quae sunt de thesauro Ecclesiae, vel loci pii, ut vasa aurea et argentea, gemmae, bibliothecae copiosae, et similia. — In his non comprehenditur PECUNIA, quae ad quotidianos usus destinatur, aut quae provenit ex *fructibus* fundorum ; etiamsi collocata sit in censu publico, in mensis nummariis, etc. Comprehenditur vero ea, quae provenit *ab alienatione immobilium*. vel data est cum *onere perpetuo* missarum, aut cum obligatione expressa *emendi immobile* vel *mobile* pretiosum, ut asserit et fuse probat *Bouix* (de Reg., P. V, s. IV, c. III). Comprehenditur etiam in Institutis religiosis *dos sororum* (*A. A. S.*, l. c.).

3° ABSQUE BENEPLACITO APOSTOLICO, *cum consensu tamen Episcopi* (vel Superioris regularis, si agatur de exemptis), LICITE et VALIDE fit alienatio : *a*) si res, etiam immobilis, v. gr. terrula, fundus sterilis, sit *exigui valoris*, i. e. infra 25 scutata aurea de camera (221 fr., 30 ; scut. rom. 41,25) [2] ; aut talis, ut ejus reditus ad eam conservandam non sufficiant ; aut locatur ad triennium, etiam addita promissione ad aliud triennium locandi ; aut talis, ut verisimiliter ad triennium, sine notabili deterioratione, non sit perduratura, v. gr. vestis, jumentum, etc. ; — vel *b*) si urgeat necessitas, vel adsit magnae utilitatis occasio, quae alias transiret ; — vel *c*) si res donata sit Ecclesiae ea lege, ut alienari possit ; — vel *d*) si res relicta sit incapaci possidendi, ut sunt minores observantes et capuccini, qui rem idcirco vendere possunt et applicare in Ecclesiae vel monasterii utilitatem ; — vel *e*) si habeatur privilegium *speciale* et *personale*, ut eruitur ex Decreto S. Off., 22 Dec. 1880 [3].

4° Verba AD FORMAM EXTRAVAGANTIS intellige de justis causis et sollemnitatibus, quae ad obtinendum beneplacitum apostolicum requiruntur. — Haec et alia vide apud *S. Alphonsum*, IV, 187 ; cfr. *De Angelis*, l. III, tit. 13.

Nota. Die 8 Febr. 1911, S. Poenit. haec statuit : Locatarii bonorum ecclesiasticorum non incurrunt censuram Tridentinam, nisi damnum inde Ecclesiae obveniens, spatio unius vel plurium annorum (juxta prudentis confessarii aestimationem), notabilem quantitatem attingat, majorem sane quam quae regulariter satis sit ad gravitatem injustae damnificationis (*Nouv. Rev. Théol.*, 1911, p. 294).

1354. — IV. « Negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare, infra mensem, confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a praedecessoribus nostris, Gregorio XV, Const. *Universi*, 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV, Const. *Sacramentum Poenitentiae*, 1 Junii 1741 ».

Crimen *sollicitationis* est provocatio ad turpia, facta a sacerdote tanquam confessario. Vide plura n. 1794 seqq. ; cfr. *S. Alph.*, VI, 675 seqq.

Ut censura incurratur, necesse est ut quis per *mensem* integrum denuntiationem culpabiliter omiserit. Verum, « quia tempus non currit ignoranti », mensis computandus est ex quo scivit : obligationem denuntiandi, censuram obligationi annexam et tempus sibi praefixum. — Si quid grave denuntiationi obstet, suspenditur obligatio. — Facta denuntiatione post tempus concessum, poenitens excommunicatus potest a quocumque confessario absolvi.

[1] Arbores fructiferae ad immobilia non pertinent, si bona ecclesiastica *stricte* sumas, quatenus, sub censura, pro iis alienandis requiritur beneplacitum apostolicum. — Pro earum destructione requiritur solus consensus Ordinarii. — [2] *Bizzarri*, Collectanea, p. 331 ; censent tamen *Wernz* et *Vermeersch*, hodie, ob mutatam pecuniae conditionem, pro exiguo haberi posse valorem qui 750-1000 francos non excedit. — [3] *A. S. S.*, 15, p. 539 ; cfr. *Del Vecchio*, I, n. 628, ubi plura.

Digitized by Google

Ex Tridentino excommunicantur:

1355. — V. Qui, libros de rebus sacris tractantes, sine Ordinarii approbatione, imprimunt aut imprimi faciunt (Trid., Sess. 4, c. 1).

S. Officium, die 22 Dec. 1880, decrevit hanc censuram restringendam esse ad libros sacrarum Scripturarum, necnon ad earumdem adnotationes quascumque de rebus sacris in genere, id est ad religionem pertinentibus, tractantes. — Hanc autem excommunicationem, intra limites hujus Decreti S. Off., renovavit Leo XIII, in Const. *Officiorum ac munerum*, n. 48.

Excommunicantur soli *imprimentes*, i. e. typographiae domini, vel principales administri, qui curam imprimendi suscipiunt; vel *imprimi facientes*, i. e. auctor libri, editor, vel alius, qui mandat seu curat *per seipsum*, ut liber typis mandetur. Cfr. *Vermeersch*, de Prohib. et Cens. libr., n. 125, p. 155.

1356. — VI. Qui docent quosdam errores, circa sanctam communionem, vel circa matrimonium.

Excommunicantur: 1° Qui praesumpserint docere, pertinaciter asserere, publice defendere: *confessionem peccati mortalis* non esse praemittendam *communioni* (Trid., Sess. 13, de Euchar., can. 11).

2° Qui negant *matrimonia clandestina* esse vera matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; — quique falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias *sine consensu parentum* contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse (ib., Sess. 26, c. 1, *de Ref.*).

1357. — VII. Raptores mulierum, eisque consilium, auxilium vel favorem praebentes (Sess. 24, c. 6, *de Ref. Matrim.*).

Hanc censuram non incurrit ille, qui jam *ab aliis* raptam mulierem in sua domo retinet; quia raptus est jam consummatus. — Sed eam incurrunt: raptor, talis scilicet qui impedimentum dirimens matrimonii contrahit; exsecutor, si a raptore distinguatur; omnes denique cooperantes (vide n. 2005). Cfr. *S. Alph.*, VI, 1106 seqq.

1358. — VIII. Violantes matrimonii contrahendi libertatem (Sess. 24, c. 9, *de Ref. Matrim.*).

Haec censura non plectit privatos, vel eos qui potestatem supremam exercent, sed solos dominos temporales vel magistratus, qui *jurisdictionem exercent* (v. gr. in aliqua provincia, in aliquo tribunali), quando nempe directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant[1]. — Quod si matrimonium non sequatur, censura non incurritur (vide n. 2003, fin.).

1359. — IX. Violantes in muliere libertatem ingrediendi Religionem (Sess. 25, c. 18, de Reg.).

1° « Anathemati S. Synodus subjicit omnes et singulas personas... si quomodocumque *coëgerint* alienam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus jure expressis, ad *ingre-*

[1] Non desunt qui haec ad casum applicant, quo magistratus civilis putativos conjuges ad cohabitandum cogeret (*Lehmkuhl*, II, 1262).

Digitized by Google

diendum monasterium, vel ad *suscipiendum habitum* cujuscumque Religionis, vel ad *emittendam professionem*, — quique consilium, auxilium vel favorem dederint; — quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoque modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint ».

Casus porro quos Jus *excipit*, sunt sequentes: *a*) si mulier, postquam viri sui religiosae professioni consensit, et ipsamet continentiam vovit, suspicionem injiciat voti violandi; — *b*) si mulier adultera, post suam conversionem, a marito non amplius recipiatur; — *c*) si puella, educationis vel custodiae causa, per aliquod tempus, donec nempe nuptui apta sit, invita constituatur in monasterio. Ex Decr. Gregorii IX, c. 18 et 19, *de Conv. conjugatorum*. Cfr. *S. Alph.*, VII, 212, et 1. El. qq. ref., n. 98; *De Angelis*, l. 3, tit. 31, n. 9.

2° « Simili quoque anathemati (S. Synodus) subjicit eos, qui sanctarum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem *veli accipiendi* vel voti emittendi, quoquo modo, sine justa causa, *impedierint* » (l. c.).

1360. — X. Magistratus, qui adversus contradictores et violatores clausurae monialium, ad instantiam Episcopi, non praebet auxilium (Sess. 25, c. 5, *de Reg.*).

Nomine *magistratus* venit praetor, judex, civitatis rector, provinciae praefectus; non tamen princeps. — *Clausura* intelligitur papalis.

ARTICULUS II.

De suspensionibus latae sententiae.

Ex suspensionibus latae sententiae, quae modo in Ecclesia vigent, aliae enumerantur in nova Constitutione *Apostolicae Sedis*, aliae renovantur ex Concilio Tridentino, aliae post dictam Constitutionem inductae sunt.

1361. — *A.* Suspensiones, quae in Const. *Apostolicae Sedis* enumerantur, sunt SEPTEM haeque omnes R. Pontifici simpliciter *reservatae* declarantur:

I. « Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, AD BENEPLACITUM S. SEDIS, capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum, — aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt *Episcopos*, aliosve *praelatos*, de praedictis ecclesiis, seu monasteriis, apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, — antequam ipsis exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione ».

Suspensio fertur: 1° in *Capitulum vel monasterium*, quod provisos recipit contra jus; unde capitulares suspenduntur a beneficiis, quae collegialiter seu in communi possident (juxta dicta n. 1303, 5°); — 2° in *alios omnes*, qui Episcopo vel praelato, quasi legitimus esset, honorem et obedientiam praestant. Hi a propriis beneficiis, i. e. a perceptione fructuum atque (probabilius) ab *administratione* suspenduntur (*Del Vecchio*, I, n. 639; *Piat*, in h. l.). — Alia de *intrusis*, vide n. 1375.

Digitized by Google

1362. — II. « Suspensionem PER TRIENNIUM a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes, absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta ». Trid., Sess. 21, c. 2, *de Ref.*

Solus ordinans incurrit suspensionem, si ordinem sacrum illicite modo supradicto confert. — Ordines exinde, sive majores sive minores, *per triennium* conferre nequit, nisi a R. Pontifice prius absolvatur (*Avanzini*, not. 42).

1363. — III. « Suspensionem PER ANNUM ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes *alienum* subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris *dimissorialibus* ; — vel etiam subditum *proprium*, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris *testimonialibus*. — Trid., Sess. 23, c. 8.

Infra dicemus, quanam ratione ordinandus fieri possit ordinantis subjectus; item quid sint litterae dimissoriales et testimoniales (n. 1907 et 1908). Cfr. *Anal. eccl.*, I, p. 406; III, p. 16.

Censura stringit ORDINANTES, i. e. conferentes non quidem primam tonsuram (S. Off., 18 Aprilis 1888) sed ordines majores vel minores, — id vero in *duplici* casu, ut clare in textu exprimitur. — Haec censura non contrahitur ab Ordinariis, qui, pro libertate status ordinandorum, stant instructionibus et facultatibus ad probandum statum liberum sponsorum. S. Off., 11 Maii 1892 (*Nouv. Rev. Théol.*, 26, p. 317). — Quoad *ordinatum*, vide n. 1368, 1370 et 1371.

1364. — IV. « Suspensionem PER ANNUM a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii, vel patrimonii, clerico in aliqua congregatione viventi, in qua sollemnis professio non emittitur, — vel etiam religioso nondum professo ». — S. Pius V, Const. *Rom. Pontifex*.

Vide dicenda n. 1922.

1365. — V. « Suspensionem PERPETUAM ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi *ejecti*, extra Religionem degentes ». — Decreto S. C. Concilii, 21 Sept. 1624, probante Urbano VIII.

Canonica ratio hujus articuli est, quia regularis qui a sua Religione *ejicitur* caret, eo ipso, suae ordinationis titulo, imo et ecclesia, cui sit adscriptus. — Hanc suspensionem olim incurrebant religiosi tantum votorum sollemnium; nunc vero, ex Decreto *Auctis admodum* a S. Congr. Episc. et Reg., de expresso Sanctitatis Suae mandato, die 4 Nov. 1892, edito, omnes religiosi tum votorum sollemnium, tum votorum simplicium sive perpetuorum sive temporalium, in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulater, ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. Religiosi autem votorum simplicium, qui, spontanea facta petitione, legitime dispensationem obtinuerunt, vel, elapso obligationis tem-

Digitized by Google

pore, nullo jam voto tenentur; ex claustro tamen non exeant, donec Episcopum benevolum invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. — Ab hac suspensione per quemvis confessarium absolvi poterunt, statim ac appositam conditionem, quoad utramque partem, impleverint (*A. S. S.*, 25, p. 312; 26, p. 616; 28, p. 559). Hoc Decretum confirmavit S. C. de Relig., 16 Maii 1911 (*A. A. S.*, III, p. 235). Vide dicenda n. 2173.

1366. — VI. « Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico, vel schismatico notorio; — eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus ».

Suspensio plectit *solos ordinatos* ab Episcopo *nominatim* censurato, vel *notorie* haeretico aut schismatico (*Avanzini*, adn. 16; *Putavin.*, n. 506). — Casus autem duplex est: 1° Si ordinatus fuerit in MALA FIDE, *praesumens* (scienter et sine gravi metu) *recipere*, etc., incurrit veram censuram Papae reservatam. Excipe casum, quo fuerit invalide ordinatus, v. gr. a ministro anglicano; quia suspensio ab ordine in hac hypothesi ne concipi quidem potest. — 2° Si fuerit in BONA FIDE ordinatus, incurrit solummodo quamdam inhabilitatem; — *donec dispensetur*, intellige ab Episcopo, prout de jure. Vide dicenda n. 1944.

1367. — VII. « Clerici saeculares *exteri*, ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario, absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint: — necnon clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus *suburbicariis*, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum *exercitiis spiritualibus* per decem dies in Domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum, — suspensionem ab ordinibus sic susceptis AD BENEPLACITUM S. SEDIS ipso jure incurrunt; — Episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium, PER ANNUM ».

1° Ordinantes ergo suspenduntur per annum *ab usu pontificalium*, i. e. ab omni actu episcopalis potestatis, ad quem requiritur usus insignium pontificalium, i. e. mitrae, baculi, pallii (cfr. 1303, 2°).

2° Clerici autem sunt vel exteri vel suburbicarii. — *a*) Si sint EXTERI, ultra quatuor menses Romae commorantes, tenentur prohibitionibus supradictis. — Si vero patriam repetierint, animo ibi permanendi, cessat lex et censura (sed vide n. 1363 quoad litteras testimoniales). — *b*) Si sint SUBURBICARII, i. e. si pertineant ad romanam dioecesim, vel ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, vetantur sub eadem censura: α) ordinari extra suam dioecesim non obtentis a proprio Ordinario litteris dimissorialibus ad Card. Vicarium directis; — β) recipere ordines sacros, non peractis, per decem dies, exercitiis spiritualibus, etc. (*Putavin.*, n. 509; *Haine*, t. 4, p. 412).

Digitized by Google

B. Suspensiones ex *Concilio Tridentino* renovatae sunt pariter SEPTEM, quarum aliae Episcopis, aliae nemini reservantur, videlicet:

1368. — I. Suspensionem ab exercitio pontificalium incurrit Episcopus, qui pontificalia exercet in aliena dioecesi, sine expressa Ordinarii loci licentia, vel in personas eidem Ordinario non subjectas. — Si hoc modo ordines confert, ordinati remanent ab exsecutione ordinum ipso jure suspensi (Trid., Sess. 6, c. 5, *de Ref.*).

Neutra censura Papae reservata est. — Data vero Ordinarii loci licentia, alieni subditi possunt, cum legitimis dimissoriis, ordinari (cfr. n. 1363).

1369. — II. Suspensionem ab exercitio ordinum *ad beneplacitum futuri praelati* incurrit clericus, qui majores ordines suscipit cum dimissoriis Capituli (vel Vicarii capitularis) infra annum a die vacationis Sedis episcopalis concessis; nisi tamen ratione beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi arctatus fuerit (Trid., Sess. 7, c. 10, *de Ref.*).

Ad minores ordines sic *promoti* privantur privilegio clericali. CAPITULUM subjicitur interdicto (vide n. 1379). — ORDINANS demum, cum legitimae *dimissoriales* desint, incidit in suspensionem explanatam sub n. 1363 (cfr. *S. Alph.*, VI, 788; *Patavin.*, n. 514),

1370. — III. Suspensionem PER ANNUM ab exercitio pontificalium incurrit Episcopus *titularis*, qui qualescumque, etiam praetextu continuae familiaritatis, ordines confert, vel promovet ad primam tonsuram, absque proprii ordinandorum praelati consensu aut litteris dimissoriis. — Qui vero sic ordinati sunt, remanent suspensi ipso jure ab exsecutione ordinum, *donec suo praelato visum fuerit* (Trid., Sess. 14, c. 2, *de Ref.*).

Censura ordinanti inflicta non est reservata; nisi conveniat cum suspensione II[a] Const. *Apostolicae Sedis* (cfr. n. 1362).

1371. — IV. Suspensionem a collatione ordinum PER ANNUM incurrit Episcopus, qui subditum alienum, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, ordinat absque Ordinarii sui testimonio, quo illius probitas ac mores commendentur. — « Et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, *quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire*, sit suspensus » (Sess. 23, c. 8, *de Ref.*).

Hic non agitur de iis qui absque requisitis *dimissorialibus* ordinantur (de quibus n. 1363); sermo hic est de iis qui privilegio possunt ab alio quam a proprio Episcopo ordinari, non tamen absque litteris *testimonialibus*, quibus ordinanti de dotibus requisitis constet. — Censura in ordinantem lata non est reservata, nec incurritur, si sola tonsura conferatur (VI, 797, in fin.).

1372. — V. Suspensionem ab officio et beneficio PER ANNUM incurrunt abbates, praelati exempti, collegia et Capitula quaecumque, — si clericis *saecularibus*, sub quocumque praetextu privilegii aut con-

Digitized by Google

suetudinis, dimissorias concedant, ut ab alio, quam a proprio Episcopo, ordinentur (Sess. 23, c. 10, *de Ref.*).

Haec suspensio non respicit dimissorias, sede vacante, concessas (de his est alia dispositio n. 1379), sed eo spectat ut praefati abbates, praelati, etc. prohibeantur aliis quam religiosis sibi subditis concedere dimissorias, sub praetextu juris quod privilegio aut consuetudine habeant. Licet enim jurisdictio alicui eorum, v. gr. abbati *nullius,* competere possit, non valet tamen ad dimissorias concedendas (VI, 788, not. 7). — Alia vide n. 1905 et 1910.

QUAERITUR. *An vigeat nunc aliqua censura vel poena contra eos, qui* PER SALTUM *ordinantur?*

Resp. 1° Suspensio, qua censura, quam Trid. Synodus (Sess. 23, c. 14, fin.) tantum commemorabat, probabilius cessat ex Const. *Apost. Sedis* (cfr. n. 1312, 2°). — 2° Remanet *impedimentum,* vi cujus quilibet ordinatus *per saltum* non potest sine gravi reatu, nec in ordine suscepto ministrare, nec ad superiorem ordinem ascendere, nec praetermissum accipere, nisi necessariam impetret *dispensationem.* — Hanc Episcopi concedere possunt iis, qui in ordine suscepto non ministraverint; solus vero Papa, iis qui ministraverint, ut declarat ipsum Tridentinum. Cfr. *Wernz,* Jus Decr., II, n. 73, not. 89.

1373. — VI. Suspenduntur, qui matrimonium illegitime benedicunt (ubi viget Decretum Trid. *de Clandestinitate*).

Sacerdotes qui, absque licentia parochi sponsorum proprii, vel Episcopi, matrimonia conjungere, aut benedicere *ausi fuerint,* tamdiu (ab officio sacerdotali) suspensi remanent, *quamdiu ab Ordinario illius parochi non absolvantur* (Sess. 24, c. 1, *de Ref.*) [1].

1374. — VII. Suspenduntur Episcopi concubinarii, vel mulieres suspectas detinentes, si, a Synodo provinciali admoniti, sese non emendaverint (Sess. 25, c. 14, *de Ref.*).

Suspensio, excommunicatio et aliae poenae, ob idem scandalum, decernuntur etiam a Concilio in CLERICOS Episcopis inferiores, sed sunt *ferendae sententiae.*

1375. — *C.* Suspensiones post Constitutionem *Apostolicae Sedis* inductae sunt sequentes:

1° Ex Const. Pii IX *Romanus Pontifex,* 5 Sept. 1873, incurritur alia suspensio, quam retulimus supra (n. 1327).

2° Decreto *Vigilanti,* a S. Congr. Conc. lato die 25 Maii 1893, edicta est suspensio, S. Sedi reservata, in ecclesiasticos violantes Decreta quibus turpe mercimonium ex missarum stipendiis prohibetur (*A. S. S.,* 26, p. 56).

3° Decreto *De observandis,* S. Congr. Conc., 11 Maii 1904, n. 12, eadem edicta est suspensio in ecclesiasticos qui *ausi fuerint* quomo-

[1] Haec olim, ante novum Jus Pianum. Dubitari autem potest, utrum censura praedicta adhuc vigeat. Dicitur enim in Decreto *Ne temere,* n. 10: Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae *puniantur.*

Digitized by Google

dolibet aut quovis praetextu statuta violare n. 8, 9, 10, 11 ejusdem Decreti, quibus praecipitur ut, in translatione missarum, stipendium ex integro et in sua specie celebranti tradatur (ib., 36, p. 672). Vide dicenda n. 1607 seqq.

4° Decreto *Anteactis temporibus,* a S. Congr. Conc., 22 Dec. 1894 lato, suspensioni a divinis ipso facto obnoxii declarantur clerici non se conformantes ejusdem Decreti dispositionibus, quibus normae praescribuntur viris ecclesiasticis qui Romae degere intendunt (ib., 27, p. 373). Sunt autem sequentes:

a) Clerici et sacerdotes saeculares, aut etiam regulares extra claustra degentes, nisi romanae dioecesi sint adscripti, nequibunt stabile domicilium in Urbe statuere absque expressa venia S. Pontificis per officium S. Congr. Conc. impetranda.

b) Nullus eorum ad ecclesiasticum officium quodcumque, aut ad aliud munus quod residentiam in Urbe requirat, eligi a quocumque poterit, nisi, praeter testimoniales commendatitias sui Episcopi litteras, exhibeat quoque veniam jam obtentam Romae manendi; itemque nemini beneficium conferetur, si assensum Ordinarii sui ad hoc non obtinuerit: atque aliter facta beneficii collatio nulla et irrita erit.

c) Qui, ob causam temporariam, in Urbe cum Ordinarii licentia versantur, debent, causa finita vel jubente Episcopo, ad propriam dioecesim statim redire.

5° Constitutione Leonis XIII *Orientalium dignitas ecclesiarum,* 30 Nov. 1894, suspensio a divinis ipso facto incurri declaratur a missionario quolibet latino, e clero saeculari, vel regulari, qui orientalem quempiam ad latinum ritum consilio auxiliove inducat (*A. S. S.,* 27, p. 257).

6° Decreto S. C. C., 12 Jul. 1900, puniuntur suspensione ab ordine, officio et beneficio, sacerdos et clericus, qui propriam residentiam deserunt, ut in intestinis bellis et in politicis contentionibus opem utcumque ferant, vel in civili bello sponte sua militiae nomen dederint. Suspensio est S. Sedi specialiter reservata (*A. S. S.,* 33, p. 53).

ARTICULUS III.

De interdictis latae sententiae.

QUINQUE sunt interdicta *latae sententiae:* duo scilicet reservata in Constitutione *Apostolicae Sedis;* alia duo a Tridentina Synodo expressa; quintum ex Const. *Romanus Pontifex*, contra Episcopos intrusos, speciali modo Papae reservatum.

A. EX CONST. *Apostolicae Sedis:*

1376. — I. « Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt universitates, collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore exsistentis, ad universale futurum Concilium appellantia ».

Digitized by Google

Hoc interdictum, quod est PERSONALE GENERALE, intellige juxta dicta n. 1307, III, et 1308. — Vide etiam n. 1318.

1377. — « II. Scienter celebrantes — vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato judice, vel a jure interdictis, — aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, — *interdictum ab ingressu ecclesiae* ipso jure incurrunt, — donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint ».

Interdicuntur ab INGRESSU ECCLESIAE: 1° clerici *scienter celebrantes divina,* quae nimirum solis Ecclesiae ministris fas est obire, quaeque in loco interdicto sub gravi prohibentur, per se, vel quoad modum; — 2° *celebrari facientes,* i. e. praelati vel alii auctoritate praediti, qui faciunt coram se celebrari, vel compellunt clericos publice et sollemniter celebrare; — 3° *admittentes...* clerici nempe (exceptis de jure Episcopis), ad quos, pro sua auctoritate, spectat prohibere vel admittere sive ad divina officia, sive ad sacramenta, sive ad ecclesiasticam sepulturam. — Utrum autem *laicus,* qui custodiam habet ecclesiae vel coemeterii, et admittit ad sepulturam, hanc censuram incurrat, incerti juris est (*Gabriel a Varceno,* in h. cens.; *Patavin.,* n. 538).

Notetur: 1° Loca a *jure* interdicta (interdicto generali vel particulari) non censentur talia, nisi accedat declaratio judicis, i. e. R. Pontificis vel Episcopi, juxta regulam a Martino V statutam in Bulla *Ad evitanda.* — Hinc, si declaratio vel sententia edicta est ab Episcopo vel ejus nomine, ab ipso etiam pendet absolutio; si nomine R. Pontificis, debet ipse Pontifex vel ejus delegatus absolvere. — 2° Per *nominatim excommunicatos* intellige excommunicatos etiam ab Episcopis vel aliis Ordinariis. — Qui admittunt haereticos notorios, vel nominatim interdictos, ad divina officia, quamvis peccent, non tamen hac censura plectuntur. — Quoad *sepulturam* recole dicta n. 1351.

B. EX CONCILIO TRIDENTINO:

1378. — I. Interdicuntur ab ingressu ecclesiae Episcopi, qui non denuntiant Episcopos illegitime absentes (Sess. 6, c. 1, *de Ref.*).

S. Synodus haec habet: « Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti *ingressus ecclesiae* eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur ». Cfr. n. 2251.

1379. — II. Interdicitur Capitulum (respective Vicarius capitularis), si infra annum sedis vacantis litteras dimissorias concedat clerico non arctato ratione beneficii recepti vel recipiendi (Sess. 7, c. 10, *de Ref.*).

In casu necessitatis, S. Congr. ampliores, pro dimissoriis concedendis, tradere solent facultates, prout a Vicario capitulari expetuntur (*De Angelis,* l. I, tit. 28, n. 21).

1380. — *C.* EX CONST. *Romanus Pontifex,* interdictum ab ingressu ecclesiae infligitur Episcopis INTRUSIS, vel intrusionis *auctoribus.* — Vide n. 1327, 1361 et 1375.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De ceteris poenis ecclesiasticis.

S. Alphonsus, VII, 323; ed. G., IV, p. 440; *Ferraris*, v. *Degradatio, Sepultura; Wernz*, Jus Decr., III, n. 772; *Many*, de Locris sacris, tit. IV, special. n. 211-225.

Poenae, de quibus restat ut agamus, sunt sequentes: 1° depositio et degradatio; — 2° infamia; — 3° cessatio a divinis; — 4° privatio sepulturae (cfr. n. 1251).

1. *Depositio et degradatio.*

1381. — DEPOSITIO est poena canonica, qua clericus privatur usu potestatis ecclesiasticae, et omni titulo radicali ad eam exercendam, necnon omni jure ad beneficia valide possidenda; idque, saltem jure ordinario, in perpetuum, seu irremissibiliter (*Salmant.*, tr. X, c. 5, n. 55).

Haec poena: 1° irrogari potest ab Episcopo vel ejus Vicario ad hoc deputato, at in casibus tantum in Jure expressis, et pro delictis atrocioribus; — 2° non privat depositum privilegio canonis et fori; — 3° quamvis sit de se irremissibilis, potest tamen ab Episcopo tolli per dispensationem, dummodo crimen sit adulterio levius (VII, 325; H. Ap., XIX, 67).

1382. — DEGRADATIO est sollemnis privatio omnium titulorum bonorum, privilegiorum et honorum ecclesiasticorum; ita ut degradatus, solo remanente indelebili charactere, ad conditionem laicalem reducatur.

Notetur: 1° Degradatio fieri potest *a solo Episcopo*, et pro criminibus tantum gravissimis, qualia sunt: haeresis manifesta, falsificatio Litterarum Apostolicarum, gravis calumnia proprio Episcopo irrogata, sodomia frequentata, et similia. — 2° Solus Papa in hac gravissima poena dispensat. — 3° Degradatus, eo quod ordinem retinet, tenetur ad votum castitatis jam emissum, ideoque contraheret invalide matrimonium. Tenetur quoque ad Horas canonicas; nisi forte poena ad quam damnatur, v. gr. triremes, earum recitationem impediat (VII, 324 seqq.). — 4° Qui in degradatum manus violentas injicit, non incurrit excommunicationem (cfr. dicta n. 1329).

2. *Infamia.*

1383. — Haec poena est status laesae dignitatis ob crimen, quo quis publice reus habetur. — Non est duntaxat bonae famae carentia, sed est insuper *status*, in quo quis existimatur positive malus.

Duplex est: 1° *Facti*, quae ex pravis moribus oritur, et per emendationem aboletur. — 2° *Juris*, seu legalis, quae, ob turpe crimen, ex auctoritate Juris infligitur. Haec tribus modis contrahitur, vel ipso

Digitized by Google

jure, vel sententia judicis, vel genere poenae infamantis (*Craisson,* n. 5856).

Omnes infames, sive Juris (etiam civilis), sive facti, habendi sunt tanquam irregulares, ut suo loco videbitur (n. 1938). — Hinc illud celebre Juris: « Infamibus portae non pateant dignitatum » (Reg. 87, in 6°). *S. Alph.*, VII, 362.

3. *Cessatio a divinis.*

1384. — Cessatio a divinis definitur: « Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis et ab ecclesiastica sepultura ».

Differt ab interdicto, tum quia non est censura, nec poena delicti; tum quia nunquam directe fertur in personas, sed tantum in loca. — Indicitur ab Ecclesia in *signum moeroris,* ob gravem injuriam sibi illatam, ut sic reus ad satisfaciendum inducatur (VII, 340).

Cessatio est duplex: 1° *a Jure,* quae ipso facto exsistit, quando polluitur vel exsecratur Ecclesia; — 2° *ab homine,* quae, praecedente monitione, imponitur a Superiore jurisdictionem habente in foro externo.

Durante cessationis tempore: *a*) Clerici privantur privilegio ipsis concesso, tempore interdicti; non tamen fiunt irregulares, si prohibitionem transgrediantur. — *b*) Sacramenta prohibentur vel conceduntur, sicut tempore interdicti. Unde, generatim permittitur missa privata, una vice per hebdomadam, ad sacras particulas, pro viatico, renovandas (H. Ap., XIX, 71; *Craisson,* n. 6639).

Superior, qui cessationem imposuit, potest eam tollere, vel ad tempus suspendere, v. gr. per aliquot dies sollemnes.

4. *Privatio sepulturae ecclesiasticae.*

1385. — Sepultura ecclesiastica est illa, quae fit in loco sacro, adhibito ritu catholico (cfr. n. 1351). — Est pars communionis Ecclesiae; ideoque, regulariter, nulli fidelium deneganda est.

PRINCIPIA. I. **Privatio sepulturae ecclesiasticae est poena gravissima fori externi, ipso jure inflicta.** Constat ex c. 12, *de Sepulturis,* et ex Rituali Romano.

Diximus: 1° *Est poena gravissima.* Quare « ubi dubium occurrerit, an infligenda sit, *consulatur Ordinarius* ». Si consuli nequeat, sepultura concedatur, ex Regula: « In dubio, odia sunt restringenda ». — 2° *Fori externi:* ideo culpa vel causa, ob quam infligitur, debet esse *notoria;* nec sufficit si de illa parocho privatim constet. — 3° *Ipso jure inflicta:* unde, haec poena incurritur, *ipso facto,* in omnibus casibus, quos Rituale Romanum commemorat; neque alia sententia requiritur.

Dicit quidem *S. Alphonsus* (de Privil., n. 91, in fin.): « Nemo sepultura privandus, *in quocumque casu.* sine sententia Episcopi; aut Superioris, si cadaver est religiosi »: sed intellige, si recursus ad Episcopum sit facilis, et casus

Digitized by Google

indigeat sententia declaratoria criminis, puta haeresis, suicidii, impoenitentiae, etc.

Equidem, cum poena inducta sit Jure canonico, cujus obligatio est citra incommodum grave, PAROCHUS ab ea infligenda saepe *excusari potest*, ratione scandali vel gravis mali vitandi; nunquam tamen, si sepultura in Ecclesiae contemptum extorqueretur, ut dicunt *Salmant.* (tr. 18, c. 3, n. 193). Cfr. n. 1293.

1386. — II. Jure communi, ecclesiastica sepultura denegatur his, qui ab Ecclesiae communione separati, vel manifeste impoenitentes, e vivis decesserunt. Ex iisdem locis.

Quoad PRIMUM, Regula Juris est (c. 12, *de Sepult.*), « ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis ».

Ex hoc capite excluduntur: 1° Omnes *non baptizati*, i. e. pagani, judaei, fetus immaturi seu abortivi, et infantes absque baptismo, saltem dubie valido, mortui.

Catechumeni non repelluntur, si rite dispositi e vivis decesserint, quia baptismo flaminis mundati existimantur; secus, si fuerint graviter negligentes.

2° *Apostatae* a christiana fide. Inter hos recensendi sunt impii omnes, qui atheismum, deismum, pantheismum, materialismum publice profitentur (cfr. n. 438 et n. 1314).

3° *Haeretici*, qui errores suos aperte affirmant, tametsi forsan materialiter tantum haeretici sint; item haereticorum fautores notorii, sicut et *schismatici*.

Horum vero filii, vel a ministro haeretico baptizati, saltem ante septennium, possunt ecclesiastica sepultura donari.

4° *Excommunicati notorii* quamvis non denuntiati, quales sunt adscripti societatibus ab Ecclesia certo damnatis et publice noti, et *interdicti nominatim*, si impoenitentes decesserint (cfr. n. 526, II, 1° et 1292, 9°).

Habetur autem ut poenitentiae signum, si talis in articulo mortis *nomen* JESU invocaverit vel confessarium petierit, etc.; ad quod probandum *unus testis* sufficit (VII, 187; cfr. et l. VI, 480, 481).

1387. — Quoad SECUNDUM, arcentur sepultura ecclesiastica omnes, qui in peccato mortali certo ac notorio, absque poenitentia, decesserunt.

Tales sunt: 1° *Suicidae*, qui *ex ira* vel *desperatione* mortem sibi intulerunt, nisi aliquo tempore superstites poenitentiae signa dederint. Suicidis vero non sunt aequiparandi, qui in statu *phrenesis* aut in alio morbi excessu seipsos occiderunt. « Quando dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem, an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, *vitatis tamen pompis* et sollemnitatibus exsequiarum » (S. Off., 16 Maii 1866; Coll. Prop. Fid., n. 1605).

Saepius hodie quam antea, ob timendum scandalum exsequiarum civilium, conandum est ut suicidis detur ecclesiastica sepultura. Sedulo tamen

Digitized by Google

est cavendum, ne id concedatur ubi nulla praecesserunt *seria* amentiae signa: quia non solum Ecclesiae lex posthaberetur, sed horror suicidii inter fideles minueretur, vel etiam turpis lucri species haberetur, praesertim si ecclesiastica sepultura facilius divitibus quam pauperibus concederetur (*Génicot*, II, n. 628, 3°).

2° *Duellantes*, qui ex vulnere in duello accepto perierunt. Scilicet S. Ecclesia adhibet in istiusmodi homines, etiamsi fuerint poenitentes, extraordinariam severitatem.

« Decernimus ac declaramus (ita *Benedictus XIV*, Const. *Detestabilem*, 10 Nov. 1752) sepulturae sacrae privationem . . . morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam judicis, a decedente quoque *extra locum conflictus*, ex vulnere ibidem accepto . . . ac *etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit* ». Id autem « sublata Episcopis et Ordinariis locorum super hac poena interpretandi ac dispensandi facultate ». Vide *S. Alph.*, III, 401.

3° *Peccatores manifesti* et *publici* « qui sine poenitentia perierunt » (Rit. Rom.).

Unde, extra locum sacrum sepeliendi sunt: meretrices, concubinarii, usurarii, et omnes qui in alicujus criminis actu mortui sunt, dummodo: *a*) eorum delictum sit *certum* (quoad factum et quoad intentionem) et *notorium*, id est majori numero incolarum civitatis seu parochiae notum; — *b*) nullum *poenitentiae signum*, coram uno saltem teste, dederint (H. Ap., tr. XX, 91) [1].

4° Ii qui *publice* cognoscuntur, intra annum suae mortis *confessionem ac communionem omisisse*, et qui absque ullo contritionis signo obierunt.

De istiusmodi autem culpabili omissione, publice vix constare potest, nisi per Ordinarii sententiam seu publicum edictum. Excipe, nisi fuerint e numero eorum, qui *notorie* nunquam sacro assistunt atque impie vivunt; quo in casu peccatoribus manifestis ac publicis accensendi sunt, ut palam est. Sed IN PRAXI cum ex sepulturae denegatione maxima incommoda enascerentur, canonica prohibitio urgenda non est.

1388. — *Ex dictis resolves:* Vi legis ecclesiasticae, non sunt sacra sepultura privandi: *a*) *mimi* et *comoedi*, nisi ex adjunctis inter peccatores publicos numerari debeant; — *b*) *ebrii*, qui in ebrietate mortui sunt; nam dubitari potest, utrum ebrietas fuerit voluntaria; — *c*) *rei capite plexi*, qui signa poenitentiae dederunt (etsi sine sollemnitate sepeliendi sint); — *d*) qui *sacramenta ultima respuerunt*, nisi id fecerint *scandalose*, i. e. coram pluribus, vel nisi sint ex illis qui supra descripti sunt. — Et sapienter monet *P. Gury* scribens (II, n. 1013): « Operae pretium erit, ut sacerdos, *dubius de dispositione moribundi*, ipsum absque testibus alloquatur, et ad confessionem inducat,

[1] Sic respondit S. Off., 8 Maii 1908 (*A. S. S.*, 41, p. 583), illos qui coram ministello matrimonium contraxerunt, et subito moriuntur, sine resipiscentiae signo, non posse cum precibus Ecclesiae sepeliri. — Jam supra, n. 526, II, retulimus Responsa S. Poenit., 20 Maii 1908, relate ad eos qui leges iniquas contra religiosos condiderunt (*Ami du Cl.*, 1908, p. 631).

Digitized by Google

ne malus ejus animus innotescat; modo tamen aliquod scandalum non sit necessario reparandum ».

Item, quia hodie (omnibus divinis humanisque permixtis) in coemeteriis noviter a municipiis exstructis omnes sepeliendi sunt, EXPEDIT *vel* locum in coemeterio non benedictum derelinquere, condendis his qui arcentur ecclesiastica sepultura; *vel* coemeterium nullatenus benedicere, sed potius, singulis vicibus, loculum, in quo sepeliendus est is, qui pie in Christo decessit.

De jure sepulturae, vide *S. Alphonsum*, de Privil., n. 91. Cfr. *Salmant.*, tr. 18, c. 5, p. 6; *Bucceroni*, de Cens., n. 138; *Del Vecchio*, I, n. 542, ubi plura.

SCHOLIUM.

De sepultura civili et de crematione cadaverum.

1388bis. — I. **Sepultura civilis** non solum ab Ecclesia in poenam delicti imponitur, sed aliquando ab ipsis fidelibus, *voluntate formali* quaeri, et legatariis perficienda imponi solet.

1° *Petere sepulturam, exclusis ritibus Ecclesiae,* est peccatum grave. Continet enim haec petitio apostasiam externam, et efficit ut, saltem externe, finium impiorum, quos prosequuntur liberi cogitatores, sepeliendus evadat fautor et assecla.

2° *Assistere sepulturae civili, quam defunctus* (vel ejus familia) *petierunt,* graviter illicitum est, ratione cooperationis et scandali. — Hoc tamen evadere potest licitum, si, ob rationum gravitatem, remoto scandalo, haec assistentia passiva tantum reddi queat, ut accidit pro officialibus publicis, liberis, uxore defuncti, consanguineis proximis, vel, ut quidam concedunt, pro amicis conjunctissimis (*Ami du Cl.*, 1890, p. 691, ubi Resp. S. Off., 1907, p. 1138, etc.).

3° *Assistere sepulturae civili, casu quo Ecclesia ritus liturgicos in poenam non concessit,* est etiam illicitum (*D'Annibale,* Summula, I, n. 115); facilius tamen adsunt rationes excusantes, quia desunt rationes supra enuntiatae. Cfr. *Ami du Cl.*, 1890, l. c.

II. **Crematio cadaverum.** Licet crematio non sit actio per se mala, per accidens tamen, et *rationi finis* eorum qui hanc praxim introducere conantur, est impia omnino dicenda, ad hoc ordinata ut existimatio et reverentia catholicae religionis minuatur; quare severissime est prohibita. S. Off., 19 Maii 1886 (*A. S. S.*, 19, p. 46).

Non licet ergo: 1° Societatibus, qui hunc morem sepeliendi promovent, nomen dare.

2° Sacramenta morientium iis ministrare, qui *propria voluntate,* motivis quibuscumque moti, corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si, moniti, hoc mandatum retractare nolint (S. Off., 27 Jul. 1892)[1]; et si in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseveraverint, ipsis deneganda est sepultura ecclesiastica (S. Off., 15 Dec. 1886)[2].

3° Quoties agitur de iis quorum corpora *non propria ipsorum voluntate* cremationi subjiciuntur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi possunt tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad crematonis locum, remoto scandalo.

[1] *Nouv. Rev. Théol.*, 27, p. 128. — Apud Indos tamen, ubi haec consuetudo adest (quamvis moneri debeant fideles), *passive* se habere possunt confessarii, si fideles hunc sepulturae modum elegerint (S. C. de P. F., 27 Sept. 1884, ap. *Ami du Cl.*, 1902, p. 697). — [2] *Nouv. Rev. Théol.*, 24, p. 618; *A. S. S.*, 25, p. 63.

Digitized by Google

Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse (S. Off., ib.).

4° Licet tamen pro fidelibus, quorum corpora non sine eorum culpa cremata sunt, Missae sacrificium *privatim* offerre, itemque fundationes ad hunc finem acceptare (S. Off., 27 Jul. 1892).

5° In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, *consulendus est Ordinarius,* qui, accurate perpensis omnibus adjunctis, id decernet, quod magis expedire in Domino judicaverit (S. Off., 15 Dec. 1886).

Vide plura in Opusc. cl. *Berardi,* de Cremationе cadaverum. Cfr. etiam *Stimmen aus Mar.-Laach,* 1892, II S.; *Linz. Quart. Schr.,* 1906, p. 320, 501; 1911, p. 497; *Kirchenlex.,* VII, 1679. — Varia documenta lege apud *Lehmkuhl,* II, n. 1171 seqq.

Nota. Quoad sepulturam *membris humanis amputatis* dandam, vide Resp. S. Off., 6 Aug. 1897 (*A. S. S.,* 30, p. 630; *Monit. eccl.,* X, p. 11; *Nouv. Rev. Théol.,* vol. 32, p. 303).

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX

IN CONSTITUTIONEM *OFFICIORUM AC MUNERUM*

S. Alphonsus, Append. de Prohib. libr.; ed. G., I, p. 253; VII, de Cens., n. 281; ed. G., IV, p. 419; *Vermeersch*, de Prohib. et Cens. libr. (ed. 4); *Piat*, in *Nouv. Rev. Théol.* vol. 30 seqq.; *Van Coillie*, Comment. in Const. Offic.; *Lega*, de Judiciis eccles., l. 2, tit. IX, c. II et III, vol. III; *Boudinhon*, in *Canoniste contemp.*, XX; *Gennari*, in *Monit. eccl.*, XXII; *Pennacchi*, in *A. S. S.*, vol. 30; *Wernz*, Jus Decr., III, n. 95; *Del Vecchio*, Theol. mor., t. II, App. III; *Hollweck*, Das kirchl. Bücherverbot; *Hilgers*, Der Index; *Sleumer*, Index Romanus.

NOTIONES PRAEVIAE.

Ut jam in tr. *de Fide*, n. 452, monuimus, librorum evulgatio et lectio, nostris temporibus, reguntur Constitutione *Officiorum ac munerum*, quam Leo XIII, 25 Jan. 1897, promulgavit (*A. S. S.*, 29, p. 388), et *Indice* librorum prohibitorum, quem idem S. Pontifex die 17 Sept. 1900 publici juris fecit. Nostra elucubratio solum circa ea versabitur quae in Constitutione magis ad rem moralem faciunt.

Nihil dicemus de Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida* (a nostra Constitutione non abrogata), utpote quae ad eos tantum pertinet quibus onus incumbit libros ad S. Sedem delatos examinandi. — Saepius autem, prout argumentum exiget, ea referemus quae SS. D. N. Pius X, in Motu-Proprio *Sacrorum Antistitum*, 1 Sept. 1910, servanda mandavit.

Paucis antea dicendum est: 1° de obligatione hujus Constitutionis *Officiorum*; — 2° de normis adhibendis in interpretatione ejusdem; — 3° de vi prohibitionis.

I. OBLIGATIO gravis est ac universalis. Ratio *primi* est, quia de re gravi agitur, scilicet de praecavendo periculo fidei et morum. Potest tamen dari parvitas materiae, sive quoad editionem sive quoad lectionem vel retentionem librorum prohibitorum. — Quoad *editores*, notatum velimus, ipsos facilius peccatum mortale vitare, si imprimunt vel vendunt libros ... ideo prohibitos, quia debita adprobatione carent. — Ratio *secundi*, quia Legislator aperte suam mentem exposuit: « Edere Decreta generalia statuimus, ait in praefatione, ... quibus catholici homines *totò orbe* religiose pareant ». Et quaesito: Utrum dicta Const. vim obligatoriam habeat etiam pro regionibus britannici idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrantur? », S. Indicis Congr., 23 Maii

Digitized by Google

1898, respondit: « Affirmative ». Quae responsio ad omnes sane regiones extendi debet (*A. S. S.*, 30, p. 677).

QUAERITUR. *An autem vigeant particulares consuetudines?*

Resp. 1° Quod *novae* consuetudines introduci queant ambigendum non est, dummodo de consuetudine legitima agatur, v. gr. de diariis censurae non subjiciendis, quae juxta legem subjici deberent (cfr. art. 13).

2° Si agitur de consuetudinibus particularibus ante Const. exsistentibus, dicendum: legislatorem multas saltem implicite revocasse; nam Leo XIII, ut videre est in praefatione Const., legem proposuit apte accommodatam temporibus, eamdemque subrogavit legibus ante de hac re editis; unde solas mitigationes consuetudine inductas, quas servari voluit, nova sua lege sancivit. Quare supervacaneum erat de iis mentionem facere et satis fuit dixisse: *catholici homines toto orbe religiose pareant . . . contrariis non obstantibus quibuscumque.* — Admitteremus tamen cum *Van Coillie* (n. 7), adhuc vigere nonnulla temperamenta secundaria, quae universim jam invaluerant et quae novas leges potius explicant quam tollunt. Vide dicenda in art. 1, 7, 47.

II. NORMAE GENERALES INTERPRETATIONIS hujus Const. accurate sunt determinandae.

1° *Quoad sensum,* sedulo animadvertendum est per se *haec sola Decreta* prae oculis esse habenda; vetera tamen Decreta recoli posse uti medium interpretationis. Eae igitur praescriptiones, quae ut antiquae sonant, simili modo interpretandae sunt. Quoad illas autem quae a priore Jure discrepant, interpretandi ratio petenda erit ex obvio sensu verborum Constitutionis.

2° *Quoad extensionem* Decretis generalibus attribuendam, communior sententia tenet hanc Const. non solum in poenis, verum etiam in prohibitionibus *stricte* esse interpretandam. Ratio est, quia Leo XIII testatur se voluisse Regulas Indicis efficere « aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse *non possit* ». Idem edixit in suo Brevi *Romani Pontifices,* idem habetur in Indicis praefatione; quae sane omnia strictam expostulare videntur Constitutionis interpretationem (*Vermeersch,* p. 22; *Nouv. Rev. Théol.*, 36, p. 99).

III. VOX PROHIBITIO (et idem sonant vocabula: *proscribere, damnare, interdicere, reprobare*) in sua *comprehensione* complectitur libri lectionem, retentionem, impressionem, venditionem, dationem aut commodationem, ac demum quamcumque ejus defensionem. Cfr. jam dicta n. 1316.

Si autem consideretur prohibitio in sua *extensione,* diversae quaestiones, quae oriri possunt, sunt solvendae.

1° Prohibito libro, prohibetur *totus,* et non solum pars quae proscriptioni ansam dedit; unde damnantur etiam folia ex libro separata. — Dempta tamen parte perniciosa quae causa fuit prohibitionis

Digitized by Google

(si de hac constet), cessat prohibitio (*S. Alph.*, VII, 283). Unde, si opus pluribus componatur tomis, et constet in uno tantum reperiri errorem damnatum, sublata hoc volumine, praescriptio operis ipso facto cessat.

2° Prohibitio *priorum voluminum* cujusdam operis non tradit damnationem voluminum quae sequuntur; verumtamen illa merito suspecta habentur, nisi constet de resipiscentia auctoris.

3° Prohibitio *omnium operum* alicujus auctoris non jam afficit omnia auctoris scripta, sed ea tantum quae aut de religione agunt, aut, etsi de ea non agant, Decreto tamen aliquo generali vel speciali proscripta sunt. — Insuper clausula: *opera omnia* non comprehendit opera post Decretum edita. Illa tamen suspecta habentur, ut diximus supra; prohibitio enim *in odium auctoris* hodie obsoleta est.

4° Ad opera *Constitutioni anteriora* quod attinet, prohibitio ad ea se extendit, si ob intrinsecam materiam damnantur, vel si proscripta fuerunt ob omissam sollemnitatem extrinsecam (v. gr. consecutionem legitimae licentiae) quae olim requirebatur.

5° Prohibitio quae se refert *ad fabulas amatorias omnes* probabiliter non attingit eas ex his fabulis quae nec singulari nec generali Decreto attinguntur. Cfr. *Hilgers,* Der Index, p. 106; *Ami du Cl.,* 1906, p. 1123. Vide quoad haec omnia ipsam Praefationem Indicis; *Vermeersch,* o. c., p. 24 seqq.

Ex his concludes: a) Non prohibiti itaque censentur libri, quando de iis dicitur tantum: *non publicentur absque licentia* (art. 17); vel similis adhibetur expressio (art. 16, 19).

b) Clausula: *donec corrigatur* modum tantum, non effectum prohibitionis respicit.

Nota. Quid veniat sub nomine libri, libelli, diarii, folii, legere, retinere, etc., jam diximus n. 1315, 1316.

Digitized by Google

DECRETA GENERALIA

DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM

TITULUS I.

De prohibitione librorum

CAPUT I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris.

1. — « Libri omnes, quos ante annum MDC, aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis qui per haec Decreta generalia permittuntur ».

Dicitur: 1° *Aut Summi Pontifices aut Concilia oecumenica damnarunt;* ac proinde haec prohibitio libros non attingit a SS. Congr. Romanis damnatos.

2° *Iis exceptis,* etc.; haec exceptio videtur magis se referre ad art. 3, 5, 6, 8, 10 seqq. — Insuper, sicut olim per consuetudinem jam licite legi poterant scripta antiquorum haereticorum, ut Tertull., Orig., Pelagii, etc., sic hodie non tenemur esse severiores. Habentur enim haec opera ut documenta historica, quibus perversionis periculum non inest (*Boudinhon,* ap. Can. Cont., 20, p. 209).

2. — « Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum, haeresim vel schisma propugnantes aut ipsa religionis fundamenta evertentes, omnino prohibentur ».

Hoc articulo prohibentur: 1° Libri *a quibuscumque* auctoribus, etiam sectae haereticae non adscriptis, *haeresim vel schisma propugnantes.* Jamvero, ut liber haeresim aut schisma *propugnet,* requiritur ut auctor, non tantum alterutrum obiter enuntiet, sed ut data opera et quasi pro viribus, id argumentis suadere conetur (*Nouv. Rev. Théol.,* 30, p. 49).

2° Libri qui *utcumque,* seu, quocumque modo, sive serio, sive per ridiculum, directe vel indirecte, *ipsa religionis fundamenta evertunt,* eas nempe veritates ordinis naturalis, quae vel ipsam fundant religionem naturalem, vel adulto infideli praeambulae sunt ad fidem amplectendam, puta exsistentiam Dei, spiritualitatem animae, possibilitatem miraculorum, etc. Cfr. *Van Coillie,* n. 19.

Digitized by Google

3. — « Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri ».

Discrepant AA. in sensu tribuendo voci *acatholicorum*. Alii intelligunt non catholicos, sed christianos; alii verò per acatholicos intelligunt omnes, etiam non baptizatos, qui quocumque modo a communitate catholica sunt alieni. In art. 5, 6 et 8, nullum adest dubium quin hoc ultimo sensu haec vox sit accipienda.

Dicitur ergo: 1° *Qui ex professo tractant;* scilicet, non obiter tantum sed ex instituto, quando nempe auctor de argumento religioso directe et in notabili parte libri disserit et suam opinionem accitis rationibus stabilit ac defendit.

2° *De religione;* i. e. de materia sacra sive naturali sive positiva, « nempe de S. Scriptura vel de Theologia scholastica, dogmatica aut morali, vel mysteriis fidei, de cultu Dei aut Sanctorum, de ritibus Ecclesiae, de canonibus, de rebus spiritualibus et similibus » (*S. Alph.*, VII, 283).

3° *Nisi constet,* etc.; sufficit auctoritas privata, testimonium v. gr. hominis perspectae probitatis aut scientiae: per se enim stat praesumptio contra ejusmodi libros.

4. — « Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, Jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali Decreto proscripti haud fuerint ».

Caput II.

De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.

5. — « Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur ».

Studiis theologicis vel biblicis operam dare censendi sunt illi omnes, tam clerici quam saeculares, tam docti viri quam theologiae tyrones (S. C. Indicis, 23 Maii 1898), sive ex munere in scholis, sive ex industria privatim, qui habitualiter, per aliquod saltem tempus (puta aliquot hebdomadas), hisce studiis, *speciali ratione* attendunt. Alumni scholae hebraicae aut graecae, studiis theologicis vel biblicis operam non dantes, uti non possunt his editionibus ad linguas addiscendas, et Episcopus hoc illis permittere nequit. *Vermeersch,* n. 69; cfr. *Ami du Cl.*, 1910, p. 431.

Ponitur restrictio: *dummodo... non impugnentur fidei dogmata.* Impugnare non est simpliciter errores proferre adversus dogmata, sed et illos rationibus fulcire. Dicitur: *fidei dogmata,* ac proinde non agitur de unico tantum dogmate, quod semel tantum vel rarissime impugnatur, nec de veritatibus quae sunt tantum theologice certae.

Digitized by Google

6. — « Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae ».

Caput III.

De versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. — « Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum, cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus ».

1° *Omnino igitur prohibentur* versiones in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, nisi alterutra conditio verificetur, vel ut, exornatae praescriptis adnotationibus, sub vigilantia Episcoporum edantur, vel ut, si notis careant, adsit approbatio S. Sedis. Iis tamen qui studiis theologicis vel biblicis dant operam permittuntur (sub restrictione n. 5 posita); nam iis putamus applicandam facultatem factam per alteram paragraphum art. 8.

2° Ut possint publicari sub vigilantia, seu cum approbatione Episcopi, locupletari debent *adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus,* etc.; non ideo tamen requiri videtur ut omnes adnotationes ex hoc fonte desumantur, sed aliquae etiam ex eruditis acatholicis erui possunt, v. gr. ad geographiam, archaeologiam, non vero ad fidem vel mores spectantes (*A. S. S.*, 30, p. 184). — Versionibus cum adnotationibus assimilandae videntur versiones paraphrasticae.

Nota. Articulus non tangit historias sacras ex Biblia sacra desumptas; vel illas partes, quae in libris precum inseruntur; vel Epistolas et Evangelia anni liturgici, si separatim imprimuntur.

8. — « Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt ».

Digitized by Google

Caput IV.

De libris obscenis.

9. — « Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur ».

In hoc artículo enuntiatur generalis prohibitio librorum obscenorum, i. e. librorum, qui eo fine de turpibus tractant ut libidinem excitent; non autem sermo est de libris qui necessarias notiones anatomicas suppeditare debent. Cfr. *Lega,* Praelect., t. III, n. 358.

Ut tales libri prohibeantur, requiritur ut de his *ex professo tractent,* id est non obiter sed vel in toto libro vel in notabili parte, aut *narrent,* seu turpia hominum facta, sive vera, sive ficta describant; aut *doceant,* seu explicent, quomodo turpes actus perficiantur.

Hinc patet proscribi omnes libros « pornographicos » dictos. Quod ad libros *romanenses* attinet, eos nempe qui de amore profano aut vitioso tractant, permulti nostrae aetatis dici possunt ex professo obsceni; cum tamen non omnes res ipsas obscenas narrent, hoc articulo non sunt universe damnati. Sed ut optime advertit *S. Alphonsus:* « De Jure naturali saepe sunt per se vetiti propter grave damnum quod legentibus inferunt; in ipsis enim virus quanto minus patet, tanto magis nocet » (App. de Prohib. libr., c. I, n. 9).

10. — « Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat; nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt ».

Hoc articulo duo statuuntur: 1° Prohibitioni generali fit exceptio pro libris classicis. — Classici ii vocantur qui habentur velut exempla proprii et elegantioris sermonis, et juxta quosdam (*Lega,* n. 360; *Vermeersch,* p. 74), etiam eorum versiones in aliud idioma.

Dicitur: *a*) *Si hac ipsa,* etc.; exceptio igitur libris classicis non favet, alia de causa, v. gr. ob haeresim, damnatis.

b) *Quos officii aut magisterii ratio excusat;* ratione *officii* excusantur qui ex professo litterarum opera conscribunt vel dijudicant, iisque adnumerandi videntur praefecti Universitatum, collegiorum, etc.; ratione *magisterii* excusandi sunt omnes qui litteras docent, non autem qui tantum prima linguae rudimenta vel alias scientias, licet nobiliores, v. gr. Theologiam, tradunt (*Palmieri,* Op. Theol. mor., ed. 3, II, n. 1181).

c) *Excusat;* quapropter his eatenus tantum ea lectio permittitur, quatenus ipsis necessaria est aut utilis, et salva semper lege naturali vitandi periculum proximum peccandi.

2° Huic exceptioni apponitur restrictio pro *pueris vel adolescentibus.* An sub nomine *adolescentium* veniant etiam juvenes qui in aetate 20 vel 24 annorum Universitates adeunt? Id videntur aliqui negare, sed omnino est

Digitized by Google

affirmandum ; nam ex generali dictione *pueris vel adolescentibus,* liquet mentem legislatoris esse omnes amplectendi qui virilem aetatem non sunt adepti. Jamvero adolescentia durat saltem usque ad vigesimum quintum aetatis annum. Sic Lega, Van Coillie, Vermeersch, Génicot et alii. Advertit tamen *Noldin,* quod officii vel magisterii ratio eos alumnos excusat, qui ad opera litteraria exaranda vel ad litteras docendas in Universitatibus se praeparant. Cfr. *Ami du Cl.,* 1911, p. 848; *Vermeersch,* p. 73.

Caput V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. — « Damnantur libri, in quibus Deo, aut B. V. M., vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae ejusque Cultui vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio subjacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt ».

Dicitur : 1° *Libri . . . in quibus detrahitur ;* vox *detrahere* hic complectitur quidquid verbis aufert aut minuit famam seu existimationem alicujus. Nec requiritur ut data opera detractiones fiant, nam legislator quoties hanc conditionem requirit, eam indicat. Verius sufficit ut detractio gravis sit et notabili quodam modo fiat, ita tamen ut (sicut titulus capitis requirit) dici possit speciale argumentum talis libri.

2° *In quibus inspirationis . . . conceptus pervertitur ;* si quis, v. gr., argumentis probare et lectori persuadere vellet, inspirationem ad res fidei et morum vel ad aliquas partes coarctandam esse. Cfr. Const. *Providentissimus,* 18 Nov. 1893; Resp. Commiss. Biblicae, 13 Febr. et 23 Jun. 1905.

3° *Prohibentur quoque libri qui data opera ; data opera* a probatis auctoribus fere eodem sensu sumitur ac ex professo et in parte notabili (*Pennacchi,* ap. *A. S. S.,* 30, p. 346; *Hollweck,* p. 34). Vide dicta superius art. 2 et 3.

4° *Ecclesiam, Hierarchiam,* etc. ; hinc non prohibetur liber qui tantum *singulares personas* probris afficit.

12. — « Nefas est libros edere, legere, aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio Spirituum, aliaeque hujus generis superstitiones docentur vel commendantur ».

Cum proscribantur duntaxat libri qui ea *docent* seu regulas artis tradunt, vel *commendant,* nempe laudibus extollunt, non damnantur ii qui de his tractant ad ea refutanda, nec ii qui mere referunt facta (*Can. Cont.,* 20, p. 307). Cfr. superius dicta n. 566.

13. — « Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur ».

Digitized by Google

Dicitur : 1° *Libri aut scripta ;* igitur etiam manuscripta, sed tantum *si publicentur ;* jamvero plerumque haec non satis publici juris fiunt, seu in vulgus sparguntur. — Quoad diaria vero quae ad publicam notitiam deferunt aliquod factum miraculosum, quod in peregrinatione (v. gr. in Lourdes) contigerit, praesertim si de simplici factorum narratione agitur, testantur AA. usum ejusmodi supernaturalia publicandi penes universos invaluisse, quin aut Episcopi, aut Apostolica Sedes de re sollicita fuerit. « Non est autem adeo facile condemnandum quod communiter fit, videntibus tacentibusque Ecclesiae praesulibus » (cfr. *A. S. S.*, 30, p. 290 ; *Del Vecchio*, in hunc art.).

2° *Quae narrant.* AA. requirunt ut liber sat fuse et quasi ex professo narret, ita ut pro argumento habeat hanc narrationem.

3° *Novas apparitiones*, etc. ; eas intelligimus quae *recenter* contigerint, aut etiam minus recentes at nondum usu receptae, vel approbatae. — Quoad *novas devotiones*, attendenda est vox *inducunt ;* nempe non sufficit eas tantum referre. Plures istiusmodi devotiones hisce temporibus a S. Off. damnatae sunt (cfr. *Vermeersch*, n. 80, p. 84).

4° *Si publicentur absque legitima licentia ;* si de factis mirabilibus personarum viventium agitur, adeunda est S. Sedes ; si de iis quae ad causas beatificationis pertinent, a S. R. C. licentia postulanda est ; pro ceteris competens est Episcopus loci.

Nota. Nova Constitutio nil habet de *protestatione auctoris*, ab Urbano VIII praescripta : unde jam non obligantur AA. ad eam initio librorum apponendam. Cfr. tamen Motu-Proprio *Sacrorum Antistitum*, n. VI (*A. A. S.*, II, p. 665), ubi hujus declarationis fit mentio.

14. — « Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur ».

AA. requirunt, ut hujusmodi libri non obiter sed quasi data opera de his agant, et non sine ratione : nam aliter aliquis vere dici nequit *statuere, contendere, tueri*. Statuere idem est ac demonstrare, contendere idem ac acriter affirmare, tueri idem ac propugnare.

Quaenam sint societates ejusdem generis ac sectae massonicae, diximus n. 1331. — *Errores ab Apostolica Sede proscripti* sunt etiam illi quos S. Sedes mediantibus SS. CC. proscribit, modo sententia a R. P. fuerit confirmata. Inter hos errores veniunt illi, quos damnavit Syllabus (S. C. Ind., 23 Maii 1898 ; *A. S. S.*, 30, p. 698). Cfr. n. 1328.

Caput VI.

De sacris imaginibus et indulgentiis.

15. — « Imagines qnomodocumque impressae D. N. J. C., Beatae M. V., Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et Decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive

Digitized by Google

preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur ».

Dicitur: 1° *Imagines quomodocumque impressae;* unde, ex consensu interpretum, non plectuntur hoc articulo nec picturae, aut statuae, nec numismata quae potius cuduntur quam imprimuntur.

2° *Ab Ecclesiae sensu et Decretis difformes.* Quaenam hac de ratione reprobandae sint, eruendum est praecipue ex Const. Bened. XIV *Sollicitudini,* 1 Oct. 1745: sunt generatim illae quae fidei moribusque periculum inducere possunt. — Hae imagines *omnino vetantur;* etiam igitur pro devotione privata.

Nota. Ad *novas* imagines quod attinet, non liquet utrum nova editio veterum imaginum prohibeatur (*Vermeersch,* n. 85).

16. — « Universis interdicitur indulgentias apocryphas et a S. Sede Apostolica praescriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae jam fuerint, de manibus fidelium auferantur ».

Cum *Palmieri* (Op. mor., n. 1187), *Pennacchi* (*A. S. S.,* 30, p. 317), *Vermeersch* (n. 86, 2°) et aliis, putamus hunc articulum nihil fidelibus imponere, nisi obligationem Superioribus obediendi, si quid mandaverint.

17. — « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia ».

Attamen, ut recte observant aliqui AA., imagines quae in memoriam defuncti vel in alterius pii eventus recordationem componi solent, addita una alterave oratione et adnexa indulgentia, non sunt folia indulgentiarum; unde sicut usus sat probat, hac prohibitione non continentur.

Caput VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. — « In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum a S. Sede Apost. approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur ».

Hoc articulo hae novae editiones prohibentur in solo casu mutationis, non vero si debita approbatione careant. Sic plerique. Cfr. *Gennari,* o. c., in hunc art.; *Vermeersch,* n. 88, 4°. — Qui ergo recitaret Breviarium, adhibendoe ditionem prohibitam (quia approbatione caret), obligationi satisfaceret, modo editio non sit immutata.

19. — « Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana de-

Digitized by Google

cantari solent, et Litanias SS. Nominis Jesu jam a S. Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii ».

His litaniis approbatis addendae sunt litaniae de SS. Corde Jesu et de S. Joseph. — Requisita autem Episcopi approbatio, valet duntaxat pro earum recitatione *privata;* nam pro *publica* in ecclesiis vel publicis oratoriis semper requiritur S. Sedis approbatio, ex Decretis S. R. C., 20 Jun. 1896 et 11 Febr. 1898 (S. R. C., n. 3916, 3980).

20. — « Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur ».

Dicitur: *libros aut libellos,* ad exclusionem foliorum et scriptorum. — Insuper attingi tantum videntur ii libri quorum scopus immediate practicus est, non autem qui doctrinam speculative tractant. Id plures AA. eruunt tum ex inscriptione capitis: *de libris... precatoriis,* tum ex ipso textu articuli: *quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur* (*Lega,* III, n. 373).

Nota. Die 21 Mart. 1914, S. R. C. praescripsit: Orationes quae Domino Deo diriguntur ad gratias impetrandas ob intercessionem servorum Dei, qui cum fama sanctitatis decesserunt, *indigere venia Episcopi,* ut imprimi ac inter fideles diffundi valeant. Cfr. dicta n. 538.

Caput VIII.

De diariis, foliis et libellis periodicis.

21. — « Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico Jure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere ».

Prohibentur *folia;* intellige folia *periodica,* ut suadet totus contextus.

Addita prohibitio *Juris positivi* fundatur *in praesumptione periculi,* idque efficit ut etiam ii, in quibus per accidens cessat periculum, obligentur tamen praesenti lege, dum prohibitio Juris naturalis tota ex periculo est dijudicanda. *Severior ergo est et magis extensa Ecclesiae prohibitio.* Id insuper efficit, ut proscriptae sint etiam partes in se innocuae istiusmodi publicationum (*Pennacchi,* n. 59).

Religionem aliqui intelligunt religionem naturalem tantum, ac proinde damnari dicunt ea solum folia periodica quae habitualiter atheismum, materialismum et alios hujusmodi errores defendunt; alii intelligunt solam religionem veram seu catholicam. S. C. Indicis quaestionem solvere recusavit. Cfr. *Vermeersch,* n. 92, p. 111.

Quae propria sit hujus vocabuli *data opera* significatio, diximus supra. Quoad diaria speciatim *data opera* significat, ut habitualiter fiat: ita ut ipsa publicatio

Digitized by Google

seu series dici possit religioni aut bonis moribus infensa; unde minime concedi potest omnia diaria *liberalia* hoc articulo esse prohibita.

Nota. Quaerunt AA. utrum *imagines obscenae* in hoc articulo comprehendantur, vel in art. 9. Verius respondendum distinguendo: Vel inseruntur textui libri aut diarii aut cujusque folii prohibiti; tunc quatenus pars operis vetiti proscribuntur. Vel seorsim imprimuntur, et tunc nostra Const. non attinguntur, etiamsi in collectione compactae sint. At certo Juri naturali prohibentur (*Can. cont.*, 20, p. 305).

22. — « Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet ».

Per se igitur non licet regulariter articulos, etiam de re scientifica tractantes, ad malas ephemerides mittere, nec res suas vendendas, locandas, etc., in pravis diariis annuntiare; quamvis tamen facilius pro adjunctis id ultimum licitum evadere poterit, praesertim si non soli illi pravae ephemeridi, sed etiam aliis bonis eadem res annuntianda traditur. *Justa et rationabilis causa* aderit, si aliquis articulus, pro fide vel hierarchia contumeliosus, in ipso diario refutari debeat.

Nota. Non abs re erit hic praescripta addere, quae nuper pro seminariis in Motu-Proprio *Sacrorum Antistitum* promulgata fuerunt: « Omnino vetamus diaria quaevis, aut commentaria, quantumvis optima, ab iisdem (i. e. juvenibus in seminariis) legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accidat religiose non caverint » (*A. A. S.*, II, p. 668). — Quae praescriptiones etiam ab alumnis, in monasteriis et congregationibus religiosis studiis operam dantibus, religiose servandae sunt (S. C. Consist., 25 Sept. 1910; *A. A. S.*, II, p. 740). — Attamen, ut constat ex Litteris 20 Oct. 1910 ad Archiep. Primatem Hungariae (*A. A. S.*, II, p. 855), prohibentur hisce documentis tantummodo diaria et commentaria de rebus politicis vel quaestionibus socialibus et scientificis, quae in dies exagitantur. Nihil vetat quominus Superiores vel magistri, si agatur de quaestionibus scientificis, alumnis legant vel in sua praesentia utiles articulos legendos tradant.

Caput IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. — « Libros sive specialibus, sive hisce generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apost., aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates ».

Vide tamen dicta n. 454. — Non requiritur licentia Ordinarii ut quis facultate, a S. Sede obtenta, uti possit.

24. — « Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti

Digitized by Google

Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subjectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro ».

25. — « Episcopi aliique Praelati jurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant ».

26. — « Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri hujusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant ».

Hunc ultimum articulum omnibus ad quos pertinet in memoriam revocare voluit SS. D. N. Pius X, in Motu-Proprio *Sacrorum Antistitum* (*A. A. S.*, II, p. 661).

Caput X.

De denuntiatione pravorum librorum.

27. — « Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denuntiare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium ».

Dubitant AA. an hoc articulo speciale detur praeceptum. Quidquid sit, certum est illos, qui praesunt populo, ex justitia vi officii sui denuntiare teneri, fideles autem tantum ex caritate.

28. — « Expedit ut in pravorum librorum denuntiatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denuntiatio defertur, sanctum erit, denuntiantium nomina secreta servare ».

29. — « Ordinarii, etiam tanquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta quae subtilius examen exigunt, vel in quibus,

Digitized by Google

ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur ».

Vult *Pennacchi* (*A. S. S.*, 30, p. 407) regulares exemptos obstringi prohibitionibus ab Ordinariis factis; ast valde communior sententia docet eos hac in re immunes esse a jurisdictione Episcopi. Cfr. *Vermeersch* (o. c., n. 64, p. 52), qui hanc sententiam strenue propugnat.

TITULUS II.

De censura librorum

CAPUT I.

De praelatis librorum censurae praepositis.

30. — « Penes quos potestas sit sacrorum Bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt ».

Censura, de qua in hoc titulo agitur, non requiritur ut typis mandetur liber, sed ut *in lucem prodeat*. Sic intellige quae in n. 37, 38 et 40 dicentur. — Obligatio librum censurae subjiciendi est gravis vel levis pro libri argumento, vel modo publicandi. Ita, v. gr., omissio novae approbationis, si editio priori approbatae sit conformis, non videtur esse peccatum grave.

31. — « Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac de re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius S. Indicis Congregationis licentia ».

Per *libros ab Apost. Sede proscriptos,* intelliguntur ii duntaxat libri qui Decreto speciali et nominatim a S. Sede sive immediate, sive mediante aliqua Congregatione damnantur, non vero ii qui solis his ¡Decretis generalibus attinguntur.

32. — « Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt ».

33. — « Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis praescriptis ».

34. — « Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta S. Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent ».

Digitized by Google

35. — « Approbatio librorum, quorum censura, praesentium Decretorum vi, Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici juris fiunt ».

Haec igitur approbatio jam non pertinet Ordinario loci in quo fit impressio. — Si editio pluribus in dioecesibus locum habet, sufficit unius Ordinarii approbatio. — In Germania, ex consuetudine legitima, sufficit approbatio Ordinarii dioecesis, cui adscriptus est auctor.

Notetur tamen Responsum S. C. Indicis, 9 Maii 1912: Episcopus loci, in quo aliquis auctor eidem non subditus librum, a proprio Ordinario jam examinatum et praelo dignum judicatum, publici juris facere desiderat, — istius libri impressionem permittere potest, quin eum novae censurae subjiciat. Sufficit ut apponat judicium *Nihil obstare* censoris alterius dioecesis, ab istius Ordinario sibi transmissum (*A. A. S.*, IV, p. 370).

36. — « Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini Decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subjacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur ».

Constitutio utitur verbo: *Regulares;* attamen, ut declaravit S. C. de Relig., 15 Jun. 1911, articulus se extendit etiam ad religiosos Institutorum. Prohibuit insuper eadem Congregatio, ne religiosi, quoties eorum Moderatores ipsis publicationem manuscripti interdicunt, illud typographo tradant, qui librum cum solo *Imprimatur* Episcopi publicet (*A. A. S.*, III, p. 270).

37. — « Si auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur ».

Caput II.

De censorum officio in praevio librorum examine.

38. — « Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem ».

Hisce verbis institutio censorum ex officio tantummodo *commendatur*. Pius X vero, in suo Motu-Proprio *Sacrorum Antistitum* praescripsit ut in omnibus dioecesibus et in Curia romana *censores ex officio* nominentur (*A. A. S.*, II, p. 661). Praescribitur etiam institutio *Consilii vigilantiae*, cujus munus est Modernismi indicia tam in libris quam in magisteriis pervestigandi (ib., 663, 664).

39. — « De variis opinionibus atque sententiis (juxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praejudiciis omnibus vacuo, judicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum

Digitized by Google

excutiant, studia partium seponant. Ecclesiae sanctae dogmata et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium Decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant ».

40. — « Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat ».

Dicitur: 1° *Si nihil,* etc.; notandum est, ex Resp. S. C. Ind., 1 Sept. 1898, Ordinarios, qui denegent licentiam, teneri auctori rationes denegatae licentiae indicare, si liber videatur correctionis seu expurgationis esse capax (*A. S. S.*, 31, p. 256).

2° *In scriptis;* probabiliter tamen asserunt AA., licentiam ore tenus impertitam ad validitatem sufficere; nam, ut aiunt, substantia praecepti in concessione licentiae consistit, haec autem, sive voce sive scripto vera licentia est (*A. S. S.*, 31, p. 500). — Quoties autem licentia in scriptis conceditur, ipsi proponatur formula *Nihil obstat,* adscripto censoris nomine. Ita ex Motu-Proprio *Sacrorum Antistitum,* 1 Sept. 1910 (*A. A. S.*, II, p. 661).

3° *Licentiam imprimendam;* probabiliter non necesse est, ut haec imprimatur iisdem prorsus verbis quibus data est; sufficit *quaecumque formula generalis.* Item probabile putamus, quandoque ex justa causa, Episcopo annuente, licentiam omnino reticeri posse. Cfr. *Pennacchi, Vermeersch,* etc. — Ipsum Motu-Proprio concedit (l. c., p. 662), extraordinariis in adjunctis censoris mentionem intermitti posse.

Caput III.

De libris praeviae censurae subjiciendis.

41. — « Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subjicere libros, qui divinas Scripturas, sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit ».

Dicitur: 1° *Tenentur;* si ergo omittitur debita licentia, peccat auctor; sed liber non est prohibitus, nisi agatur de iis qui ipso facto omissae approbationis proscribuntur (cfr. art. 7, 13, 20).

2° *Generaliter scripta omnia,* ac proinde etiam diariorum articulos *in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit,* nempe qui morale vel religiosum argumentum habeant. Verumtamen aliqui AA. censent non fuisse abrogatam consuetudinem antea vigentem, vi cujus ephemerides, de religione diserte non tractantes, inserunt, absque praevia censura, articulos qui per se revisioni subjici deberent. Cfr. *Van Coillie,* n. 69; *Vermeersch,* n. 118, p. 144. — Ex Motu-Proprio *Sacrorum Antistitum* (*A. A. S.*, II, p. 662) colligitur pro ephemeridibus specialem censorem, quoad fieri potest, esse designandum.

Nota. Omnium sensu, opera impressa et opera lithographice vel polygraphice edenda, si vulgentur et *publici juris* fiant, censurae subjicienda sunt;

Digitized by Google

sed si solum prodeant *ad usum discipulorum* vel in alium *usum limitatum*, nec in commercio ponantur, huic censurae non sunt obnoxia; « quod ipso romano usu novimus comprobatum », ut testatur *Vermeersch*, p. 33. — Ratio horum est, quia Episcopi licentia non praecise ad hunc finem requiritur ut liber *imprimi* possit, sed ut publici juris fieri possit. — Orationum ergo formularia ad usum communitatis, lectiones academicae pro auditoribus non indigent censura episcopali (*Linz. Quart. Schr.*, 1913, p. 488).

42. — « Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, vel folia periodica moderanda suscipiant ».

Prima pars hujus numeri non est commendatio tantum; etenim (quidquid dicat *Vermeersch* (n. 119, p. 145) S. C. Negotiorum Extraord. in sua Instr. 17 Jan. 1902 sic eam interpretata est: « Viri ecclesiastici, juxta *praescriptiones* art. 42 ejusdem Const. (*Officiorum*) *debent* obtinere consensum praevium Ordinarii ad publicanda scripta quae de artibus scientiisque mere naturalibus tractant ». Et SS. D. N. Pius X idem edixit in suo Motu-Proprio de die 18 Dec. 1903. *A. S. S.*, 36, p. 344. — Secundam partem diligentius servari praecipit Motu-Proprio *Sacrorum Antistitum*, n. IV. Cfr. *A. A. S.*, II, p. 662.

Caput IV.

De typographis et editoribus librorum.

43. — « Nullus liber censurae ecclesiasticae subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit ».

Soli libri proferre debent in principio nomen auctoris, etc. Scripta ergo quae molem libri non attingunt, imo et publicationes periodicae, his praescriptionibus non tanguntur, ut videtur.

44. — « Noverint typographi et editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere; hanc insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma versioni non suffragari ».

Interrogata S. C. Ind.: « Utrum excerpta a periodicis capita seorsim edita (vulgo *tirages à part*) censeri debeant novae editiones atque proinde nova approbatione indigeant » respondit: *Negative* (*Nouv. Rev. Théol.*, 30, p. 510).

45. — « Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma ».

46. — « Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque

Digitized by Google

vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti ».

Non tenetur igitur bibliopola ad interrogandum emptorem, sed sufficit ut ex adjunctis personarum prudentem existimationem sibi efformare possit de legitima petitione emptoris. — Quoad libros obscenos vide art. 10.

Caput V.

De poenis in Decretorum generalium transgressores statutis.

47. — « Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam ».

Cfr. quae diximus n. 1315. — Attamen, secundum quosdam AA., vox *imprimentes* strictius interpretari licebit quam in Const. *Apost. Sedis* (n. 1316, 3°) factum est, ita ut intelligatur sensu n. 1355 indicato.

48. — « Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam ».

Vide dicta n. 1355.

49. — « Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coërceantur ».

Digitized by Google

INDEX

	Pag.	Num.
PRAEFATIO AD HANC NOVAM EDITIONEM	V	
PRAEFATIO AD PRIMAM EDITIONEM	VII	
LITTERAE S. P. LEONIS DECIMI TERTII	IX	
TESTIMONIA ET JUDICIA S. SEDIS CIRCA DOCTRINAM S. ALPHONSI.	XI	

Introductio ad Theologiam moralem.

§ 1.	De Theologiae moralis natura	1	2
§ 2.	De Theologiae moralis praestantia et necessitate .	2	4
§ 3.	De Theologiae moralis methodo	3	5
§ 4.	De Theologiae moralis historia et fontibus . . .	4	6
§ 5.	De Theologiae moralis partitione	7	8

PARS PRIMA.

DE PRIMIS PRINCIPIIS THEOLOGIAE MORALIS.

PROLOGUS.	De fine ultimo hominis	9	9

TRACTATUS I. — **De conscientia.**

PROOEMIUM.	De conscientia in genere.	11	11
CAPUT I.	*De conscientia vera et erronea*	13	15
	SCHOLIUM. De consc. laxa, scrup. et perplexa	16	23
1.	De conscientia laxa	»	24
2.	De conscientia scrupulosa	17	27
3.	De conscientia perplexa	18	29
CAPUT II.	*De conscientia certa et dubia*	19	
ART. I.	De conscientiae certae necessitate	»	30
ART. II.	De modo deponendi conscientiam dubiam per principia reflexa	28	41
I.	Principia generalia, quibus in dubio judicium practicum immediate innititur	»	44
II.	Principia subsidiaria, quorum ope in dubio dignoscitur possessio	31	47
A.	Principia quae respiciunt facti substantiam . . .	»	48
B.	Principia quae respiciunt facti conditiones . . .	32	51
CAPUT III.	*De conscientia probabili*	34	57
ART. I.	De natura probabilitatis	»	58

Digitized by Google

	Pag.	Num.
§ 1. De opinionibus in se spectatis	35	61
§ 2. De opinionibus comparative sumptis	39	67
1° Quibus notis inter se distinguantur opiniones comparative sumptae	40	69
2° Quale dubium, qualisve certitudo habeatur ex opinionibus sibi invicem oppositis	42	74
ART. II. De usu probabilitatis	45	79
§ 1. De illicito usu probabilitatis	»	80
§ 2. De licito usu probabilitatis ubi agitur de sola honestate actionis	48	85
VARIA SYSTEMATA	49	»
SYSTEMA MORALE S. DOCTORIS ALPHONSI	54	88
I. Systematis expositio	»	»
II. Systematis demonstratio	55	
THESIS I (contra probabilioristas)	56	91
THESIS II (contra eos, qui non admittunt in opinionibus regulam de possessione)	62	96
THESIS III (contra probabilistas benigniores).	65	100
III. Praecellens meritum systematis S. Alphonsi	73	104
SCHOLIUM. De modo quo S. Alphonsus enuntiat suas sententias	75	108

TRACTATUS II. — **De legibus.**

PROOEMIUM. De notione legis	77	109
Dissertatio I. — DE LEGE DIVINA	79	113
CAPUT I. *De lege aeterna et naturali*	»	
ART. I. De lege aeterna	»	114
ART. II. De lege naturali	81	
§ 1. De legis naturalis exsistentia et objecto	»	119
§ 2. De legis naturalis promulgatione et cognitione	82	123
§ 3. De legis naturalis immutabilitate	84	127
CAPUT II. *De lege divina positiva*	85	130
I. De lege Mosaica	86	131
II. De lege Evangelica	»	132
Dissertatio II. — DE LEGE HUMANA	89	
Notiones praeviae	»	136
CAPUT I. *De legum institutione*	90	137
ART. I. De legifera potestate	»	138
§ 1. De auctore legis ecclesiasticae	91	139
SCHOLIUM. De jure ecclesiastico	93	145
§ 2. De auctore legis civilis	95	147
SCHOLIUM. De jure civili.	97	151
ART. II. De objecto seu materia legis	»	153

Digitized by Google

	Pag.	Num.
CAPUT II. *De promulgatione et acceptatione legis*	100	156
ART. I. De promulgatione legis	»	157
ART. II. De acceptatione legis	102	162
CAPUT III. *De interpretatione legis*	104	166
ART. I. De interpretatione proprie dicta	»	167
§ 1. De interpretatione authentica	»	168
§ 2. De interpretatione usuali	106	170
§ 3. De interpretatione doctrinali	107	171
ART. II. De epikeia	109	173
CAPUT IV. *De obligatione legis*	110	175
ART. I. Qualem obligationem lex inducat	»	
§ 1. De obligatione legis in genere	»	176
§ 2. De obligatione legis poenalis	113	181
§ 3. De obligatione legis irritantis	116	185
§ 4. De obligatione legis fundatae in praesumptione .	118	190
ART. II. Ad quosnam se extendat obligatio legis	119	193
§ 1. De pueris aliisque usu rationis carentibus . . .	121	194
§ 2. De infidelibus et haereticis	122	197
§ 3. De regularibus et clericis	123	199
§ 4. De advenis, peregrinis et vagis	124	203
§ 5. De legislatore	128	209
ART. III. Quomodo obligationi legis satisfaciendum sit . .	»	
§ 1. De modo satisfaciendi legi	129	210
§ 2. De modo agendi in concursu praeceptorum . . .	131	214
CAPUT V. *De causis tollentibus obligationem legis*	133	217
ART. I. De ignorantia legis	»	218
ART. II. De impotentia servandi legem	134	221
ART. III. De dispensatione	137	227
§ 1. De potestate dispensandi	138	229
§ 2. De requisitis ad legitimam dispensationem . . .	143	237
§ 3. De interpretatione et usu dispensationis	147	242
§ 4. De cessatione dispensationis	148	245
SCHOLIUM. De dubio circa necessitatem dispensationis	149	248
ART. IV. De privilegio	150	249
§ 1. De acquisitione privilegii.	151	250
§ 2. De usu privilegii	152	251
§ 3. De interpretatione privilegii	153	253
§ 4. De cessatione privilegii	154	254
CAPUT VI. *De cessatione legis*	155	255
ART. I. De cessatione legis ab intrinseco	»	256
ART. II. De legis abrogatione et derogatione	157	259
ART. III. De consuetudine	158	261
§ 1. De conditionibus legitimae consuetudinis	159	262
§ 2. De prohibitione et abrogatione consuetudinis . .	161	266

Digitized by Google

Tractatus III. — De actibus humanis.

	Pag.	Num.
Prooemium. De notione actus humani	164	269
CAPUT I. *De imputabilitate actuum humanorum*	165	
Art. I. De principiis imputabilitatis	166	
§ 1. De voluntario	»	271
§ 2. De libero	170	275
Art. II. De imputabilitatis impedimentis	173	
§ 1. De violentia	»	281
§ 2. De metu	174	285
§ 3. De ignorantia	176	287
§ 4. De concupiscentia	178	290
Scholium. De habitu	180	292
De haereditate, temperamento, statibus pathologicis	»	293
CAPUT II. *De moralitate actuum*	183	294
Art. I. De principiis moralitatis	185	296
§ 1. De objecto	»	297
§ 2. De circumstantiis	186	299
§ 3. De fine	187	303
Appendix. De actibus bonis	190	307
Art. II. De extensione moralitatis	»	
§ 1. De actuum indifferentia	»	310
§ 2. De moralitate effectus indirecte voluntarii	195	313

Tractatus IV. — De peccatis.

Prooemium. De notione peccati	199	316
CAPUT I. *De requisitis ad peccatum*	201	
Art. I. De advertentia intellectus	»	317
Art. II. De consensu voluntatis	203	320
CAPUT II. *De peccatorum distinctione*	207	323
Art. I. De distinctione specifica	»	324
Art. II. De distinctione numerica	210	326
§ 1. De multiplicitate actuum moraliter interruptorum	211	327
§ 2. De diversitate objectorum totalium	214	330
CAPUT III. *De gravitate peccatorum*	216	333
Art. I. De peccato mortali	218	335
Scholium. De peccati mortalis effectibus	222	339
Art. II. De peccato veniali	223	340
Scholium. De effectibus peccati venialis	226	344
CAPUT IV. *De peccatis internis*	227	345
Art. I. De pravis desideriis et propositis	»	346
Art. II. De complacentia et gaudio	229	350
Art. III. De delectatione morosa	231	354

Digitized by Google

	Pag.	Num.
CAPUT V. *De peccatis capitalibus*	233	359
1. De superbia	234	360
2. De avaritia	235	362
3. De gula	236	364
4. De luxuria	237	367
5. De invidia	»	368
6. De ira	238	370
7. De acedia	239	372
CAPUT VI. *De periculo peccandi*	240	373
SCHOLIUM. De tentationibus	242	377

TRACTATUS V. — **De virtutibus.**

PROOEMIUM. De notione virtutis	244	379
CAPUT I. *De proprietatibus virtutum*	246	
ART. I. De mediocritate virtutum	»	381
ART. II. De connexione et ordine virtutum	247	384
CAPUT II. *De distinctione specifica virtutum*	249	387
ART. I. De distinctione virtutum in ordine naturali	»	388
§ 1. De prudentia et virtutibus sub ea contentis	250	391
§ 2. De justitia et virtutibus ei adnexis	252	398
§ 3. De fortitudine et virtutibus ei adnexis	256	405
§ 4. De temperantia et virtutibus ei adnexis	257	407
ART. II. De distinctione virtutum in ordine supernaturali	260	411
CAPUT III. *De virtutum acquisitione et amissione*	262	
§ 1. De acquisitione virtutum	»	414
§ 2. De virtutum diminutione et amissione	263	416

PARS SECUNDA.

DE PRAECEPTIS DECALOGI ET ECCLESIAE.

PROLOGUS.	265	418

SECTIO PRIMA.

De praeambulis ad Decalogum, seu de virtutibus theologicis.

PROOEMIUM	265	419

TRACTATUS I. — **De fide theologica.**

CAPUT I. *De natura fidei*	266	420
§ 1. De objecto fidei materiali	267	421

Digitized by Google

	Pag.	Num.
§ 2. De objecto fidei formali	267	422
§ 3. De subjecto fidei	268	423
CAPUT II. *De necessitate fidei*	268	424
§ 1. De necessitate fidei quoad actum internum	269	425
§ 2. De necessitate fidei quoad actum externum	272	428
Responsa SS. Congregationum	277	
CAPUT III. *De peccatis fidei oppositis*	278	434
ART. I. De infidelitate	»	435
ART. II. De haeresi et apostasia a fide	279	438
§ 1. De peccatis haeresis et apostasiae	»	»
§ 2. De sanctione in haeresim et apostasiam	282	442
§ 3. De haereticorum absolutione	283	443
ART. III. De periculis fidei	284	
§ 1. De libertate cultuum	»	444
§ 2. De communicatione cum haereticis et infidelibus	286	447
§ 3. De lectione librorum pravorum	288	451
TRACTATUS II. — **De spe theologica.**		
CAPUT I. *De natura spei*	290	456
CAPUT II. *De necessitate spei*	292	459
CAPUT III. *De peccatis spei oppositis*	294	462
TRACTATUS III. — **De caritate.**		
CAPUT I. *De caritate erga Deum*	296	
ART. I. De natura caritatis	»	465
ART. II. De necessitate caritatis erga Deum	298	469
ART. III. De peccatis caritati erga Deum oppositis	301	474
CAPUT II. *De caritate erga proximum*	302	476
ART. I. De ordine in caritate servando	303	479
§ 1. De ordine caritatis inter nos et proximum	305	481
§ 2. De ordine caritatis inter ipsos proximos	307	484
ART. II. De actibus caritatis erga proximum	308	485
§ 1. De eleemosyna	309	486
§ 2. De correctione fraterna	312	490
ART. III. De peccatis caritati proximi adversis	316	
§ 1. De odio proximi	»	498
SCHOLIUM. De peccatis odio affinibus	319	504
§ 2. De scandalo	320	505
1. De malitia scandali	322	507
2. De permissione scandali passivi	324	511
3. De obligatione reparandi scandalum	326	513
4. De scandalis frequentioribus	328	515

Digitized by Google

	Pag.	Num.
§ 3. De cooperatione ad peccata aliena	329	
1. De cooperatione in genere	»	517
2. De variis cooperationibus	333	
I. De cooperatione famulorum	»	521
II. De cooperatione cauponum	335	522
III. De cooperatione opificum et mercatorum	336	523
IV. De cooperatione typographorum et bibliopolarum	337	524
V. De cooperatione in rebus illecebrosis	338	525
VI. De cooperatione in rebus politicis	339	526

SECTIO SECUNDA.

De singulis Decalogi praeceptis.

PROOEMIUM	341	528

TRACTATUS I. — De primo Decalogi praecepto.

CAPUT I. *De virtute religionis*	342	530
ART. I. De notione cultus	343	531
ART. II. De cultus sacri speciebus	344	532
§ 1. De cultu latriae	»	533
§ 2. De cultu duliae	346	536
ART. III. De distinctione actuum religionis	348	541
CAPUT II. *De actibus religionis primo praecepto imperatis*	349	542
ART. I. De devotione	»	543
ART. II. De oratione	350	546
ART. III. De adoratione necnon de oblationibus, primitiis ac decimis	353	550
CAPUT III. *De peccatis primo praecepto oppositis*	354	
ART. I. De superstitione	355	554
§ 1. De idololatria	356	556
§ 2. De divinatione	»	557
I. De pacto hominis cum daemone	»	558
II. De variis divinationibus in particulari	358	562
SCHOLIUM. De spiritismo	360	566
§ 3. De vana observantia	361	567
I. De vana observantia in genere	362	568
II. De hypnotismo	363	569
§ 4. De magia et maleficio	367	571
ART. II. De irreligiositate	368	574
§ 1. De tentatione Dei	»	575
§ 2. De sacrilegio	369	578
I. De sacrilegio personali	371	581
II. De sacrilegio locali	372	582
III. De sacrilegio reali	373	583

Digitized by Google

	Pag.	Num.
§ 3. De simonia	374	
1. De natura et gravitate simoniae	»	584
II. De causis ob quas cessat simonia	377	588
III. De casibus simoniae frequentioribus	378	589
IV. De poenis in simoniacos latis necnon de obligatione restituendi acceptum	380	591

TRACTATUS II. — **De secundo Decalogi praecepto.**

CAPUT I.	*De laude Dei et irreverentia in SS. ejus Nomen*	382	594
ART. I.	De vana divini Nominis usurpatione	383	595
ART. II.	De blasphemia	384	596
CAPUT II.	*De juramento et adjuratione*	388	
ART. I.	De juramento	»	600
§ 1.	De validitate juramenti	389	603
§ 2.	De liceitate juramenti	391	605
	Prima conditio: Veritas	»	»
	Secunda condito: Justitia	393	609
	Tertia conditio: Judicium	394	612
§ 3.	De obligatione juramenti promissorii	395	614
ART. II.	De adjuratione	398	618
	De regulis exorcismi	399	622
CAPUT III.	*De voto*	400	623
ART. I.	De requisitis ad votum	403	625
ART. II.	De obligatione voti	405	627
ART. III.	De cessatione voti	410	635
§ 1.	De irritatione votorum	411	637
§ 2.	De dispensatione votorum	414	641
§ 3.	De commutatione votorum	419	646

TRACTATUS III. — **De tertio Decalogi praecepto.**

CAPUT I.	*De festis sanctificandis in genere*	420	652
CAPUT II.	*De obligatione abstinendi ab operibus servilibus*	424	
ART. I.	De operibus quae diebus festis interdicuntur	»	658
ART. II.	De causis ob quas opera servilia permittuntur	427	664
CAPUT III.	*De obligatione audiendi missam*	431	670
ART. I.	De requisitis ad missae auditionem	»	
1.	Praesentia corporis	»	671
2.	Assistentia religiosa	433	674
3.	Locus debitus	435	677
I.	De oratoriis publicis	»	678
II.	De oratoriis privatis	436	679
ART. II.	De causis a missa excusantibus	437	681

Digitized by Google

TRACTATUS IV. — **De quarto Decalogi praecepto.**

		Pag.	Num.
CAPUT I.	*De pietate, observantia et obedientia*	441	
1.	De pietate	»	687
2.	De observantia	442	689
3.	De obedientia	443	690
CAPUT II.	*De mutuis officiis filiorum et parentum*	445	
ART. I.	De officiis filiorum erga parentes	»	694
	SCHOLIUM. De patria potestate	448	698
ART. II.	De officiis parentum erga filios	450	699
CAPUT III.	*De mutuis officiis conjugum*	450	703
	SCHOLIUM. De emancipatione feminarum	455	704
CAPUT IV.	*De mutuis obligationibus inferiorum et Superiorum.*	455	
ART. I.	De obligationibus famulorum et herorum	456	
§ 1.	De obligationibus famulorum	»	705
§ 2.	De obligationibus herorum	457	707
ART. II.	De obligationibus discipulorum et magistrorum	458	
§ 1.	De obligationibus discipulorum	»	709
§ 2.	De obligationibus magistrorum	459	710
	SCHOLIUM. De pravis scholis	»	712

TRACTATUS V. — **De quinto Decalogi praecepto.**

CAPUT I.	*De justitia et injuria*	464	
ART. I.	De justitia commutativa	»	
1.	Notio juris	»	720
2.	Notio justitiae strictae	465	721
ART. II.	De injuria et injustitia	466	722
CAPUT II.	*De homicidio ejusque speciebus*	469	728
ART. I.	De occisione malefactoris	470	729
ART. II.	De occisione aggressoris	471	733
ART. III.	De occisione innocentis	474	
§ 1.	De occisione innocentis in genere	»	738
§ 2.	De procuratione abortus	476	741
CAPUT III.	*De duello et bello*	481	
ART. I.	De duello	»	746
ART. II.	De bello	483	749
CAPUT IV.	*De suicidio et ebrietate*	486	
ART. I.	De suicidio	»	
§ 1.	De sui ipsius occisione	»	753
§ 2.	De sui ipsius mutilatione	489	756
	SCHOLIUM. De vasectomia	490	756 bis
ART. II.	De ebrietate	491	757
	SCHOLIUM. De abusu morphinae et opii	494	761

Digitized by Google

TRACTATUS VI. — **De sexto et nono Decalogi praecepto.**

	Pag.	Num.
Monitum S. Alphonsi	495	762
CAPUT I. *De castitate et luxuria in genere*	496	763
ART. I. De castitate et pudicitia	498	764
ART. II. De luxuria et impudicitia	500	767
CAPUT II. *De peccatis luxuriae consummatae*	504	771
ART. I. De peccatis luxuriae juxta naturam	»	
§ 1. De fornicatione	»	772
§ 2. De stupro	506	776
§ 3. De raptu	507	779
§ 4. De adulterio	508	781
§ 5. De incestu	509	783
§ 6. De sacrilegio carnali	511	787
ART. II. De peccatis luxuriae contra naturam	512	
§ 1. De pollutione	»	790
I. De pollutione directe voluntaria	»	791
II. De pollutione indirecte voluntaria	514	795
III. De pollutione involuntaria	516	797
§ 2. De onanismo	517	801
§ 3. De sodomia	»	802
§ 4. De bestialitate	519	805
CAPUT III. *De peccatis luxuriae non consummatae*	520	807
ART. I. De turpiloquio et lectione obscenorum	»	808
ART. II. De aspectibus impudicis	523	812
SCHOLIUM. De arte pictoris et sculptoris	524	815
ART. III. De tactibus libidinosis	525	816
CAPUT IV. *De periculis castitatis*	528	824
I. De familiaritate sponsorum et adamantium	»	825
II. De choreis	531	829
III. De spectaculis	533	834

TRACTATUS VII. — **De septimo et decimo Decalogi praecepto.**

Dissertatio I. — DE JURE HOMINIS IN BONA EXTERNA	537	839
CAPUT I. *De natura et speciebus dominii*	538	841
1. Dominium plenum	539	842
2. Dominium directum, seu nudae proprietatis	»	843
3. Ususfructus	»	844
4. Usus	541	846
5. Servitus praedialis	542	847
6. Possessio	543	849

Digitized by Google

	Pag.	Num.
CAPUT II. *De objecto et subjecto dominii*	545	
ART. I. De objecto dominii	»	851
§ 1. De dominio hominis in alios homines	546	853
§ 2. De dominio hominis in proprii ingenii fetus . . .	547	855
ART. II. De subjecto dominiii	549	857
1. De dominio filiorum-familias	»	858
2. De dominio uxorum	552	863
3. De dominio personarum moralium in ordine civili et religioso	556	871
CAPUT III. *De modis acquirendi dominium.*	559	877
ART. I. De occupatione	560	878
§ 1. De occupatione animalium	»	879
§ 2. De occupatione rerum inventarum	562	882
ART. II. De accessione	565	887
ART. III. De praescriptione	566	890
§ 1. De praescriptione acquisitiva	567	
1. Res apta praescribi	»	892
2. Possessio	568	893
3. Titulus legitimus	»	894
4. Bona fides	569	895
5. Tempus a lege requisitum	570	897
§ 2. De praescriptione liberativa	572	899
Dissertatio II. — DE LAESIONE JURIS IN BONA EXTERNA . . .	574	902
CAPUT I. *De injusta acceptione rei alienae, seu de furto* . .	»	
ART. I. De natura et gravitate furti in genere	»	903
ART. II. De quibusdam furtis in specie	576	
§ 1. De furtis domesticis	»	907
§ 2. De furtis minutis	577	908
ART. III. De causis ablationem rei alienae excusantibus . .	579	
§ 1. De necessitate excusante rei alienae ablationem .	»	912
§ 2. De occulta compensatione	581	916
CAPUT II. *De injusta damnificatione*	583	919
1. De re in periculo derelicta vel reposita	»	920
2. De impediente consecutionem justi boni	584	921
3. De iniqua officiorum distributione	586	922
Dissertatio III. — DE JURIS LAESI REPARATIONE, SEU DE RESTITUTIONE	587	923
CAPUT I. *De obligatione restituendi*	»	
1. De natura et gravitate obligationis restituendi . .	»	924
2. De radicibus restitutionis.	590	930
CAPUT II. *De iis qui tenentur ad restitutionem*	592	934
ART. I. De injusto rei alienae possessore	»	
§ 1. De possessore bonae fidei	»	935
§ 2. De possessore malae fidei	595	940

Digitized by Google

	Pag.	Num.
§ 3. De possessore dubiae fidei	598	944
1. De dubio incipiente cum ipsa possessione	599	945
II. De dubio incipiente post possessionem	»	946
ART. II. De injusto damnificatore	601	
§ 1. De damnificatore injusto in genere	»	948
§ 2. De variis damnificatoribus injustis	606	951
1. Ad quid teneatur homicida	»	952
II. Ad quid teneatur stuprator	608	956
III. Ad quid teneatur adulter	611	961
IV. Ad quid teneatur defraudans tributa	613	964
V. Ad quid inferens damnum occasione militiae	616	971
VI. Ad quid teneatur negligens in officio	618	974
ART. III. De injusto cooperatore	619	976
§ 1. De iis qui cooperantur positive	»	977
1. De mandante	620	978
2. De consulente	621	979
3. De consentiente	622	983
4. De palpone et receptante	623	985
5. De participante	624	986
§ 2. De iis qui negative cooperantur	625	988
CAPUT III. *De mensura et ordine restitutionis*	626	
ART. I. De mensura restitutionis	627	990
ART. II. De ordine restitutionis inter cooperatores injustos	629	995
CAPUT IV. *De iis quibus restitutio facienda est*	630	
ART. I. Cuinam sit restituendum	»	997
ART. II. Cui prius restituendum sit	633	1000
§ 1. Ordo creditorum ex lege positiva	»	1001
§ 2. Ordo creditorum communium ex lege naturali	634	1004
CAPUT V. *De circumstantiis restitutionis*	636	1007
1. Quo tempore sit restituendum	»	1008
2. Quo loco sit restituendum	637	1010
3. Quomodo sit restituendum	639	1014
CAPUT VI. *De causis a restitutione excusantibus*	640	1016
ART. I. De causis quae restituendi obligationem suspendunt	641	1017
1. Impotentia debitoris	»	
2. Damnum creditoris aut tertii	643	1020
3. Cessio bonorum	»	1021
ART. II. De causis quae tollunt obligationem restitutionis	645	
1. Compensatio legitima	»	1024
2. Condonatio creditoris	646	1026
3. Auctoritas publicae potestatis	»	1027
Dissertatio IV. — DE CONTRACTIBUS	649	
CAPUT I. *De contractibus in genere*	»	
ART. I. De notione contractus	»	1032

Digitized by Google

	Pag.	Num.
ART. II. De requisitis ad contrahendum	651	
§ 1. De materia contractus	»	1035
§ 2. De personis quae contrahere possunt	654	1037
I. De minoribus	»	1039
II. De uxoribus	656	1041
SCHOLIUM. De interdictis, prodigis, civiliter mortuis et alienigenis	»	1042
§ 3. De consensu contrahentium	657	
I. De dotibus legitimi consensus	»	1044
II. De vitiis consensui oppositis (de errore, dolo, vi et metu)	659	1045
§ 4. De forma externa contractus	662	1053
ART. III. De obligatione contractus	663	1055
CAPUT II. *De contractibus gratuitis*	667	
ART. I. De promissione	»	1061
ART. II. De donatione	669	1063
ART. III. De successione haereditaria	673	
§ 1. De successione haereditaria in genere	»	1069
§ 2. De successione legali	677	1075
§ 3. De successione testamentaria	678	1077
I. De requisitis ad valorem testamenti	679	1078
II. De exsecutione testamenti	686	1084
ART. IV. De mandato et negotii gestione	688	1088
ART. V. De deposito et sequestro	689	1092
ART. VI. De commodato et precario	690	1096
ART. VII. De mutuo	691	
§ 1. De natura mutui	»	1099
§ 2. De usura	693	1102
§ 3. De titulis ab usura excusantibus	695	1107
§ 4. De quibusdam mutuis in specie	699	1113
CAPUT III. *De contractibus onerosis*	701	1117
ART. I. De emptione-venditione	»	
§ 1. De venditione in genere	»	1118
I. De consensu partium	702	1119
II. De re vendibili seu merce	703	1122
III. De pretio	707	1127
§ 2. De quibusdam venditionibus in specie	713	
I. De venditione cum pacto accessorio	»	1132
II. De venditione sub hasta	714	1134
III. De monopoliis	715	1136
IV. De venditione per proxenetas	716	1140
ART. II. De permutatione et cambio	718	1142
ART. III. De censu	719	1146
ART. IV. De locatione et conductione	721	1149
I. De locatione rerum	»	1150
II. De locatione operae	722	1152
SCHOLIUM. De operistitio	726	1154

Digitized by Google

	Pag.	Num.
ART. V. De emphyteusi et feudo	727	1155
ART. VI. De societate	728	1157
ART. VII. De transactione	730	1160
CAPUT IV. *De contractibus aleatoriis*	»	
1. De assecuratione	»	1161
2. De sponsione	732	1163
3. De loteria	733	1165
4. De ludo	»	1166
SCHOLIUM. De speculationibus Bursae	735	1169
CAPUT V. *De contractibus subsidiariis*	736	
1. De fidejussione	»	1170
2. De pignore et antichresi	737	1172
3. De hypotheca	738	1174

TRACTATUS VIII. — **De octavo Decalogi praecepto.**

CAPUT I. *De laesione veritatis*	739	1176
ART. I. De mendacio	740	1177
ART. II. De restrictione mentali	741	1179
ART. III. De violatione secreti	743	1184
§ 1. De revelatione secreti	744	1185
§ 2. De inquisitione et usu secreti alieni	745	1188
CAPUT II. *De laesione famae*	747	1190
ART. I. De judicio temerario	748	1191
ART. II. De detractione	749	1195
ART. III. De obligatione defendendi famam proximi	755	1202
ART. IV. De restitutione famae	756	1205
CAPUT III. *De laesione honoris*	759	1210
ART. I. De contumelia	»	1211
ART. II. De restitutione honoris	760	1214

SECTIO TERTIA.

De praeceptis et poenis ecclesiasticis.

TRACTATUS I. — **De praeceptis Ecclesiae.**

CAPUT I. *De jejunio ecclesiastico*	762	
ART. I. De obligatione jejunii	763	1218
ART. II. De forma jejunii ab Ecclesia praescripta	764	1222
§ 1. De abstinentia diebus jejunii servanda	765	1223
§ 2. De unica refectione	767	1226
§ 3. De hora refectionis	770	1231

Digitized by Google

	Pag.	Num.
ART. III. De causis a jejunio excusantibus	771	1232
1. Impotentia	772	1233
2. Labor	773	1235
3. Pietas	774	1238
4. Dispensatio	775	1240
CAPUT II. *De abstinentia extra jejunium*	778	1244
SCHOLIUM I. De jejunio in diversis regionibus.	780	1247
SCHOLIUM II. De Jure peculiari Hispaniae .	781	1248

TRACTATUS II. — **De censuris et poenis ecclesiasticis.**

CAPUT I. *De censuris in genere*	785	
ART. I. De censurarum notione et divisione	»	1251
ART. II. De censurarum inflictione	788	
§ 1. De auctore censurae	»	1255
§ 2. De subjecto censurae	790	1259
§ 3. De causa seu materia censurae	792	1263
§ 4. De forma censurae.	794	1265
ART. III. De causis a censura excusantibus	796	1269
ART. IV. De absolutione a censuris	798	
§ 1. Quomodo censurae solvantur	»	1274
§ 2. Qui possint absolvere a censuris	801	
1. Regulariter, extra necessitatem	»	1278
2. Per modum exceptionis, in casu necessitatis . . .	803	1282
§ 3. Quae sint conditiones absolutionis	805	1286
CAPUT II. *De variis censurae speciebus.*	807	
ART. I. De excommunicatione	»	1290
§ 1. De effectibus excommunicationis in excommunicato	808	1291
§ 2. De effectibus excommunicationis respectu fidelium	811	1294
ART. II. De suspensione	813	1299
1. Effectus suspensionis	814	1302
2. Violatio suspensionis	816	1304
3. Cessatio suspensionis	»	1305
ART. III. De interdicto	817	1306
1. Extensio interdicti	»	1307
2. Effectus interdicti	818	1308
3. Violatio interdicti	819	1309
4. Cessatio interdicti	»	1310
CAPUT III. *De censuris hodie vigentibus ex Const. Pii IX « Apostolicae Sedis »*	»	
Praenotanda	»	1311
ART. I. De excommunicationibus latae sententiae	821	1313
§ 1. Excommunicationes latae sententiae speciali modo R. Pontifici reservatae	»	1314

Digitized by Google

	Pag.	Num.
§ 2. Excommunicationes **R. Pontifici** simpliciter reservatae	830	1328
§ 3. Excommunicationes Ordinariis reservatae	841	1348
§ 4. Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae	843	1351
ART. II. De suspensionibus latae sententiae	847	1361
ART. III. De interdictis latae sententiae	852	1376
CAPUT IV. *De ceteris poenis ecclesiasticis*	854	
1. Depositio et degradatio	»	1381
2. Infamia	»	1383
3. Cessatio a divinis	855	1384
4. Privatio sepulturae ecclesiasticae	»	1385
SCHOLIUM. De sepultura civili et de crematione cadaverum	858	1388 bis

APPENDIX. — **In Const. *Officiorum ac munerum.***

NOTIONES PRAEVIAE	861	
TITULUS I. *De prohibitione librorum*.	864	
CAP. I. De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum aliorumque scriptorum libris	»	1
CAP. II. De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium S. Scripturae	865	5
CAP. III. De versionibus vernaculis S. Scripturae	866	7
CAP. IV. De libris obscenis	867	9
CAP. V. De quibusdam specialis argumenti libris	868	11
CAP. VI. De sacris Imaginibus et Indulgentiis	869	15
CAP. VII. De libris liturgicis et precatoriis	870	18
CAP. VIII. De diariis, foliis et libellis periodicis	871	21
CAP. IX. De facultate legendi et retinendi libros prohibitos .	872	23
CAP. X. De denuntiatione pravorum librorum	873	27
TITULUS II. *De censura librorum*	874	
CAP. I. De praelatis librorum censurae praepositis . . .	»	30
CAP. II. De censorum officio in praevio librorum examine .	875	38
CAP. III. De libris praeviae censurae subiiciendis	876	41
CAP. IV. De typographis et editoribus librorum	877	43
CAP. V. De poenis in Decretorum generalium transgressores statutis	878	47

Digitized by Google

ADDENDA.

Pag. 782 n. 1248 B (usque ad finem) ubi agitur de BULLA CRUCIATAE, *omnia ad normam Litter. Apost.* 12 Aug. 1915 *erunt reformanda.* Cfr. *A. A. S.*, VII, p. 557.

Constant istae Litterae Apostolicae diversis partibus, in quibus continentur variae facultates: Indulta nempe quoad indulgentias, divina officia et sepulturam, confessionem et votorum commutationem, dispensationem ab irregularitate et ab impedimento affinitatis et criminis, beneficiorum convalidationes et compositiones, legem abstinentiae et jejunii, quoad denique privata oratoria. — Ex his tantummodo ea notare placet, quae ad materiam jejunii et abstinentiae pertinent.

Nota. Pro *Lusitania* locisque Lusitaniae ditioni subjectis, Indultum fere identicum, ad decem annos valiturum, die 31 Dec. 1914 promulgatum fuit. Cfr. *A. A. S.*, VII, p. 549.

I. *Publicatio Indultorum (Cruciatae) eorumque usus.* Indulta, Hispanicae nationi concessa, singulis annis publicanda sunt. Annus computatur a die antea factae publicationis, usque ad diem novae faciendae publicationis.

Summaria (horum Indultorum) sumpta a fidelibus valent pro eorum usu, durante toto praedicto anno. Indulta autem intelliguntur semper prorogari, pro majori fidelium commoditate, ad unum integrum mensem post expletum annum ab eorum publicatione.

Indultis fruuntur omnes, *qui versantur in territorio Hispaniarum,* vel in alio quocumque territorio Hispanicae ditioni subjecto, si tamen Summaria sumant. — Indulto autem *quoad legem abstinentiae et jejunii* uti possunt tum in Hispania tum extra Hispanias, dummodo absit scandalum.

Pro licito et valido usu Indultorum sufficit *Summaria* sumere. Necessarium non est subscribere in illis proprium nomen et cognomen. Neque necessarium est illa secum habere, vel illa servare.

Taxa, vel eleemosyna, solvenda, consignanda est ad calcem uniuscujusque Summarii. Sciant autem fideles hujusmodi proventus destinari principaliter ad divinum cultum sustinendum, ad pia beneficentiae opera, ad onera sustinenda ipsius Bullae Cruciatae.

II. *Indultum quoad legem abstinentiae et jejunii.* 1° Omnibus absolute, quacumque die, et quavis refectione, licet uti *condimentis* ex quovis adipe, ex butyro, ex margarina, et aliis similibus condimentis; itemque licet comedere lacticinia et etiam ova, eodem modo, id est, quavis die et refectione.

2° *Abstinentia* a carne et a jure carnis servanda est tantum feriis sextis Quadragesimae, Quatuor Temporum, necnon tribus pervigiliis Pentecostes, Assumptionis B. V. Mariae in Coelum, Nativitatis Domini N. Jesu Christi.

Nota. Pro Lusitanis sunt insuper dies abstinentiae: feriae sextae Adventus et vigilia Omnium Sanctorum.

3° *Jejunium* servandum tantum erit feriis IV et VI necnon Sabbatis quadragesimae, et pervigiliis praecedenti par. 2° notatis.

Pervigilium Nativitatis anticipatur ac remittitur ad Sabbatum proxime praecedentium Quatuor Temporum.

Digitized by Google

Nec vetitum est pisces ac carnes in eadem refectione permiscere diebus jejunii et dominicis Quadragesimae.

4° Omnes possunt ex rationabili et justo motivo a propriis confessariis *dispensari* a lege abstinentiae et jejunii.

III. *Conditiones circa usum praecedentis Indulti.*

Indulto par. 1[1] et 2[i] integra manet lex jejunii, seu unicae comestionis per diem, pro illis qui jejunare tenentur, secundum paragr. tertium.

Eodem Indulto non fruuntur, nisi illi tantum, qui sumpserint *praesens Summarium* et *Summaria indulgentiarum ac divinorum officiorum,* et solverint taxatam eleemosynam applicandam in beneficium Seminariorum et alios pios fines a S. Sede assignatos.

Indultum hoc sumi potest *Summario collectivo* pro se et tota familia extensive ad quoslibet familiares, hospites etiam ad brevissimum tempus, et commensales. — Summarium istud collectivum eosdem omnino effectus habet si a matre familiae sumitur.

Pauperes non tenentur Summaria praedicta sumere, nec ullam largiri eleemosynam, ut Indulto fruantur quoad legem abstinentiae et jejunii. Tenentur vero, si aliis velint frui Indultis.

Omnino *excluduntur* ab eodem Indulto, quoad legem abstinentiae, *Regulares,* qui ex speciali voto toto anno esuriales cibos servare tenentur.

ERRATA.

Pag.	150,	lin.	19	lege:	*beneficium*	non vero: *privilegium*
»	277	»	22	»	cadaver	» cadaverem
»	377	»	2	»	588	» 885
»	485	»	31	»	bellantes	» bellicantes
»	496	»	27	»	vas femineum	» vase femineo
»	501	»	21	»	*hypersexualitate*	» *hypersexualite*
»	556	»	24	»	3	» ℥ 3
»	579	»	35	»	ART. III	» III
»	592	»	12	»	casu	» caso
»	730	»	31	»	1161	» 1061

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

DISPOSITIONES
CODICIS JURIS CANONICI BENEDICTI PP. XV AUCTORITATE PROMULGATI
QUAE REFERUNTUR AD THEOLOGIAM MORALEM

Prooemium.

In hoc Supplemento secundum ordinem numerorum ac tractatuum Institutionum Moralium, inveniuntur ea quae in ipsis a novo Codice confirmantur, atque ea quae ex ipso mutanda sunt. Haec digestio materiae per modum appendicis, etsi contrarium habeat quod non in ipsum librum inseratur, tamen non minores utilitates prae se fert, praesertim ex eo quod sic evidenter ac immediate videatur quae in tota theologia morali retinentur, quae vero abolentur vel novantur, postquam codex vim obligandi habere inceperit, i. e. post diem decimam nonam mensis Maii anni 1918. Ex ea ita statim intelligitur discrimen inter antiquam et novam disciplinam, quod non parum juvat ad melius intelligendas novas juris dispositiones et ad ipsas facilius memoria retinendas. Supponitur quemvis possidere novi codicis volumen, quod utique clericum ac praesertim S. Theologiae studiosum non solum maxime decet, sed ipsi etiam ad leges ecclesiasticas observandas plane necessarium est.

N. B. — Ne nimis recurrat vox *confirmatur* (confirm.), omittetur quoties ad plures numeros immediate sequentes adhibenda esset.

PARS I.

Tractatus I. — *De conscientia.*

Ad solvenda dubia conferunt canones 6 § 4, 15, 23. Cf. etiam canones 19, 50, 85, 1748 §§ 1-2.

Tractatus II. — *De legibus.*

109, 5° confirm. can. 8 § 1, quo etiam confirm. n. **137**. — **138** can. 197. — — **139** can. 218 § 1. — **140** can. 7 et can. 244 §§ 1-2 ex quo etiam patet, Decreta S. R. C. ad vim legis obtinendam indigere approbatione Summi Pontificis. Exceptio quoad declarationes comprehensivas confirm. can. 17 § 2. Competentia SS. Congregationum describitur can. 247-257. Ex can. 241, Sede Apostolica Vacante, Sacrum Cardinalium Collegium et Romana Curia non aliam habent potestatem quam quae definitur in const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, i. e. remanent tantummodo facultates ordinariae iisque uti nequeunt in

Digitized by Google

casibus gravioris momenti nisi ex commissione S. Collegii. Quoad ea quae Sede plena expedire nequeunt nisi *facto verbo cum SSmo* vel *vigore specialium facultatum* a R. P. concessarum, nullam potestatem habent. — **141** confirm. can. 329 § 1 et 334, praesertim vero can. 335. Ex hisce et ex can. 362 patet, jam non posse sustineri quae habet auctor sub *nota* 2°; ideo dicendum episcopum gaudere potestate vere legifera ex jure, etiam extra Synodum et non audito Capitulo. Vide etiam can. 427 et 423, juxta quem in locis, ubi nondum est Capitulum Cathedrale, instituendi sunt consultores dioecesani. *Nota* 3° confirm. can. 271 et 274 n. 8; *Nota* 4° can. 335 § 1, sed ex can. 2221 patet, eos posse sanctione munire leges communes. — **142** confirm. can. 228 § 1 et 291; *Nota* 1° can. 222 § 1; 2° can. 291. — **143** can. 431 § 5 et 435. — **144** can. 198 § 1, 323 § 1 et 294. Quoad parochos confirm. can. 83. — **145-146** Haec deinceps pertinent ad historiam iuris canonici, quia post diem Pentecostes anni 1918 jam non amplius viget nisi Codex iuris canonici Benedicti PP. XV — **147** sqq.: de potestate civili indirecte tantum sermo fit in Codice v. gr. § 2 can. 1553.

156 confirm. can. 8 § 1. — **159** 1° can. 335. — **160** 2° can. 9; *Qu.* 2ª solvitur ex eodem can. 9: « vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum (Ap. Sedis)* numero appositus est ». — **164** confirm. aliquatenus can. 30. — **165** can. 336 § 1. — **167** 1° can. 17 § 2. — **168** can. 17 § 1. — **169** can. 17 §§ 2 et 3; 4° corrigi debet, quia etiam explicatio restrictiva promulgatione indiget ex can. 17 § 2; *Nota* 2° S. Rit. Congr. nulla jam speciali potestate gaudet ex can. 244 §§ 1-2; 3° quoad S. Congr. Concilii in can. 250 nihil amplius dicitur de jure exclusivo interpretandi Conc. Trid. — **170** confirm. can. 29. — **171** III Regulae interpretationis habentur can. 18, 19. Qua in re juxta can. 18 primo attendatur ad propriam verborum significationem ex textu et contextu; quae si dubia manserit, ad locos parallelos Codicis, ad finem ac circumstantias legis, et ad mentem legislatoris est recurrendum. Ad 3° auct. quid sit odiosum, quid favorabile, dignoscitur ex can. 19 et 50. — **172** aliquatenus confirm. can. 20.

185, 187, 188 confirm. can. 11, 15 et can. 1679-1683. — **192** can. 21. — **194** can. 12. — **195** II can. 12 et 854 (853), can. 906. III can. 12, can. 2230. Impuberes non amplius plectuntur censuris quae in *Nota* habentur ex can. 2230, et quia eorum mentio deest in can. 2342 n. 1. Ex can. 12 soluta est *quaestio*, ita ut pueri etiam rationis compotes, ante septennium non teneantur legibus, nisi aliud iure expresse caveatur. — **196** confirm. can. 2201 §§ 3-4 et can. 2229 § 3 n. 2. — **197** can. 12. — **198** can. 12, 13 § 1, 87, 2314 et 1254, juxta quem abstinentiae ac jejunii legibus adstringuntur omnes, ideo etiam haeretici, per se. — **199** confirm. can. 616. v. etiam can. 619, 620, 621. Quoad dies festos cf. can. 1244 § 2 et 1245 § 3. — **200-201** confirm. can. 120, 121, 122 quoad immunitatem *personalem;* can. 1172-1178 quoad immunit. *localem a*), et can. 1179 quoad eamdem *b*). De immunitate *reali* non fit sermo in Codice. — **203** I confirm. can. 91, excepto quod *incola* sit ille qui in loco domicilium, *advena* qui in loco quasi-domicilium habet; — II Mutata est notio domicilii ex eo quod haberi possit deinceps domicilium *dioecesanum* ex can. 92 § 1 et 3. *Ut amittatur* confirm. can. 95. *Nota* confirm. can. 93 § 1. Adverte tamen uxorem legitime separatam a viro, ex § 2 acquirere posse domicilium; — III confirm. can. 92 § 2 « habitatio » intelligenda est sensu « commorationis ». *Nota* 1° confirm. can. 1097 § 1 n. 2; 2° Quaestio de duobus quasi-domiciliis soluta videtur ex can. 95, et ex can. 93 § 1 patet filios tantum acquirere domicilium

Digitized by Google

parentum. — **204** confirm. can. 13 § 1, 14 § 1 n. 2 et 3, et 14 § 2. — **205** *Advenae* secundum sensum Codicis sunt qui quasi-domicilium obtinent, iique legibus generalibus et peculiaribus tenentur ex can. 13 §§ 1-2, ideo confirm. quae habet auctor. — **206** confirm. quoad *peregrinos;* sed quoad vagos mutandum : ex can. 14 § 2 « vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco, in quo versantur ». — 208 confirm. can. 24. — **213** quoad praeceptum paschale can. 859, §§ 1 et 4.

219 confirm. implicite can. 16 et 2202 § 1. — 220 confirm. can. 2202 § 2. *Exc.* 2° can. 2229 §§ 1, 2, 3 n. 1, et § 4. — 222 can. 2205 § 1. — **226** Ex can. 900 § 3 : « Reservatio omni vi caret extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit ». **227, 229, 230** conf. can. 80. Quasi-ordinaria can. 81. Exemplum can. 1245 § 1. — **231** confirm. can. 81 et 82. — **232** can. 195 §§ 2-5. — 233 can. 207; addatur alia ratio cessationis : « cessante causa finali delegationis ». Facultates non suspenduntur morte Episcopi ex can. 66 § 2, quo etiam confirm. *Nota;* haec quoque confirm. can. 73, 207 § 1 et can. 61. — 234 II Episcopi et *loci Ordinarii* ex can. 82, confirm. etiam ex can. 336 § 1, can. 291 § 2; *c*) vero mutandum est : in iis legibus Ordinarii dispensare nequeunt ex can. 82; 2° *a*) confirm. can. 15 etiam implicite quoad alias leges; *b*) datur ipsis a jure pro festis, abstinentia et ieiunio can. 1245 §§ 1-3, pro votis can. 1313 n. 1. De divino officio, quoad dispensationem nihil in Codice; *c*) confirm. can. 81. Nota quoad Vicarios Generales, ex can. 66 § 2 ipsis competere facultates easdem quae Episcopo, et ex can. 368 § 2 ipsos exsequi posse rescripta Pontificia. III Parochi nihil ex can. 83, exc. quoad festa, abstinentias et ieiunia ex can. 1245 § 1. — 235 quoad peregrinos in can. 1245 expresse conceditur Ordinariis locorum et parochis facultas dispensandi a ieiunio, abstinentia et festorum celebratione. — 236, 1°-2° subreptio ex can. 42 § 1 non obstat validitati, dummodo expressa fuerint quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda; nec obreptio ex § 2, dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit; nec ex § 3 si plures gratiae per rescriptum concedantur vitium obreptionis vel subreptionis in una parte rescripti aliam infirmat; 3° ex can. 37 rescriptum impetrari potest pro alio etiam praeter (i. e. non contra) eius assensum; et licet ipse possit gratia per rescriptum concessa non uti, rescriptum tamen valet *ante* eius acceptationem, nisi aliud ex oppositis clausulis appareat. — **239** confirm. can. 84 § 1, 2° can. 85. *Nota. Non extendas* can. 2238. — **240** can. 84 § 1. — 241 can. 84 § 2. — 242 can. 85 et 50; 2° *Jamvero* in *nota* 1ª confirm. can. 45. — 243 2° can. 74. — 245 I can. 86. — **246** II confirm. can. 60, 71; *Quaestio* confirm. can. 73, 86 et 61. — **247** confirm. can. 72, 86. — **248** confirm. implicite quoad omnes leges can. 15.

249 Pro divisione *privilegiorum* cf. can. 66 § 1, 74, 75, 79, 70. Can. 75 adduntur 2ªe divis. privilegia *localia*. — 250 confirm. can. 63 § 1, sed pro religionibus ex can. 613 § 1 sublata est quaelibet communicatio in privilegiis. Vide etiam can. 64 et 65. — 251 confirm. can. 69. — 252 can. 51. — 253 2°, can. 67, 68, 50. — 254 can. 70; 1°, can. 74, 75, 77; 2°, can. 72; 3°, can. 76; 5°, can. 71 et 60. — 258 can. 21. — 259-260 can. 22 et 23. — 262 can. 26; 7°, can. 28; 8° nunc requiruntur 40 anni ex can. 27 § 1 et can. 28. — 263 confirm. can. 27 §§ 1 et 2, can. 28. — 264 can. 25; 2° can. 27 verbo « praescripta ». — **266** 1° implicite confirm. doctrina auctoris can. 27 § 2; 2° eodem can. Exempla v. g. can. 1408. — 267 et 268 confirm. can. 30. Vide etiam can. 5 quoad consuetudines hucusque vigentes.

*

Digitized by Google

TRACTATUS III. — *De Actibus humanis.*

Quae habentur num. **271, 282, 283, 285, 286, 288, 291** confirm. respective can. 2200 § 1, 2205 §§ 1, 2, 3, can. 2202 § 1, 2203 § 3 et 2206.

TRACTATUS IV ET V. — *De peccatis et virtutibus.* Nihil animadvertendum.

PARS II. — SECTIO I.

TRACTATUS I. — *De fide theologica.*

428 1° confirm. can. 1325 § 1; 2° confirm. quoad substantiam can. 1406, 1407, 1408. Per se et non per procuratorem ex can. 1407. De iuramento contra modernismum in Codice non fit sermo, ideoque ex can. 5 n. 6 non amplius obligat. Praeter eos qui ab auctore enumerantur nunc professionem fidei emittere tenentur: 1° Promoti ad dignitatem cardinalitiam; 2° Promoti ad sedem episcopalem etiam non residentialem, ad regimen Abbatiae vel Praelaturae *nullius,* Vicariatus Apostolici, Praefecturae Apostolicae; 3° Vicarius Capitularis; 4° assumpti ad officium consultorum dioecesanorum; 5° professores iuris canonici, librorum censores; 6° Rector et professores in Universitate vel Facultate canonice erecta. — **430** confirm. can. 1325 § 1. — **433** I can. 1258 § 1; II can. 1258 § 2, cf. etiam can. 823 § 1; can. 731 § 2; can. 2259 §§ 1-2. — **437** can. 1351. — **438** et **441** can. 1325 § 2. — **441** *Qu.* 2 can. 2317. — **442** 1° *a*) can. 2314; *b*) ex can. 987 7° filii haereticorum non sunt amplius irregulares, sed tantum impediti, quamdiu parentes in suo errore permanent; ex can. 985 1° confirm. quoad ipsos haereticos; *c*) inhabilitas quando transeunt ad sectam acatholicam ex can. 2314 § 1 n. 3 juncto can. 2294 § 1; *d*) confirm. can. 2314 § 1 n. 2; *e*) can. 1240 § 1 n. 1, dummodo defectus a fide vel transitus ad sectam sit notorius; II confirm. can. 1935 § 2. — **443** II et III confirm. can. 2314 § 2. — **448** can. 1258 et can. 2316. — **449** in can. 1325 § 3 doctrina sic concise traditur: « Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia Sanctae Sedis, aut, si casus urgeat, Ordinarii ». Ideo substantialiter confirm. — **450**, 3° confirm. can. 1374. — **452** can. 1398 § 1; sed in explicatione 1° nomine libri nunc ex can. 1384 § 2 intelliguntur etiam publicationes diariae, periodica et alia edita scripta quaelibet, nisi aliud constet. 2° censura can. 2318 § 1. 5° per S. Congr. S. Officii ex can. 247 § 4, etiam pro regionibus missionum ex can. 252 § 4, sed per tramitem S. Congr. de Prop. Fide. Vide infra explic. ad Const. « Officiorum et Munerum ». — **453** confirm. can. 1395.

TRACTATUS II. — *De Spe.* Nihil animadvertendum.

TRACTATUS III. — *De caritate.*

526 II 1° confirm. can. 2334 n. 1; 5° can. 2346, sed excommunicatio est fer. sent.

SECTIO II.

TRACTATUS I. — *De primo Decalogi praecepto.*

531 2° confirm. can. 1255 § 2°; 3° can. 1256; *Nota* can. 1257. — **533** can. 1255 § 1. — **534** cf. can. 1287 et 1288. — **535** 1°-2° confirm. can. 1150. *Quae usui* etc. *a*) can. 1187. — **537** confirm. can. 1255 § 1, 1276. — **538** can. 1277. III can. 1255 § 2. — **539** 2° can. 1281 § 2; 3° can. 1283 et 1285 §§ 1-2; 4° can. 1282;

Digitized by Google

5° can. 1287 v. etiam can. 1286, 1289 et 2326. — **540** can. 1279, 3° can. 1279 § 1, v. etiam can. 1280 et 1281 § 1. — **552-553** can. 1502 qui ait: « Ad decimarum et primitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione serventur ». — **554** et seqq. confirm. can. 1261; poenae can. 2325. — **578** poenae can. 2325. — **581** confirm. can. 132 § 1. — **582** can. 1154; quoad jus asyli can. 1179 dicit: « Ecclesia iure asyli gaudet ita ut rei, qui ad illam confugerint, inde non sint extrahendi, nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii, vel saltem rectoris ecclesiae ». Violatio vero ecclesiae, quae olim pollutio dicebatur, nunc fit eodem modo quo antea, excepto quod, loco effusionis seminis humani, can. 1172 § 1 n. 3 substituti sint: « impii vel sordidi usus, quibus ecclesia addicta fuerit ». — **583** De sacrilegio reali v. can. 1150. — **584** can. 727 §§ 1-2 clare explicatur, quid sit simonia iuris divini, quid iuris ecclesiastici; cf. etiam can. 1441, 1465 § 2 et 1539 § 1. — **585** 3° confirm. can. 728. *Simonia vero* etc. can. 730. — **588** 2° et 3° can. 730. — **591** 1° can. 729 et can. 2392; sed ex hoc can. n. 2 inhabilitas de qua sub *c*) reducitur ad simplicem privationem iuris eligendi, praesentandi, nominandi, et quidem tantummodo quoad illos qui tale ius habent. 2° censura sublata est; habetur tantum prohibitio can. 570. 3° habetur simplex prohibitio negotiationis pro stipe Missarum can. 827, et poenae ex can. 2324 deinceps erunt tantum ferendae sententiae. — **592** confirm. can. 729.

TRACTATUS II. — *De secundo Decalogi praecepto.*

600 et **605** confirm. can. 1316 § 1. — **614** I et II can. 1317 § 1; III can. 1318 *Nota* ad I conf. can. 1317 § 3. — **615** Reg. 1ª confirm. can. 1321, Reg. 3ª can. 1319. — **617** Qu. 1° ex can. 1318 § 2. Qu. 3° can. 1317 § 2. Per canonem 1320 decisa est quaestio de potestate solvendi a jurejurando: nempe omnes qui possunt irritare, dispensare, commutare votum (v. can. 1312, 1313, 1314) eandem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium, unico casu excepto si dispensatio vergat in praeiudicium tertii, quia tunc S. Sedi est reservata. — **622** I confirm. can. 1151. Addi potest can. 1152, quo dicitur, exorcismos etiam fieri posse in acatholicos vel excommunicatos. — **623** confirm. can. 1307 § 1. Ad divisionem addenda est: in *publicum* et *privatum* ex can. 1308; primum est quod nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptatur. Cetera confirm. — **625** confirm. can. 1307 § 1 et 2. *Hinc* 4° can. 1307 § 3. — **626** can. 1307 § 1. — **629** can. 1310. — **630** can. 1311. — **632** can. 1311. — **635-636** can. 1311. — **637-638** can. 1312 § 1. — **639** can. 1312 § 2. — **640** can. 1312 § 1. — **641-645** can. 1313. — **645** *Qu.* 2° tantummodo duo vota *privata* ex can. 1309 Sedi Apostolicae reservata sunt: 1° votum perfectae ac perpetuae castitatis et 2° votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, dummodo emissa sint 1) absolute et 2) post completum decimum octavum aetatis annum. Vota publica omnia reservata sunt. — **646-650** confirm. can. 1314. *Nota* ex can. 1315, omnia vota emissa ante professionem religiosam per hanc ipso iure suspendi, donec vovens in religione permanserit. Si igitur egrediatur, *per se* in vigorem redeunt.

TRACTATUS III. — *De tertio Decalogi praecepto.*

652 confirm. can. 1243 et 1244 § 1. *Nota* can. 1244 § 2. — **654** can. 1247 § 1. Al. *Quoad* 1° can. 1247 § 3; 2° addenda sunt ex § 1 festa Corporis Christi et Sancti Joseph; 3° confirm. § 1; 5° can. 1252 § 4 et can. 1245 § 2 adde Sab-

Digitized by Google

batum Sanctum post meridiem, quando cessat lex abstinentiae et ieiunii. — **656** confirm. can. 1248. — **658** seqq. can. 1248. — **664** I can. 1245 §§ 1 et 3. — **670** seqq. can. 1248. — **677** can. 1249 et 1190. — **678** 1° can. 1188 § 2 n. 1; 2° n. 2. — **679** can. 1188 § 2 n. 3; ibid. 2° can. 1195 § 1. Quoad festa sollemniora concessio celebrationis Missae fieri potest ab Ordinario ex iustis causis, diversis a causis indulti ex § 2. — *Qui indultum* etc. confirm. can. 1192 et 1193. Notetur ex can. 1190 aediculas in coemeterio a personis privatis erectas esse oratoria privata. Vide tamen can. 1194.

TRACTATUS IV. — *De quarto Decalogi praecepto.*

700-702 confirm. can. 1113 et 1372. — **703** can. 1110-1111. — **707** can. 1524. — **712** seqq. can. 1373-1374.

TRACTATUS V. — *De quinto Decalogi praecepto.*

734 confirm. can. 2205 § 4. — **738** sqq. poenae can. 2354 §§ 1-2. Irregularitas can. 985 n. 4. — **745** poenae can. 2350 § 1. Irregularitas can. 985 n. 4. — **748** can. 1240 § 1, n. 4°, can. 2351 confirmantur poenae. — **752** Notentur can. 141 quo clericis prohibetur voluntarie saecularem militiam capessere, et can. 987 n. 5 quo impediti declarantur a sacra ordinatione qui lege civili ad ordinarium militare servitium adstringuntur, antequam illud expleverint. Facultas, de qua in hoc numero sub 3°, deinde restricta est decl. S. Poenit. d. 17 Martii 1916 ad eos qui actu in acie seu in linea et loco certaminis versantur (*A. A. S.* VIII p. 108). — **753** et **756** pro irregularitate can. 985 n. 5, pro ceteris poenis can. 2350 § 2. — **759** *Qu.* 2° conf. can. 2201 § 3 et can. 2229 § 3 n. 2.

TRACTATUS VI. — *De sexto et nono Decalogi praecepto.*

779 poena can. 2353. — **787** confirm. can. 132 § 1. — **790** seqq. poenae can. 2357 et 2358, 2359 §§ 2-3 (pro clericis). — **829** confirm. can. 140.

TRACTATUS VII. — *De septimo Decalogi praecepto.*

Poenae can. 2354 et 2355. **871** confirm. can. 99-103. — **873** can. 1495. — **874** can. 1497 § 1. — **875** Qu. 1° can. 1499 § 2. Qu. 2° can. 1518, 1519 et seqq. — **890-891** can. 1508. — **892** can. 1509-1510. Addantur rebus inpraescriptibilibus: 1) Beneficium ecclesiasticum sine titulo; 2) Jus visitationis et obedientiae, ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint vel nulli Praelato jam subsint; 3) Solutio cathedratici (cf. can. 1504). — **893** et **895** confirm. can. 1512. — **897** confirm. can. 1511, quo res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, praescribuntur tantum spatio 100 annorum; si vero ad aliam personam moralem ecclesiasticam pertinent, 30 annorum. Cetera sequuntur ius civile respectivae nationis ex can. 1508. — **941** confirm. can. 1731 n. 3. — **959** juxta can. 1017 § 3: « Ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla justa causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur ». Haec vero non excludunt obligationem moralem promissionem adimplendi. — 965 3° confirm. can. 1496. — **974** I can. 1475 § 2; II can. 1476 § 2. — **976** seqq. confer. can. 2209. — **1032** de contractibus agitur in can. 1529-1543. — **1033** confirm. can. 1529. — **1039** v. can. 100 § 3. — **1046-1047** confirm.

Digitized by Google

can. 104. — **1048** can. 103 § 1. — **1049** seqq. confirm. can. 103 § 2 et can. 1684-1689. — **1054** confer. can. 1529. — **1057** 5° de conditione ad matr. adiecta cf. can. 1092. Pro testamento can. 1515 § 3. — **1065** 1° confirm. can. 1535. — **1066** can. 1536 § 4. — **1067** cf. can. 1536 §§ 1, 2, 3. — **1068** *Qu.* 2° confirm. can. 1513 § 1, 1517. — **1070** can. 1513 § 2. — **1077** 4° de fideicommisso statuit can. 1516. — **1078** confirm. can. 1513 § 1. — **1083** *Qu.* 3° can. 1513 § 2. Causa pia can. 1489 seqq. et 1544. Exclusive ecclesiae legibus subsunt ex can. 1487 §§ 2, 3, 1491-1494, 1515-1517, 1545, 1546, 1551. — **1086** confirm. can. 1493 et 1514. — **1087** *Qu.* 2° confirm. ex can. 1517, item sententia Laymann ex can. § 2; excipiuntur tantum onera Missarum, quorum reductio exclusive pertinet ad Sedem Apostolicam. — **1096** vide can. 1537. — **1102** seqq. confirm. can. 1543 (prima parte). — **1107** seqq. can. 1543 (altera parte). — **1120** can. 1532 § 1 juncto can. 1530 § 1 n. 3 confirm. — **1122** confirm. can. 1539 § 1. — **1142** confer. can. 1539 § 1 et quoad beneficia can. 1487-1488. — **1143** seqq. confirm. can. 1539 § 2. — **1146** cf. can. 1455 n. 2. — **1149** vide can. 1541 § 1 et 2 ubi agitur de locatione bonorum ecclesiasticorum ac de conditionibus sub quibus fieri potest. — **1153** confirm. can. 1524. — **1155** v. can. 1542 pro emphyteusi in bonis ecclesiasticis. — **1160** v. can. 1925-1928 ubi confirmatur doctrina auctoris.

Tractatus VIII. — *De octavo Decalogi praecepto.*

1185 de obligatione secreti servandi agit v. g. can. 1623 §§ 1, 2, 3 pro iudicibus. — **1190** seqq. poenae contra eos qui laedunt famam alienam habentur can. 2355. De satisfactione praestanda ac damnis reparandis agunt can. 1618, 1938.

Sectio Tertia.

Tractatus I. — *De Praeceptis Ecclesiasticis.*

1217 1° confirm. can. 1248; 2° can. 1252 §§ 2, 3; 3° can. 1252 § 1 pro feria sexta tantum; 4° can. 859 et can. 906, 907; 5° can. 1108 § 2. — **1219-1223** partim mutata sunt per can. 1250: « Abstinentiae lex vetat carne jureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium », et per can. 1252 § 2: « Lex abstinentiae simul et jejunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in Coelum assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini ». § 3: « Lex solius jejunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus ». § 4: « Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et jejunii, vel jejunii tantum cessat, nec pervigilia anticipantur; item cessat Sabbato Sancto post meridiem ». — **1224-1228**; circa haec nota can. 1251 § 1: « Lex jejunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine ». § 2: « Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere; nec serotinam refectionem cum prandio permutare ». — **1231** Qu. 2° can. 1251 § 2. — **1234***f*) can. 1254 § 2, sed etiam mulieres usque ad sexagesimum annum inceptum lege ieiunii tenentur. — **1240** confirm. can. 1245. — **1242** Regula 2ª sublata est ex can. 1251 § 2. — **1243** Qu. 1° confirm. can. 1253. — **1244** « Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis » ex can. 1252 § 1. — **1245** confirm. can. 1254 § 1.

Digitized by Google

TRACTATUS II. — *De censuris et poenis ecclesiasticis.*

De hisce agitur in libro V° Codicis. Doctrina de censuris et poenis in genere ut plurimum a Codice confirmatur. Quoad censuras in specie in iure hucusque vigenti plura mutantur.

1249 al. 2 Confirmatur can. 2216.

Caput. I. — *De Censuris in genere.*

1251 Definitio quoad substantiam confirmatur ex can. 2241 § 1. — **1253** *a*) conferri potest can. 2298; *b*) conferri potest can. 983; *c*) cessatio a divinis non habetur nisi in can. 1173 § 2 — **1254** 1° confirm. can. 2255 § 1; alin. confirm. ex can. 2291, 2298 et can. 2255 § 2 ult. verbis; 2° confirm. quoad ipsam divisionem in can. 2217 § 1 n. 3; sed ex eodem canone *b*) per modum praecepti intelligendum est tantummodo de praecepto peculiari. Quae adduntur quoad cessationem confirmantur can. 2226 § 4 et can. 24; 3° *a*) confirm. can. 2217 § 1 n. 2; *b*) ex eodem canone addatur: *vel Superioris* sententia. Alineae confirmantur can. 2217 § 2; 4° confirm. can. 2245. In alinea ad reservatas Rom. Pont. ex eodem can. § 3 addantur *specialissimo modo* reservatae. Addi potest ex eodem can. § 4 censuram non esse reservatam, nisi in lege vel praecepto expresse dicatur, et reservationem non urgere in dubio sive iuris sive facti. — **1255** confirm. can. 2214 § 1. — **1256** confirm. generatim ex can. 2220. Sed neganda est potestas Vic. Gen. ex eodem can. § 2. Quoad ceteros confirm. speciatim 4° can. 274 n. 5; 5° can. 335 et 334 § 2; 7° can. 198 § 1, etiam *nota;* 10° can. 209 qui id etiam extendit ad errorem communem sine titulo et ad dubium probabile sive iuris sive facti. — **1257** confirm. can. 118. Quoad clericos conjugatos confirm. can. 188 n. 5. *Nota a*) aliquatenus mutanda ex can. 207 § 1 juncto can. 61, quibus dicitur delegati potestatem tantummodo perimi in duobus casibus ibidem expressis; *b*) confirm. can. 199 §§ 2, 3 et 4. — **1258** confirm. can. 2264. Corollaria. 1° can. 201, §§ 2, 3. Excipe *c*) can. 1637; 2° ex eodem can. 201 § 2 et 3. — **1259** can. 201 § 1, juncto can. 2226 § 1. — **1260** *b*) can. 2227 § 2; *c*) can. 2227 § 1 et can. 1557 § 1; *d*) can. 619. — **1261** 1° ex can. 2230 impuberes excusantur omnino a poenis l. s., ideoque etiam quaestio annexa soluta est. Quinam sint impuberes v. can. 88 § 3; 2° confirm. can. 2242 § 1; *a*) intelligendum secundum can. 2255 § 2; *b*) confirm. eodem canone. — **1262** intelligenda est haec doctrina secundum can. 201 § 2: si superior judicialiter procedat; secus vero si utatur iurisdictione voluntaria, ex eodem can. § 3; cf. tamen can. 2221 ubi additur « intra limites suae iurisdictionis ». Quoad praecepta cf. can. 24 et can. 2226 § 1. Quoad substantiam doctrina auctoris videtur confirmari; cf. etiam can. 1566 § 2. IV confirm. ex can. 1566 § 1. Responsum ad *quaestionem* can. 2244. Casus referuntur sub § 2 eiusdem canonis. Sed casus 3° auctoris non habetur. Exemplum ibidem allatum non amplius valet ex can. 2394. Sed sunt alia exempla, v. g. qui violentas manus in personam Rom. Pont. iniecerit ex can. 2343 § 1. — **1263** confirm. can. 2241 § 1, iuncto can. 2228. Substituatur verbo « peccatum » aliud « delictum ». 1° *Delictum* inter censuras confirm. can. 2255 § 2. Ultima verba « *Probabile* » etc. confirm. can. 2285 § 3 et ex can. 2274 § 3; 2° *nota* confirm. can. 2219 § 2 et can. 2241 § 2; 4° *nota* aliquatenus mutanda est ex can. 2231 juncto can. 2209 § 1-3, quibus cooperantes principales quoad poenas aequiparantur ipsis delinquentibus, nisi aliud expresse statuatur in lege; 5° confirm.

Digitized by Google

can. 2242 §§ 2-3. — **1264** *a*) confirm. implicite can. 2242 § 2; *b*) confirm. can. 2209 § 5 cum can. 2218 § 2. — **1265** cf. can. 2233 § 2, 2242 § 3 et 2222 § 1. — **1266** confirm. can. 2222; 1° ex prima parte can. 2222 § 1; 2° ad validitatem nunc etiam, quia lex dicit: « non potest infligi »; 3° ad ultima verba: in censuris a iure ferendae sententiae nunc etiam requiruntur monitiones ex can. 2242 § 2; cf. etiam can. 2217 § 1, 3°. — **1267** confirm. can. 2233 § 2 et can. 2242 § 2; cf. etiam can. 1845, can. 1949 et can. 1714, ex quo constat citationem in novo iure, unico casu excepto, esse semper peremptoriam. Deinde vide canones 2307, 2308 et 2310. — **1268** 1° confirm. can. 2225 iuncto can. 1874; 2° confirm. can. 1877; cf. etiam can. 1956, 1958 et 1876. « *Si vero censuratus* » cf. can. 2223 § 4 et can. 2232; 3° confirm. can. 2248 § 2. — **1269** can. 2229 §§ 1, 2, 3, n. 1 et § 4 et can. 2202. Ignorantia affectata numquam excusat ex eodem can. 2229 § 1, ideoque quaestio de ea soluta est. — **1270** confirm. can. 2229 § 3 n. 3 et can. 2205 §§ 2 et 3. — **1272** si suspensa est jurisdictio, nullitas censurae confirm. can. 2243 § 1 et praesertim § 2 et 2219 § 2; cf. etiam can. 1889. — **1273** 2° et 3° cf. can. 2219 §§ 1 et 2, ubi doctrina auctoris confirmatur. — **1274** confirm. can. 2236 § 1 et can. 2248 § 1; 3° can. 2252, 2254 §§ 1 et 3, et 2248 § 3. — **1275** can. 2248 § 1.— **1276** can. 2239, 2251 et 2250 §§ 1-2. — **1277** can. 2251; 5° can. 2239 § 2; 7° can. 2249. — **1278** can. 2253, 2°, can. 2245 § 2, can. 2217 § 1 n. 3 can. 2236 § 1; confirm. etiam *nota* eisdem canonibus. — **1279** confirm. can. 2245 § 4, can. 2253 n. 1. — **1280** Tota doctrina hoc numero contenta clare edicitur per can. 2253 n. 3 qui sic sonat: « A censura *a iure reservata* (potest absolvere) ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario,* quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a reservata *Sedi Apostolicae,* haec aliive qui absolvendi potestatem ab eo impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter reservata* sit, sive specialem, si *reservata speciali modo,* sive denique specialissimam, si *reservata specialissimo modo,* salvo praescripto can. 2254 ». Quoad regulam secundam cf. etiam can. 2237 § 2. Ideo facultas in casibus occultis competit omnibus Ordinariis non solum Episcopis. Quinimo ex § 1 eiusdem canonis Ordinarius potest etiam remittere poenam in casibus publicis, nonnullis exceptis, et quoad censuras, exceptis speciali aut specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis. Quinam sint Ordinarii dicitur can. 198; cf. etiam can. 488 n. 8. Quoad regulam tertiam in ultima linea decret. 5 Aug. 1913 habetur in can. 519. — **1281** confirmatur quoad omnes casus, etiam publicos can. 2253 n. 3, quando censura *jure* statuitur, non vero quando *ab homine* est ex eodem canone n. 2.— **1282** confirm. can. 2252 et can. 882. — **1283** can. 2252, sed tantum pro censuris specialissimo modo S. Pont. reservatis. — **1284** confirm. can. 2254 §§ 1, 2, 3. Si fieri potest, sine gravi incommodo, debet recurrere per epistolam *et* per confessarium, reticito nomine. — **1285** Etiam praeter mortis articulum ex can. 2254 § 1, sub conditionibus sub **1284** expositis; sed *nota* ad pedem delenda est ex eodem canone. Si recursus sit moraliter impossibilis, confessarius absolvere potest servatis de iure servandis et excepta censura imposita propter sollicitationem ad turpia in confessione. — **1286** confirm. can. 2238. Sed quoad quaestionem de errore privato in can. 2247 § 3 dicitur absolutionem valere, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, si error procedat ex ignorantia reservationis in confessario; et si error communis est, valet etiam absque titulo colorato data

Digitized by Google

absolutio ex can. 209. — **1287** confirm. implicite can. 2249 § 2, 2248 § 2, 2242 § 3. *Nota* 2 ad pedem confirm. can. 2239. — **1288** can. 203 iuncto can. 39. — **1289** can. 2250 § 3.

Caput II. — *De variis censurae speciebus.*

De his agitur in Codice in can. 2255-2285. Tres species habentur in can. 2255 § 1. — **1290** Definitio *excommunicationis* habetur in can. 2237 § 1. Effectus separari nequeunt, ideo omnino tollitur distinctio inter excom. maiorem et minorem; 2° confirm. can. 2258 § 1. Hodie ex § 2 eiusdem can. tantummodo vitandi sunt qui a S. Sede nominatim excommunicantur; insuper excommunicatio publice denuntiari oportet, ac in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere. — **1291** 1° confirm. can. 985 n. 7; 2° can. 2340 § 1. — **1292** 1° can. 2260 § 1. *Nota* can. 2250 § 1; 2° can. 2261 §§ 1, 2, 3. *Nota* quae pertinet ad 1° can. 2260 § 1; 3° can. 2259 §§ 1 et 2, cf. etiam can. 2256 n. 1; 4° can. 2262 § 1, sed extenditur ad omnes excommunicatos. Quoad suffragia privata confirm. eodem can. § 2; 5° can. 2264. Quoad assistentiam matrimonii can. 1095 § 1, 1° (extenditur ad interdictos); 6° can. 2265 § 1 nn. 1 et 2; in § 2 eiusdem canonis nullitas actorum restringitur ad casum quo excommunicationis habeatur sententia declaratoria. Quoad rescripta cf. ibidem et can. 36 § 2. Quoad privationem beneficii confirm. can. 2340 § 1, 2315, 2314 § 1 n. 2 simul sumptis. Quoad fructus can. 2266; 7° can. 2263, 2256 n. 2, 1654; 8° can. 2267; 9° can. 2260 § 2 et 2240 § 1 n. 2, ubi tantummodo limitatur ad excommunicatos post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. Quoad extrahenda cadavera, obligatio ex can. 1242 limitatur ad solos vitandos et siquidem sine gravi incommodo fieri possit. Excommunicatus, etsi non sit condemnatus vel declaratus, aliquando privari debet sepultura eccl. ex alio capite can. 1241 § 1, v. g. ex n. 6. — **1294** et **1295** confirm. can. 2267. Privata oratio licita est ex can. 2262 § 2 n. 1; 4° communicans in crimine criminoso, confirm. can. 2338 § 2. — **1298.** Dubium de vitando post can. 2258 § 2 vix amplius haberi potest.

1299. Definitio *suspensionis* habetur can. 2278 § 1. Divisio aliqualiter alia: suspensio est totalis vel partialis, et haec est vel ab officio vel a beneficio ex can. 2278 § 2; partialis ab officio est iterum totalis vel partialis ex can. 2279 § 1; a beneficio habetur in can. 2280 § 1. — **1300** 1° confirm. can. 2298 n. 2; 2° can. 2222 § 2 et eiusdem ultimis verbis: « non habent rationem poenae ». — **1301** confirm. can. 2186-2194 et can. 2222 § 1. — **1302** can. 2278 § 2. — **1303** can. 2279 § 2. In hoc canone species suspensionis partialis ab officio clare indicantur cum earum effectibus; 4° confirm. ex can. 2280 §§ 1, 2; 5° ex can. 2285. — **1304** I confirm. can. 986; II can. 985 n. 7. Quaestio de violatione suspensionis ut poenae vindicativae per hunc canonem soluta est, ita ut tunc etiam incurratur irregularitas; III confirm. can. 2284. — **1305** 1° et 2° can. 2236 § 1, 2248 § 1 et 2289.

1306. Definitio *interdicti* in can. 2268 § 1. Quoad divisionem 1° mixtum omittendum est can. 2268 § 2. Cetera confirm. can. 2269 § 1. De interdictu ab ingressu ecclesiae agitur in can. 2277. — **1307** I confirm. can. 2273, sed quoad *notam,* non interdicitur coemeterium, interdicta ecclesia. Qui non dederunt causam ex can. 2276 possunt sacramenta recipere. De facultate Episcopi confer can. 2269 § 1; II confirm. aliquatenus can. 2269 § 2; III eximuntur Episcopi ex can. 2227 § 2; innocentes ex can. 2276; exteri ex can. 2269 § 2; infantes ex can. 2230 et amentes ex can. 2201 § 1 et 2218 § 2, qui nec pri-

Digitized by Google

vantur sepultura eccles. ex can. 1240 § 1 n. 2. — 1308 Aliquatenus mutandus, etsi substantialiter confirmetur. 1° Effectus interdicti localis (sive generalis sive partialis) est prohibitio cuiuslibet divini officii vel ritus sacri in loco interdicto ex can. 2269 § 1. Quid intelligatur per divina officia vide can. 2256 n. 1. *Limites* quoad morientes in can. 2270 § 1; quoad clericos confirmantur can. 2271, 1°; quoad dies can. 2270 § 2; quoad sacramenta, si ecclesia est unica vel paroecialis, can. 2271 n. 2. Sepultura ecclesiastica tantum prohibetur pro iis qui sunt personaliter interdicti ex can. 1240 § 1 n. 2, et tantum post sententiam. Pro ceteris in interdicto locali prohibentur tantum sollemnitates in exsequiis ex can. 2271 n. 2; *b*) si sit locale particulare; cf. insuper can. 2272. — **1309.** 1° *a*) confirm. can. 985, 7°; *b*) can. 2372; *c*) can. 2338 § 3; 2° conf. can. 2338 § 3 et can. 2275. — **1310.** 1° confirm. can. 2353 n. 1; quoad reservata confer can. 2237 § 1; 2° confirm. can. 2253 n. 2 et can. 2247 § 2; 3° can. 2253 n. 1.

Caput III. — *De censuris hodie vigentibus.*

1311 seqq. Hucusque vigebant censurae latae sententiae quae habebantur in Const. Pii IX « Apost. Sedis », additis nonnullis ex conc. Trid., ex Const. « Officiorum et munerum » ex Const. « Vacante Sede Apostolica » et specialibus censuris pro violantibus iuramentum secreti S. Officii et S. Congr. Concistorialis. De his ultimis in Codice non fit mentio eaeque remanent. Ceterae omnes secundum novum Codicem vigent; ideoque si ibi non habentur, ex can. 6 n. 5 abolitae sunt; si ibi habentur, tantummodo ex verbis Codicis explicandae ac applicandae sunt. Nonnullae etiam adjectae sunt censurae quae in antiqua disciplina non aderant. In Codice poenae omnes referuntur secundum ordinem delictorum contra diversa iura sive obligationes. Nos vero, qui tantum de censuris et quidem de censuris latae sententiae hic agimus, eas tantum referemus secundum antiquum ordinem reservationis. Ideo agemus 1° de excommunicationibus l. s. et quidem de reservatis S. P. specialissimo modo, speciali modo et simpliciter, deinde de iisdem Ordinariis reservatis, et denique de nemini reservatis; 2° de suspensionibus l. s. Sedi Ap. reservatis, Ordinariis reservatis, ac nemini reservatis; 3° de interdictis l. s.

A. — *De Excommunicationibus latae sententiae.*

I. — *De Excomm. l. s. Summo Pontifici specialissimo modo reservatis.*

Sunt quatuor praecipue, quibus annumerantur nonnullae speciales, ut infra sub 5°:

1° Qui species consecratas abiecerit, vel ad malum finem abduxerit vel retinuerit

ex can. 2320. Delictum de quo agitur per se patet, nec ulteriore explicatione indiget.

2° Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit

ex can. 2343 § 1 n. 1. cf. explicationem apud auctorem nn. 1319 et 1329.

3° Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi

ex can. 2367 §§ 1 et 2.

Pro explicatione vide nn. 1324, et in II vol. n. 1780, quae omnia hoc canone confirmantur.

Digitized by Google

4° Confessarius qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit

ex can. 2369 § 1. Dicitur: « *confessarius* », ideo non agitur de aliis qui quomodocumque aliquid sciant quod ipsis, ne sigillum sacramenti violent, manifestare non licet. Dicitur: « *qui directe violaverit* ». Quid sit directa violatio sigilli, vide ap. auctorem n. 1859 *b*) et 1864.

5° Hisce quatuor adjungi possunt illae excommunicationes quae specialissime futuro Pontifici reservantur ex Const. « Vacante Sede Apostolica », quae omnes renovantur in can. 2330. Constitutio ipsa, una cum alia « Commissura Nobis » de *Veto* (v. ap. auct. I p. 829 in *nota*), invenitur in Appendice Codicis.

II. — *De Excommunicationibus l. s. Summo Pontifici speciali modo reservatis.*

Numerantur duodecim:

1° Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici et schismatici

ex can. 2314. Haec censura ex § 2 eiusdem canonis est speciali modo Sedi Ap. reservata, si absolutio danda est in foro conscientiae.

Pro explicatione adiri potest auctor n. 1314. Nota, in vigenti censura non amplius comprehendi receptores, fautores etc., de quibus in can. 2316. Qui vero est suspectus de haeresi et intra sex menses a contracta poena completos sese non emendaverit, etiam obnoxius est praedictae excommunicationi ex can. 2315, sed, uti videtur, tantummodo post sententiam saltem declaratoriam. Nota deinde praesentem censuram incurri a schismaticis, de quibus olim in alio articulo; cf. auct. n. 1317. Dicitur censuram reservatam esse pro absolutione in foro conscientiae; quia ex eiusdem can. § 2, si deductum fuerit delictum de quo agitur ad forum externum, Ordinarius loci, excluso tamen per se Vicario Generali, potest absolvere, servatis servandis, in foro externo delinquentem, et hac absolutione etiam tollitur reservatio in foro interno. Suspecti de haeresi enumerantur in canonibus 2316, 2319 §§ 1 et 2, 2320, 2332 et 2340 § 1.

2° Opere publice iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes

ex can. 2318 § 1. Quoad explic. v. auctorem n. 1315. Sed animadverte, in hac censura non amplius includi imprimentes, et eorum loco venire editores librorum, ideoque censuram tantum contrahi, postquam eorum delictum consummatum fuerit, i. e. postquam opus sit publici iuris factum. Additi sunt etiam libri schismatici. Quoad libros apostatarum, haereticorum ac schismaticorum censura extenditur ad libros, qui apostasiam, haeresim vel schisma propugnant; olim dicebatur tantum: « qui haeresim propugnant ».

3° Si quis ad ordinem sacerdotalem non promotus Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit

ex can. 2322. Haec censura nova est. Facile intelligitur.

Digitized by Google

4° Omnes et singuli cuiuscunque status, gradus seu conditionis, etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes

ex can. 2332. Pro explicatione v. apud auctorem n. 1318. Nova redactio huius censurae magis specificata est quoad personas et quoad actus Rom. Pont.; sed ab excommunic. non excluduntur cooperantes etsi non nominentur, quia ipso iure ex can. 2231 et 2209 §§ 1-3 poenam incurrunt.

5° Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes

ex can. 2333. Haec censura habebatur jam in Const. Pii IX sub n. VIII; vide apud auct. n. 1322.

6° Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt

ex can. 2334, 1°. Haec censura etiam in Const. Pii IX sub n. VII 2ª p. habebatur. Cf. auct. n. 1321.

7° Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem

ex can. 2334 n. 2. Haec censura eadem est ac antea, quia cooperantes iuxta dicta superius sub 4° ipso iure comprehenduntur. Pro explic. v. apud auct. n. 1320.

8° Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere vel simplici citatione aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium

ex can. 2341. Hoc canone restringitur ac magis determinatur censura quae habebatur in Const. Pii IX sub n. VII; cf. apud auctorem n. 1321. Officiales maiores Curiae Romanae sunt Adsessores ac Secretarii SS. Congr. Rom., Regens S. Poen., ac ii qui regunt Tribunalia vel Officia S. Sedis. Censura restringitur pro iis ad casum in quo citentur ob negotia quae ad eorum munus pertinent.

9° Qui violentas manus iniecerit in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis

ex can. 2343 § 2 n. 1 et

in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, etiam titularis tantum

ex eodem can. § 3. Censura haec modo magis simplici enuntiatur quam antea. Nec hic cooperantes expresse nominantur, sed ex ipso jure comprehenduntur, ut dictum fuit sub 4°. Pro explicatione v. auctorem n. 1319.

10° Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia

ex can. 2345. Haec censura etiam magis concise exprimit illam quae habebatur in Const. Pii IX sub n. XII. Explicatio apud auctorem n. 1326. Limi-

Digitized by Google

tatur censura ipsa ad « usurpantes », quae vox omnes illos comprehendit qui violant bona vel iura eaque sibi retinent tamquam res aut iura sibi debita, et ad « retinentes ». Cooperantes tamen includuntur ad normam eorum quae dicta fuerunt sub 4°; cf. etiam apud auctorem n. 1325, 2°, *a*).

11° Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes

ex can. 2360 § 1. Haec censura olim sub duobus capitibus habebatur quae nunc uniuntur, nempe sub n. IX § 2 et sub n. III § 3 Bullae Pii PP. IX; cf. apud auctorem sub n. 1323 et 1350. Quia omnes etiam cooperantes eam incurrunt, nova censura ab antiqua non differt.

12° Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit. Ab hac censura delinquens absolvi nequit ullo in casu, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit et damna, si qua inde secuta fuerint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia

ex can. 2363. Olim hoc delictum sine censura, ut peccatum specialissime reservatum erat Summo Pontifici, et haec reservatio etiam nunc manet ex can. 894; cf. ap. auct. vol. II n. 1772. Sed addita est nunc insuper censura ex hoc canone. Vide ibid. notam ad num. 1770, ubi dicitur quid pro praxi inter alia ex hac additione sequatur. Reservatio peccati respicit forum internum, reservatio absolutionis delicti propter censuram potius forum externum et nonnisi per accidens forum internum.

III. — *De Excommunicationibus l. s. Summo Pontifici simpliciter reservatis.*

Numerantur undecim:

1° Quaestum facientes ex indulgentiis

ex can. 2327. Habebatur olim in Const. Pii PP. IX sub n. XI § 2. Cf. apud auctorem n. 1338.

2° Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur

ex can. 2335. Etsi maneat obligatio denuntiandi occultos duces earum sectarum, ii qui huic obligationi non satisfaciunt, non amplius, sicut olim, plectuntur hac censura, quae in Const. Pii PP. IX habebatur sub n. IV § 2. Cf. apud auctorem n. 1331. De obligatione denuntiandi vide canonem 1935 § 2.

3° Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata

ex can. 2338 § 1. Habebatur olim in § 1 Const. Pii IX post numerum XII; cf. ap. auct. 1345.

4° Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuerit; itemque clerici

Digitized by Google

scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes

ex can. 2338 § 2. Haec censura olim in Const. Pii IX habebatur sub nn. XVI et XVII § 2. Cf. apud auctorem nn. 1343 et 1344. Pro ulteriore explicatione vide can. 2258 § 2 ubi dicitur quinam sint vitandi, can. 2259 § 2 ubi dicitur quandonam sit expellendus et can. 2260 et 2262 ubi sermo fit de communicatione in divinis cum ipso a parte clericorum.

5° Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere... alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius,* vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii superioribus

ex can. 2341. Quinam sint superiores maiores religionum, dicitur can. 488 n. 8°, quaenam religiones iuris pontificii eodem canone n. 3°, quinam abbates vel Praelati *nullius* can. 319 § 1. Cetera clara sunt. Olim eadem censura erat pro omnibus casibus; cf. apud auctorem n. 1321 et supra sub II n. 8°.

6° Clausuram monialium violantes, cuiuscunque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes

ex can. 2342 n. 1

et moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601

ex eodem canone n. 3. Olim haec censura e Const. Pii IX n. VI vigebat. V. ap. auct. n. 1333. Omittitur « cuiuscumque aetatis », quia ex can. 2230 impuberes excusantur a poenis l. s.

7° Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscunque aetatis introducentes vel admittentes

ex can. 2342 n. 2. Olim ex n. VII Const. Pii IX; cf. apud auctorem n. 1334. Viri regulares sunt ii qui vota nuncuparunt in Ordine i. e. in religione, in qua vota sollemnia nuncupantur ex can. 488 nn. 7 et 2. Quousque sese extendat clausura v. can. 597 § 2.

8° Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint

ex can. 2351 § 1. Olim ad litteram habebatur in n. III Const. Pii PP. IX cum determinatione dignitatis (regalis vel imperialis); cf. apud auctorem n. 1330.

9° Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes

ex can. 2388 § 1. Haec censura olim erat Ordinario reservata ex Const. Ap. Sedis § 3, I. cf. auct. n. 1348. Extensa est expresse ad matrimonium, quod vocant, civile.

Digitized by Google

10° Qui perpetrant delictum simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis

ex can. 2392 n. 1. Olim sub n. VIII et IX; cf. apud auct. n. 1335 et 1336. Quando habeatur delictum simoniae, deducitur ex can. 727 et 728.

11° Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint

ex can. 2405. Haec censura nova est. Explicatione non indiget.

IV. — *De Excommunicationibus l. s. Ordinariis reservatis.*

Numerantur novem:

1° Catholici, qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063

ex can. 2319 § 1 n. 1. Olim hi et tres sequentes incurrebant excommunicationem speciali modo S. P. reservatam, quia erant fautores haereseos; cf. apud auct. n. 1314, 3°.

2° Catholici, qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam

ex can. 2319 § 1 n. 2. Hoc canone plectuntur ii omnes qui v. g. contrahunt sub conditione quod masculi in heterodoxa, feminae in catholica religione educentur. Incurritur etiam quando haec conditio a legibus civilibus praescribitur, et tunc non expresse promissio fit omnem prolem catholice educandi.

3° Catholici, qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt

ex can. 2319 § 1 n. 3. Animadverte addi: *scienter* et *praesumunt*, et v. can. 2229 § 2 quo haec explicantur.

4° Catholici, parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt

ex can. 2319 § 1 n. 4. Animadverte denuo addi: *scienter*. Ut haec censura incurratur, educatio vel institutio talis esse debet ut pro scopo habeat religionem acatholicam complectendam. Non igitur per se incurrunt censuram qui liberos ad scholam acatholicam mittunt, vel eos ab institutoribus acatholicis in rebus profanis educare faciunt.

5° Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit

ex can. 2326. Haec censura nova est. Nota *scienter* pertinere tam ad venditionem, quam ad distributionem et ad publicam expositionem. Cetera clara sunt.

6° Qui violentas manus iniecerit in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum

ex can. 2343 § 4; cf. dicta supra ac apud auctorem n. 1392. Olim haec censura simpliciter reservata erat Rom. Pont.

Digitized by Google

7° Procurantes abortum, matre non excepta, effectu sequuto

ex can. 2350 § 1. Ideo sententia quae olim dicebat mulierem ipsam non incurrere censuram, non amplius probabilis est; cf. ap. auct. n. 1349. Nec eximuntur, uti videtur, ii qui proxime cooperantur ex can. 2231 et can. 2209 §§ 1-3.

8° Religiosus apostata a religione

ex can. 2385. Haec excommunicatio reservata est Superiori maiori ipsius religiosi, vel, si religio est laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur. Olim habebatur ex privilegiis, deinceps ex ipso iure viget, sed tantummodo quoad apostatas, non quoad fugitivos. Cf. apud auct. II vol. n. 2172.

9° Professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes.

ex can. 2388 § 2; cf. dicta supra III, 9° et apud auct. n. 1348. Censura quae olim tantum pro professis votis sollemnibus vigebat, nunc a professis votis perpetuis simplicibus etiam incurritur.

V. — *De Excommunicationibus l. s. nemini reservatis.*

1° Auctores et editores qui sine debita licentia Sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi faciunt

ex can. 2318 § 2. Haec censura ex Trid. vigebat, restricta a S. Off.; cf. ap. auct. n. 1355. Olim excommunicabantur etiam imprimentes, nunc vero tantum auctores et editores.

2° Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240 § 1

ex can. 2339. Haec censura habebatur olim in Const. Ap. Sedis § 4, I. Adduntur nunc infideles, apostatae ac schismatici; cf. ap auct. n. 1351.

3° Qui praesumpserint alienare bona ecclesiastica aut in iis alienandis consensum praebere contra praescripta can. 534 § 1 et can. 1532, si beneplacitum apostolicum, in memoratis canonibus praescriptum, fuerit scienter praetermissum, omnes quovis modo rei sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo

ex can. 2347 n. 3. Haec censura habebatur olim in Const. Pii PP. IX § 4, n. III, cf. ap. auctorem n. 1353. Requiritur nunc ut beneplacitum Apost. fuerit *scienter* praetermissum.

4° Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam

ex can. 2352. Haec censura vigebat olim ex Conc. Trid.; cf. ap. auctorem, n. 1359, 1°. Sed magis extensa est, nempe ad eos qui cogunt ad statum cle-

Digitized by Google

ricalem et, quoad religionem, etiam ad eos qui cogunt viros; et quoad personas, quae eam incurrere possunt, nemo, praeter Rom. Pont., excipitur.

5° Fidelis, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904

ex can. 2368 § 2. Et ex eodem canone talis non est absolvendus, nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit. Habebatur olim in Const. Ap. Sedis § 4 n. IV; cf. ap. auct., n. 1354.

B. — *De Suspensionibus latae sententiae.*

I. — *De Suspensionibus l. s. Sedi Apostolicae reservatis.*

1° Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato contra praescriptum can. 953

ex can. 2370. Haec censura nova est, in quantum non vigebat amplius nec ex Const. Piana nec ex Conc. Trid. Sed Alexander VII in litt. Ap. « Alias » diei 27 Febr. 1660 eam existere supponebat. Nunc vero restituta est. Quatuor sunt qui in tali casu incurrunt in censurâm.

2° Qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur

ex can. 2372. Antiquitus habebatur in Const. Ap. Sedis sub n. IV; cf. apud auctorem n. 1366.

3° In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt: 1° Qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint; 2° qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 993, 994; 3° qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can. 974 § 1 n. 7; 4° qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem ex casibus occurrere, de quibus in can. 966

ex can. 2373. Duae priores censurae habebantur olim in Const. Pii IX sub n. III Susp. l. s.; cf. apud auctorem n. 1363; tertia vigebat ex eadem Const. n. II; cf. apud auct. n. 1362; quarta nova est. Intelligitur ex can. 966. Privilegium legitimum non est quando habetur solummodo per communicationem ex Const. *Impositi nobis* Ben. XIV.

Digitized by Google

4° Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in maioribus ordinibus constitutus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit

ex can. 2387. Censura nova est. Nota eam tantum incurri post declarationem nullitatis professionis, et quidem requiri ut causa, cur nulla declaretur, sit dolus admissus ab ipso religioso.

5° Capitula, conventus aliique omnes ad quos spectat, (huiusmodi) electos, praesentatos vel nominatos ante litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a iure eligendi, nominandi vel praesentandi suspensi maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicae

ex can. 2394 n. 3. Olim suspendebantur a perceptione suorum beneficiorum; cf. apud auct. n. 1361.

II. — *De Suspensionibus l. s. Ordinariis reservatis.*

1° Si clericus contra praescriptum can. 120, non obtenta ab Ordinarii loci licentia, ausus fuerit trahere ad iudicem laicum aliam personam (*praeter illas quae can. 2341 primo loco enumerantur*) privilegio fori fruentem, incurrit ipso facto in suspensionem ab Officio reservatam Ordinario

ex can. 2341. Cf. apud auctorem n. 1321 et quae supra dicta sunt sub A, II, 8° et III, 5°. Cum licentia Ordinarii licet.

2° Religiosus fugitivus, si sit in sacris, incurrit in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam

ex can. 2386. Cf. ap. auct. n. 2172 ac supra sub A, IV, n. 8°.

III. — *De Suspensionibus l. s. nemini reservatis.*

1° Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus

ex can. 2366. Requiritur praesumptio ad incurrendam censuram. In 2ª parte canonis agitur tantum de *peccatis reservatis* (cum vel sine censura) et non de peccatis reservatis propter censuram, de quibus agitur in can. 2338.

2° Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris vel ante canonicam aetatem vel per saltum ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus

ex can. 2374. Olim aliqua censura aderat ex Conc. Trid. pro 1° et 2° casu; cf. apud auct. n. 1370. De ordinatis per saltum quaestio erat; v. ap. auct. n. 1372.

3° Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit

ex can. 2400. Resignatio beneficii fieri nequit nisi in manus legitimi superioris, et quidem tantummodo in favorem alicuius idonei qui acceptat. Qui

Digitized by Google

ergo mittit suum beneficium in manus laicorum ut de eo disponant, incurrit in hanc censuram. Censura nova est.

4° Abbas vel Praelatus *nullius* qui contra praescriptum can. 322 § 2, benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus

ex can. 2402. In praefato can. 322 § 2, dicitur: «Abbates vel Praelati *nullius* qui ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedici debent, intra tres menses a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem ab Episcopo, quem maluerint, accipiant». Censura nova est.

5° Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958 § 1 n. 3, ipso facto subiacet suspensioni a divinis

ex can. 2409. Olim habebatur interdictum ex Conc. Trid. Cf. apud auctorem n. 1379. Ideo nunc eam incurrit si eas concedat, ante annum elapsum a sede vacante, non arctatis ratione beneficii recepti aut recipiendi aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum.

6° Superiores religiosi qui contra praescriptum can. 965-967 subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione

ex can. 2410. Religiosi ordinari debent ab Episcopo dioecesis in quo sita est domus religiosa. Excipiuntur tantum nonnulli casus, de quibus in II vol. n. 1910. Censura nova est.

C. — *De Interdictis latae sententiae.*

1° Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes, ipso facto contrahunt interdictum speciali modo Sedi Apostolicae reservatum

ex can. 2332. Haec censura olim habebatur in Const. *Ap. Sedis;* cf. ap. auctorem n. 1376.

2° Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint

ex can. 2338 § 3. Habebatur olim in Const. *Ap. Sedis;* cf. auct. n. 1377. Tamen aliquatenus limitata est, quia admissio ad sacramenta vel ad ecclesiasticam sepulturam excluditur, et quoad admissionem ad divina officia, limitatur ad ipsorum celebrationem a clericis excommunicatis, interdictis, suspensis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

Digitized by Google

3° Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti ex can. 2338 § 4. Hi, quando resipiscunt, pro foro interno a quovis confessore absolvi possunt.

Caput IV. — *De ceteris poenis ecclesiasticis.*

Plures enumerantur in Codice can. 2291 et 2298. In hoc tractatu tantummodo referemus quae in iis quae tradit auctor confirmantur vel mutanda sunt, relinquentes uberiorem rei tractationem canonistis. — **1381** Depositio describitur in can. 2303 § 1: « Depositio, firmis obligationibus e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus, secumfert tum suspensionem ab officio, et inhabilitatem ad quaelibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam privationem illorum quae reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus ». Hac definitione et sequentibus § 2 et § 3 confirmantur substantialiter quae habentur ap. auct.; cf. etiam can. 2304. — **1382** confirm. can. 2305. — **1383** confirm. can. 2293 et 2294. Infamia facti non est irregularitas, sed tantum impedimentum; cf. can. 987 n. 7. Infamia iuris ex can. 2295 sola dispensatione Sedis Apostolicae desinit. — **1384** De cessatione a divinis in novo iure non amplius fit sermo. Addi potest can. 2290, quo confessariis datur facultas suspendendi in foro interno per mensem obligationem servandae poenae vindicativae latae sententiae, si in casibus urgentioribus occultis reus seipsum secus revera proderet cum infamia et scandalo. Iniungitur tamen onus recurrendi infra mensem. Si hic recursus sit moraliter impossibilis cf. § 2 eiusdem canonis. — **1385** De privatione sepulturae ecclesiasticae agitur in can. 2291 n. 5 et in can. 1239, 1240, 1241 et 1242; I 1° confirmatur ex can. 1240 § 2. — **1386** confirm. can. 1239 § 1 et can. 1240 § 1 nn. 1-2. Quoad excommunicatos et interdictos requiritur sententia. — **1387** confirm. can. 1240 nn. 3-6. — **1388bis** II 2° can. 1240 n. 5.

APPENDIX AUCTORIS
IN CONSTITUTIONEM « OFFICIORUM ET MUNERUM ».

Quae in hac constitutione praescribuntur vel prohibentur, inveniuntur meliori ordine digesta pro parte dispositiva in can. 1385-1405, quoad poenas in can. 2318. Generatim omnia confirmantur. Notandum tantum ex can. 1384 § 2, sub nomine librorum etiam comprehendi publicationes diarias, periodica et alia scripta edita quaelibet. Ex can. 1385 § 2 licentia edendi dari potest vel ab Ordinario loci auctoris, vel ab Ordinario loci in quo publici iuris fiunt, vel ab Ordinario loci in quo imprimuntur, ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia. Etiam non amplius prohibentur publicationes anonymae. In Proemio III confirm. ex can. 1398 § 1.

1 manet. — 2 confirm. can. 1399 n. 2. — 3 can. 1399 n. 4. — 4 per se patet — 5 can. 1399 n. 1 cum can. 1400 ubi dicitur: « qui studiis theologicis vel biblicis *quovis modo* operam dant ». — 6 can. 1399 n. 5, 1391 et 1400. — 7 can. 1385 § 1 n. 1, 1391 et 1399 n. 5. — 8 can. 1391, 1399

Digitized by Google

n. 3, et 1400. — 9 can. 1399 n. 9. — 10 de operibus classicis non amplius fit sermo. — 11 quoad substantiam confirm. in can. 1399 n. 6. — 12 confirm. can. 1399 n. 7. — 13 can. 1399 n. 5. — 14 can. 1399 n. 8 et quoad ultimam partem eodem can. n. 6. — 15 confirm. can. 1399 n. 12. — 16 eodem can. 11. — 17 can. 1388 § 1. — 18 can. 1399 n. 10 et can. 1390. — 19 can. 1390 et implicite 1385 § 1 n. 2. — 20 can. 1385 § 1 n. 2 et 1391 n. 5. — 21 can. 1399 n. 3. — 22 can. 1386 § 2. — 23 can. 1398 § 1 et 1402 § 1. — 24 transfertur haec facultas ad S. Officium ex can. 247 § 4. S. Congr. Indicis suppressa est. — 25 confirm. can. 1402 §§ 1-2. — 26 can. 1403 §§ 1-2. — 27 can. 1397 § 1. — 28 can. 1397 §§ 2-3. — 29 can. 1397 § 4 quoad substantiam et ex eodem can. § 5. — 30 can. 1395 § 1 et § 3. — 31 can. 1391 § 2. — 32 can. 1387. — 33 can. 1389. — 34 omittitur, per se patet. — 35 confirm. can. 1385 § 2. — 36 eodem can. § 3; dicitur nunc: *religiosi*, qua voce omnes comprehenduntur ex can. 488, n. 7. — 37 non amplius mentio fit de auctoribus qui Romae degunt; ideo pro iis valet deinceps lex communis. — 38 confirm. can. 1393 §§ 1 et 3. — 39 eodem can. § 2. — 40 can. 1394 § 1. — 41 can. 1385 § 1 nn. 1 et 2. — 42 can. 1386 § 1. — 43 suppressum est hoc praescriptum. — 44 confirm. can. 1392 §§ 1-2. — 45 can. 1396. — 46 can. 1404. — 47 can. 2318 § 1. — 48 can. 2318 § 2, et 49 per se patet.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google